# DECISIONES

# SAC. ROTÆ ROMANÆ

## IN RE COMMERCIALI

POST LEGEM DIEI 1 JUNII 1821 AD ANNUM 1842 CHRONOLOGICO
ORDINE DISPOSITÆ, ADDITIS ARGUMENTIS, SUMMARIIS,
ET INDICE LOCUPLETISSIMO.

VOLUMEN UNICUM




R74
R= Rota

ROMÆ
TYPIS ANTONII MUGNOZ
1842

26848

*Cum in tanta commerciorum varietate et frequentia novae et peregrinae exoriantur in dies juris controversiae, utile duximus S. Rotae Romanae hoc in volumine decisiones colligere, quae jurisprudentiam ipsius in re mercatoria praeseferunt, tum ad juvenum mentes certis recepti juris principiis imbuendas, tum ad suppeditandas caussarum patronis certas aequitatis regulas quibus clientum suorum jura tueantur, tum etiam ad ita conformandos judicum animos, ut constanti et perpetua voluntate duce, in re humano generi tam necessaria, ad suum cuique jus tribuendum ferantur.*

*Cumque Gallicus commercii codex apud quamplures Europae gentes adoptione receptus, etiam apud nostrates vim legis obtinuerit post aedictum diei* 1. *Junii* 1820, *ideo opportunum censuimus, ab hac die recensionem exordiri, eam prolaturi usque ad praesentem, ut auctoritas rerum judicatarum quae in ambiguitate legis, vim legis nancisci debet* ( l. 38. ff. de legibus ) *ex eodem fonte prosiliens, nobis atque exteris pari ratione inservire queat.*

*Verbo opus non est ut demonstratum faciamus quanto in praetio debeat haberi S. Auditorii in jure dicundo sapientia, cum notissima in toto fere orbe terrarum, laudem quamcumque vel ipso nomine suo longe antecellat. Hoc unum animadvertimus quod hujusmodi collectionem, quam additis summariis et argumentis chronologico ordine disponimus, index locupletissimus complectetur, qui magis receptas a tribunali sententias ob inquirentium oculos abunde exhibebit.*

# DECISIONES
# SAC. ROTÆ ROMANÆ
## IN RE COMMERCIALI

R. P. D. ISOARD

ANCONITANA PECUNIARIA

*Lunae* 15. *Aprilis* 1822.

ARGUMENTUM

Inita societate pro mercibus per navem mittendis ad certum locum, ob eoque aliis mercibus transvehendis, si navarcus, altero ex sociis inscio, novas suscipit negociationes, novaque itinera, in iisque cum navi naufragio perit, id inscii socii damno esse nequit, quia merces contra socialia pacta in navem impositae haud sociales fuisse videntur.

*SUMMARIUM*

1. *Error calculi semel ac innotuit, emendandus.*
2. *Quivis socius sociales expensas pro sua rata sustinere debet.*
3. *Nefas est alteri ex sociis societatis leges violare.*
4. *Si navarcus, altero ex sociis inscio, alias suscipit negociationes, aliaque itinera, quam quae conventa fuerant in societate, in iisque cum navi naufragio perit, id damno non est inscii socii, quia merces contra socialia pacta in navim impositae, non habentur uti sociales.*
5. *Quando caput non debetur, nec mercatoriae quidem usurae praestandae sunt.*
6. *Dum res emptae ceduntur, notissima est inter negociatores consuetudo praestandi praemium quod vocant* – buon uscita –

DECISIO I.

Anconitani negociatores Antonius Passanus, et Fortunatus Bernardinius anno 1812 *verbalem* inierunt societatem pro mercibus ad melitensem insulam mittendis. Eadem societas ita inter eos constituta fuit ut Passanus bessem, Bernardinus vero trientem capitis in eam conferrent, ac ut quaelibet negociatio, navium aditum, reditumque ab insula, seu, ut ajunt » *andata*, *e ritorno* » comprehendere deberet. Multae reapse merces eo, ac insequenti anno diversis vicibus, diversisque onerariis navibus Melitam missae sunt: et Bernardinius quandoque pro tertia, quandoque pro quarta parte in expeditionibus intercessit, ac fortunarum omnium particeps fuit, ac socius quandoque etiam suam pecuniam Passano credidit, ac interdum illam ab eo habuit, ut negotiaretur, atque ita *accomandita* efficiebatur. Ferme per biennium res optimis ominibus processit. Sed, exeunte anno 1813, Bernardinius judicio egit in Passanum ut redditionem rationum de gestis negociis, ac nonnullarum mercium restitutionem ab eo assequeretur. Ad normam gallici commercialis codicis res primum delata est ad judices arbitros, qui, omnibus ad trutinam revocatis, tandem die 23 Novembris 1814 suum protulere laudum *octo capitibus* distinctum, cujus vi Passanus ad quaestuum solutionem, et quotae mercium adhuc in promptuariis existentium traditionem, damnatus extitit. Bernardinus ab *octavo* hujusce arbitramentalis sententiae capite, *a primo* vero, *tertio*, *quarto*, *et sexto* Passanus provocavit. Hinc caussa anconitanum conscendit commercii tribunal, a quo die 10 junii 1815, vadimonium deserente Passano, eadem sententia quoad *octavum* tantum caput, sed deinde, ipso contradicente, quoad diversa capita ad diem 15 novembris illius anni reformata fuit, atque ita Bernardinii creditum imminutum est.

Dum lis isthaec agebatur coram judicibus commercii, novas Bernardinius ciere turbas caepit de negociatione inita cum navi – *l'Ulisse* –, sive – *Sicilia* –. Ipse namque initio anni 1813 navem istam mercibus scutatis nummis 12912. 48 aestimatis oneraverat, ut Melitam mitteret, cuique praefecerat graecum navarcum Raphaelem Ivvancovich, qui eas merces in insula vendere debebat, ibique alias acquirere Anconam ferendas. Cum tamen navarchi fidem non satis perspectam haberet, petiit ab Passano, ut Dominicum Lencium ejus servitio

addictum navem illam conscendere sineret – *ad oggetto di sorvegliare il detto Iwancovich* –. Facile Passanus ipsius postulationibus assentitus est, quippe qui et ipse partem habebat in missione, cum pro scutatis 4000. societatem coiverit. Sed dubitavit, quin Bernardinius liberam, ac arbitrariam mercium negociationem graeco duci separato commisisset: hinc eo ipso quod navarchum commendavit Antonio Soffredinio melitensi, ut ei opem ferret in mercibus vendendis, emendisque, eidem Soffredinio indixit, ut si forte Iwancovichius non staret mandatis, ab hoc recuperare satageret scutata 4000, quae ipse Bernardinio suppeditaverat. Exeunte mense januario illius anni navis e portu solvit anconitano, ac die 27 insequentis februarii Melitam appulit. Inibi navarchus mercium partem vendendam Soffredinio reliquit, partemque aliam secum ferens, Panormum petiit. Ex Sicilia deinde remeavit in insulam melitensem, ubi cum ostenderit, se novum iter Siciliam versus esse suscepturum, antequam Anconam rediret, Soffredinius nesciens id peragi contra pacta societatis, Passani mandatis parere satius duxit, nummosque melitenses 9481. 2: 11, qui respondent argenteis 3792. 49, quosque nondum impenderat in emptione mercium penes se retinuit, atque hujus summae Passani debitorem sese renunciavit.

Aegre tulit navarchus Soffredinii factum. Hinc scriptam edidit declarationem die 10 junii coram judicibus melitensibus pro damnis, et usuris contra ipsum Soffredinium: sed tamen discessit ab insula, ac per aequora vagari caepit. Graeciam primum petiit, appulitque Dyrrachium, ubi melitenses, quas ipse, et ex parte etiam Soffredinius acquisiverant, vendidit merces, aliasque praestinavit, quas transtulit Messanam. Hac pariter in civitate graecas merces venumdedit, novasque adeptus est Anconam vehendas. Liquit reapse messanensem portum mense aprilis anni 1814, sed navis tarentino mari naufragium passa, se suaque omnia submersit, atque ita post annum circiter, ex quo navarchus ipse Ancona discesserat, miserandum in modum e vivis ereptus fuit. Ut primum id Bernardinius suspicari potuit (cessaverat namque litterarum commercium, quod ei fuerat cum navarcho) illico cautionem, quam dicunt - *assicurazione* – ab tergestinis negociatoribus requisivit, et responsum habuit – *troppo tardi, amico mio, vi siete determinato a commettermi la sicurtà per il capitano Iwancovich. Pur troppo dubito, si verifichi quello hanno vociferato, che siasi rotto* „. Quamvis autem ipse non ignoraverit hujusmodi naufragium, quamvis ei innotuerit Passanum, obmalam navarchi agendi rationem, maximam suae pecuniae partem a societate abduxisse, nihil tamen proposuit coram primis arbitris, sed tantum anno 1815 scutatorum melitensium 9481., quae Passanus habuerat a Soffredinio, bessem postulavit. Acta quaestio fuit apud novos arbitros, qui ad diem 13 julii ejus anni quadraginta dierum tempus Bernardinio praestituerunt „ *a giustificare il naufragio sofferto dal capitano Iwancovich colle merci provenienti dalla società di cui si tratta* „ quo emenso, si ipse naufragium navis „ *l'Ulisse* „ probasset, ad solutionem melitensium nummorum 6327 Passanum condemnarunt. Decimo quinto kalendas januarias anni 1816 aliam iidem judices tulere sententiam, qua naufragium probatum dixerunt, primaeque sententiae exequutionem decreverunt, addentes insuper „ *doversi dal signor Passano corrispondere al sig. Bernardini sull'indicata somma lo sconto mercantile fino al pagamento effettivo, a cui lo condanniamo* „.

Post haec de rebus omnibus amice inter socios componendis actum est, ac generalis instituta ratio tum de his, quae ad judices adducta fuerant, tum de iis etiam, quae nondum Bernardinius protulerat, quaeque diversis ex causis, ac negociationibus promanabant. Actum videlicet quoque fuit de ipsius Bernardinii credito ex missione clavorum, et variorum operum ex chalibe conflatorum in insulam melitensem cum navicula „ *l'Affricano* „ quoniam ibi Passanus cum dentibus elephantium, ac Hierapolis galla eos commutaverat, novasque has merces Anconam duxerat, vendideratque, quin unquam consocio rationem reddidisset. Actum pariter de alio credito mercium, quibus phaselus „ *S. Serafino* „ oneratus fuerat. Diu, multumque pro rationibus expediendis laboratum est, sed manus extrema sociorum operibus non accessit. Nam labente anno 1817 cum Bernardinius noverit, ex sententia tribunalis commercii sublatam fuisse universalem *assecurativam* sequestrationem quae, urgente altero ex assertis creditoribus,

Passani bonis posita fuerat, ex quo iste in exteras regiones se contulerat; illico ad idem confugit tribunal, ac ipsius sequestrationis confirmationem efflagitavit, obtinuitque per mandatum diei 15 januarii 1818. Hinc quaestiones omnes cor. iis judicibus iterum protulit; creditis jam ab arbitris probatis novissima addidit, et *calculum demonstrativum* exhibens in quinque partes distributum, institit ut Passanus scutatorum 9309 78 sui debitor renunciaretur. Judices ipsi, postquam in caussae hujus cognitione multum versati fuerant, suam denique quinto kalendas septembris ejus anni tulere sententiam *sex* distinctam *capitibus*, quibus quaestiones omnes persolverunt.

*Primo* namque in capite arbitrorum sententiam diei 18 Decembris 1815, qumavis *executoriali* forma non munitam, exequutioni tamen committendam esse decreverunt. *Altero* Passanum condemnarunt ad solutionem scutatorum 6247. 86, quoties hic infra decem dies scut. 500 „ *per metà del cambio marittimo sulla nave Saida* „ se pensitasse probaret; quod nisi praestaret, ad scutata 6747. 86 damnationis multam ampliarunt. *Tertio* quindecim dierum tempus Passano praestituerunt ad tradendam Bernardinio quotam mercium, quas ille nondum vendiderat. *Quarto* sequestrationem *assecurativam* super debitoris bonis confirmarunt. *Quinto* nonnulla utrique litiganti pro diversis *partitis* reservarunt jura, de quibus peculiari judicio disceptandum erat. *Sexto* demum Bernardinium expensarum quadrantem, ac Passanum dodrantem persolvere debere statuerunt. Appellavit Passanus ab hujusmodi sententia, novumque de suis juribus periculum fecit in aula maceratensi, quae kalendis augusti 1821. Bernardinii creditum praefinivit in scutatis 6247. 86, delato tamen eidem jurejurando pro summa scutatorum 210. 73, et confirmata quoad caetera primaeva sententia. E re sua duxit reus iterum provocare, atque ita caussa in vim novissimae edictalis legis diei 1 junii superioris anni *de negociis commercialibus* ad s. tribunal delata est, mihique commissa. Hinc hodie instituta fuit disceptatio tum de Bernardini credito ab judicibus anconitanis et maceratensibus comprobato, tum *de decem nominibus* quae ab eo subducenda esse Passanus contendebat. Controversia multis quaestionibus implexa, ac negocii plena visa est Ordini nostro, ideoque dum de nonnullis ex iis nominibus sententiam pandidit, deque aliis judicium distulit, mandavit quoque, ut haec ederetur decisio per rescriptum „ *Constare de credito Fortunati in summa scut.* 1566. 46 *et esse relaxandum mandatum: quoad partitas tertiam, septimam, octavam, et decimam coadjuventur probationes; in reliquis negative, et extendatur decisio.*

Nec aliud equidem judicium ferri poterat. Certum namque erat Bernardinii creditum *in genere*, neque id ipse quoque Passanus inficiebatur. *In specie* tamen multis exceptionibus obnoxium Patres illud comperiere, dum *decem* deductionum *partitas* a debitore propositas singillatim expenderunt, ac sententias tribunalis anconitani, et maceratensis examinarunt. Reque vera *prima partita* scut. 2715 ex errore calculi conficiebatur. Nam Bernardinius ipse in *computo demonstrativo* judicibus anconitanis exhibito sui debito adscivit„ *la partita di scudi* 1820. 17 *addebitata nel quarto capo di detta sentenza etc. sc.* 1793 02. Eo ipso quod fassus est ab arbitrorum sententia diei 26 novembris 1814 se debitorem scutatorum 1820. 17 renunciatum fuisse pro quadrante expensarum *quartae* missionis; deinde hanc summam nulla penitus de causa ad 1 scutata 1793 02 depressit. Patet itaque ex puro, putoque calculi errore dempta esse ex Bernardinii debito scutata 27 15, quae Passani credito addici debent, ac proinde jure meritoque praefatam partitam ab ipsius Passani debito subducendam Patres decreverunt.

Jure pariter debitori compensanda est *altera* partita scutatorum 89. 66 pro besse sc. 134 50, quae ipse Dominico Lencio persolvit, pro quibus judices commercii *in cap.* 5 eorum sententiae ei jura reservarunt. De Bernardinii mandato, et Passani consensu conscenderat ipse navim „ *l'Ulisse* „ onustam mercibus, quae pro duabus ex tribus partibus ad eumdem Bernardinum spectabant „ *ad oggetto di sorvegliare il Capitano Iwancovich* „. Post navarchi discessum ab insula melitensi, ipse Anconam remeavit, judicioque egit in Passanum, ut sumptuum indemnitatem, suamque mercedem obtineret. Judices arbitri de more electi per sententiam diei 21 januarii 1815 a praestanda mercede reum liberarunt, sed qua condominum mercium oneratarum in navicula, ad solutionem expensarum in scut. 134. 50 eum

condemnarunt, reservato tamen jure „ *al signor Passano di rivalersi di detta somma contro chi sarà di ragione* „ . Lencio persolvit Passanus praefatam summam; at deinde bessis ejus, pro scutatis nempe 86. 66 compensationem in Bernardinium requisivit coram tribunali commercii. Judices illi cum Passanus haud protulerit sententiam a Lencio obtentam, hujusmodi creditum a suo debito non subduxerunt, sed tamen ei jura reservarunt. Eadem sententia hodie in actis non desideratur; explorata est Lencii missio ex Bernardi-
2 nii mandato, et de hoc Lencius ipse amplissimum perhibet testimonium; certum itidem, Passanum pro triente tantum navem onerasse. Dubitari igitur non potest, quin Bernardinius bessem expensarum, quae Lencius sibi tulit, Passano rependere debeat.

*Partitae* quoque *quarta* scutatorum 2530, *quinta* sc. 83. 02, et *sexta* scut. 303: 60, quae ex negociatione cum eadem navi „*l'Ulisse*„ manabant, merito pro debitore probatae sunt. *Prima* ex his *partitis* bes est nummorum melitensium 9481 2 11, qui ne argentea quidem aequant quatuor millia, quot Passanus in societatem contulerat, quosque mandatarius Antonius Soffredinius sibi retinuit in creditum Passani, postea quam noverat, navarchum Iwancovichium non parere mandatis, nec Anconam redire velle. Ex pacto Bernardinium inter et Passanum convento quaevis missio tam pro gressu, quam pro regressu ab insu-
3 la melitensi socialis esse debebat; nec licebat alteri ex sociis conventionis leges violare. Ad tramites hujusce pacti arbitri anconitani laudo diei 13 julii 1815 probationem indixerunt naufragii praedictae navis socialibus mercibus onustae; ideoque tempus quadraginta dierum praefinierunt Bernardinio „ *a giustificare il naufragio sofferto dal cap. Iwancovich colle merci provenienti dalla società di cui si tratta* „ Necesse hinc erat,
4 ut iste probatum faceret, navem societatis mercibus oneratam submersam fuisse. Sed ipse naviculae tantum naufragium, minime vero, quod in ea reperirentur sociorum merces, sive socialium mercium jacturam ostendere potuit: quin imo ex monumentis ab eo prolatis apertissime colligebatur, navem aliis prorsus, quam societatis mercibus esse onustam, quando sinus tarentinus eam absorbuit.

Re quidem vera navarchus Melitam pervenit, ibique merces sociales deoneravit „ *ad eccezione delle tele, ed altre bagattelle, che intese di portare, e vendere a Palermo* „ ceu ipse etiam Iwancovichius declaravit *in protestazione* contra Soffredinium diei 10 Junii 1813 coram tribunali melitensi. Panormum deinde petiit, ubi reliquas vendidit merces, Melitamque remeavit. Hac in civitate pecuniis, quas habuerat ex venditione socialium mercium, iis subductis a Soffredinio retentis, novas adeptus est merces, quas Anconam ferre debebat. Sed ipse per aequora vagari caepit, et „ *invece di andare in Ancona, approdò a Durazzo, lì vendette il carico, e ne formò un'altro di legnami da costruzione* „ Hinc Messanam versus iter fecit, ubi cum pervenisset, ligna distraxit „ *e fece altro carico di mercanzie per l'Adriatico. Partito da Messina, ma disgraziatamente viaggio facendo all'imboccatura dell'Adriatico sul capo di S. Maria naufragò, e si perdè bastimento, carico, capitano ec.* „ Haec habentur ex testimoniis Soffredinii, Lencii, aliorumque, quos Passanus protulit. Praeterea ipse quoque navarchus ad diem 17 martii 1814 ex Messana epistolam mittebat Bernardinio, cui significabat, se Tergestem appulsurum „ *per aver stimato vantaggioso per il vostro interesse*„ quod satis aperte revincit, se unius Bernardinii periculo alia itinera Messanae, et Dyrachii suscepisse. Eum proinde rogabat „ *di anticipare vostre lettere al vostro corrispondente in Trieste, al mio arrivo si presentasse, e si facesse conoscere per agire del disbarco degli anzidetti generi, e poi venderli, e per ciò che piacerà a lei di disporre tanto dei sudetti, come pure del bastimento, e di me medesimo* „ . His addenda est narratio instructissimi testis Paschalis Antonii Politica, qui refert navem „ *l'Ulisse* „ *proveniva da Messina col carico diretto per il golfo Adriatico* „ cum naufragio periit. Istiusmodi monumenta Bernardinius ipse ad acta detulit. Manifestum itaque *ex facto* est, navem eo in itinere socialibus mercibus non esse oneratam.

Verum si merces societatis eo naufragio comprehensae minime fuerunt; si Bernardinius probare nequivit, naviculam „ *l'Ulisse* „ mari fuisse fractam „ *colle merci provenienti dalla società* „ prout ei judices arbitri demandaverant; quin imo a probationibus quo-

que per eum prolatis perspicue eruitur, submersas merces ad ipsum solummodo spectare, quia navis „ *proveniva da Messina* „ minime vero ab insula Melitensi, et quia Iwancovichius nova itinera Messinam, Dyrachium, et Tergestem versus majori ipsius utilitate susceperat, proindeque ipso certe non dissentiente, jam late patet, summa injuria Passanum damnatum fuisse ad scutata 2530 rependenda quoniam Bernardinius mandata non implevit demonstrandi, naufragium intercessisse „ *colle merci provenienti dalla Società di cui si tratta* „. Eoque injustior fuit condemnatio isthaec, quia idem Bernardinius navarchi vagationes profecto non ignoravit. Ipse enim vix in suspicionem adductus est de Iwancovichii naufragio, epistolas misit Tergestinis negociatoribus, ut *assecurationem* obtineret; quod ostendit litterarum commercium eos inter extitisse, ac penitus cessasse. Idque melius evincitur ex eadem epistola navarchi a Bernardinio prolata. Ille namque Messana discessurus scribebat „ *Spero che a quest' ora avrete ricevuto qualcheduna delle mie lettere inviatevi per via di Malta, Trieste e Napoli* „. Si igitur ob commercium litterarum Bernardinio innotuerant Iwancovichii peregrinationes, nec ipse unquam de his conquestus fuit diuturno tempore *quindecim mensium*, ( quot lapsi sunt a discessu navis a portu Anconitano usque ad diem quo primum scripsit *pro assecuratione* obtinenda, ) nec unquam de iis verbum fecit cum Passano; praesumendum est de sui mandato navarchum novas suscepisse negotiationes, suique unius, non sociali nomine ac periculo, per universa maria discurrisse; ac proinde immerito Passanus ex alterius facto, quod nunquam cognovit, nec probavit, gravissimo damno afficeretur.

Quamobrem praefata summa scutatorum 2530 injustissime a Passani debito deducta est. At subducendae etiam sunt aliae *partitae* scut. 82. 20, et scut. 303. 60, quoniam a praecedenti originem ducunt. Ad primam enim quod spectat, sicut Bernardinius contendebat pecuniam a Soffredinio, Passani mandatario, Melitae recuperatam distribuendam esse pro rata capitis in nave „ *l'Ulisse* „ onerati; ita praeter eam summam scutatorum 2530, alia scutata 82. 20 sibi tribuebat. Sed cum ejus instantiae rejectae fuerint pro qualibet condicenda parte pecuniae a Passano recuperatae, necessario sequitur, quoad reliquum etiam, esse repellendas. Altera partita usurae comprehenduntur mercatoriae ejusdem summae scut. 2530. Nam judices arbitri decreverunt „ *doversi dal signor Passano corrispondere al signor Bernardini sull'indicata somma lo sconto mercantile fino al pagamento effettivo, a cui lo condanniano* „. Atqui eadem summa non debetur; ergo ne mercatoriae quidem usurae praestandae sunt; ideoque a Passani debito detrahendae.

*Nona* detractionum *partita* scutatorum 200 „ *per abbuono, ossia buonuscita sopra rubbia* 200 *grano* – debitori denegata est. Nec injuria. Biscentum frumenti modios licitus fuerat Bernardinius, quos deinde, depacto praemio unius scutati in singulis modiis Passano cessit. Cum Bernardinius ipse *calculum demonstrativum* exaravit, scutata 200 „ *per buonuscita* „ sibi adscripsit. Negabat Passanus coram tribunali commercii anconitano, se hujusmodi praemium promisisse; sed ex testium dictis judices illi satis aperte colligere potuerunt, Bernardinium reapse, ubi de frumenti cessione actum est, idem praemium postulasse, et Passanum ejus petitioni assentitum fuisse; hinc eum condemnarunt ad scutata 200 persolvenda. Judicium hoc hodie probari meruit. Etenim testes Cyriacus Maddalena, et Paschalis Tabacchi „ *depongono di certa scienza, e fatto proprio* „, Passanum requisivisse a Bernardinio frumentum „ *dandogli un compenso, o buonuscita di uno scudo per rubbio* „ ac Bernardinium in ejus vota ivisse. Dubitari igitur non potest, quin Passanus, ut triticum obtineret, hostimentum spoponderit. Caeterum quamlibet removet ambiguitatem tum rei verisimilitudo, tum notissima inter negociatores consuetudo praestandi praemia, quoties de rebus emptis cessio peragitur.

Quoad reliquas vero partitas, *tertiam* scilicet scutatorum 273 pro *avaria* phaseli „ *s. Serafino* „ quae Passano reservata fuit in *capite* 5.° sententiae tribunalis commercii; *septimam* scutorum 464. 05, quae Bernardinium adhuc debere ad exequendas rationes primae missionis cum navicula „ *la ssma Trinità* „ Passanus contendebat; *octavam* scutor. 210. 73 pro taxa quadam, quam Galli appellabant „ *d'entrepot* „ et nostrates vocant „ *Magazinaggio* „ quamque idem Passanus, Bernardinium solvisse inficiabatur; et *decimam* denique scut.

700, pro portorio navis „ *l'Africano* „ quae pariter ipsi Passano reservata fuit in *cap.*5° laudatae sententiae; Patres judicium protelandum censuerunt, mandantes interim ut hae quaestiones iterum expenderentur, ubi validioribus probationibus fulcitae fuissent.

Quae cum ita sint, meritissime Bernardinii creditum in praefata summa scutatorum 1566. 46 constitutum est. Si enim ab summa scut. 6247. 86, qua Passanus ab judicibus anconitanis, et maceratensibus damnatus fuit, *quinque* demantur detractionum *partitae*, quae pro eo probatae fuerunt, quaeque solidum conficiunt scut. 3033. 62, supererunt scutata 3214. 24. Si ab hac summa subducantur pariter *quatuor* aliae *partitae*, quae, utpote *reservatae*, novo examini subjiciendae sunt, quaeque ad vim usque conscendunt scut. 1647. 78, de ea erit reliquum *scutatorum millium quingentorum sexaginta sex, et obulorum quadraginta sex*, quod in praesens Passanus debet, quodque Bernardinius consequi poterit ope mandati executivi, quod pro eo s. Ordini decernere placuit.

Et ita, me quoque suffragium ferente, decisum est, utraque etc.

**R. P. D. ISOARD**

FERRARIEN. ATTENTATORUM

*Veneris* 6. *septembris* 1822

ARGUMENTUM

Ex commerciali lege succumbentes non *recursu* ad Signaturae tribunal sed directo ad judices appellationis provocare possunt intra quinque dies ab denunciata sententia, et hoc labente tempore actus exequutorii inhibentur. Leges *ordinatoriae* etiam ad praeteritum protenduntur, et secundum saniorem doctrinam inter *ordinatorias* lex habetur, quae appellandi facultatem et rationem moderatur.

*SUMMARIUM*

1. *Pendente appellatione nihil innovari potest.*
2. *Quando constat de legitima inhibitione deque ejus spretu, attentata dicuntur commissa, fitque locus eorum purgationi.*
3. *Ex lege commerciali succumbentes non* recursu *ad Signaturam, sed directo provocare possunt intra quinque dies ab denunciata sententia.*
4. *Atque hoc labente tempore actus executorii inhibentur.*
5. *Leges futuris tantum dant normam negociis.*
6. *Limita in lege* ordinatoria, *quae ad praeteritum etiam protenditur.*
7. *Lex quae moderatur facultatem et rationem appellandi non inter* decisorias, *sed inter* ordinatorias *habenda est secundum saniorem doctrinam.*

DECISIO II.

Mandatum, quod dicunt *reale et personale*, tum in debitorem Joseph Fugarolium, qui Ferrariae diversorium exercet, civibus externisque apprime notissimum sub agnomine „ *delle tre Corone* „ tum adversus Joannem, et Antonium fratres Gastaldios fidejussores aeque in solidum *devinctos*, indulserat per *interloquutorium*, ut ajunt, *decretum* diei 25 maii superioris anni tribunal, quod apud Ferrarienses *de rebus commercialibus* jus reddit, haebreis negociatoribus Moyse Aaron Umano et Aeliae ejus filio pro scutatis 370. 12, nec non pro expensis. Reliquum hoc erat de nummis 500 quos debitores per publicas tabulas ratione scutatorum 15 singulis mensibus persolvere promiserant, disertissimo adjecto pacto quod, si ipsi ad trimestre pensiones distulissent, fas esset creditoribus solidum ex toto postulare. Etsi vero ad canonicam aequitatem rei confugissent, morae purgationem implorantes, attamen die 28 insequentis junii edita fuit sententia, qua tribunal illud, *previa la revoca della sospensione del mandato ha persistito nel decreto 25 maggio scorso.* Isthaec sententia nonis quintilis significata fuit debitoribus, qui, ne biduo quidem elapso, provocationem in actis interposuere, ac deinde, scilicet 13 ejusdem mensis, Umanis dicam scripserunt coram aula bononiensi, quae in secunda actione negociatorum dirimit controversias, *per sentire revocare la sentenza del tribunale di commercio di Ferrara.*

Ea tamen pendente appellatione, triduo post creditores Umanii obtentum mandatum executioni committere non dubitarunt, omnemque pene hospitii supellectilem die nundinaria Ferrariae, ac in praegrandi civium advenarumque frequentia, pignori subjecerunt. Hinc *de attentatis* acriter conquesti sunt Fugarolius, et Gastaldii coram appellationis judicibus, qui nullam reapse irritamque declararunt die 31 ipsius mensis expletam *exequutionem*, Judaeosque damnis omnibus et expensis reficiendis condemnarunt. Ab hac sententia negociatores Umanii provocare non destiterunt, et initio felici quidem omine. Causa enim ad s. Ordinem delata, in comitiis diei 8 julii nuper elapsi decisum fuit „ *Non esse locum purgationi attentatorum, et expediatur* „ atque exinde edita sententia, cui R. P. D. meus Gam-

berini subscripsit. Verum cum, discrepantibus sententiis, ulterioris appellationis beneficio Fugarolius, Gastaldiique uti voluerint, instauratо hodie periculo, judicii alea versa est. Re namque accuratius expensa, responsum prodiit: *Sententiam esse infirmandam, et extendatur decisio.*

Quæ duo in attentatorum judicio requiruntur, inhibitio scilicet, et spretus inhibitionis, omnia in hac specie præsto erant. Postquam enim ferrariense commercii tribunal die 28 junii anni 1821 sententiam tulerat in debitores, postquam isti biduo post significatam sententiam, die videlicet 9 julii, ad aulam bononiensem provocaverant, nefas erat creditoribus *exequutionem* perpetrare. Pendente namque
1 appellatione nihil innovari potest, veluti post *test. in leg.* 3 *cod. de appellation. et consultation. et in leg. unica nihil innovari appellation. interposita*, pluries firmavit S. Rota, et nuperrime *in Romana decoctionis quoad pretium frumenti* 3 *junii hujus anni* § 3 *cor. me.* Atqui creditores ipsi praefatam sententiam exequutioni committi voluerunt die 16 ejusdem julii, proindeque post interpositam appellationem, quando scilicet legitima aderat inhibitio. Constat itaque tum *de inhibitione*, tum
2 *de spretu*; ideoque locus est *attentatorum purgationi*, quae legibus non tam privatorum damno sarciendo, quam publicae utilitatis gratia, ad contemptam judicis majestatem vindicandam, inducta fuit, *text. in lege ita vulneratus ff. ad legem aquiliam*, *Lancellot. de attent. in praefat. n.* 90, *Card. de Luca de jud. disc.* 18 *n.* 6 *et* 36, *Rota in Auximana, seu Recinaten. attentatorum* 4 *junii* 1760 *cor. Canilliac.*

Nec est quare a purgandis attentatis se liberent Umanii, obtendentes quod, cum Fugarolius, et Gastaldii non confugerint ad Signaturae justitiae tribunal, cujus tantum erat in judicio *summario et exequutivo*, qualis est controversia *commercialis*, de provocandi facultate decernere, liberum sibi ipsis maneret, sententiam, appellatione adhuc pendente, exequutioni committere. Ex praescripto namque artic. 15, 26 et 27 edictalis legis editae kalendis junиis anni 1821, quae in sequen-
3 tibus kalendis quintilis obtinere caepit, quaeque proposuit, *il regolamento provvisorio di commercio*, habetur, succumbentes absque ulla necessitate *recursus* ad Signaturae tribunal, directo ad judices appellationis provocare posse – *entro cinque giorni dopo la intimazione regolare della sentenza* –, quo labente tempore – *gli atti esecutorii saranno inibiti.* Quare cum rei non intra quinque dies quot lex concedebat, sed intra biduum provocaverint, appellationisque causam quatriduo post ad bononiensem aulam detulerint;
4 cumque Umanii, hisce omnibus despectis, violataque magistratuum dignitate, debitorum supellectilem aspere pignorati fuerint, consequens omnino erat ut isti in *attentata* incidisse renunciandi essent, quia nec judicii appellationis exitum expectarunt, nec operam dederunt ut legitimis modis interjecta provocatio rejiceretur.

Et perperam Umanii contendebant, istiusmodi legis commercialis normam aptari speciei non debere quia sententia prolata fuit antequam lex eadem invaluerit, scilicet ante *diem primam julii*, ac proinde ab ea affici non potuerit ex praecepto *text. in leg.* 7 *cod. de legibus et constitut.* Licet enim certissimum sit, leges omnes futuris tantum dare formam
5 negociis, nec ad praeterita facta revocari posse, id tamen locum sibi non vindicat in themate, quia res est de lege ordinatoria, quae ad prae-
6 teritum quoque mirifice protenditur ex doctrina *Glossae ad dict. leg.* 7. Hinc deterius etiam Umanii ipsi propugnabant, leges de ratione ac facultate provocandi statuentes, *decisorias* esse, non *ordinatorias.* Quidquid namque asserat nonnullus ex pragmaticis forensibus, quod
7 videlicet hujusmodi leges habeant *mixtum decisorium*, sanior tamen ac recepta magis doctorum sententia est, appellandi facultatem ab *ordinatoriis* legibus comprehendi, atque ad eas unice pertinere, ceu monet *Aut. in cap. quod clerici de foro compet.*, *Alex. cons.* 176 *vol.* 2, *Cuman. cons.* 139 *vol.* 2, *Lud. de Sozad cons.* 76 *n.* 7, *Scaccia de appel. quaest.* 17 *limit.* 9 *n.* 9, *et limit.* 49 *n.* 4 *et* 5, *et Rota post eamdem, Scaccia decis.* 141 *n.* 6.

Quod si vero juxta regulas, quas *praxeos codex anni* 1817 de judiciis summariis *et exequutivis* constituit controversiam dirimi magis lubeat Haebreis, non inde tamen melior fiet eorum conditio. Siquidem *articuli* 979 *et seq. ejusdem codicis* facultatem tribuunt succumbentibus appellandi intra *decem dierum* spatium postquam eis sententia rite nunciata fuerit; idque ad effectum etiam impediend

exequutionem ope *specialis citationis* a Signaturae tribunali auditore praefecto impetrandae, atque intra *dies quindecim* ab sententiae significatione expediendi : quo quidem termino labente – *rimarrà sospesa la esecuzione, purchè nei primi dieci giorni sia stata interposta l'appellazione*, prout expresse habet artic. 982. Cum igitur Fugarolius, et Gastaldii provocaverint tempore habili, biduo nempe post sibi nunciatum tribunalis ferrariensis judicatum ; cumque Judaei septimo tantum labente die ab interposita appellatione, scilicet nondum elapso *termino* ab lege succumbentibus concesso pro obtinenda a Signatura *citatione speciali*, praefatum judicatum exequutioni commiserint ; jam late patet, ex praescripto quoque judiciarii codicis, Haebreorum facinus attentatorum expers non esse.

Ut ut ergo quaestio expendi velit, dubitari sane non potest, quin *die* 16 *julii*, qua Umanii, pignoribus ablatis, Fugarolium coercere instituerunt, exequutione adhuc esset supersedendum. Sive enim spectetur *edictalis lex commercialis* superioris anni, sive *judiciarius codex* anni 1817, Haebrei usque ad exitum litis coram aula bononiensi exequutionem differre debebant. Quare cum ipsi mandatum ferrariense in spretum superioris magistratus, appellatione pendente, exequutioni mandari curaverint, merito bononiense tribunal – *dichiara nullo ed attentatorio l'atto di oppignorazione fatta ad istanza delli sig. Umani li* 16 *del corrente mese di luglio a danno del sig. Fugaroli, e però doversi quello revocare, siccome lo revoca, e ne ordina la purgazione; condannati li sig. Umani nei danni, e spese a favore dei sig. Fugaroli, e Gastaldi.* Meritissime vero hodie noster Ordo sententiam istam comprobavit, Haebreosque damna omnia, quibus Fugarolium injuria ipsi affecerunt, nec non expensas rependere decrevit. *Rota cor. Olivatio dec.* 5 *n.* 3 *et* 5, *tom.* 1.

Et ita, me quoque suffragium ferente, jus redditum fuit, utraque etc.

**R. P. D. DE CURSIIS**

BONONIEN. LITERÆ CAMBIALIS

*Lunae 7 aprilis* 1823

ARGUMENTUM

Qui pure et simpliciter acceptavit cambialem literam – *all' ordine S. P.* – eam solvere tenetur *gyratario*, quibusvis posthabitis exceptionibus quae ei forsan adversus *trahentem* competere possent. Quod idem obtinet in simplici scheda – *Pagherò* – quae scripta sit – *all' ordine S. P.* –

SUMMARIUM

1. *Citatio introductiva judicii non legi debet in audientia, sed produci apud cancellarium intra terminum ad comparendum.*
2. *Sententia in praxeos leges et judiciorum ordinem peccans infirmanda est.*
3. *Absurdum est partem citantem curare debere ut citatio producatur a parte citata.*
4. *Gyratae veritas in cambiali litera supponitur.*
5. *Acceptans cambialem literam* – all' ordine S. P. – *ab ejus solutione sese eximere nequit, etiamsi gyratarius eam non acquisiverit oneroso titulo.*
6. *Positiones, nec relevantes, nec ad rem pertinentes, admitti nequeunt.*
7. *Praesertim in privilegiato judicio solutionis cambialis.*
8. *Atque cum solutionem urget gyratarius, contra quem nulla a debitore proponi potest exceptio.*
9. *Cambialis in vim clausulae* – all' ordine S. P. – *in quemlibet transferri potest ad instar numeratae pecuniae, quin tertius acquirens sollicitus esse debeat de illius origine, aut de iis quae intercedere potuerint inter trahentem et tractarium seu acceptantem.*
10. *Acceptans pure et simpliciter cambialem* – all' ordine S. P. – *ejus solutionem gyratario remorari haud potest per quaslibet exceptiones, quae forsan ei adversus trahentem competerent.*
11. *Litera cambialis* – per valuta in me medesimo –, *si munita sit clausula* – all'ordine S. P. –, *habetur quoad tertios acquirentes tanquam scripta* – per valuta avuta.
12. *Iniquum esset, inscium et innocuum gyratarium gravare conditionibus et reservationibus in cambiali litera non expressis.*
13. *Gyratario adversus acceptantem triplex competit actio nempe* constitutae pecuniae, depositi, et fidejussoria.
14. *Harum actionum effectus nulla exceptione retardari potest.*
15. *In quavis scheda, quae munita sit clausula* – all' ordine S. P. –, *id obtinet ut acceptans illius solutionem denegare gyratariis nequeat.*
16. *Ex censura commercialis legis quidquid dispositum est de literis cambialibus, obtinet in schedis quibusvis* all' ordine S. P.

17. *Acceptans, qui injuria solutionem cambialis detrectavit, debitae summae usuras quoque rependere et expensas reficere debet.*

## Decisio III.

Collybisticam schedam, hisce conceptam verbis, die 1 februarii anni 1821, Bononiae scripsit Lazarus Maria Gherardi „ *alla fine del prossimo aprile, pagate per questa prima di cambio all' ordine mio S. P. la somma di scudi* 169. 34 *da pavoli dieci, per valuta in me medesimo, e ponete come intesi* „ *Al signor Girolamo Romagnoli di Bologna* »; eaque eadem die hanc cambialem literam, pure ullaque absque conditione, sese soluturam promisit illi bononiensis Romagnolia Ratio » *a dì detto accetto per li suddetti scudi* 169. 34 *romani* » *Girolamo Romagnosi* ». Die 1 maii ejusdem anni hanc collybi tesseram Rationi Romagnoliae pro solutione assequenda exhibuit Ratio Bettini, quae eam possidebat ex hujuscemodi gyratis » *E per me all' ordine S. P. dei signori Antonio e Giovanni fratelli Buratti per valuta avuta in contanti dalli medesimi a Bologna: die ut retro: Lazzaro Maria Gherardi* » *E per me all' ordine S. P. del signor Domenico Bettini per valuta avuta in contanti dal medesimo: Bologna* 16 *febbraro* 1821 » *Antonio e Giovanni fratelli Buratti* ». Renuit Ratio Romagnolia, innitens praesertim protestationi ab ipsa emissae die 16 februarii illius anni, ac suspicioni antidatae in gyrata Gherardi jam violenta morte sublati, ac proponens sanctionem artic. 139. lib. 1. codicis commercialis, quare per Bettiniam Rationem praedicta die 1 maii protextus fuit elevatus, atque etiam die 8 ejusdem mensis judicialiter actum coram tribunali commerciali Bononiae ad obtinendum mandatum exequutivum reale ac personale pro summa in ea cambiali contenta, accessionibus et expensis, quod, Romagnolia Ratione contumace, fuit relaxatum.

Tum haec debitrix Ratio apud Bononiae criminale tribunal egit, gyratae falsitatem ac antidatam praetexens; sed hoc judicium intermissum fuit ex decreto, quo, ob pendentiam judicii civilis, declaratum fuit » *non farsi luogo per ora al giudizio criminale, e dovere aver libero corso il giudizio civile* ». Institit etiam Ratio Romagnolia apud praedictum tribunal commercii, postulans ut Petrus Groggia, qui Rationem Bettiniam repraesentabat, adigeretur ad respondendum positionibus, eo spectantibus ut evinceretur hanc Rationem haud acquisivisse titulo oneroso controversam cambialem literam; et quamvis haec Bettinia Ratio opponeret positionum irrelevantiam, tamen die 13 augusti ejusdem anni 1821, tribunal illud nedum eas admisit positiones, eisque responderi mandavit, sed alias etiam pariter irrelevantes ex officio adjecit, scilicet an Bettinia Ratio jura sibi adversus Rationem Burattiam gyrantem servaverit, et an aliquas cum hac Ratione, et hac de re, conventiones iniisset: quae sententia confirmata fuit subsequutiva diei 8 novembris illius anni, qua terminus constitutus fuit Groggia ad respondendum, indicta mulcta scut. 5 in singulos dies. Provocavit ab hisce sententiis Ratio Bettinia, atque deinceps die 21 ejusdem mensis citationem transmisit ad Romagnoliam Rationem coram tribunali appellationis Bononiae pro prosequutione appellationis, revocatione sententiarum quae positiones admiserant, et relaxatione mandati quoad solutionem literae cambialis et accessionum, eamque citationem a praeside illius tribunalis subscribi curavit. Haec citatio, quae terminum trium dierum citatae ad comparendum constituebat, haud legi debebat in audientia, sed produci in actis infra tres dies, juxta artic. 62, 964 et 965 novissimi codicis praxeos, ac infra tres dies Ratio citata accedere ad acta debebat, et suum constituere procuratorem, ita praescribentibus artic. 69, 70, 965 et 972 eiusdem codicis praxeos. Quod sui muneris erat implevit Bettinia Ratio, nam die 23 praedicti novembris citationem in actis reproduxit: non ita vero Ratio Romagnolia, quae, neglecta constitutione procuratoris in actis, accessit ad tribunal appellationis die 27 illius mensis novembris, et producta copia illius citationis, Bettinia Ratione absente ac prorsus insciente, petiit ac obtinuit hujusce Rationis instantiam circumductam declarari. Dein die 29 ejusdem novembris rediit Romagnolia Ratio ad tribunal commercii petens positiones superius memoratas haberi pro confessis, quia Ratio Bettinia eis respondere renuerat, quod facile obtinere potuit.

Horum quae Romagnolia Ratio gesserat,

ignara Ratio Bettinia, cum nullum a Romagnolia procuratorem constitutum vidisset post superius relatam citationem diei 21 novembris, citationem aliam adversus eam explevit per affixionem juxta art. 723 praedicti codicis praxeos, pro constituendo ei termino ad effectum purgandi contumaciam, et die 11 decembris ejusdem anni 1821 a tribunali appellationis consonum retulit decretum cum praefixione octo dierum ad effectum praedictum. Intimato Rationi Romagnoliae hoc decreto die 24 illius mensis, venit haec iterum ad idem appellationis tribunal, ac die 8 januarii 1822 assequi potuit illius revocationem, indicto etiam Rationi Bettiniae, quod „ *proceda regolarmente citando anche a riprodurre la prima citazione* „. Tum itaque ad omnes praecidendas tricas, ea Bettinia Ratio, una cum alia Ratione Burattia, quae ei cambialem a Gherardio acquisitam gyraverat, ad n. s. Ordinem provocavit postulans ut, infirmatis superius relatis sententiis tribunalis commercii et tribunalis appellationis Bononiae, causa definiatur super merito juxta art. 25 novissimae legis commercialis, et Ratio Romagnolia damnetur ad solutionem literae cambialis, una cum usuris ac expensis, votique compos fuit facta quia, hodie requisiti a me Patres de sententia super hac Bettiniae ac Burattiae Rationis postulatione, rescripserunt: „ *Esse locum solutioni scutor.* 169. 34, *usurarum semissium, et expensarum in summa liquidanda*„ et quia viderunt rem esse „ *di non assoluta urgenza* „ ejusque „ *importanza* „ id exigere, inhaerentes art. 32 praedictae commercialis legis, mihi mandarunt ut: „ *Extendatur decisio » all' effetto di provocare quella delle parti contro cui si emana, a confutarne i motivi* „.

Et primo sane: in comperto fuit nec tribunalis commercii, nec tribunalis appellationis decreta ullius obicis esse posse admissioni justissimae petitionis Bettiniae, Burattiaeque Rationis quoad solutionem a Romagnolia Ratione assequendam cambialis literae, una cum usuris, et expensis, quia ea decreta infirmanda sunt, cum *extrinsecus*, atque *intrinsecus* peccent, ut jam satis superque patet ex exposita actorum judicialium, rerumque gestarum serie. Sit initium a decreto, sive sententia tribunalis appellationis, quae influit in extrinsecam labem postremae sententiae tribunalis commercii, quae pro confessis haberi constituit positiones Petro Groggia a Ratione Romagnolia exhibitas. Pessumdatas a tribunali appellationis fuisse praxeos leges ac judiciorum ordinem, dum ipsum die 27 novembris anni 1821 circumductam declaravit citationem introductivam judicii appellationis a Ratione Bettinia transmissam ad Rationem Romagnoliam die 21 novembris praedicti, qua petebatur revocatio primae sententiae tribunalis commercii, quae positiones, de quibus superius dictum est, admiserat, et petebatur etiam mandatum exequutivum pro solutione literae cambialis, de qua agitur, ejusque usurarum, apertissimum est.

Haec siquidem citatio legi non poterat in audientia, cum expressim praescribat art. 62 1 codicis praxeos quod „ *la citazione introduttiva del giudizio non dovrà leggersi in udienza, ma dovrà prodursi presso il cancelliere entro il termine prefisso a comparire* „ idemque jubeant articuli 964. et 965 ejusdem codicis, quoad citationes introductivas judicii appellationis. Muneris vero erat Rationis Romagnoliae post hanc receptam citationem, intra triduum ab ejus reproductione, quae die 23 illius mensis novembris a Ratione Bettinia fuit expleta, ad acta accedere, et procuratorem constituere juxta art. 972 praedicti codicis praxeos. Constituto autem procuratore, alia huic citatio transmittenda erat ad effectum provocandi causae discussionem coram judicibus. Nil horum gestum fuit; sed Romagnolia Ratio exemplar illius introductivae citationis exhibuit judicibus praedicta die 27 novembris, eamque legi curavit, absente et prorsus inscia Bettinia Ratione, ac petiit, obtinuitque eam citationem circumductam declarari sententia ea die edita: haec itaque sententia infirmanda est, uti contra praxeos 2 legis, et judiciorum ordinem peccans. Nec aliter sentiendum, ex eo quod citatio fuerit a praeside tribunalis subscripta. Legi enim non poterat, nisi in ea signata a praeside fuisset facultas eam legendi extra ordinem, ex aliqua urgentiae causa, ac fuisset destinata audientia, in qua legi debebat, uti sancitum est in art. 666, 667 ejusdem codicis praxeos. Quae omnia cum deficiant, firmum semper immotumque stat, nec legi eam potuisse, nec potuisse sententiam super ea edi.

Hoc posito, jure deinceps Ratio Bettinia,

quae neglectam viderat a Ratione Romagnolia procuratoris constitutionem, et nesciebat, vel spernere debebat praedictos actus irregulariter gestos, alia citatione per affixionem Romagnoliam Rationem citavit pro praefixione termini ad purgandam contumaciam, et merito consonum obtinuit decretum die 11 decembris anni 1821. Ex quo sequitur quod violatae fuerint a tribunali appellationis praxeos leges, dum ipso die 8 januarii 1822 illud decretum die 11 decembris revocavit, ac jussit quod „*la parte Bettini proceda regolarmente citando anche a riprodurre la citazione.*„ Quae postrema sententia *intrinsecus* etiam quam maxime peccavit; nam mandavit reproduci citationem, nempe illam a Ratione Bettinia ad Romagnoliam transmissam die 21 no-
3 vembris, cum ab ea Bettinia Ratione fuisset jam sub die 23 illius mensis reproducta; ac praeterea jussit, partem citantem curare debere ut ea citatio reproduceretur a parte citata, quod ingens, inauditumque absurdum fuit.

Stare itaque haud possunt tribunalis appellationis sententiae, quae circumduxerunt Rationis Bettiniae citationem pro prosequutione judicii super appellatione ab ea interposita contra sententiam tribunalis commercii diei 13 augusti 1821, quae admisit saepius memoratas positiones a Ratione Romagnolia exhibitas, eisque a Ratione Bettinia responderi mandavit: hinc appellationis illud judicium firmum mansit, ac ideo a tribunali commercii, eo pendente judicio, nil aliud decerni poterat quoad eas positiones. At nihilo tamen minus hoc tribunal die 29 novembris sententiam edidit, qua jussit positiones haberi pro confessis, quia Ratio Bettinia eis haud responderat, nil in pretio habens quod haec Ratio, pendente illo appellationis judicio, eis respondere nec
8 debebat, nec poterat: ergo haec sententia ex *extrinseca* labe corruere debet. Infirmanda praeterea est, quia *intrinseco* vitio laborat, cum admiserit, et pro confessis habuerit positiones prorsus rejiciendas, utpote ad rem non pertinentes, et haud relevantes.

Porro ad rem non pertinebat inquirere an Petrus Groggia addictus fuerit servitio, tam Bettiniae, quam Burattiae Rationis: veritas enim gyratarum in litera cambiali erat sup-
4 ponenda „*per valuta avuta in contanti*„ cum id ea cambialis littera praeseferret, et criminale judicium super gyratarum falsitate et antidata silere debuerit. Extranea etiam erat investigatio de conventionibus quae intercedere potuerunt super cambiali ea litera inter duas praedictas Rationes, cum sat esset, eam a Ratione Bettinia possideri, ut Ratio Romagnolia acceptans ei satisfacere deberet. Irrelevantes vero sunt interrogationes quoad veritatem solutionis valoris illius cambialis, dum eam a gyrante Ratione Burattia gyrataria Ratio Bettinia acquisivit. Primum enim gyratae tenor hanc solutionem evincit, dein vero *ac-*
5 *ceptans* Romagnolia Ratio ab extinctione cambialis, clausula „*all' ordine S. P.*„ munitae, sese eximere haud potuisset, etiamsi eam oneroso titulo haud acquisivisset *praesentans* Ratio Bettinia. *Casareg. de Commercio disc.* 58 *num.* 7, *Ansald. de commercio disc.* 2 *numer.* 39, *Rota in Senogallien. literarum cambii* 18 *februarii* 1787 §. 3 *coram Roverella*, *in Romana literarum cambii* 18 *februarii* 1691 § 3, 4 *coram Malvasia*, *et in Romana literarum cambii* 6 *martii* 1801 *coram Gardoqui.*

Cum itaque constet praedictas positiones,
6 nec relevantes, nec ad rem pertinentes fuisse, admitti nunquam poterant, contra monitum *Glossae in cap.* 2 *verb. absque rationabili vers. cum enim, de confessis in* 6, *Mascard. de probationibus conclus.* 1177 *n.*38, *Scaccia de judiciis par.* 2 *cap.*7 *num.* 205, *Micalor. de positionib. cap.* 56 *num.* 5, 8, *Ridolphin. in praxi part.* 1 *cap.* 10 *num.*59, *Rota in nuperrimis decis.* 219 *num.* 8, *et seq.*, *cor. Molines decis.* 313 *num.* 1 *et* 5, *et in Hildesinen. praeposituraе super positionibus* 27 *junii* 1753 § 5 *coram Ama-*
7 *deo*„. Quod eo magis tenendum est, cum res sit de privilegiato judicio solutionis li-
8 terae cambialis, quod celerem exigit expeditionem, et cum agat ad ejus solutionem tertius gyratarius, qui eam loco pecuniae numeratae possidet, et contra quem nulla exceptio a debitore proponi potest ad illius extinctionem retardandam „*Ansald. de commercio disc.* 2 *num.* 40, *et disc.* 79 *num.* 17, *Casareg. eodem tract. disc.* 48 *numer.* 4, *Dupuy lett. di cambio cap.* 3 *num.* 22, *De Comitibus disc.* 112 *num.* 15, *et Rota passim*, *praesertim decis.* 504 *num.* 5 *coram Crescentio*; *in Romana schedulae* 6 *maii* 1778. §. 9 *cor. Caprara*; *in Perusina*, *seu Li-*

*burnen. literarum cambii* 17 *aprilis* 1801 §. 8 *coram De Alteriis*, *in confirmatoria* 22 *junii eiusdem anni* §. 9 *cor eodem*, *et in Firmana cambii* 5 *julii* 1802 §. 7 *coram Bussio* „ .

Ex hisce omnibus nullo in pretio habendas esse, tam ex *extrinsecis*, quam ex *intrinsecis* vitiis, censuerunt Patres praedictas tribunalis commercii, ac tribunalis appellationis Bononiae sententias, iisque infirmatis, ad definitionem causae super merito, quovis rejecto inani circuitu, devenientes, innixi art. 25 novissimae legis commercialis, et art. 994 codicis praxeos, perspicuum viderunt jus Rationis Bettiniae ad assequendam a Ratione Romagnolia solutionem literae cambialis; quapropter hanc Rationem ad scuta 169. 34 illi solvenda damnarunt. Et merito quidem. Huic enim Romagnoliae Rationi onus incumbit eam Rationi Bettiniae rependendi summam, *tam* inspecto tenore quo cambialis litera a Gherardio fuit scripta; *tam* prae oculis habita illius acceptatione per Rationem Romagnoliam; *tam* perpensis gyratis, quarum ope ea collybistica scheda in dominium, primum Burattiae, dein Bettiniae Rationis migravit. Scripsit eam quippe Gherardius „ *per valuta in me medesimo all' ordine S. P.* „ ad praedictam Rationem Romagnoliam, et haec eam sese solutu-
ram per acceptationem spopondit. Haec igi-
9 tur cambialis, in illius clausulae vim „ *all'ordine senza procura* „ , in quemlibet transferri poterat ad instar numeratae pecuniae, quin hic tertius acquirens sollicitus esse deberet de illius origine, et de iis quae illius respectu inter trahentem, et tractarium, sive acceptantem, intercedere potuerint. *Rota in Romana literarum cambii*, *quoad summam scutor.* 5538, 21 *junii* 1802 §. 7, 8 *et in confirmatoria* 22 *aprilis* 1803 §. 9 *utraque coram Strasoldo*; *in Romana pecuniaria quoad cambialem scutor.* 485 §. 5 *coram Resta uti praelato*, *et in Anconitana*, *seu Maceraten. literarum cambii quoad summas scutor* 4400 *et* 4500, 27 *junii* 1806, §. 4 *coram R. P. D. Bussio* „ . Rite itaque in Rationem Burattiam, et dein in Bettiniam pervenit, et ejus solutionem Romagnolia Ratio acceptans denegare non poterat.

Acceptatio vero illius cambialis, ea clau-
10 sula „ *all' ordine S. P.* „ munitae, quam his verbis scripsit Romagnolia Ratio „ accetto per li sudetti scudi 169. 34 „ adeo pura, simplex, absolutaque fuit, ut ex ea huic Rationi omnis facultas fuerit adempta remorandi litterae solutionem per quaslibet exceptiones, quae ei forsan competere possent adversus *trahentem* Gherardium, ad firmata per *Bald. cons.* 394 *lib.* 5, *Gratian discept. forens. cap.* 599 *num.* 23, *Frank instit. juris cambialis lib.* 2 *ration.* 7 *tit.* 3 §. 3, 7, 8, *Tur de cambiis disput.* 2 *quaest.* 16 *num.* 46, *Baldasseroni in opere*, *leggi*, *e costumi del cambio part.* 2 *art.* 12 *num.* 1, *Rota in Romana literarum cambii* 6 *martii* 1801 §. 2. *coram Gardoqui*, *in Perusina*, *seu Liburnen. literarum cambii* 17 *aprilis* 1801 §. 3 *coram Gardoqui*; *in Romana cambialis* 14 *junii* 1802 §. 3. *coram emin. Serlupi*, *in Romana pecuniaria quoad cambiales scutorum* 485, 26 *junii* §. 2 *coram Resta*, *et alia sub eod. titulo et eod. die* §. 6 *coram eodem*. Hinc itaque futilis omnino est exceptio ab ipsa Ratione Romagnolia proposita quod littera cambialis scripta a Gherardio fuerit „ *per valuta in me medesimo* „ , quae pecuniae numerationem pro ejus cambialis valore excludit.

Esti enim ita concepta fuerit litera, haud tamen collybistica qualitate destituitur, et quoad tertios acquirentes, in vim predictae clausu-
11 lae „ *all' ordine S. P.* „ , habetur tamquam scripta „ *per valuta avuta* „ . Ita enim literae cambiales scribuntur, cum *trahens* creditor est *tractarii*, et antequam de hoc suo credito disponat, sibi consulere vult ope acceptationis literae per suum debitorem, ac privilegii literarum cambialium, uti, allato exemplo cambialis scriptae iisdem verbis ac ea de qua agitur, *tradit Dupuy de cambii literis cap.* 4 *num.* 22. Et reapse ita sese res habuisse Gherardium, et Romagnoliam Rationem patet ex protestatione ab hac emissa die 16 februarii anni 1821, qua declaravit sese illam cambialem literam una cum duabus aliis acceptasse, quia a Gherardio antea acquisiverat tres alias cambiales Augustae Vindelicorum solvendas, ac earum pretii erga ipsam debitor erat. Quod si metuebat hasce cambiales Augustae Vindelicorum insolutas remanere posse, sibi cavere debebat in acceptatione literarum, quas ei Gherardius traxerat, earumque solutionem promittere debebat sub conditione quod illae aliae Augustae Vindelicorum solverentur. Id igitur cum omiserit, frustra

renuit cambialem, de qua agitur, erga Bet-
12 tiniam dimittere, cum iniquum sit ac commercio exitiale, conditionibus et reservationibus in cambiali litera non expressis inscium innocuumque gyratarium gravare per *Casaregium de commerc. disc.* 46 *n.* 28, *Rota in Romana schedae* 6 *maii* 1748 §. 2 *coram Caprara*, *in Romana literarum cambii* 22 *junii* 1791 §. 2 *et seq. coram Malvasia*; *in Romana literarum cambii* 2 *martii* 1801 §. 3, 4 *coram Gardoqui*; *et in Romana literarum cambii* 3 *junii* 1810 §. 7 *coram De Alteriis*,,. Eoque magis id in themate teneatur oportet, quia nulla a Ratione Romagnolia probatio affertur, quod revera illae cambiales literae Augustae insolutae remanserint; quamquam rem nil mutaret haec, si proferri posset, serotina et suspecta probatio, quae caeteroquin nunquam usque ad hanc diem exhibita fuit.

Literam, quae transferri in quoslibet poterat quia scripta fuit „ *all' ordine S. P.* „ quamve pure et absolute sese in exitu mensis aprilis anni 1821 extincturam promisit Ratio Romagnolia, cum fuerit a Gherardio trahente „ *all'ordine mio S. P.* „ gyrata Rationi Burattiae „ *per valuta avuta in contanti* „ die 1 februarii illius anni, et ab hac Ratione per gyratam pariter „ *valuta avuta in contanti*,, die 16 ejusdem mensis cessa fuerit Rationi Bettiniae, haec oneroso titulo eam possidens literam, ejus solutionem, procul ab omni exceptionis cujusvis metu, assequi a Ratione acceptante debuit praestituta die, et ad hanc explendam solutionem haec debitrix Ra-
13 tio damnanda est, dum triplex adversus eam competit gyratariae Rationi actio, nempe *constitutae pecuniae* quia acceptatio praesefert confessionem debiti pro summa in cambiali acceptata designata; *depositi* quia acceptans declarat quodammodo sese eam summam retinere loco depositi, donec veniat indictus solutioni terminus; *fidejussoria* tandem quia in gratiam publici commercii acceptatio secumfert acceptantis fidejussionem pro indemnitate possessoris literae cambialis, sicuti optime advertit, post *Ansald. de commer. et merc. disc.* 3 *num* 4, *Rocc. de cambiis cap* 92 *num.* 1, *Costantin. vot. decis.* 402 *num.* 15, *Rota in Romana literarum cambii* 5 *junii* 1784 §. 2 *coram Riminaldo*, *in Romana literarum cambii* 24 *aprilis* 1818 §. 2 *coram Emin. Odescalchi*; *et in Anconitana*, *seu Ariminen. literarum cambii* 21 *februarii* 1823 §. 3 *coram Me* ,,. Harum
11 vero actionum effectum nulla posse exceptione retardari certissimum est, ut tradunt *Torr. de cambiis disp.* 2 *qu.* 1 *num.* 47, *Card. de Luca de cambiis disc.* 33 *num.* 3, *et firmat Rota in decis.* 536 *num.* 3 *coram Merlin.*, *dec.* 558 *num.* 3 *coram eod.*; *in Pisauren. literarum cambii* 22 *junii* 1787 §. 10 *coram Malvasia*, *et in Romana literae cambialis super restitutione in integrum* 3 *martii* 1817 §. 8 *coram R. P. D. Bussio*, *et alibi passim.*

Accedit praeterea, ad efficaciam actionis Rationis Bettiniae fovendam, quod audiri non meretur debitrix Romagnolia Ratio, dum, quovis monumento destituta, falsitatis et antidatae incusat gyratas, ex quibus cambialis litera pervenit usque ad Rationem Bettiniam. Etenim, cum hac de re criminaliter egerit, et tribunal criminale silentium ei imposuerit sententia quae declaravit „ *non farsi luogo per ora al proseguimento del giudizio criminale*, *e dover avere libero corso il giudizio civile* „ gyratarum veritas qualibet in parte supponenda est, deficientibus probationibus quae eam excludant. Inani etiam studio cambialis literae vim imminuere conatur, proponens cambialem literam, uti Bononiae scriptam a Gherardio, et Bononiae pariter ab ipso acceptatam, pecuniae trajectionem haud praeseferre, ac habendam esse pro simplici scheda „ *pagherò* „. Primum enim quaelibet sit scheda,
15 quae scripta sit „ *all' ordine S. P.* „ efficit haec clausula, ut illius solutionem acceptans denegare nequeat gyratariis, sicuti statuit *s. n. Ordo in Romana literarum cambii* 18 *februarii* 1791 §. 7 *coram Malvasia* „. Omne dein dubium removet apertissima sanctio codicis commercialis, qui vigebat Bononiae die
16 1 februarii 1821 in art. 187 lib. 1 ad verbum relata ac confirmata in art. 181 novissimae legis commercialis. Ea namque constitutum videtur quod „ *tutte le disposizioni relative alle lettere di cambio concernenti la scadenza*, *girata*, *solidarietà*, *pagamento*, *ricambio*, *o interessi sono applicabili ai biglietti o pagherò all'ordine*. „ Perspicuum est itaque cambialis schedae solutionem Romagnoliam Rationem vitare nunquam posse.
17 Rependat etiam Bettiniae Rationi oportet mercantiles *semisses* usuras debitae summae, com-

mercii favore id exigente, atque etiam expensas per *Rot. in Romana literarum cambii* 6 *martii* 1801 §. 8 *coram Gardoqui*, *in Romana literarum cambii super cambiis*, *damnis etc.* 3 *junii* 1801 *coram de Alteriis*; *in Anconitana literarum cambii* 16 *februarii* 1802 §. 14, 15 *coram Resta*; *in Romana literarum cambii*, *et refectionis damnorum et expensarum* 30 *aprilis* 1802 §. *fin. coram eod.*, *et in Romana literarum cambii quoad summam scut.* 5200, 11 *junii* 1802 §. 3 *coram Strasoldo* „. Merito itaque ad eas etiam praestandas Patres ipsam damnarunt.

Et ita etc., meo etiam accedente suffragio etc., utraque etc.

**R. P. D. ISOARD**

ROMANA SEU JANUEN. PECUNIARIA

*Lunae* 15 *decembris* 1823

ARGUMENTUM

In ea specie duplicis contractus, qua mercator venditoris et mandatarii personam simul gerit, et ut merces ab se venditas ipsemet emat pro absente mercatore mandante, ad eumque transmittat, si mercis species et quantitas diversa ab ea quae in mandatis erat, transmittatur, mandatum non impletum videtur, emptio venditio consistere nequit, atque mandans et emens jure recusat eandem mercem recipere, quae idcirco, si in transmissione pereat, mandatarii venditoris damno perit.

*SUMMARIUM*

1. *Ex mercatorum usu et jure passim mercator, venditoris et mandatarii personam simul gerens, merces ab se venditas ipsemet emit pro absente mercatore mandante, ad eumque transmittit.*
2. *Ast contractus iste consistere nequit ex defectu consensus si rem unam emptor rogaverit, alteram venditor dare voluerit.*
3. *Hoc enim in casu neque mandatum impletum dici potest.*
4. *Ex fiscali tabella, itemque italica verborum significatione* „ Basin „ *est telae species prorsus diversa a* „ Dobletto „.
5. *Clausula* „ salvo venduto „ *arbitrium defert mandatario minorem jussae mercis quantitatem mittendi.*
6. *Ea tamen si nominatim conventa non sit, haud intelligi potest tacite inhaerens hujusmodi mandatis.*
7. *Saepius reprobantur extrajudicialia mercatorum dicta vel quia ex inscitia aut gratia prolata, vel quia ab calliditate et importunitate petentium promota.*
8. *Ratihabitio sine interposito consensu non consistit.*
9. *Utilitas, etsi vera et realis, mandati excessum non excusat.*
10. *Cum de damno vitando certent simul actor et reus, in quovis dubio pro eo respondendum cujus nulla fuit culpa.*

DECISIO IV.

Quum Georgeus Degeler, institor viator societatis mercatoriae genuensis nomine – *Engler, e compagni* –, Urbem superiori anno venisset, die 15 junii accepit a judaeo negociatore Sabbato Amati, mandatum, cujus tenorem et summam haec exhibet adnotatio „ *Commissione del signor Sabbato Amati di Roma conferita ai signori Engler, e compagni di Genova, per mezzo degli eredi Desplas di Civitavecchia, senza sicurtà, per conto, pericolo e rischio del committente, respiro quattro mesi, o pure per contanti con quattro per cento sconto, pagabile con cambiale per Genova* „ *sessanta pezze di Dobletto bianco, trenta pezze Cambrick* „. Hujusce schedae duplex fuit exaratum exemplum, alterum relictum penes Sabbatum subscriptione Degeler, atque alterum penes viatorem Hebraei manu firmatum. Non multo post, die nempe 3 julii, Englerus ita scripsit ad Sabbatum „ *giuntici gli articoli che concedeste al nostro signor Degeler, ve ne abbiamo tosto fatta la spedizione giusta la qui annessa fattura* „. Haec autem „ *fattura* „ omnino aberratum fuisse a mandato, luculenter ostendit. Loco namque mittendi „ *sessanta pezze Dobletto bianco* „ insuperque „ *trenta pezze Cambrick* „ nihil aliud transmissum refert, quam volumina, seu „ *pezze* „ quadraginta septem alterius telae „ *Bassin* „.

Hinc Sabbatus, cui ea commutatio non placebat, exscripsit ad genuensem Englerum die 15 augusti, atque ad Desplasios Centumcellas, ad quos sarcina dirigebatur, significans se eam haud accepturum, nisi denuo de re ipsa consensum rescribendo interponeret. Quae cautio quam fuerit opportuna, illico apparuit. Per epistolam namque *insequenti die* 19 signatam Englerus Sabbatum monet „ *che la nave nella quale era caricato, e viaggiava il collo S. A. numero* 2299 *ha fatto naufragio* „. Eum tamen spe solabatur, quod, cum non omnia absumpsisset pelagus, ipsi deinde nunciaret „ *per quanto siete colpito in questo sinistro, ed anche vi rispediremo quella*

*tangente della robba vostra potrebbesi rinvenire sana* „. Responsum protinus dedit Sabbatus, quo aperte diffitebatur sibi periisse sarcinam „ *num.* 2299 „. Siluit post haec Englerus, nec quidquam de recuperatis, vel non recuperatis mercibus mussitavit, donec ad A.C. Collegium pro earum pretii solutione ad vim usque scutatorum 350 eum vocavit. Ubi, cum contrariam passus fuerit sententiam, provocavit ad nostrum Ordinem, qui tamen illam hodie probavit rescripto „ *Non esse locum solutioni, et extendatur decisio* „.

Unum porro erat quod causam conficiebat, scilicet non potuisse Englerum aliud pro alio, seu diversam mercem, diversaeque mercis diversam quantitatem ab ea quae erat in mandatis, mandanti atque eidem emptori Sabbato obtrudere. Sicuti enim, ex mercatorum usu ac certo jure, est passim recepta species
1 isthaec duplicis contractus, qua mercator venditoris personam, ac itidem mandatarii eodem contextu ac tempore gerit, ut in commodum absentis mercatoris merces a se venditas ipsemet emat pro mandante, atque huic transmittat, quod pluribus exequitur *De Jorio Giurisprudenza del commercio part.* 1 *lib.* 4 *tom.*2 *pag.* 454, ita aliunde incontroversum, em-
2 ptionem venditionem nullam consistere ex defectu consensus, si rem unam emptor rogaverit, alteram venditor dare voluerit, *leg.* 9 *ff. de contrahen. emption.*; non secus ac man-
3 datum impletum esse nequit, ubi aliud pro alio procurator exequutus fuerit, *leg.* 5 *ff. mandati*. Cum itaque Englerus ipse sit auctor epistolae nunciatoriae, se misisse non telas „ *Cambrick* „, ac „ *Dobletto* „, sed potius unam telam „ *Bassin* „, nec tamen ejus quantitatis quae fuerat mandata; satis per se patet, eum nulla actione neque venditi, neque mandati agere adversus Amatium posse, ut ab eo pretium condicat mercium, quas mandans nec voluit emere, nec jussit.

Haec in jure exploratissima. At Englerus ex facto objiciebat, vel non excessum fuisse mandatum, vel si excessum dici velit, postea fuisse a Sabbato ratihabitum. Sed, quoad primum, contendebat perperam, vere a se fuisse transmissam mandatam mercem „ *Dobletto* „ licet in epistola nunciatoria eam nuncupaverit „ *Bassin* „ quod unum idemque diversis linguis esse propugnabat. Ipsum enim refellit luculentissime *tabella fiscalis*, quae utramque mercem accuratissime describit, discriminatque potissimum textura ac vectigali, quandoque etiam colore et materie. Inquit enim „ *Bassin* „ vedi „ *Torquas* „. Hoc autem ita describit „ *Torquas bianco, colorato, o stampato, di cotone anche misto con filo, spinato, cordellonato, denominato anche* „ Bassin „ *alto sino a braccio uno ed un ottavo, per cento braccia scudi sei* „. Contra ita diverse describit alterum speciem „ *Dobletto* „ *tessuto di cotone a spina bianco, rigato, cordellonato, e damascato d' Inghilterra e di Francia, alto fino a braccio uno ed un ottavo* „ *per cento braccia scudi* 3. 60.

Quin regeratur, *Basinum* genus esse telae quod plures telae species in se contineat, inter quas et speciem „ *Dobletto* „. Quandoquidem ex praefata tabella apparet liquido, non minus hoc nomen, quam illud esse *specificum*, seu peculiarem telae speciem indigitans. Neque probat Englerus, de qua specie fuerit loquutus, cum dixerit sese transmisisse *Basinum*, si forte quandoque id verbum generaliter, atque ambigue sumi contigerit, prout ei veluti actori necessum fuisset ostendere, cum Amatius ei mandaverit non *genus*, sed *speciem* telae admodum determinatam. Caeterum minus apte de linguarum gallicae et italicae, in themate, disparitate disputabatur, quoniam inter negociatores italicas urbes colentes, atque italica lingua locutos res acta est; ac satis constat inter Italos verbum „ *Bassin* „ seu „ *Basino* „ usurpari in ea examussim significatione, quam exhibet fiscalis tabella, testante id longe celebratissimo Albertio in suo „ *Dizionario universale della lingua italiana, edizione di Lucca* 1797 *tom.* 2 *pag.* 232.

Incassum quoque excusabatur defectus quantitatis transmissae mercis, (in quo altero Englerus descivit a mandato) implorata clau-
5 sula „ *salvo venduto* „. Nam hujusmodi clausula, si arbitrium defert mandatario, minorem jussae mercis quantitatem mittendi, non tamen probabatur contractui de quo agitur, interpositam fuisse, cum ea legeretur in uno apochae exemplari quod est penes Englerum. Cur autem exscripta non fuit in altero quod habuit Amatius? Nonne ambo exempla fidem conjunctim facere non debent; aut est fidendum illi uni quod actor protulit, et in quo
6 facillime ea verba potuerint interpolari? Quod

autem ex usu negociatorum ea clausula inesse tacite intelligatur praesertim in istiusmodi mandatis quae inter absentes contrahuntur, licet nihil de ea nominatim fuerit conventum, id nec rationi congruit, nec satis ostendebant levissima extrajudicialia dicta mercatorum,
7 quorum testificandi, seu potius de jure respondendi libidinem, inscitia vel gratia grassantem, atque calliditate et importunitate petentium promotam, saepius reprobarunt *Ansaldus de commerc. et mercatur. discurs. general. numer.* 45, *Rota Florentin. apud Ombros. tom.* 7 *decis.* 11 *numer.* 82, *Rota post Salgad. in labyrint. creditor. decis.* 111 *num.* 17, *in recent. decis.* 51 *num.* 11 *part.* 7 *coram Dunozzet. decis.* 829 *numer.* 8, *et in Romana seu Londinen. pecuniaria super litteris cambii quoad reservata* 14 *januarii* 1780 §. 13 *cor. Sentmanat.*

Deterius objiciebatur, Sabbatum ratam habuisse rem nedum tacite, sed etiam expresse. Quin imo, si quis caute ac prudenter se gessit, hic fuit qui, ubi primum a nundinis senogalliensibus recessus respondit Englero, significans sese habuisse „ *avviso di spedizione di un collo S. A. numer.* 2299 „ palam professus est non se accepturum, nisi id postmodum ipse denunciasset diserte „ *gli ho ordinato* ( Desplasiis nimirum ) *tenerlo a nuova disposizione* „. Haec itidem scripsit eisdem Desplasiis, *l' altro collo S. A. num.* 2299 *vi prego tenerlo costì fino a nuove mie disposizioni, non sapendo se ancora posso ritirarlo, o no* „. Harum porro litterarum falsitatem, quasi illae ad opportunitatem confictae, atque intrusae fuerint in Sabbati codicem qui audit „ *copia lettere* „ in quo fideliter transcriptae sunt, nullo fraudis monumento allato, incivile erat obiter declarare. Atque illa loquendi ratione, quam praeseferunt memoratae epistolae, satis pandidit Sabbatus voluntatem suam de non probando mandatarii facto. Verumtamen poterant sibi usui esse aliae quoque merces, quam eae quas Englerum rogaverat; poterat et alias emere, consensu per novas litteras interposito. Hinc licitum ei fuit arbitrium de ea re sibi reservandi, tunc cum evolutam sarcinam „ *S. A. num.* 2299 „ inspexisset; quae aliunde retrogradi nequibat, cum Englerus narraret eam se jam misisse, cum primum Sabbato scripsit die 3 julii „ *ve ne abbiamo fatta la spedizione* „. Sed ubi arbitrio locus amplius esse nequivit ex nunciato naufragio, protinus Amatius apertissime commonefecit Genuensem in haec verba „ *devo farvi conoscere che a conto mio non deve restare tal balla* „. Quin prosit Englero, huic dissensui frivolam, vel forte falsam adjectam fuisse rationem „ *poichè* ( ita subdit epistola ) *non mi avete indicata la partenza da costì di detta cassa, affinchè io avessi potuto farla assicurare etc.* „. Dissensit sane, atque evidenter dissensit, quidquid demum adjecerit firmandi dissensus causa. At Englerus probare debebat, per Sabbatum fuisse interpositum consensum, sine quo ratihabitio non consistit, quem tamen ex eadem epistola haurire, prout ipse nitebatur, impossibile omnino erat.
8

Post haec confugiebat actor ad utilitatem mandantis, quam a se procuratam propugnabat eo ipso quod mandati fines praetergressus fuit cum diversa mercis qualitas dedisset Amatio rem, ut ipse ait, valoris multo majoris, quam quanti illi a se vendita fuerat; ac diversa quantitas exemisset cum ab ingentiori damno quod naufragium secumferebat, si major mercium quantitas voraci pelago credita fuisset. Sed non minus hoc praesidium ei nutat, quam caetera nutaverint. Non enim intelligi potest quam utilitatem Sabbato attulerit diversa merx, eaque ( prout asseritur, sed non probatur ) pretiosior, cum illam iste nunquam habuerit, nec habere in posterum possit. Quid ergo? Eritne habenda ratio utilitatis *hypotheticae* ad excusandum mandati excessum? Audiatur Jurisconsultus in
9 citata *leg. diligenter* 5 §. 2 *ff. mandati* „ *si mandavero tibi, ut domum Sejanam centum emeres, tuque Titianam emeris longe majoris pretii, centum tamen, aut etiam minoris, non videris implere mandatum* „. Agitur in hac lege de utilitate reali, non commentitia mandantis; nihilominus negat Jurisconsultus impletum fuisse mandatum. Et merito; quia aliud jussum, aliud executum occurrit. Quid ergo dicendum, ubi excessus mandati non utilitate vera, sed tali quae futura fuisset possibilis, compensari tentatur?

Supervacaneum post haec de quantitate mercium disserere. Miserit enim plus, vel minus Englerus, licet hic excessus in minus excusatione dignus forte videretur, adhuc tamen occurreret indeclinabilis, atque excusationem

omnino respuens alter memoratus excessus 10 *quoad qualitatem*. Demum cum de damno vitando certent tum actor, tum reus, in quavis dubietate pro Sabbato respondendum, cujus nulla culpa in hac re versatur, potiusquam pro actore Englero, cui, qua mandatario, *diligenter mandati fines custodiendi* onus incumbebat, ut monet eadem *lex* 5 *ff. mandati*; nec tamen praestitit, et culpam suos tenere auctores jus sit.

Quae huc usque dicta sunt, Englerum repellunt in supposito mercis transmissae, ac naufragio deperditae. Caeterum hujusce transmissionis probationem satis implexam reddebant *tum* scheda oneratoria, quam navarchus haud subscripsit, licet litteras calleret, sed pro eo „ *per detto capitano, Antonio Rosa, di commissione* „ his additis inexplicabilibus verbis „ *Roma li* 10 *Genova* „; *tum* discrepantia plurium quae narrantur in apoca ab iis quae perhibet authentica narratio naufragii; *tum* demum silentium actoris super recuperatis mercibus, quarum existentiam navarchus probavit, non minus, quam Englerus, dum scripsit Sabbato „ *saremo poi in grado di dirvi, per quanto siete colpito in questo sinistro, ed anche vi rispediremo quella tangente della robba potrebbesi rinvenire sana.*

Et ita etc., utraque etc.

### R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA SOLUTIONIS LITERÆ CAMBIALIS AD DIEM 10 OCTOBRIS 1823

*Lunae* 14 *junii* 1824

ARGUMENTUM

Literae cambiales, etsi non sint *trajectitiae*, ad instar *trajectitiarum* habentur quoties in iis ea omnia concurrant quae leges, usus commercii, et fori praxis requirunt. Immutatio *datae* evidens, sine fuco, sine abrasione, et ante *gyratam* facta, cum collybi substantialia non laedat, illud non vitiat praesertim quoad gyratarium titulo oneroso. Gyrata „ *in bianco* „ valida et firma habetur.

*SUMMARIUM*

1. *Cambialis litera, quamvis non sit reapse, habetur tamen ut* trajectitia *si omnia concurrant quae leges et usus requirunt, nempe,*

   *Quod omnes personae, trahens, acceptans, gyrans et tractarius, sint negociatores,*

   *Quod titulus sit commercialis,*

   *Quod gyrata praeseferat* per valuta avuta in contanti.

   *Quod adjecta sit clausula* – all'ordine S. P.

2. *Eoque magis si ejus solutionem petai tertius possessor titulo oneroso.*
3. *Gyrans eadem, erga tertium, qua trahens et acceptans, obligatione tenetur.*
4. *Immutatio datae facta sine fuco, sine abrasion, substantialia cambialis non laedit, caeteris integris manentibus.*
5. *Nec unquam obest tertio possessori oneroso titulo.*
6. *Praesertim si pateat eam numquam fieri a tertio possessore potuisse.*
7. *Pro inquirendis criminum auctoribus valet semper Cassianum dictum*, cui bono.
8. *Cambialis solutio expeditissima semper favore tertii possessoris titulo oneroso.*
8. *Ex commercii codicis art.* 151 *gyrata praeseferre debet diem, datum pretium, et nomen ejus ad quem cambialis litera transfertur.*
10. *Gyrata* – in bianco – *nulla lege prohibetur.*
11. *Et valida habetur ex usu et favore commercii.*
12. *Itemque ex doctrina s. Ordinis.*
13. *Contradictio maximum est falsitati indicium.*
14. *Dum cambialem solutam dimittunt, solent negociatores non nudam subscriptionem appouere, sed vel clare* quietantiam *exprimere in calce cambialis, vel abducto calamo lineolas superinducere, vel litteram ipsam dilacerare.*
15. *Ex codice commercii art.* 7 *pubblicus, negociator penes se retinere debet* un libro giornale, *ibique dietim actus omnes suae negociationis referre.*
16. *Gyrata tunc habetur uti primum mandatum ad exigendum, cum abest data vel expressio subministrati valoris, vel nomen cessionarii.*
17. *Ast quamvis haec omnia superimposita et conscripta sint non gyrantis manu, sed aliena, non purum mandatum ad exigendum, sed propria gyrata habetur quoad tertium possessorem cambialis titulo oneroso.*
18 *Gyrata* in bianco *in hoc differt a caeteris gyratis quod qui cambialem acquisivit, potest quocumque tempore, dummodo sit ante diem solutionis, eam replere, et vel suum vel alterius gyratarii nomen in eam referre.*

### Decisio V.

Quae, ex testamento Joannis Baptistae Tavani, honesti hic in urbe pannorum negotiatoris, aperto die 12 *februarii* 1821, relicta fuerat haereditas, in usufructu Mariae Annae Mazzelliae illius uxori, in proprietate autem Michaeli Angelo Tavani primo illius nato, et ad majorem aetatem jam pervento, illius administrandae libera et generalis facultas a Marianna, quae illi se imparem noverat, demandata instrumento publico dici

19 *junii* 1821, et collata fuerat in Michaelem Angelum. Cum hujus haereditatis potissima pars consisteret in pannis praesertim lancis texendis, hinc administratori Michaeli Angelo opus saepe erat ut, pro comparandis lanis, et pro caeteris negotii necessitatibus, cambiales ab eo litterae interdum obsignarentur. Has inter collybi litteras nonnullae occurrunt, quae scriptae et tractae ab eo fuerant favore hebraei negotiatoris Salomonis Servi, ac potissimum duae, super quibus quaestio modo versatur. Prima littera ita se habet: *Roma* 9 *luglio* 1823. *Per scudi* 125 *moneta d' argento. Per li dieci ottobre anno corrente pagherò per questa mia prima e sola di cambio all'ordine S. P. del signor Salomon Servi scudi centoventicinque moneta d' argento effettivo da paoli dieci a scudo, valuta avuta in merci di mia piena sodisfazione, e pongo a mio debito con l' obligazione a forma delle leggi veglianti, ed in mancanza alla rifazione delle spese giudiziali ed estragiudiziali. A me medesimo. Prima e sola. Per procura di mia madre Marianna. A dì detto accetto, Michelangelo Tavani.* ( *a tergo* ) *E per me all'ordine S. P. del signor Giuseppe Devorsan valuta ricevuta in contanti. Roma* 12 *luglio* 1823, *Salomon Servi.* Atque huic fere par est altera littera. Eadem in utraque est data, scilicet dies 9 *junii* 1823; eadem pecuniae quantitas scutorum 125; eadem obligationis ratio, *per valuta avuta in merci*; eadem formula, *all'ordine S. P.* idem trahens, acceptans, Michael Angelus: Idem gyrans, Servius. Hoc unum dissimile quod, qui in una erat ad diem 10 *octobris* illius anni 1823, idem solutionis dies in altera esset ad diem 15 sequentis novembris.

Adventa solutionis die, cum nulla utriusque cambialis fieret solutio, facta, de more, est per publicum notarium protestatio, quam vulgo dicunt *protesto*; quoad primam die 11 *octobris*; quoad alteram die 17 *novembris*. Hoc autem fuit, sive quoad hanc, sive quoad illam, Michaelis Angeli responsum, se ideo eas non solvere quia, quae sibi facta fuerat administrandi facultas, ea jam antea a matre revocata fuisset. Quare Joseph Devorsan, qui, numerata pecunia, interea temporis, cambiales litteras sibi comparaverat, primum contra gyrantem Servium, deinde contra Michaelem Angelum quoque, ejusque matrem in solidum instituit judicium: mandatumque, pro utriusque cambialis solutione, die 17 *martii* hujus anni 1824, per duas separatas sententias, a Tribunali collegiali A. C. obtinuit, reale dumtaxat contra Mariannam, reale simul et personale contra Michaelem Angelum, et Servium. Ejusdemque mandati confirmationem a s. Ordine, ad quem causa delata est in gradu appellationis, hac mane assecutus est. Et quoad primam litteram cambialem, cujus solutionis dies venerat die 10 *octobris* 1823: ( nam de altera separatim agitur ), a judicio Marianna, et Michaele Angelo absentibus, Salomone vero se acriter defendente, rescriptum est: — *Esse locum solutioni litterae cambialis ad formam sententiae A. C., et extendatur decisio.*

Etsi haec littera cambialis vere trajectitia non
1 sit, tamen omnia in ea concurrunt requisita, ex quibus et leges, et populi usus, et negotiatorum statuta, et commercii favor, et quotidiana fori praxis exigunt ut, ad instar verae trajectitiae cambialis, habeatur. Ex personis, nemo in ea occurrit qui negotiationem non profiteatur; trahens, acceptans, gyrans, et tractarius: neque minus Tavanius qui notam in Urbe pannorum negotiationem a patre acceptam exercet, quam Servius cujus nomen inter hebraeos negotiatores potissimum recensetur, commercio sunt penitus addicti. Commmercialis est titulus cambialis „ *per valuta avuta in merci* „ et in gyrata; *per valuta avuta in contanti*; idcirco ejusmodi, ut omni subsidio juris roboretur. Expeditissima adjecta est clausula, *all' ordine S. P.* ne, scilicet, vel obicis, vel morae quidquam, juxta commercii instituta, interponere fas esset. Nihil omissum est in protestatione facienda, imo ea die 11 *octobris* 1823 facta est, riteque debitori statim nunciata, quando ne unus quidem intercesserat dies a tempore quo ejus venerat solutio. Qui modo
2 ejusdem solutionem efflagitat, est Joseph Devorsan, tertius, scilicet, possessor qui eam bona fide, tempore non suspecto, numerata pecunia sibi comparavit. Cum igitur caetera commercii privilegia huic cambiali tribuenda sunt, tum illa potissimum executio, per quam, ad formam sententiae A. C.,

mandatum relaxetur contra Tavanios tam matrem quam filium : sunt enim ambo in solidum obligati; neque contra eosdem Tavanios solum, sed et aeque contra Servium. Is enim,
3 qui cambialem gyrat, non minori obligatione tenetur erga tertium, quam is qui eam trahit et acceptat : neque reale mandatum dumtaxat ; sed, excepta matre , etiam personale. *Rota in Romana litterarum cambii* 17 *aprilis* 1801 *coram Altieri* , *in Romana seu Anconitana litterarum cambii* 27 *junii* 1804 *coram Resta.* Atque explorata causa hucusque est , neque , praeter ea , quae dicta sunt , quidquam aliud exponere oporteret ad definitionem ejus demonstrandam. Sed quia, quae duo a Servio potissimum obiiciebantur exceptiones , eas maximi faciendas esse , et rem totam perimere ab ipso contendebatur , ideo ut clarius eluceat , nihil obicis ex eis parari quominus mandatum executivum contra ipsum quoque sit relaxandum , a s. Ordine in edito rescripto demandatum est , ut haec extenderetur decisio.

Prima Servii exceptio in hoc consistit quod adulterata fuerit data , et quod diei 5 *februarii* 1822 altera obducto calamo super imposita fuerit , dies , nempe , 9 *junii* 1823. De hac datae immutatione revera constat in facto : neque Servio adlaborandum tantopere erat ad eam comprobandam vel periti calligraphi relatione , vel suorum testium depositione ; cum cujusque legentis oculis statim occurrat ; cum tanta sinceritate , sine fuco , facta fuerit ut , sine ulla papyri abrasione, adhuc legere datum sit priorem datam diei 5 *februarii* 1822, cum ipse demum Devorsan , a primis hujus causae exordiis, eamdem immutationem professus fuerit , atque ex hac ratione roganti Servio , ne causa haec super cambialis solutione antea definiretur , quam altera incidentalis causa super datae corruptione ad tramites *articuli* 11 codicis commercialis, proposita ac definita fuisset coram competenti tribunali. Collegiale tribunal A.C. die 17 *februarii* 1824, respondit procedendum esse ad ulteriora in cognitione causae super merito, neque opus esse de corruptione separatim agere , eo quod ea ultro a Josepho Devorsan admitteretur. Quanta vero facti certitudine constat datam fuisse immu-
4 tatam , tanta justitia et aequitate palam est hujusmodi immutationem eidem Devorsan obesse non posse , quominus cambialis solutionem adsequatur. Immutatio namque illa minime laedit substantialia cambialis, nomina debitoris et creditoris , titulum obligationis , formulas et clausulas , quae omnia integra supersunt.

Praeterea obesse non potest tertio possès-
5 sori , qui bona fide ac numerata pecunia , oneroso titulo, eam sibi comparavit, qualis
6 est Devorsan. Eo vel magis quia a quovis alio , et a Servio, et a Tavanio potius , putandum est eam corruptionem factam fuisse,
7 quam a Devorsan. Nam illud Cassianum dictum, quod pro inquirendis criminum auctoribus invaluit „ *cui bono fuerit* „ in his personis valeat ; ut ille , scilicet , corruptionis renuntiandus sit auctor , cujus bono et utilitati corruptio eadem cesserit. Atqui tota in Servium aeque, et in Tavanium utilitas redundavit , qui , ex nova superimposita data , hoc adsequebantur ut , quam solvendam susceperant die 10 *octobris* 1822 , ejusdem cambialis solutionem differrent ad diem 10 *octobris* sequentis anni 1823. Atqui totum , ex opposito , damnum unius Devorsan erat , cui alter expectandus erat annus , antequam cambialis solutionem adsequeretur. Ergo idem esset ac paena innocentem plectere , idem ac , qui sine culpa damnificatus est , altero eum et graviori damno opprimere , si Josepho, tertio bona fide possessori, cambialis solutio denegaretur. E converso autem , dum ipse cambialis solutionem consequitur , jus suum cuique tribuitur. Joseph enim id obtinet quod , numerata pecunia , sine dolo, sine fraude, sibi quaesivit. Servius autem, vel ex condicto cum Tavanio datae adulterationem patravit , quod verosimilius videtur , et tunc , solvendo , suae vel machinationis , vel arbitrii poenas luat : vel ab ea fuit omnino immunis , et nescius et innocens, et in hoc casu libera ei patet via contra Tavanium, qui unus esse potuit illius auctor , agendi , et liberationem a molestiis ab eo consequendi.
8 Quin interim retardetur cambialis solutio, quae, pro commercii favore , pro tertii possessoris jure , pro liquido numeratae pecuniae credito , semper esse debet expeditissima.

Altera, quae a Servio proponitur exceptio, haec est se suum dumtaxat nomen apposuisse a tergo cambialis ; hanc nominis appositionem non importare gyratam , eo quod fa-

cta fuerit vel uti quietantia ejusdem cambialis, vel uti mandatum ad eam exigendam; etsi vero importaret gyratam, gyratam hanc non esse a legibus permissam. Haec autem omnia nihili habita sunt a s. Ordine. Nam, etsi Servius suum dumtaxat nomen apposuerit a tergo cambialis – *Salomon Servi* –, etsi caetera quae ibi leguntur, aliena ma-
9 nu, diu post illam nominis appositionem, fuerint conscripta: – *E per me all' ordine S. P. del signor Giuseppe Devorsan, valuta ricevuta in contanti. Roma 12 luglio* 1823 –, tamen haec gyrata *in bianco* valere videtur. Quae enim pro gyratae validitate praescribuntur in articulo 131 codicis commercii nempe; – *la girata è datata; essa contiene il nome di colui al' cui ordine è passata* –: ea omnia in gyrata Servii una
10 simul concurrunt. Neque lex ulla profertur, a qua gyratae *in bianco* prohibeantur.

Imo et usus atque negotiatorum consuetudo, quae, in his commercialibus rebus,
11 maximi semper facienda est; et Ordinis nostri sententia; et commercii favor exigere videntur ut hujusmodi gyratae firmae ac validae habeantur. Ad comprobandam commercialis fori consuetudinem prolati sunt a Devorsan non modo duo ex recentioribus, et in hac Urbe perspectissimis argentariis, praeterea unus negotiator, et unus cambiorum proxeneta; sed etiam sex ex antiquis hujus Urbis argentariis, a quibus jampridem ab anno 1794, testimonium hoc datum fuerat, nempe: – *che non effettuando il debitore il promesso pagamento in debita scadenza, il possessore della cambiale che ha la detta girata in bianco, e che può empirsi a comodo del possessore medesimo, viene immantinente ad avere la sua azione ed il regresso per il pagamento contro il girante, il quale non può esimersi dall'obligo di tal pagamento, con dire che egli non ha ricevuto la valuta, nè ha direttamente trattato col cessionario e giratario; perchè basta che questi abbia corso la fede del di lui nome posto in bianco, e che a di lui contemplazione indotto si sia a fare l' imprestito o fido.* –

Huic autem consuetudini consona et omnino conformis fuit s. Auditorii sententia, a quo, praedicto anno 1794 *die* 31 *januarii*
12 *in pisauren. pecuniaria cor. Soderino*, et in ejus confirmatoria 19 *januarii* 1795 *coram Paracciano*, attenta praesertim sex illorum argentariorum de re et facto proprio deponentium fide, decisum fuit solam proprii nominis a tergo cambialis subscriptionem, seu, uti ajunt, indossationem, satis esse ut quis, etiam si caetera, vel nomen illius cujus favore gyrata fit, vel data, vel pretii numeratio, aliena manu conscripta essent, ad cambialis, uti ejusdem gyrans, solutionem teneretur. Id autem omne commercio non nocet; quia nemo, adeo bardus, adeo in rebus suis dissolutus habetur, ut cambialibus, quarum, quovis in adjuncto, expeditissima semper executio est, suum velit appingere nomen sine ulla declaratione, et ita se illius solutionis periculo exponere. Quin imo quam maxime favet. Nam, qui ad hoc impar esset ut quem reperiret, a quo directe, et per suum forte aut incognitum, aut minus fidum nomen, vel pecuniam mutuaretur, vel merces acciperet, habita fide de pretio, id indirecte, et per gyratam *in bianco* honesti alicujus et spectati negotiatoris adsequitur; nimirum, ubi subscriptionis hujus honesti negotiatoris superimpositum fuerit nomen illius, qui vel pecuniam, vel merces mutuatus fuerit: inde fit ut is de recuperando mutuo securus evadat, quia non mutuatarium dumtaxat, seu acceptantem cambialis, sed sibi in solidum obligatum quoque tenet illius gyrantem.

Servius autem, ut ex his omnibus se extricaret, modo ait sui nominis subscriptionem *in bianco* importasse cambialis quietantiam; modo, importasse mandatum ad exigendum. At primum haec duo contradictionem praeseferunt: secum namque invicem pugnant ut cambialis solidatio declaretur, et ut quis, eodem tempore, veluti procurator delegetur ad ejus solutionem recipiendam, ac si soluta illucusque non esset. Contradictio autem maxima
13 habetur falsitatis tessera. Sed et illud gravius accedit, quod neque quietantia, neque mandatum ad exigendum resultare potuit ex illa Servii subscriptione. Non cambialis quietantia. Quando enim quis cambialis solidatio-
14 nem fatetur, vel id clare exprimit in calce cambialis, vel obducto calamo nonnullas superinducit lineolas, vel litteram ipsam dilacerat. Ita testantur praedicti in Urbe negotiatores, et cambiorum proxeneta. Neque exi-

stimandum est, quemquam, et praesertim Servium, cujus solertia in negotiis agendis perspecta satis est, ita desidem, ita hebetem fuisse, ut suum nomen simpliciter apponeret, absque ulla adjectione; et ita se iteratae solutionis periculo exponeret. Quod si cambialis littera solidata vere fuisset, id sane in commerciales libros fuisset relatum, quos Servius, uti publicus negotiator, dietim conscribere ex praescripto articuli 7 codicis commercii, et penes se retinere tenetur: *è in obligo di tenere un libro giornale, in cui siano iscritti giorno per giorno i suoi debiti e crediti, le operazioni del suo commercio, le sue negoziazioni, accettazioni o girate di cambiali, e generalmente tutto quello che riceve e paga a qualunque titolo.* At Servii renuentia, qui Josepho semel et iterum efflagitanti, ut libros illos proferret, id constanter huc usque denegavit, argumento satis est cambialem nunquam fuisse solidatam.

Multo vero minus subscriptio Servii importare potuit mandatum ad exigendum. Non enim id fuit expressum, quemadmodum de more fieri debuisset. Praeterea ex articulis 131 16 et 132 codicis commercialis, tunc gyrata habetur uti purum mandatum ad exigendum, cum vel data omissa in ea fuerit, vel expressio valoris subministrati, vel nomen illius in cujus favorem illa cesserit. Atqui littera cambialis, respectu habito ad Devorsan, constat in facto his omnibus suffultam fuisse 17 requisitis. Fuerint illa superimposita, et conscripta manu non Servii, sed aliena, nihil id ad Devorsan tertium possessorem et onerosum cambialis.

Post haec nihili habendi sunt testes a Servio inducti, Servium ipsum referentes, nunc in officina Michaelis Valeri pharmacopolae, nunc *nel caffè di piazza di Branca*, objurgare Aloysium Giannoni, quod ea ipsa *die* 10 *octobris*, in qua cambialis solutio fieri debuisset, gyratam adhuc fuisse *in bianco*, ac idcirco et pecuniam a Devorsan numeratam, et datam *diei* 9 *julii* 1823 deinde appictam, fuisse falsam. 18 In hoc enim gyrata *in bianco* potissimum differt a caeteris gyratis, quod is qui cambialem acquisivit, valeat eo, quod sibi magis libuerit, tempore, ( dummodo id antea fiat quam dies veniat solutioni praefinita ) eam replere, et vel suum, vel alterius gyratarii nomen in eam referre. Quin id quidquam damni in gyrantem inferat, quem non antea cambiali suum *in bianco* nomen apposuisse credendum est, quam pecuniam numeratam reciperet. Praeterea si vera essent quae a testibus referuntur, Servius, quum persuadere Giannonio non valuisset litteram cambialem, quae jam solidata fuerat, per fraudem rursus prolatam in commercium fuisse, Giannonium ipsumque Tavanium ad praetorem trahere, vel etiam apud judices criminum quaesitores altum clamare debuisset. Atqui siluit. Nihil ergo valere illa testimonia possunt, quibus nimis sero Servius utitur, scilicet quum de solutione a Josepho Devorsan, talia minime suspicante, jure pulsatur.

Et ita etc., utraque etc.

**R. P. D. MUZZARELLI**

ROMANA

SOLUTIONIS LITERÆ CAMBIALIS
AD DIEM 15 NOV. 1823

*Lunae* 14 *junii* 1824

Argumentum habes in superiori decisione.

*Summario non indiget.*

## Decisio VI.

Parem in data, in summa, in obligationis titulo, in debitoris creditorisque personis, similemque illi litterae cambiali de qua agitur in decis. *Romana solut. litterae cambialis*, hac ipsa die publici juris a Me facta, constat in facto esse alteram cambialem quae a Michaele Angelo Tavani scripta et acceptata fuit favore Salomonis Servi, et a Salomone gyrata deinde fuit *in bianco* favore Josephi Devorsan: hac inter utramque intercedente dumtaxat differentia, quae rei substantiam minime laedit, quod solutionis dies, qui in priori cambiali scriptus fuerat ad diem 10 *octobris* 1823, in hac altera fuit appositus primum ad exitum ejusdem octobris, deinde vero ad diem 15 sequentis novembris. Hinc duae pro una et altera cambiali, sub eadem die 17 martii hujus anni 1824, prodiere tribunalis collegialis A. C. sententiae, duo relaxata sunt executiva mandata favore Josephi Devorsan; quae etsi numerice distincta, iisdem tamen rationum momentis sunt innixa. Ita pariter et apud Ordinem quoque nostrum separatim actum est in gradu appellationis:

nam quoad alteram hanc cambialem ad diem 15 *novembris* 1823, sicuti quoad priorem, rescriptum hac mane est: „ *Esse locum solutioni literae cambialis ad formam sententiae A. C. et extendatur decisio.*

Quae in praedicta contemporanea decisione exponuntur rationes, ab iisdem hujus quoque rescripti justitia demonstratur. Neque a Servio quidquam aliud quoad hanc alteram cambialem peculiariter objicitur, nisi arbitraria solutionis dilatio, scilicet quod dies solutionis, quae antea scripta fuerat ad finem octobris 1823, deinde in calce ejusdem litterae arbitrarie fuerit dilata ad diem 15 sequentis novembris. Sed huc eadem redeunt responsa, quae, quoad praetensam datae immutationem, prolata sunt: nimirum verosimile non esse quod scripta fuerit illa dilatio a Devorsan, cui eadem oberat: verius potius esse quod scripta fuerit vel a Tavanio et Servio simul, vel ab alterutro tantum, quibus id utile futurum erat: quidquid demum de ea re fuerit, nihil exinde vel detrimenti, vel obicis derivari quominus Joseph Devorsan cambialis solutionem consequatur, quia ea datae protractio nihil cambialis detrahit substantiae; quia Devorsan tertius est bona fide et oneroso titulo possessor; quia libera Servio superest via agendi pro liberatione a molestiis contra Tavanios.

Et ita etc., utraque etc.

**R. P. D. SPADA**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae 2 augusti 1824*

Argumento non indiget.

*SUMMARIUM*

1. *Cum quis sollicitum se praebet de futuris exigendis creditis, et nullam facit mentionem de iis quorum solutio jamdiu cessit, hoc ipso praesumendum haec extincta reapse fuisse.*
2. *Cum constet de peracta solutione, nil refert schedulam obligationis adhuc penes creditorem esse.*
3. *Nulla fides habenda testi nimis immemori.*
4. *Neque ei qui praesumit post longum tempus indicare unam potius quam alteram rei gestae diem.*
5. *Nec pariter illi qui dubiam et incertam scientiae causam reddit.*
6. *Qui petiit summam longe majorem debita, ad ulteriorem expensas reficiendas damnatur.*

## Decisio VII.

Joannes Danieli, rei frumentariae in Urbe negociator, *die* 3 *junii* 1822 apud juridicum A. C. conventum provocavit ad cambialem litteram scut. 300 persolvendam tum Joannem Spagnoli qui obsignaverat „ *per valuta ricevuta dal medesimo in tanto grano di piena sodisfazione* „ tum quemdam Aloysium Giri qui fidejussor accesserat ad eam obligationem. Lite contestata, alteram Danielius adjunxit instantiam postulans solutionem sc. 105 ex syngrapha quam idem Spagnolius subscripserat „ *per valuta di rubbia dieci grano* „. Hujus obligationis in judicium exinde adductae extinctionem opposuit Spagnolius: quo vero ad alteram sc. 300 sustinuit se plura debitorum nomina Danielo cessisse; sed, omni probationum genere destitutus, dedit creditori *positiones*. Hisce autem respondens Danielius, dum fassus est summam sc. 278. 92 ex nominibus recepisse, adjecit eam cessisse in alterius debiti extinctionem. Quare collegiale A. C. tribunal alterum ex suis judicibus deputavit, qui opera ratiocinatoris Baraglia super controversia referret. Opere autem absoluto, cum pateret syngraphum sc. 195 extinctam fuisse, credita vero sc. 278. 92 exacta esse in causam literae cambialis sc. 300, condemnatus fuit Spagnolius ad reliqua sc. 21. 08 persolvenda, refectis tamen litis expensis per Danielium, qui multo plus debito postulaverat. Atque haec sententia adeo justa visa est ut; quaestione ad nostrum Ordinem delata, responsum datum sit: „ *Esse locum solutioni ad formam sententiae A. C. et extendatur decisio.*

Duae siquidem sunt debendi causae, quas Danielius affert contra Spagnolium. Earum *altera* oritur ex syngrapha quam is in summa sc. 105 obsignavit *per valuta di rubbia dieci grano* „ quamque is soluturum promiserat „ *per li* 22 *febraro* 1822 „. At hanc ipsam obligationem jamdiu extinctam, sublatamque fuisse ex eo satis adparet quod Joannes quidam Spezzani, jussu et mandato ipsius Danieli, veluti in confesso est, epistolam scripserit *die* 6 *maii* 1822 in haec verba contra debitorem: „ *Se al dimani voi non mi saldate la partita di rubbia cento cinquanta grano, mi obbligherete registrare detta vostra obbligazione con vostro maggior danno, e valermi delle mie ragioni, come ancora succe-*

*derà della cambiale* (scilicet scutor. 300),
1 *quando saremo al giorno undici* „. Ex hisce enim epistolii verbis nemo non videt ut, si Danielius *sub die* 6 *maii* 1822 non modo residuum postulabat alterius crediti minitans se judicio acturum, sed urgebat etiam pro credito cambialis cujus solutionis dies nondum venerat „ *come succederà della cambiale, quando saremo al giorno undici* „ necessario fatendum sit alteram obligationem scutorum 105 jam extinctam omnino fuisse. Aliter enim, dum adeo diligens fuit Danielius pro futuris exigendis creditis, mentionem quoque fecisset de ea sc. 105 obligatione, cujus solutionem jam inde a die 22 februarii 1822 expletam esse oportebat.

Huic autem argumento, quod per se satis superque est ad fidem syngraphae adimendam, accedit etiam testimonium cujusdam Hyacinthi Andreoli, qui, cum omnia ferme nosceret negotia inter Danielium et Spagnolium, ingenue testatus est, eamdem schedulam jam solidatam atque extinctam fuisse. Deponit namque se, rogatum ab utroque litigante ut domi ejusdem Danielii conveniret ad liquidationem dati expensique ineundam, fuisse praesentem dum „ *fu parlato dei ricapiti esistenti presso il Danieli* „; ac propterea vidisse „ *che ne rese ostensibili due, uno di sc.* 125 *che in presenza mia* (inquit) *gli fu dal Danieli restituito e lacerato, e l'altro di sc.* 105 *rimase presso il Danieli il quale si ricusò restituirlo; ma in luogo di quello voleva restituirgli due taglie di pane accreditato dallo Spagnoli da esigersi, una, mi pare, da Pietro Forroni, e l'altra da Pietro Pennacchi, che lo Spagnoli si ricusò ricevere* „. Quod si Danielius reapse creditor adhuc superesset ejus syngraphae sc. 105 inter titulos extinctos, illam sane schedulam non exhibuisset, neque proinde ipsius loco restituere proposuisset „ *due taglie di pane accreditato dallo Spagnoli da esigersi* „. Nec quidquam relevat, eamdem schedulam reperiri adhuc penes Danielium. Nam praeterquamquod constat consuevisse Danielium, dum solutiones recipiebat, obligationes penes se retinere,
2 illud tamen certissimum est, solutione ejus quod debetur, omnem perimi obligationem, ideoque nullum Danielio competere jus, etiamsi schedulam adhuc retineat.

Priori itaque debendi causa e medio sublata, omne Danielii creditum per *alteram* redigitur ad cambialem literam sc. 300 quam Spagnolius obsignavit „ *per valuta ricevuta dal medesimo in tanto grano di piena soddisfazione* „. Verum hanc quoque obligationem jam fere extinctam esse adparet, quia vel ipse Danielius, respondens ad *positiones* a Spagnolio exhibitas in anteacto judicio coram collegiali tribunali A. C., fateri non dubitavit se plurium nominum cessionem habuisse a debitore, ex iisque exegisse summam sc. 278. 92. Non aliter igitur quam, justitia duce, juridicus A.C. conventus Spagnolium condemnavit dumtaxat ad residualia sc. 21. 08 ex ipsa Danielii confessione. Perperam enim objiciebatur nominum exactionem respexisse „ *un altro interesse, e precisamente un debito che aveva lo Spagnoli con il rispondente di sc.* 1875 *per rubbia cento cinquanta grano al prezzo di sc.* 12 *e baj.* 50 *il rubbio* „. Ex tota siquidem rei gestae serie manifestum est, fieri nequaquam posse ut Danielius eam nominum cessionem habuerit in extinctionem hujus crediti. Nam ex syllabo acceptilationum scatet residuum tritici pretium recepisse Danielium sub die 12 maii 1822 in summa sc. 375.

Contra vero adparet Spagnolium nomina debitorum cessisse creditori die 15 maii 1822, scilicet longe post extinctum tritici debitum. Testis enim est Reginaldus Bui, qui fatetur „ *qualmente il giorno* 15 *maggio fui incaricato di parlare per Giovanni Spagnoli ad un tal Giovanni Danieli sopranominato il tedesco, il quale, sebbene avesse ricevuto il pareggio di rubbia* 150 *grano mediante il pagamento in contante del residuo di scudi* 375, *tuttavia insisteva per esser pagato di una cambiale di sc.* 300. *Lo Spagnoli pertanto mi diede istruzione di portarmi dal Danieli insieme con Luigi Giri, e di esibirgli alcune taglie e note di crediti che aveva per il forno all' Orso. Dopo varii discorsi il Danieli accettò dette note e taglie, ma non ne fece ricevuta, perchè disse volerne verificare la di loro realtà, e rimase infatti di accordo col Giri di andare insieme nei giorni seguenti dai debitori per l'esigenza e verificazione* „. Quare si certum est plura debitorum nomina a Spagnolio cessa fuisse Danielio; si praeterea constat, hanc ipsam cessionem sub die 15 maii 1822 fuisse factam; si demum ex ipsa Danielii confessione adparet eumdem

ex nominibus cessis summam exegisse sc. 279. 92, jam dubitari non licet quin isthaec exactio cesserit non in causam debiti ex tritico jam solidati, sed potius in extinctionem cambialis literae quae adhuc insoluta manebat.

Ad haec convellenda frustra adducit Danielius testimonia Joannis Trivelli ac Dominicae et Cajetani Cecchini, ut probare possit nominum cessionem factam fuisse, antequam tritici debitum persolveretur. Etsi enim Trivellius, qui alter est ex debitoribus cessis, asseveret se summam debitam persolvisse ante extinctionem debiti ex causa frumenti, nullius tamen roboris habenda est ejus depositio quia se solvisse Spagnolio profitetur, non autem Danielio cessionario, cum contra in suis responsionibus ad positiones ipse Danielius confessus est se reapse, non Spagnolium, eam summam a Trivellio exegisse. Si itaque adeo immemor est Trivellius ut ne recordari quidem possit utri solverit, nulla certe ei fides accommodari potest, dum in sua depositione adeo studiose tempus solutionis adjecit. Nec secus dicendum de duobus aliis testimoniis Dominicae et Cajetani Cecchini. Etenim dum uterque deponit se debitores fuisse Spagnolii, summamque debitam persolvisse Danielio, nec quantitatem, nec solutionis diem praecise demonstrant. Praeterea mulier Dominica post non exiguum temporis spatium admitti non potest ad unam potius, quam ad alteram solutionis diem indicandam: testis autem Cajetanus dubiam et incertam scientiae causam reddit, se nimirum vel a defuncto, vel ab ipsa Dominica, id quod asserit, audivisse. Eaque propter utraque depositio, utpote quae anceps omnique fundamento destituta, est omnino rejicienda.

His itaque positis, cum firmum immotumque sit nomina debitorum in causam literae cambialis sc. 300 fuisse cessa, ex iisque exegisse Danielium summam sc. 278. 92, merito fuisse condemnatum censuit Ordo noster, tam Spagnolium ad residualem solutionem sc. 21. 08 erga Danielium, quam hunc ipsum, qui „ *col reclamare il suo credito ha pretesa una somma molto maggiore, per cui lo Spagnoli si è dovuto dispendiare*„ ad expensas judicii reficiendas.

Et ita, meo accedente suffragio, definitum est, utraque etc.

R. P. D. SPADA

ROMANA LITERARUM CAMBIALIUM

*Veneris* 3 *decembris* 1824

ARGUMENTUM

Institor omnes praeponentes in solidum obligat. Censura autem *leg.* 5 §. 11 *ff. de instit. act.* et consilium 44 *Alexandri* pertinent ad simplicem institorem qui, vel ex stipulatu vel ex indole officii, ordinariam habeat et intra certos limites constitutam facultatem, non autem ad institorem et administratorem generalem, cui sit libera potestas ea omnia faciendi quae praeponentes etiam extra negocii causam facere possent; et multo minus pertinent ad institorem qui sit quoque socius, et cui ex mercatoriis institutis tributum a consociis amplum et universale mandatum praesumitur.

*SUMMARIUM*

1. *Omnes praeponentes et socii tenentur in solidum ex quacumque institoris obligatione.*
2. *Ex censura* leg. 5 §. 11 ff. de inst. act. *institor obligat praeponentem in id dumtaxat ad quod praepositus fuit.*
3. *Atque ex cons.* 44. *Alexandri ad obligandum praeponentem oportet ut pecunia ab institore sumpta titulo cambii vel mutui sit necessaria tabernae vel societati, idque ex stipulatione pateat et numeranti innotescat.*
4. *Limita in institore et administratore generali, libera et amplissima facultate praedito ea omnia faciendi quae praeponentes facere possent.*
5. *Limita pariter in institore qui sit quoque socius, cui praesumitur datum a consociis universale mandatum*, et num. 9.
6. *Mercatoria gestio abhorret suapte natura ab extranea consultatione et tutela.*
7. *Quando, caeteris sociis scientibus et probantibus, institor consocius publice omnia societatis negocia gessit, et liberum usum habuit* „ della firma „ *socii omnes tenentur in solidum quavis obligatione ab hujusmodi institore nomine societatis suscepta.*
8. *Hinc pro commercii ratione et privilegio nullum requiritur in socio institore amplum, aut expressum mandatum chirographo sociorum munitum.*
10. *Ex urbis consuetudine institores liberis facultatibus praediti existimantur, et, quin indigeant praecipuo mandato, obligant praeponentes et consocios etiam in negociis Rationem non spectantibus.*
11. *Versio pecuniae in rem socialem ad substinendam obligationem ab institore susceptam, si non fuit* directa et materialis, *sufficit fuisse* indirectam et virtualem.
12. *Sibi imputent praeponentes et socii, si libera Rationis socialis procuratio pessimae fidei institori et socio concredita est.*

## Decisio VIII.

Quatuor collybi literas pro scutis 3500 die 12 julii 1823 solvendas, *all' ordine S. P. del signor Saverio Scultheis, valuta avuta in contanti*, traxit, acceptavitque Joannes Maria Maggi nomine notissimae mercatoriae Rationis, *per Gio. Carlo Tritonio*, cujus erat administrator et institor. Venit quoad priorem literam cambialem scut. 895 . 42 dies solutionis, quae cum denegata fuerit, post elevatam de more protestationem, mensa argentaria, quae a Mariano Sculthejo, viro optimo, repraesentata domi forisque floret sub nomine *Saverio Scultheis*, ut solutionem cambialis assequeretur, die 18 novembris 1823 in jus vocavit coram juridico A. C. conventu, qui in prima actione tunc temporis de re commerciali cognoscebat, Paulum Barghiglioni, qui fuerat interim *Ditae* Tritoniae administrator deputatus. Actionem vero a Sculthejo institutam, quae a triumviris A. C. rejecta fuerat, restituit illico Ordo noster, cui rei cognitio, provocante Sculthejo, delata est, edito rescripto:„ *Esse locum solutioni literae cambialis*, veluti patet ex sententia a R. P. D. meo Bofondi die 14 augusti 1824 obsignata, cujus prolatio contextim decreta fuit vi adjectae formulae„ *et expediatur*„. Commissa hinc mihi causa appellationis a Paulo Barghiglioni interpositae uti rei Tritoniae administratore, novam is voluit aleam experiri; sed inutiliter. Nam responsum, me quoque suffragium ferente, datum est: „*Sententiam rotalem esse confirmandam, et extendatur decisio*„.

Stat namque firmum, unum Joannem Mariam Maggi fuisse delectum, palamque habitum rei ac Ditae Tritoniae administratorem et institorem. Ita testantur tabulae utriusque donationis, quas anno 1816 scripsit pro nepotibus Antonia Cerruti, vidua et heres *Joannis Caroli Tritonio*, tabernae et Rationis mercatoriae institutoris, quibusque expressa conditione imperavit, *che non possa avervi ingerenza persona alcuna, ma l' amministrazione debba tenersi dal signor Giovanni Maria, fintantochè il signor Carlo* (qui mortem obiit) *non sia giunto all' età maggiore, indipendentemente pur anche dal proprio padre*„. Ita testatur familiare consilium occasione hereditarii conficiendi inventarii inter Maggios et fratres Petrarca anno 1817 initum, in quo Joannes Maria, scientibus et probantibus omnibus Maggiis coheredibus et sociis, peritum Lanzi aestimatorem delegit„ *tanto a nome proprio, che come amministratore dei beni di Carlo mio fratello, e Maria ed Agata sorelle*„. Ita pariter testantur romani emporii mercatores, argentarii et proxenetae notissimi, qui deponunt„ *che, dopo la morte di Gio. Carlo Tritonio, la di lui ditta è stata sempre esercitata dal signor Gio. Maria Maggi di lui nipote, il quale solamente avea la firma sotto il nome dello stesso Gio. Carlo*„. Ita denique res omnes testantur mercatoriae et collybisticae a Jo. Maria pro societate nomine Jo. Caroli Tritonio peractae ratione institoriae qualitatis eidem libere concreditae. Quemadmodum igitur ex hisce in facto constitutis luculenter patet, Jo. Mariam rei Tritoniae gerendae fuisse praepositum, et reapse reputatum et cognitum institoria veste indutum apud romanos et exteros cujuscumque generis negociatores, ita nequaquam est ambigendum quin sit jus perspicuum Sculthejo, qui Tritoniae Rationis fidem sequutus est, controversae literae cambialis vindicandi solutionem, eamque ob rem judicio agendi contra universam substantiam mercatoriam. Omnes enim, quotquot sunt, praeponentes et socios in solidum omnino teneri ex quacumque praepositi et institoris obligatione, ambigui juris mercatorii non est, *ad text. in leg. nemo ex sociis ff. pro socio, Jason. in leg. si unus numer. 2 vers. nec poterit obiici ff. eod. tit., Antonell. de temp. legal. cap. 47 num. 26, Rot. januen. decis. 13 num. 1, et Ordo noster decis. 413 num. 4 cor. Molines, decis. 433 num. 21 cor. Crispo et decis. 539 num. 29 cor. Olivatio.*

Neque ad solutionem declinandam utiliter obiiciebatur sanctio juris desumpta praecipue ex *leg. 5 §. 11 ff. de institor. action.*, qua praescribitur, *non omne quod cum institore geritur, obligare eum qui praeposuit, sed ita si ejus rei gratia, cui praepositus fuerat, contractum est; idest dumtaxat ad id ad quod eum praeposuit*, neque defectus requisitorum quae, ad omnes tabernae mercatoriae dominos et socios obligatione solidali devinciendos, jurisconsultus *Alexander* statuit *in consil. 44*, quaeque in hoc uno omnia consistunt ut scilicet pecunia, quam institor vel cambii, vel mutui titulo accipit,

tabernae et societati sit necessaria, idque ex ipsa stipulatione adpareat, et numeranti innotescat. Sive enim expendatur monitum memoratae *legis*, sive *Alexandri consilium*, neutrum sane potest ad speciem accommodari, in qua non agitur, ut est casus utriusque consurae, de *simplici* institore qui, vel ex indole officii, vel ex stipulatu, facultate praestet ordinaria et cohibita intra limen necessitatis, gratia scilicet gerendae dumtaxat ejus rei cui praepositus fuit, sed de institore et administratore agitur profecto, cui erat libera, amplissima facultas omnia ea faciendi quae ipsimet praeponentes et socii, etiam ex- 4 tra negotii causam, facere potuissent. Qua de re cum liqueat in themate, libera nullisque limitibus circumscripta disponendi facultate fuisse praeditum Jo. Mariam, nullum sane dubium quin contractae ab eo obligationes quaecumque, ex jure mercatorio, socios etiam omnes debeant afficere; juxta receptissimam objecti juris dispositionis limitationem, quam tradunt *text. in leg. procurator*, *Calderin. cons.* 4 *de appellat. Zanch. de societat. part.* 2 *cap.* 11 *num.* 27, *Rot. dec.* 230 *num.* 4 *cor. Ansaldo*, *dec.* 322 *nu.* 7 *cor. Ratto et dec.* 350 *num.* 4 *cor. Dunozet jun.*

Maxime autem id debet in casu retineri, in quo pro certo habendum est, Jo. Mariam potuisse legitime erga argentarium Sculthejum obligare omnes coheredes et socios Maggi, etiamsi non constet de pecuniae versura, et res careat *Alexandrinis* requisitis, quia duplici qualitate praestare incontroversum est Jo. Mariam, *institoria* scilicet, et *sociali*. Quod quidem tanti reputatur, juxta mercatoria instituta, ut eidem praesumatur a consociis fuisse 5 tributum amplum et universale mandatum ratione commodi aut periculi, quod aequale cum caeteris institor, qui simul sit socius, debet experiri. *Carocc. dec. casuum cas.* 118 *num.* 14 *et Zanch. de societat. part.* 2 *cap.* 10 *num.* 87, *Mans. consult.* 193 *num.* 16, *Rot. januen. decis.* 14 *num.* 65 *et* 67, *et* sac. Auditorium *in niuperr. decis.* 37 *tom.* 3 *num.* 6, *cor. Seraphin decis.* 1139 *num.* 8.

Inepte igitur post haec ad minuendas Jo: Mariae facultates defectus obtrudebatur ampli expressique mandati, ac si eo esset opus juxta avitam dispositionem, qua fuerat praescriptum jus administrationis – *colla dipendenza dal signor cavalier Gio: Gherardo De-Rossi* –, cui exinde, post renunciationem a praesule Cioja emissam, suffectus est R. P. D. Gamberini nuper unus ex s. Auditorii XII viris, nunc a secretis sacrae Congregationis Concilii. Principio enim assensio isthaec, seu aeconomi consilium, quod obiicitur, *vel* respicere poterat ex voluntate disponentis res tantum familiares, non mercatorias, *vel* ex consensu coheredum et sociorum incompatibile visum est, et non aptum praesertim quoad mercatoriam gestionem, ut pote quae suapte natura abhorret ab ex- 6 tranea consultatione et tutela, nullaque conditione potest coangustari. Quod reapse ex facto ipso demonstratur, semelatque unus et alter vir praestantissimus pro testimonio dicit – *nessuna parte amministrativa, nè altra presi nel negozio Tritonio – non ho mai avuta la minima ingerenza nelle operazioni del negozio Tritonio* –. Praeterea facta non desunt alia gravissima quae magis magisque rei veritatem comprobant. Erat enim unus Jo. Maria qui, patrios lares antequam desereret, nomen perpetuo in omnibus negotiis pro societate adhibuit – *la firma* –, veluti hac de re in Urbe notissima proxenetae, mercatores et argentarii testimonium perhibent „ *che dopo la morte di Giovan Carlo Tritonio abbiamo veduto che la di lui ditta sotto il di lui nome è stata mai sempre continuata ed esercitata da quell' epoca in poi dal signor Giovanni Maria Maggi Tritonio di lui nipote, il quale solamente aveva la firma, e si è mai sempre avuta e prestata tutta la maggior fede in commercio* „. Ipse erat qui sedulus palam, jugiterque cognitus est „ *nell' adempimento dei suoi impegni, rimesse all' estero, e puntuale pagamento delle cambiali* „; ipse demum qui, negotiandi causa, faenebres pariter in rem communem accipiebat pecunias. Si itaque Joannes Maria, dum Tritoniae praefuit Rationi, apud omnes mercatores et argentarios, tum re, tum verbis, habitus est moderator et arbiter, sique una simul usum libere et absolute habuit – *della firma* –, caeteris consociis scientibus et probantibus, nihil in jure mercatorio exploratius, quam ut so- 7 cii omnes de quavis in solidum teneantur obligatione ab ejusmodi institore nomine *Dittae* contracta, perinde ac si eamdem obligationem singuli chirographo suo muniissent,

*Bartol. in leg. eamdem ff. de duobus reis, Bruneman. in leg. aequum praetoria ff. de instit. act. num.* 1, *leg. cuique* 5. *ff. eod. Baldassaroni leggi e costumi del cambio par.* 2. *art.* 37. *num.* 3.

Eaque propter talia juris mercatorii instituta adeo pro commercii ratione et privilegio invaluerunt apud omnes, fueruntque tam late recepta, ut hac de re nec amplum, nec praecipuum et expressum in socio institore
8 requirant mandatum sociorum chirographo munitum. Secus enim actum esset de commercio, cum sit prorsus impossibile tum omnia intrinsecus investigare et ritu solemni conficere negotia, tum eorum omnium consensum et chirographum requirere, quos inter extat societas, quae saepe constat ex faeminis, pueris, pupillis, saepe ex novis adscitis particibus, saepe ex iis qui, Romae et alibi degentes, uno eodemque tempore mercaturam faciunt *Londini*, *Amstelodami*, *Parisiis*, *Vindobonae*, etiamque apud ultimos Indos, sic, ut si res mercatoriae omnium sociorum sententia et chirographo essent expediendae, nullum ferme unquam negocium ex rei natura posset absolvi, veluti monet *Baldasseroni cit. art.* 37. *num.* 5., et testantur quam plurimi mercatores et argentarii. Nihilque hinc obest praeditum non fuisse institorem Joannem Mariam expresso mandato, cujus defectus obiicitur. Nam juris est explorati socios omnes devictos manere obligatione a socio institore contracta, quoties is, scientibus et patientibus illis, talem se gerit, palamque institoria veste indutus mercatorias tractat et expedit res, cum hisce in casibus censeatur eum *tacite*
9 institorem fuisse constitutum et negotiationi praepositum, etiamsi de expresso mandato non constet– *Hermosill. gloss.* 2 *leg.* 7 *tit.* 1. *part.* 5. *num.* 3. *tom.* 1., *Constantin. vot. decis.* 291. *num.* 14, *Zanch. de societate part.* 2. *cap.* 11 *num.* 41, *Azuni verb. complimentario* §. 2 *tom.* 1 *et Rot. januen. decis.* 14, *num.* 4, *et sacra Rot. decis.* 556 *num.* 2 *cor. Olivatio.* Quae cum ita sint, neutiquam culpandus est argentarius Sculthejus, si fidem Jo. Mariae, Ditae Tritoniae socii et institoris, sequutus est, quia nedum ejus actionem tuentur juris mercatorii sanctiones, sed etiam receptissima Urbis consuetu-
10 do, ex qua institores tum liberis facultatibus praediti existimantur, tum recte possunt chirographo suo omnes praeponentes et socios obligare etiam in negotiis Rationem non spectantibus, quin ullo modo sit opus praecipuo amplissimoque mandato, prout tradit *Zanch. de societ. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 29, *et Rot. in nuperr. decis.* 285 *num.* 3 *et decis.* 350. *num.* 11 *cor. Amat. Dunozett.*

Juris mercatorii dispositione perculsus qui causam orabat pro Barghiglionio, *Ditae* reaconventae administratore, inutili studio iterum contendebat haud teneri heredes et socios Tritonios solvere controversam collybi literam ex eo quod non probatur, imo excluditur, pecuniae versura. Principio enim adeo sunt graves et ineluctabiles mercatoriae jurisprudentiae sanctiones ut ad quaestionem recte dirimendam nihil quaerere opus sit utrum constet, nec ne, de objecta versura, quia, citra etiam hanc de qua in superiori actione disputatum est, PP. Domini censuerunt esse locum solutioni literae cambialis ex juris mercatorii disciplina quae supra exposita est. Praeterea quamquam non constet de directa pecuniae versione in rem so-
11 cialem, nil tamen dubii quin in thenate versura saltem *indirecta* intercesserit. Reque vera cum liqueat Joan. Mariam die 12 julii 1833 collybi literas scut. 3500 loco pretii pro literis accepisse a Sculthejo, et postridie dimissum ab illo fuisse debitum cambiale quod favore Aloysii Del Gallo in eadem summa pro Tritonia Ratione contraxerat, consequens plane est ut, per collybi literas a Sculthejo datas habita fide de pretio, arca socialis fuerit reintegrata de pecunia Aloysio Del Gallo soluta, cui ex identitate summae et temporis proximitate subrogatum reputandum est pretium literarum cambialium ad ipsius negotii opportunitates praecavendas. Mercatoriae enim tabernae aut in arca pecunias habeant oportet, aut collybi literas, quarum praesidio ad tempus valeat praepositus institutae negotiationis rebus prospicere, ne Rationis minuatur existimatio, prorsusque opinio vilescat.

Quo fit ut versura in specie, si minus directa et materialis, *indirecta* saltem et virtualis veniat intelligenda collybi gratia literarum, quae sunt in amotae pecuniae locum subrogatae. Nec obest Joan. Mariam literis Senogalliae - *giratis per Augusta* - in fratres Constantini pretium, seu - *la valuta* - re-

cepisse , illudque sibi , non Tritoniae Rationi fraudulenter assignasse. Nam si Joannes Maria institorio officio abusus est , non licet id retorqueri in Scultbejum , nec eidem per alterum iniqna conditio inferri , cum socii 12 Tritonii vel sibi ipsis debeant imputare, vel saperae rerum humanarum fortunae , si libera Rationis procuratio pessimae fidei socio concredita est , ut advertit *Mans. consul.* 193 *num.* 26 ; maxime vero cum agatur in praesentia inter Maggios familiae herciscundae judicium , in quo coheredes et socii possunt jura sua peculiariter proponere ut debitam assequi valeant indemnitatem adversus Joannem Mariam , si forte is rem socialem expilando tributis facultatibus abusus est.

Et ita in strenuo partium certamine decisum fuit.

**R. P. D. SPADA**

ROMANA LITERÆ CAMBIALIS

*Veneris* 10 *decembris* 1824

ARGUMENTUM

Societas ita excluditur, ex exclusa lucri et damni communicatione , ut ad eam inducendam quaevis alia argumenta nullam vim habeant. Obligatio socii institoris, ut consocios in solidum teneat, non proprio et privato sed socialis Rationis nomine expresso suscepta esse debet.

*SUMMARIUM*

1. *Iniquum est alterum, quam debitorem, ad solutionem urgere et damnare.*
2. *Exclusa inter contrahentes damni et lucri communicatione , nulla haberi potest contracta societas.*
3. *Atque hoc in casu nullam vim habent quaevis alia argumenta et conjecturae.*
4. *Patronus seu procurator ad lites nullum praejudicium in committendo stupiditate et imperitia sua potest inferre, quidquid oscitanter dixerit, vel scripserit.*
5. *Non audiendi testes inter se difformes et pugnantes.*
6. *Ex novissimo jure mercatorio ad obligandos omnes socios requiritur ut unus ex iis tanquam somius contractum obsignet, non proprio et privato, sed Rationis socialis nomine expresso.*

## Decisio IX.

**M**alis avibus honestissimus negotiator Franciscus Massa januensis, *pecunias , opera et nomen* crediderat cuidam Paolo Buffetti, qui in speculis commercii cum esset, sibi proposuit in Urbe instruere in frequentissima hippodromi via sagariam tabernam „ *di vestiario manufatturato ad uso di uomo* „ cuus caput constaret pretio scutorum quatuor millium. Ob tale negocium splendidiori apparatu erigendum , inducere Buffettus vehementer studuit Francisci animum , ut is manus in eam rem praeberet adjutrices. Qua de causa per privatam syngraphaм die 20 octobris 1823 obsignatam inita est inter partes stipulatio , qua reapse conventum est prae caeteris ut Massa in eam negotiationem scuta duo millia immitteret , ut Buffettus tabernae caput in universum evehi curaret ad scuta quatuor millia , ut negotium nomine Massa gereretur , eodemque tempore operam praestaret, utque demum , posito capitis valore in scut 4000, posset Buffettus pro ejusdem capitis modo collybi litteras trahere „ *su del sig. Massa* „ cui scuta sexaginta in unumquemque mensem essent numeranda „ *a tutto peso del sig. Buffetti , come quello che va a risentire i vantaggi totali di un tal commercio , e della gestione e cura del sig. Massa* „ qui ob id nil aliud com pentionis causa „ *potrà pretendere dal sig. Buffetti , che quello convenuto nell' art.* 8, ex eo quod „ *in esso trovasi considerato l' interesse degli scudi* 2000 *sborsati , il diritto alla prestazione del nome , ed il compenso alla gestione amministrativa.*

Omnia, quae fuerat pollicitus, implevit reapse Franciscus Massa ; qui collybi etiam literas a Buffetto tractas, ultra quam par esset, acceptavit, magnamque in illarum sequelam pecuniae quantitatem e proprio persolvit. Contra autem fidem improbe fefellit Buffettus, qui nec tabernae unquam caput sollicitus fuit ad conventum valorem immittere, nec pecuniarium solvere emolumentum in singulos menses , ad formam pacti, praestandum. Factum hinc est ut Massius secum reputans Buffetti facultates jam labi caepisse, suamque idcirco rem periclitari , institerit apud juridicum A. C. conventum ut, praevia descriptione mercium, provisio aliqua sumeretur. Censuit tribunal judicialem deputare administratorem , qui decretam mercium descriptionem et aestimationem rite fieri curavit. Sed cum fuerit compertum , pretium rerum omnium in taberna existentium ascendere tantum modo

ad summam scut 1800, quae, missis creditis pensionum, aliisque pro cambialibus partim solutis, partim ad formam institutae Rationis acceptatis, ne pecuniae quidem caput scutorum 2000 coequabat a Francisco immissum, novam is proposuit petitionem, ut nempe „ *stante la deteriorazione di condizione del reo convenuto, e la mancanza alli patti ec.* resolutio decerneretur contractus diei 20 octobris 1823, utque merces illae tabernaeque instrumenta sibi addicerentur pro respondenti crediti quantitate, ac pro residuo mandatum contra Buffetti personam relaxaretur.

Annuit postulationi A. C. tribunal, sed quia existimavit iniqua jurisprudentia negotium esse sociale, ideo mercium venditionem decrevit „ *per pubblica auzione, previa l'affissione de' publici editti* „ earumque pretium Francisco addici „ *qualora però il medesimo si obblighi di ritenerlo in forma di deposito, ed esibisca un'idonea fidejussione per la riportazione del denaro ad ogni ordine del tribunale* „. Ob talem asperam conditionem justitiae neutiquam consentaneam coactus est Massius ab ea sententia provocare ad sacrum Ordinem, fuitque mihi commissa causa, quae in comitiis diei 6 septembris 1824, meo quoque accedente suffragio, definita est per responsum: „ *Esse locum resolutioni contractus diei* 20 *octobris* 1823, *et adjudicationi mercium et mobilium favore Francisci in summa scutorum* 2271 *pro nunc, et expediatur* „ veluti monstrat sententia a me die 10 ejusdem mensis et anni lata, quae in rem judicatam prolapsa est, atque executioni commissa.

Sciendum post haec, non solum Franciscum Massa in fraudem a Buffetto commercii peste machinatam incidisse, sed etiam gallicos mercatores, Julien et Lacouture, quorum favore Buffettus die 25 octobris 1823, antequam fugam arriperet, collybi litteram traxit quae ita se habet „ *per la fine di febraro* 1824 *pagherò per questa prima di cambio all' ordine S. P. delli signori Pietro Julien et Lacouture la somma di franchi* 933, *valuta avuta in merci di mia sodisfazione, e pongo a mio debito coll' obbligazione ec. A me medesimo, Roma* „ *accetto Paolo Buffetti* „. Hujusce litterae cambialis solutionem, cujus dies venerat, assequi Julienius et Lacouturius cum nequiverint a Buffetto, qui ære alieno et malefactis coopertus jam fugae se commendaverat, judicii aleam sibi proposuerunt eam ob rem experiri adversus Franciscum Massa, quem esse socium Buffetti nullo consilio existimaverant. Causam obtinuerunt apud juridicum A. C. At provocante Massio ad sacrum Auditorium, actio a gallicis mercatoribus instituta denegata est, prodiitque hac mane rescriptum: „ *Non esse locum solutioni literae cambialis, et extendatur decisio.*

Ex simplici memoratae syngraphae tenore, serieque factorum quae utpote multa et implexa repetere oportuit ad praesentem controversiam recte definiendam, liquet evidenter nullum jus esse gallicis mercatoribus Julien et Lacouture postulatam condicendi solutionem literae cambialis a Francisco Massa, qui eam minime chirographo suo munivit, quique nulla alia obligatione tenetur. Unus siquidem Buffettus collybi litteram obsignavit, acceptavitque. Ipse unus igitur, ut nomen quo gravatur collybisticum solvat, judicio conveniatur oportet a gallicis negociatoribus, qui ejus tantummodo, non autem Francisci Massa, fidem secuti sunt, cum sit prorsus iniquum et omnibus naturae legumque principiis adversetur, alterum ad solutionem urgere et damnare, quam debitorem. Cum haec ita se habeant, frustra contendunt gallici mercatores Massium in vim praefatae apocae die 20 octobris 1823 obsignatae socium esse Pauli Buffetti, ob eamque rem ad literae cambialis teneri solutionem. Principio enim non solum assertae societatis fundamentum quodcumque excluditur penitus ex recitato apocae tenore, ubi nullum verbum nullaque mentio facta est de societate, sed ex iisdemmet quoque pactis, quae in eo sunt perspicuo sermone conventa, quaeque jactatae societati apertissime adversantur. Certum siquidem est Massium argentea duo millia Buffetto suppeditasse pro ampliori tabernae apparatu „ *ha dovuto pagare al signor Buffetti la somma di scudi* 2000; „ certum pariter, quoties Massius aliquam mercem pro taberna necessariam compararet, cautum in stipulatione fuisse quod „ *in vantaggio del signor Buffetti cederanno del pari il lucro e la perdita* „; certum praeterea menstruam fuisse favore ejusdem Massae adsignatam pensionem scutorum sexaginta, quorum perceptio ex negocii arca facienda „ *starà a*

*tutto peso del sig. Buffetti , come quello che va a risentire i vantaggi totali di un tal commercio, e della gestione e cura del sig. Massa*,, ; certum denique nihil aliud praeter id sibi posse Massium arrogare , nihilque compensationis causa postulare , quia in memorata menstrua praestatione ,, *trovasi considerato l'interesse degli scudi* 2000 *sborsati , il dritto alla prestazione del nome , ed il compenso alla gestione amministrativa*,, . Haec sane omnia cum praeseferant pacta negativa, seu naturae societatis contraria, quae inter praesertim recensetur et obtinet æquitativa lucri damnique comunicatio, explorati juris est neutiquam contractam haberi posse societatem quae sine ejusmodi comunicatione non datur , cujusque eam ob rem cesset oportet quaelibet etiam praesumptio , veluti observat *Tartagl. de reservat. statutor. art.* 59 *num.* 56, *Ansaldo de commerc. et mercat. disc.* 87 *n.* 13, *Zanch. de societate cap.* 2 *n.* 12 *et seqq., et Rota in recen. decis.* 126 *n.* 6 *part.* 8.

Inepte hinc arguere satagebant mercatores Julien et Lacouture initam fuisse a Massa et Buffetto societatem , vel quia fuerint depacti,, *che il nome della Ditta corra sotto il solo Francesco Massa* ,, vel quia Massius *scuta bismille* Buffetto suppeditaverit , vel quia demum sese obligatione devinxerit Buffettus tabernae instruendae ,, *di una valuta al costo di sc.* 4000,, . Hec nam omnia non solum in specie , nullum societatis exhibent argumentum nullumque vestigium, sed vehementer imo quodcumque etiam societatis simulacrum excludunt, si caetera expendantur, quae adhaerent, pacta nunquam sejungenda , ac integra stipulatio ejusque ratio ita ineundae potissima. Principio namque proposita societatis argumenta languescunt, penitusque destruuntur ex littera singraphae et conditionibus apertissimis supra memoratis , quae societatis naturae quam maxime adversantur , quaeque vehementer ostendunt aliam longeque aliam fuisse mentem contrahentium , qui nedum de societate ineunda nihil unquam cogitarunt, sed exclusam imo numeris omnibus voluerunt per pacta quae cum societate nequeunt conciliari. Praeterea ratio gravissima non defuit quare partes memoratam inirent stipulationem. Cautum namque de nomine Francisci Massa adhibendo, quia apud omnes mercatores magnam habebat , prout habet in praesens , honestatis opinionem; contra autem plerique negotiatores de nomine Buffetti male opinabantur. Cautum de scutis bismillibus Buffetto suppeditandis quia is , ut facilius forte omnium oculis pulverem valeret offundere , tabernam sibi proposuerat splendidiori instruere apparatu. Cautum denique de praecipua quoad Buffettum obligatione instruendae tabernae ad valorem usque scutorum quatuor millium quia, cum fuerit conventum ,, *potrà il sig. Buffetti far delle tratte sempre in proporzione del suo capitale immesso degli sc.* 4000 *su detto sig. Massa* ,, huic maxima cura erat ut eam pecuniae summam immitteret, non solum ut magis de pecunia sua caveret , verum etiam ne quid res propria caperet detrimenti e collybi literis a Buffetto tractis , et chirographo suo muniendis.

Perperam post haec ad societatem adstruendam quaedam effere bantur verba , quibus in actu produtionis documentorum usus est causidicus qui jura Francisci Massa antea protuebatur:,, *è comparso in cancelleria.... ed ha prodotto un' apoca originale di società firmata li* 20 *ottobre* 1823,, . Primum enim erronea isthaec atque inconsiderata *enunciativa* ,, *contratto di società* ,, quae rei veritati adversatur, neque potest unquam constituere quod reapse non est , neque efficere ut contractus diversam induat naturam et substantiam. Deinde notissimum in foro est patronum, seu procuratorem ad lites constitutum, nullum praejudicium in committendo stupiditate et imperitia sua posse unquam inferre, utcumque id sit quod dixerit oscitanter , vel scripserit.

Inutilius autem gallici negotiatores, ad eregationem rei controversae ostendendam in utilitatem negocii, quamdam proferebant attestationem trium ignotorum hominum , qui deponunt sese in mensa nummularia audivisse ,, *che, dopo contrattate le due pezze di panno , il detto Buffetti ordinò al facchino Lorenzo Coffredi, che le portasse al suo negozio sociale posto alli Gaetani, ed alla nostra presenza il facchino le caricò , e condusse via* ,, Praetermissa enim investigatione quod testes isti , et pendente lite atque ad opportunitatem, sunt expiscati, et nimis affectate perhibent testimonium , semel ac post annum elapsum praecisa verba recordantur , et quidem inverisimilia , quia fieri non po-

test ut quis bajulo rem tradat, eodemque tempore mandet deferendam ,, *al suo negozio sociale* ,, hoc sane prestat animadvertere, ut omnem hujusce furfuris testibus adimat fidem, quod ait bajulus ipse, alter ex testibus adductis a gallicis negotiatoribus, asserens ,, *fui incaricato dai sig. Julien e Lacouture di portare due pezze di panno ai sig. Buffetti e Massa* ,, cum alii memorati testes affirment ,, *che il detto Buffetti ordinò al facchino, che le portasse ec.*,,. Nullam igitur fidem promerentur testes qui inter se conflictantur, qui sunt difformes et contradictorii ,, *Rota decis.* 122 *n.* 22 *cor. Olivatio, et in Romana societatis* 5 *julii* 1751 §. 4 *cor. Amadeo.*

Praeterea neque iidem ullo modo testantur de entitate rei neque de certa erogatione, neque aliunde probatur loco pretii pannorum, qui delati asseruntur ad negotium Buffetti, eam ipsam praecise traditam fuisse colliby literam de qua nunc quaeritur, cum fieri possit ut controversa cambialis alia spectet praecipua et distincta negocia inter Buffettum inita et gallicos mercatores, utque pretium pannorum, numerata pecunia, solutum sit, maxime in specie in qua ejusmodi solutionis praesumptio favet vehementissima, semel ac pacuis ante diebus Buffettus ad comparandas merces acceperat a Massio argentea duo millia.

Caeterum nihil pariter proficerent Julienus et Lacouturius etiamsi constaret de objecta societate. Nam cum liqueat unum Buffettum chirografo suo literam cambialem muniisse, fieri nunquam potest ut eam solvere teneatur Massius, tametsi socius vellet effingi. Obstant enim actioni propositae a gallicis mercatoribus novissima juris mercatorii instituta, quorum vi ad socios obligandos requiritur ut unus ex iisdem tamquam socius contractum obsignet, non quidem proprio et privato, sed Rationis socialis nomine expresso, ceu monet *art.* 21 *cod. commer.* ,, *I socii in nome collettivo, indicati nell' atto di società, sono tenuti in solido per tutte le obbligazioni della società, sebbene vi sia apposta la firma di un solo socio, purchè ciò sia sotto la Ragione sociale* ,,; maxime autem in specie id retinendum, in qua adparet cautum in stipulatione fuisse ,, *che il nome della Ditta corra sotto il solo Francesco Massa* ,,. Secus enim absurdum illud sequeretur nunquam tollerandum fraude, et iniquitate refertum ut Massius omnes dissolvere teneretur obligationes a Buffetto fraudolenter ac pro arbitrio, nomine proprio, initas, quod sane foret et contra stipulationem et contra juris mercatorii instituta.

Et ita, me quoque suffragium ferente, jus redditum est, utraque ec.

**R. P. D. RUSPOLI**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 3 *junii* 1825

ARGUMENTUM

Re pluris, quam valet, vendita ob dilatam pretii solutionem, contractus tanquam continens illicitum foenus, quavis semota laesionis indagine, intra limites dumtaxat justi pretii consistere potest, et ad aequalitatem reduci debet. Foeneratitia conventio neque arbitri sententia, neque transactione, confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Altera ex fraudibus ad tegendas usuras est, ut aliquis merces vendat pluris quam valet ob concessam emptori in solvendo pretio dilationem.*
2. *Quo in casu ex Theologorum sententia et canonico jure contractus ad aequalitatem reduci debet, nec venditor id quod justum pretium excedit, tanquam illicitum foenus, consequi potest.*
3. *Merx quaelibet plus minusque valet quo magis ve minus perfecta reperitur.*
4. *Contractus foeneratitius neque sententia arbitri, neque transactione, confirmari potest.*
5. *Nam partes, consensu, vel transactione, usurae prohibitionem a jure naturali et divino inductam tollere, atque de contractu illicito licitum facere nequeunt.*
6. *Pecunia indigentes viliori semper pretio res distrahere solent.*

## Decisio X.

Pressus angustiis Camillus Randanini, anno ineunte 1823, interposita persona Ezechielis Leonardi, pecuniae vim quaesivit a negociatore Vincentio Rigacci. Hic vero, pecuniam suppeditare recusans, obtulit se potius venditionis titulo daturum butyrum, e Brixia nuper acceptum, habita fide de pretio, dummodo Angelus Randanini, Camilli pater, obligationem suam interponeret. Nutavit primum Camillus: mox vero, cum elequentissimis verbis insinuaret Vincentius optimam mercem ea tempestate facillime vendi

posse, amore incensus erga pecuniam qua indigebat, ad contrahendum faciliorem se praebuit. Conventum hinc quod Vincentius mille quatuor centum butyri libras traderet, constituto pretio obulorum duorum supra viginti in singulas libras; pretium vero solveret Camillus in tot menstruas portiones scutorum viginti, quarum causa tot collybi literae fuerunt signatae. Rebus ita compositis ac tradita merce, eo intendit Camillus ut emptorem inveniret. Et quoniam, morbo correptus, venditionem ille curare nequibat, negocium commisit familiarissimo suo Aloysio Cittadini. Verum omnes qui butyrum inspexerant, ob ejus qualitatem vel ab emptione abhorruerunt, vel parum obtulere. Dolo se deceptum fuisse clamavit Camillus, ac Vincentius, qui e contractu recedere denegabat, rem potius componere sategit, datis compensationis causa scutis quinquaginta. Butyrum inde iterum vendere curavit Cittadinus. Sed, cum ubique difficiles inveniret emptores, urgente necessitate, mercis partem distrahere coactus est pretio obulorum sex cum dimidio in singulas libras, partem vero aliam etiam minoris. At interea temporis Vincentius literas collybi transferre non dubitaverat in quemdam Jacobum Antonilla, qui, adventa solutionis die, cum Randaninii obligationibus non satis fecissent, coram Triumviris A. C. qui tunc de re mercatoria jus dicebant, eos in judicium vocavit. Excepit Camillus contractus nullitatem, quod esset usuraria infectus labe. Tribunal quaestiones una simul cognosci jussit, admisso ad causam Vincentio. Hic prius se butyrum tradidisse loco pecuniae denegavit; et fide quidem non bona: mox vero se rem composuisse contendit, solvendo argentea quinquaginta. At judices rati hujusmodi emptione venditione Vincentium merces foenerasse contra canonum jussa, rem reducendam esse decreverunt ad aequalitatem, ac constituto secundum rerum vel commercii circumstantias butyri justo pretio in obulos novem in singulas libras, Camillum, in summa ad liquidum perducenda tantum, debitorem renunciarunt. Provocatum ad s. Ordinem. Eadem tamen fortuna. Proposita namque quaestione in hodiernis comitiis, Patres minime haeserunt quominus responsum darent: „*Constare de credito Vincentii pro summa liquidanda, nempe calculato butyro in obulos novem in singulas libras, et extendatur decisio.*

Inter alias fraudes, quibus humana aviditas ac ardens rei familiaris augendae cupiditas utitur ad tegendas usuras, illa occurrit qua, ut divus Thomas notat *in* 22 *quaest.* 78 *a* 2 *ad* 7, *aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet.* Quam ob rem theologi, doctores, jurisque periti jussa sequuti Pontificum *in capit. in tua civitate* 6 *de usuris, et in capit. consulit* 10 *eodem titulo*, statuerunt quod, quoties ob dilatam pretii solutionem merces pluris venduntur quam valeant tempore contractus, semota indagine an in pretio constituendo emptores enormiter vel enormissime laesi fuerint, nec ne, obligatio tamen intra limites justi pretii consistere tantum debeat, ac re ad aequalitatem redacta, venditor id quod justum pretium excedit, velut per illicitum foenus conventum, vel extortum, obtinere minime valeat. *Concil. mediol.* 1565, *J. Thomas Pontus* 5 *de usura, Leiman. lib.* 3. *de just. tract., Lessius de empt. et vendit., Rebell. lib.* 4 *q.* 11, *Gonzales in decretal. tom.* 4 *tit.* 19 *cap.* 6 *et* 10, *Pyrring. sez.* 3 *de usuris., Leotardus de usuris q.* 8 *et q.* 24, *Cujac. lib. q. c.* 15, *Mangil. de evict. q.* 171 *et sæpius Rota.* Quae cum in jure essent certissima, opus non erat longa oratione ut probaretur contractum, de quo agitur, hujusmodi juris dispositionibus subjici debere. Duo enim precipua occurrebant in facto quae foeneratoriam labem demonstrabant. Primum quod Vincentius pluris admodum vendere voluerit butyrum quam valeret: alterum quod injustum pretium convenerit, ut foenus quod ab egeno emptore in praemium dilationis obtinere non dubitabat, absconderet.

Et revera ad primum quod attinet, sat erat in mentem revocare butyrum, quod venundatum fuerat pretio obulorum duorum supra viginti in singulas libras, distrahere coactum fuisse Camillum pretio obulorum sex cum dimidio, vel minoris, ut quisquis sibi persuadere posset mercem illam praeter modum in contractu, de quo res est, fuisse aestimatam. Accedebat quod butyrum ea tempestate *andava a buon mercato*, ut testes affirmabant; ac constabat salsamentarios in Urbe notissimos, pretio obulorum sexdecim tantum in singulas libras, palam vendidisse butyrum *di ottima qualità, e romanesco.*

Verum enim vero ne Vincentius quidem poterat amplius in discrimen adducere mercem illam praeter modum fuisse aestimatam, statim ac non denegabat, iis fere diebus, Brixiae butyrum salsamentariis vendidisse pretio duodecim obulorum tantum in singulas libras. Quin illum juvaret testimonium quorumdam qui pretium butyri, ineunte mense februario anni 1823, fuisse narrant duorum supra viginti - *assium* - in singulas libras. Praeter enim quod ii loquuntur de indigena merce, quae pluris, ut fertur, aestimari solet; id erat sedulo animadvertendum quod merx quaelibet plus, minusque valet, quo magis vel minus perfecta reperitur. Qua de re, licet optimum butyrum iis diebus emptorem facile inveniret summo pretio; merx Camillo tradita, quam valde deterioris conditionis praedicabant salsamentarii omnes a Cittadino requisiti, valde minori pretio erat quidem æstimanda.

Quod si vero butyrum plus vendidisse Vincentium constaret, quam valeret, aeque certum erat alterum quod nempe ille, dum ingens pretium convenit, in eo erat consilio ut foenus absconderet, ac ob concessam pretii dilationem lucrum captaret illicitum. Observabant profecto Patres quod cum Ezechiel Leonardi, qui totius rei moderator fuit, Vincentium adiverit ut pecuniam pro Camillo quaereret, re ipsa clarissime proposuerit *di dare quella somma di danaro, ovvero i generi vendibili ad interesse*„. Considerabant rursus Vincentium, cognita Camilli ejusque Patris conditione, paratum se praebuisse ad rem componendam, ac proposuisse quod, recepto loco pecuniae Brixiae butyro pretio obulorum viginti duo, solutionem pretii lubentissime ille expectavisset in ratas menstruas portiones argenteorum viginti. Concludebant igitur hoc modo animum suum satis Vincentium ostendisse contractum, quem proposuerat Leonardus, conficiendi ut praemium ingens dilationis ab homine egestate ac morbo confecto crudeliter obtineret.

Porro ad declinandam juris hujusmodi censuram opponebat Vincentius quod Camillus post contractum argentea quinquaginta recipere non recusaverit compensationis ac transactionis titulo, ideoque hodie non liceret in discriminis aleam rem jam transactam iterum revocare. Inutili tamen studio. Receptum est enim in jure, neque sententia arbitri, neque transactione, contractum foeneratitium confirmari. Cum namque usurae naturali ac divino jure sint vetitae, partes, consensu, vel transactione, usurae prohibitionem tollere, ac ex contractu illicito licitum facere nequeunt juxta doctrinam *Roderiq. in q.* 16, *Pyring. Tyraquel. de Retract. l.* 2, *et Leotard. de usuris q.* 98 *n.* 19, *et Rota in Rec. dec.* 401 *n.* 54 *p.* 16 „. Qua de re, quaecumque sit ratio cur Camillus argentea quinquaginta receperit, poterit quidem ad restitutionem compelli a Vincentio, sed contractus, qui vitium secum ferebat, hoc modo ab foeneris labe purgari nequibat.

Quibus positis, cum firmum maneret quod res esset ad aequalitatem reducenda, illud tantum restabat ut constitueretur quanti merx tradita aestimanda re ipsa esset contractus tempore. At Patres, dum considerabant quod, in statuendo justo mercis pretio, nullo auxilio esse poterant venditiones a Randaninio factae ( siquidem pecunia indigentes viliori semper pretio res distrahere solent ut quaerant pecuniam) standum aeque non esse æxistimabant pretio obulorum duodecim in singulas libras, quo Rigaccius Brixiae butyrum ea tempestate vendiderat, quod melioris esse qualitatis praedicabatur. Quapropter mediam secuti viam, judicium ita temperare autumarunt ut butyri pretium ratione obulorum novem in singulas libras esset supputandum. Quae cum ita se haberent, cum, ut paullo ante dictum est, Randaninio rum obligatio consistere deberet in eo quod vere datum est, plano velut alveo fluebat Vincentium jure in Camillum agere potuisse ut justum mercis pretium ac argentea quinquaginta quae, numerata pecunia, Camillus receperat, consequi posset: ideo, duce justitia, Patres ex utroque titulo creditum ejus favore exsurgere judicarunt pro summa in posterum ad liquidum perducenda.

Et ita etc., utraque etc., me quoque suffragium ferente.

R. P. D. PIANETTI

FULGINATEN.

*Lunae* 19 *junii* 1827

ARGUMENTUM

Inita societate ad certum tempus, cum pacto ut ipsa per idem tempus renovata intelligatur, quoties nulla ante ejus finem intra certum terminum disdicta emissa fuerit, si disdicta nunciatur extra praefinitum terminum, nihil afficit, et societas secundum pactum conventum progreditur.

*SUMMARIUM*

1. *Citatio, quae nullum praeseferat propositae actionis titulum, nullitatis vitio laborat.*
2. *Quaestio circumscriptionis, quando juncta est cum negocio principali, ab hoc pendet omnino secundum* s. *Ordinis praxim.*
3. *Disdicta extra tempus emissa nihil afficit, et pro infecta habetur.*
4. *Ex more mercatorum partitae omnes, quae ad universam pertinent negociationem, recensentur* nel libro mastro.
5. *Nefas est contra proprium factum insurgere.*
6. *Socius, e societate injuria ejectus, redintegrandus est, eique damna reficienda.*

## Decisio XI.

Vir, honestate atque religione probatissimus, Claudius Grampini, fulginas, sociale iniit negocium cum Angelo Trasciatti multis ab hinc annis mercaturam eadem in civitate exercente. Syngrapha igitur constituitur, ut Angelus rem socialem in vi scutorum quindecim mille *parte in tanta cera . . . e parte in droghe* immitteret, et ut Claudius operam praestaret, annuo eidem constituto salario scutorum centum quadraginta, nec non medietate utilium „ *che in ogni anno vi saranno al di sopra del dieci per cento* „. Hisce vero alia duo adduntur pacta durante societate omnino servanda, alterum scilicet ne unquam imminueretur pensio Grampinio praestanda, et alterum ne liceret Trasciatto vel quidquam „ *di togliere o diminuire il capitale immesso di scudi quindicimila* „. Tandem quoad societatis diuturnitatem cautum est: „ *I presenti capitoli cominceranno ad aver vigore sotto questo presente infrascrito giorno* ( 24 *aprile* 1820 ) *e dureranno per anni cinque, con patto che quello che, finito il quinquennio, non vorrà continuare, debba fare la disdetta sei mesi prima; altrimenti s' intenderanno gli stessi capitoli rinnovati per un altro quinquennio, e così di quinquennio in quinquennio finchè non sarà fatta la disdetta* „. Quamvis vero ex altero articulo enunciatae conventionis, socialis Ratio personam exhiberet Angeli „ *presso il quale dovrà essere la firma e la cassa del suddetto negozio* „ tamen mense julii ipsius anni 1820 amplissimum dedit Angelus procurae mandatum Claudio Grampini „ *a poter per esso ed in sua vece e nome agire e trattare tutti e singoli interessi concernenti il di lui negozio, far contratti di qualunque specie, firmare ordini e cambiali, ritirar somme e quietanzare, e far tutt' altro che potrebbe fare esso stesso.*

Absque dissensione optime res cessit per integrum quinquennium, nec ullum nunciam, hoc volvente, mittitur Grampinio pro dissolvenda societate. Sed extemplo Angelus Trasciatti in contentionem vocat Claudium Grampini, et, hoc a sociali negocio amoto, obtinet ex decreto tribunalis ut apponeretur negotio ipsi administrator Caesar Pizzonius, qui et socialis negocii claves penes se retineret. Hic vero, nulla prorsus cautione praestita, nulla emissa obligatione de bene et fideliter administrando, rem socialem suo arbitrio tractavit: quin imo constat tabernae et promptuariorum claves, quae ab ipso, juxta tribunalis decretum, erant retinendae, Trasciatto tradidisse. Quod cum Grampinius videret, justissime et quantum potuit, apud illos judices contendit ut duae apponerentur promptuariis socialibus claves, una a se, atque altera a Trasciatto retinenda. Antequam vero de hujusce petitionis justitia tribunal cognosceret, nova excitatur per Trasciattum contentio super nullitate missae citationis, et tribunal suo decreto favore ipsius respondit. Altera praeterea interlocutoria accessit contentio, quae versabatur super nullitate alterius citationis a Trasciatto missae Grampinio ut hic infra diem veniret in judicium, et decretum audiret pro sua remotione ab administratione negocii socialis, et haec quoque contentio altero decreto fuit favore Trasciatti excepta. Tertia denique interlocutoria promota est super examine alterius ex multis adductis testibus, et etiam in hac victor discessit Trasciattus apud judices illos. Litteras Rotales adversus haec decreta a me petiit, obtinuitque Grampinius, et, sub die decima superioris aprilis, placuit Dominis meis de turno una me-

cum suffragium ferentibus *illas servare*. Res igitur ad nostrum Ordinem delata, tres hodie proposui contentionis articulos, duos scilicet per interlocutoria rescripta dimissos, et de quibus hic sermo non redit; tertium vero per definitivam sententiam absolvendum, de quo hic res est.

Totius controversiae exordium est in citatione missa ab Angelo Trasciatti ad Claudium Grampini die 11 augusti superioris anni, et sub die 16 ejusdem mensis *reproducta*, ut ajunt, ut coram juridicis de commercii rebus decernentibus sisteret, vix illi dato spatio „ *di un giorno* „. Haec vero instantia eo consilio proposita ut Grampinius a taberna dimoveretur, ut subito factum est. De hac igitur citationis circumscriptione et injustitia agitur, et de effectibus subinde obventuris; quae omnia Patres definierunt responso: „ *Circumscripta citatione diei* 16 *augusti* 1825 *per viam nullitatis, esse locum continuationi societatis, emendationi damnorum in summa liquidanda, et ad dominum Ponentem pro deputatione periti mercatoris, et extendatur decisio.*

Prima igitur contentionis pars versatur super circumscriptione citationis diei 16 augusti superioris anni. Et Patres definierunt eamdem esse per viam nullitatis circumducendam. Hac citatione, vix dato spatio unius diei ad comparendum, Trasciattus vadatus est Grampinium „ *qualmente il suddetto sig. istante non intende ulteriormente servirsi dell' opera ed assistenza del notificato per la direzione ed andamento del negozio; e perciò si protesta che da oggi in poi non debba più correre salario alcuno al medesimo intimato . . . . . quindi si cita il suddetto signor Claudio Grampini, e per esso il signor Domenico Buccioli suo procuratore a comparire alla prima udienza dopo un giorno.* De hujusce citationis nullitate statim quaestus est Grampinius apud tribunal commercii, „ *atteso che nella detta citazione sono stati conculcati i termini a comparire voluti dall' articolo* 50 *della vigente Riforma, e siccome il successivo articolo* 107 *della detta Riforma stabilisce la nullità di tutti quelli atti che fossero stati fatti in contravenzione del disposto della legge, venir così dichiarata la nullità dell' enunciato atto di citazione* „. Duobus igitur fulcitus articulis pragmaticae legis, instetit Grampinius pro actus nullitate, et quidem merito.

Aperte enim loquitur lex in artic. 50: „ *In fronte alla citazione dovrà notarsi il giudice o tribunale avanti il quale dovrà il citato comparire . . . dovrà contenere l' intera domanda che si promove, enunciando brevemente i titoli ai quali è appoggiata* „. Atqui, si controversam citationem in
1 summa, vel in ima cera, leges, datum tibi non erit nullum invenire titulum petitae expulsionis. Nihil aliud enim invenies quam instantiam et legem eo consilio propositam, ut institor et socius Grampinius, neque culpa neque dolo arguendus, a taberna dimoveretur: atqui ex artic. 106 ipsius codicis habes praeceptum: „ *qualunque contravenzione si commetta alle disposizioni della presente procedura, induce la nullità dell' atto non fatto secondo il prescritto dalla legge* „: ergo firmum est controversam instantiam esse omnino circumducendam, veluti Patres constituere. Caeterum quidquid adversus hanc Ordinis nostri definitionem excipi possit, illud certum immotumque in facto est hanc circumscriptionis quaestionem fuisse, ex praecedenti rescripto diei 10 superioris aprilis, et ex posterioribus instantiis a Grampinio propositis, una cum negocio principali junctam: hinc ex constantissima nostri
2 Ordinis praxi planum est illius circumscriptionem ex negocio principali omnino pendere „ *Rota in dec.* 121 *num.* 1 *coram R. P. D. Gamberini nuno episcopo urbevetano, et in Melevitana cappellaniae super circumscriptione* 17 *januarii* 1817 §. 2 *coram Emin. Odescalchi, et in Verulana circumscriptionis super septimo dubio* 16 *februarii* 1818 §. 5 *coram Eminent. Bussi, et in Romana cambii super circumscriptione* 21 *januarii* 1822 §. 2 *coram R. P. D. meo Isoard, et in Spoletana super circumscriptione* 8 *martii* 1824 §. 2 *coram me* „. Cum igitur undique scateat injustitia ipsius istantiae, hinc in dubium adduci non potest eamdem esse ad nihilum redigendam.

Eo enim spectabat contraria instantia ut Grampinius e societate penitus removeretur, quod injuste petitum a Trasciatto fuisse monstrat altera hodierni responsi pars, qua definitum: „ *Esse locum continuationi societatis* „. Clamabat enim Trasciattus „ *qualmente non intende ulteriormente servirsi dell' opera ed assistenza del notifi-*

*cato (Grampini) per la direzione ed andamento del negozio sudetto, e perciò si protesta che da oggi in poi non debba più correre salario alcuno al medesimo intimato*„: quod quam fuisset injustum aperte monstrabat ipsius societatis apocha per quiuquennium omnino probata, servataque. Recito enim apocham „: *I presenti capitoli incomincieranno ad aver vigore sotto questo giorno* (24 *aprile*) *e dureranno per anni cinque con patto che quello che, finito il quinquennio, non vorrà continuare, debba fare la disdetta sei mesi prima, altrimenti s' intenderanno gli stessi capitoli rinnovati per un altro quinquennio* „. Atqui quinquennium omnino excesserat, et nullum unquam miserat Trasciattus nuncium Grampinio pro dissolvenda societate: ergo ex pacto convento „ *s' intenderanno gli stessi capitoli rinnovati per un altro quinquennio* „. Nihil igitur incivilius fingi potest, quam instantia pro hac dirimenda societate. Scitum enim in jure est quod disdicta extra tempus emissa nihil afficit, et pro infecta omnino habetur „ *Rota in Perusina spolii* 30 *aprilis anni* 1802 §. 3 *cor. Bayane.*

Neque vero arguendus est Grampinius vel de fide non bona, vel de mala rerum socialium gestione. De religione enim et honestate hujusce ingenui viri incluctabile perhibet nobis testimonium Fulginei magistratus, et parochus, et s. Inquisitionis officiale, et ipse episcopus, qui testantur non modo numquam fuisse ullo, vel levi, crimine culpatum, sed deponunt illum esse „ *persona proba, e di regolare condotta e lodevole* „; nec non „ *costa per pubblica fama essere sempre stato presso tutti stimato, ed ammirato nel retto procedere* „ ac praeterea „ *il medesimo ha frequentato i santissimi Sagramenti . . . . e l' ho veduto esercitarsi in quelli atti di religione, che sono proprii d' un cristiano veramente cattolico* „. Praesumendum igitur non est virum tam probum, socium fraudasse, vel rem socialem male tractasse. Neque vero de ejus peritia dubitandum, cum Matthaeus Candiotti, cui in anteactis temporibus suam praebuerat operam, deponat quod Grampinius semper „ *si è diportato con esattetta, onestà e diligenza non avendomi dato motivo di lagnanza* „. Caeterum ad haec magis magisque probanda, huc illuc quaerendum non est testimonium, cum ipse Trasciattus, post initam societatem, eidem dederit amplissimum procurae mandatum ad omne negocium tractandum, etiam cum caeteris negociatoribus, et cum per integrum quinquennium illud nunquam revocaverit; et cum ex confessione ipsius Trasciatti pateat, primo biennio ita negocium viguisse ut, deductis impensis, deducto salario ipsi Grampinio solvendo, deductis utilibus „ *del dieci per cento* „ uni Trasciatto tribuendis, tantum adhuc superfuisse lucri ut unicuique ex sociis essent addicenda scuta millequingentum nonaginta. Quibus accedit pergrande lucrum quod, ex Pizzonii inventario apparet, fecisse Trasciattum, et negocium sociale, atque opera et diligentia unius Grampinii. Hinc mirum non est, si minister negocio addictus de fide, honestate, atque peritia Grampinii deponit. Quod vero si in re sociali aliquid deficiat, redarguendus quidem non est Grampinius, cum instructissimi testes de facto proprio deponant Trasciattum vidisse quotidie in officina morari, et contractus perducere, et cambiales literas acceptas habere, et claves apothecae penes se retinere; et Grampinium semper, et consilio subalterno ministro, et facto suo viderint pendere ex arbitrio ipsius Trasciatti; quin imo ex factis et testium depositionibus subtractum esse nonnihil, fide certe non bona, a Trasciatto ipso videtur; ut proinde si quid deficiat, isti potius, quam Grampinio esset imputandum. Inutile igitur diffugium hac exceptione quaerit Trasciattus pro dissolvenda societate, cum et malam gestam administrationem non modo non probet, sed et contrarium omnino appareat, et ex testibus omni exceptione majoribus, et ex facto etiam suo veluti ad rem observat „ *Rota in Romana, seu Veliterna reintegrationis* 5 *julii anni* 1822 §. 4, 5 *et* 7 *coram me.*

Et aliud frustra quaerit diffugium Trasciattus ad Grampinii infidelitatem comprobandam in quodam Pizzonii testimonio contra socialium librorum regularitatem, dum iste in nonnullos libros minoris notae acriter insurgit, libros vero principes, uti sunt „ *libro delle mercanzie in viaggio, il libro maestro*, quibus ipse usus est ad negocii inventarium perficiendum, in discriminis aleam non revocavit. Cum autem in codicibus istis ac

praesertim „ *nel libro mastro* „ partitae omnes ex more mercatorum recenseantur, quae ad universam pertinent negociationem, hoc ipsum satis est ad fraudem excludendam. Accedunt his testimonia mercatorum cum socialli negocio rem habentium, qui ob accuratum librorum ordinem, sociale ipsum negocium utpote diligenter administratum laudibus multis commendarunt. Grampinii demum solertia et diligentia in hisce libris conscribendis apparet ex ipsus Trasciatti facto, cum in foliis obsignandis, quae prioris biennii negociationem respiciebant, necessario universos negociationis libros latissime comprobavit. Cum autem semper Trasciattus socialli negotio praefuerit et omnia pro suo lubitu egerit, ut supra dictum est, atque exercuerit, praesumptio urget ut dicamus, libros etiam, eo probante, fuisse a Grampinio conscriptos. Nefas ergo Trasciatto contra proprium factum insurgere, et quod ipse vel egit, vel adprobavit in discrimen adducere.

Cum igitur constet de societatis continuatione, sponte sua fluit „ *esse locum emendationi damnorum in summa liquidanda*». Summa enim injuria ejectus est Grampinius a sociali negocio: ergo damna eidem obventa sunt omnino a Trasciatto sarcienda. Nec valet regerere facto potius suo, quam ipsius Trasciatti, abiisse Grampinium a societate. Quamvis enim nonnullae praecesserint petitiones a Trasciatto promotae de retinendo „ *libro di cassa* „ de summa aliqua exacta; tamen hae extraneae visae sunt Patribus omnino a themate. Ex apocha enim patet, arcam socialem et pecuniam exactam manere debuisse penes Trasciattum „ *presso il quale ( Trasciatti ) dovrà essere la cassa ... ogni settimana sarà depositato nella cassa del signor Trasciatti tutto l'introito del negozio*„. Si vero in posterum ex procurae mandato potestatem Grampinio fecit Trasciattus vel exigendi pecuniam, vel pecunias exactas retinendi, aget ex mandato, vel alia quavis de causa praeter socialem: sed actiones inter se maxime diversas non confundat.

Merito igitur statuerunt, incaeptum judicium dicendum esse citatione illa missa ab Angelo Trasciatti ad Grampinium die 11 augusti, cujus summa fuit, se nolle amplius Grampinium habere tamquam socium, et ut a taberna hic dimoveretur, ut subito factum est decreto altero deputationis administratoris Caesaris Pizzoni, qui munus suscepit, non emissa, ut par erat, idonea cautione et obligatione de bene procuranda re aliena. Grampinius non sponte sua, sed aegro animo, ne rixae orirentur, illatae vi fasces submittere visus est, ab acquitate et justitia Ordinis nostri remedium postulaturus. Dicendum igitur non est; proprio marte discessisse ab officina, cum ex judicis decreto deputatus est administrator; sed ad id coactum injuria fuisse: ergo indemnem esse reddendum nemo dubitabit unquam.

Patres vero definierunt „ *damna esse sar-*
6 *cienda in summa liquidanda, et ad D. Ponentem pro deputatione periti mercatoris*„. Redintegrandus enim est Grampinius ad possessionem; sed ne, dissociatis animis, scandala obveniant, censuerunt Patres ut male multato socio damna sarciantur, quae ad liquidum judiciarius peritus inter mercatores a me seligendus rite recteque deducat. Voluerunt praeterea Domini mei ut, ad precidendas alias quaestiones, deleganda mihi esset facultas qui probum hominem deputarem, ut negocium sociale administret, praemissa descriptione status tabernae mercatoriae, et exhibitis libris aliisque idoneis documentis: cunctis exploratis a perito mercatore, compertum erit quae damna praecise emendanda sint honestissimo Grampinio institori; quae lucra vicissim illi debeantur.

Et ita utraque etc.

**R. P. D. RUSPOLI**

ROMANA LITERÆ CAMBIALIS

*Mercurii* 2 *augusti* 1826

ARGUMENTUM

Gyratarius qui vi majori impeditus cambialem literam intra legitimum terminum protestare nequivit, sed tunc primum id perfecit cum ei data fuit perficiendi potestas, jura sua adversus gyrantes non amittit; eoque magis si necessaria protestationis cunctatio nullum cuipiam detrimentum attulit.

*SUMMARIUM*

1. *Qui literam cambialem recepto pretio in alium transfert, nisi opportuno tempore et loco fiat so-*

*lutio, regressum praestare debet praetiumque literae una cum accessionibus ex mercatorum usu restituere.*

2. *Gyratarius qui intra legitimum terminum cambialem literam non protestavit, jura sua contra gyrantes amittit.*
3. *Limita, si fuerit vi majori impeditus, et tunc primum protestationem peregerit, cum ei peragendi potestas fuit, et num.* 4 *et* 12.
4. *Nulla est impossibilium obligatio.*
5. *Ex cambialium negociorum indole qui de aliqua vel rejecta, vel non soluta cóllybistica litera protestatus est, continuo ad eum qui literam misit proximo nuncio editae protestationis documentum remittit.*
6. *Iniquum esset eam insontibus irrogare poenam, qua negligentes dumtaxat et rei merito afficiantur.*
7. *Sepissime accidit in re cambiaria, ut in unum eumdemque hominem duplex* gyratarii et tractarii *persona conjungatur*
8. *In protestationis processu literae transcribendae sunt cum omnibus adjunctis, quod fieri nequit nisi ipsae adsint literae.*
9. *Ejus necessitatis est actus protestationis ut nullo alio ne judiciali, ne accuratissimo quidem suppleri possit.*
10. *Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitnr in quo ut solveret se obligavit.*
11. *In contractibus id sequimur quod in regione in qua actum est, frequentatur.*
12. *In edendis cambialium protestationibus modus, forma et tempus adhibetur obtinens in regione in qua literae repraehesentandae et solvendae sunt.*
13. *Necessaria ex vi majori protestationis cunctatio eo minus tollit jura gyrantis, cum constet eam nullum cuique attulisse detrimentum.*

## Decisio XII.

Cambialem litteram florenis numero octingentis, intra quintum et septingesimum diem Augustœ Vindelicorum reprehesentandis, apud mensam nummulariam *Carli ac Sociorum*, Neapoli dederat *sub die* 25 *mensis octobris anni superioris* Januarius de Simone „ *all' ordine S. P. del signor Emanuele Gnecco* „, qui in ipsa civitate Neapoli argentariam exercet. Hic autem in alios eodem nomine *Gneccos*, eodemque mercaturae instituto, Romam transtulerat; a quibus cessa postmodum sub die 18 novembris „ *per valuta cambiata* „ florentissimae nummulariae Urbis, quam paterno nomine „ *Costantino Conti* „ Joseph, ejus filius, fide et opibus apud omnes spectatissimus, in dies auget. Ipse vero ad eosdem Carlios Augustam remisit, interposita cessione in haec verba „ *per me a voi sigg. medesimi, valuta in conto* „ : quemadmodum in re cambiaria frequenter accidit, ut cambiales litterae in eumdem illum transferantur, qui solvere debet, quique duplici functus persona *tractarii*, ut vocant, et simul *praesentantis*, solvat idem litterae pretium, idemque accepto ferat, atque ita pecuniam, quam *trahenti* debebat, scribat in creditum *remittenti*, cujus in ea re negocium gerere reputatur.

Cessurus erat solutionis dies *sub die lunae* 9 *januarii hujus anni*, quo numerus ille dierum *septuaginta quinque* complebatur; sed propter cambiarias Augustae Vindelicorum leges, quae, posthabitis veniae diebus qui olim concedebantur, tum *ob exigendas*, tum *ob protestandas* litteras, unum diem mercurium, nisi feriae impediant, constituunt, non ante *undecimum januarii diem* legittimum exactionis tempus veniebat. At praeter omnium expectationem contigit ut, illo eodem die, mensa nummularia *Carli*, quae ab annis centum maxime floruerat, improviso defecerit. Itaque incredibili celeritate statim *mane illius diei* ex decreto *augustanorum judicum*, qui mercatorum controversias cognoscebant, occlusa mensa, appositisque judicialibus signis „ *le chiavi del medesimo scrittorio, come anche quelle della cassa furono consegnate al tribunale* „ prout ex ipo occlusionis processu constabat. Postridie autem electi „ *i curatori provvisorii della massa degli interressati nel fallimento* ; quibus in proximum diem 13 januarii „ *avendo ritrovati intatti li sigilli apposti dal tribunale, questi furono levati, lo scrittorio ed armadio parimenti disigillato, fu consegnato ai predetti curatori per incominciare i loro affari* „. Quamobrem id evenit quod quisque facile existimaverit, nequivisse in illo rerum anfractu inopinatae decoctionis et occlusionis mensae, cambialem litteram judiciali signo compressam exhiberi *ad solutionem* obtinendam, vel *protestum* ( uti loquuntur ) assuetis formis interponendum.

Sed vix curatoribus facultas oblata est ejus rei perficiendae, continuo illi *sub eodem die* 13 *januarii*, adhibito regio notario, serva-

tisque loci solemniis, perfectum undique protestationis actum ediderunt, illumque proximo tabellario, una cum improvisa decoctionis notitia ad Contium remiserunt. Igitur sine mora idem *computum regressus* ad Gnecos *eedentes*, sive *gyrantes litterae* transmisit, qui nulla interjecta cautione professi sunt „ *di avere come legalmente notificato il protesto e conto di ritorno* „, quo de indemnitate etiam praestanda minime dubitare se velle videbantur. Sed postmodum, quavis denegata solutione, res in judicium deducta est, quam ex decreto diei 18 elapsi mensis martii, unanimi consilio, *pro actore regressum postulante* definierunt tres viri, qui *primis actionibus* mercatorum controversias in Urbe definiunt. Nec profuit argentariis Gnecco ad nostrum Ordinem provocasse. Cum enim post multas comperendinationes, ex utriusque partis consensu, hodie demum, breviori oblato libello, DD. meos de turno, quid de re sentirent, interrogaverim, me una cum iis suffragium ferente, prodiit responsum„: *Esse locum solutioni litterae cambialis, una cum cambiis et recambiis, et expensis etiam extrajudicialibus*„; placuitque insuper, ex rei gravitate preter morem in istiusmodi generis disputationibus, quae de plano ac celeriter conficiuntur adjicere„: *Extendatur decisio* „, ut nempe apertum esset quibus rationum momentis judicium constiterit.

Nam illud primo loco satis in foro, et apud omnes, peraeque obtritum ac pervulgatum occurrebat quod qui litteram cambialem, 1 recepto pretio, in alium transtulit, velut is qui nomen non *pro soluto*, sed *pro* solvendo tradidit, necesse est ut regressum praestet, *praetiumque* litterae una cum *accessionibus* ex negociatorum usu restituat, nisi opportuno tempore et loco fuerit eo nomine satisfactum. Quare cum ex facto minime dubitaretur, quin cambialis littera, quam argentarii Gnecco in Contium transtulerant, haud impleta fuerit *sub die* 11 *praeterlapsi mensis januarii* quo solutionis tempus advenit, necessario ex generali regula consequebatur ei cui spes solutionis ablata est, scriptam pecuniam cum assuetis lucris esse tribuendam „ *Franch. instit. jur. cambial. lib.* 1 *sect.* 2 *tit.* 5 *num.* 29, *Heinnec. elem. jur. camb. cap.* 6 § 2 *et* § 7, *Casareg. de commerc. disc.* 53 *num.*3, *Rota Florent. dec.* 41 *num.* 18 *apud Contium*, *Baldasseroni part.* 2 *art.* 16 *num.* 1. Veruntamen objiciebant qui a reorum partibus erant, mutua utrinque esse tum *gyrantium* ( quemadmodum apud mercatores appellantur ) tum *gyratariorum* onera, *illorum* ut pecuniam loco et tempore repraehesentent, *horum* ut cambialem litteram iisdem loci temporisque conditionibus *ad acceptationem* vel *solutionem*, secus vero ad *protestationem* agendam, ex consuetudine regionum exhibeant; qua in re cum per biduum possessorem litterae cunctatum fuisse contenderent, 2 quodlibet idcirco redintegrationis jus eidem denegabant fulti auctoritatibus – *Doufour le parfait negociant tom.* 1 *pag.* 206 *et* 217 *Pardessus tratt. del contratto e lettere di cambio tom.* 1 *cap.* 6 *sez.* 3, *Fournel. cod. de commerce pag.* 120 *not.* 1, *Sirey cod. di commercio annotato delle disposizioni legislative etc. ediz. neapol. tom.* 1 *pag.* 186 *not.* 1 *e* 2.

Sed quamquam illa quae, summa contentionis vi, de diligentia ac sedulitate a litterarum possessoribus praestanda proferebantur, vera generatim essent, nihilo tamen minus Patres animadvertebant eadem huic rei nostrae accommodari non posse, cum Con- 3 tius actor, vel qui ejus personam Augustae Vindelicorum induebat, *majore* vi, a litera de qua quaestio est, protestanda fuerit praepeditus, neque omnimodae diligentiae pepercerit, ubi primum rei perficiendae potestas fuit. *Cessisse* namque solutionis diem *sub die lunae* 9 *januarii*, sed non ante *undecimam mercurii lucem* vel solutionis, vel protestationis diem *venisse*, cum ex apertissima partium consensione atque ex mercatorum omnium gentium testimonio colligebatur, tum praesertim, nulla interpretis ope, palam eruebatur ex jure commerciali, quod Augustae Vindelicorum obtinet, per quod, deletis ibidem veniae diebus „ *è destinato in ogni settimana il mercoldì per giorno di pagamento* „, ac rursus „ *a motivo del non seguito pagamento non si può protestare prima, se non se il giorno del pagamento* „. Atqui illo ipso *die* 11 *januarii*, quo litterae cambialis implementum ur-

geri poterat, renunciata ante meridiem, ut supra narratum est, mensae nummulariae Carli defectione, quae tractarii simul et praesentantis personam praeseferebat, et illatis judicialibus signis remotisque clavibus tum „ *dello scrittorio* „ tum „ *di tutte le casse, libri, carte, mobili, masserizie e quello che appartiene generalmente alla facoltà del negozio* », quisque videt impossibilem omnino fuisse ab eo solutionem assequi, qui aerariis rationibus exhaustis, casuque miseserando perculsus, foro dimissa fronte cedere cogebatur, itemque literam illam protestari quam imperium judicis, signa, claves solemneque interdictum praeoccupaverant, quamque nemo ullus privata vi, sine crimine, extrahere potuisset.

Atqui » *nullam esse impossibilium obli-*
4 *gationem* » perpetua docuit juris universi doctrina ante ipsum monitnm jurisconsulti in *leg.* 85 *ff. de reg. jur.*, quam apposite in cum casum quo quis vel morte oppressus, vel ita febri afflictus, ut sui compotem esse non sinat, vel alia quavis majore vi impe-
5 ditus insolutae litterae protestationem edere non potuit, modo id non deserat ubi primum poterit, merito invocant commercialis juris scriptores, quos inter ex professo *Franch instit. jur. camb. lib.* 1 *sect.* 4 *tit.* 2 § 6, *Phoonsen loix et coutumes du change chap.* 11 § 2, *Savary dictionnaire univ. de commerce articl. protet.*, *Pothier del contratto di cambio ediz. milan.* 1810 *tom.* 1 *pag.* 163 *num.* 144. Quae eadem quidem juris regula, cui non modo prudentum auctoritas, sed ipsa naturalis ratio vehementer adsistit, tutius in rei nostrae speciem erat amplectenda, in qua litterae praesentator, vel curatores mensae, qui quodammodo ejus munere fungebantur, judicialis illius ac necessariae cunctationis impatientes, vix ab ea expediti, ne minimum quidem temporis frustra labi passi sunt, sed legalem protestationem, cunctis ex loci consuetudine adhibitis formis, celeriter extulerunt, ejusdemque rei testimonium, una cum defectionis Carliorum notitia, per tabellarium proximum renunciarunt. Siquidem ea est istiusmodi negociorum indoles ut qui de aliqua, vel rejecta, vel non impleta collybistica littera protestari coactus fuerit, continuo ad eum qui litteram misit, editae protestationis documentum proximo nuncio remittat. *Phoosen chap.* 13 § 5, *Heinec. elem. jur. camb. cap.* 4 § 31, *Du Puy chap.* 14 § 22, *De la Porte la banque rendue - facile, Casaregio cambista istruito cap.* 6 § 26.

Quamobrem, utut graves, utut severae negociatorum partes in exhibendis literis ostenderentur, quantum fatales protestationum dies nuncupare fas esset, nihil tamen iis rebus ei metuendum videbatur, cui legittimum impedimentum adfuit, cui nihil defuit diligentiae: iniquum namque esset et a commercii fide et judiciorum aequitate prorsus abhorrens ut ea insontibus paena irrogaretur,
7 qua negligentes tantummodo, quique ab officio quoquo modo desciscunt, merito afficiuntur, ex notissima sanctione *legum* 20, 24 *et* 40 *ff. de negoc. gestis*, quas exornant *Franch lib.* 1 *sect.* 4 *tit.* § 24, *Heinec. elem. jur. camb. cap.* 4 § 22, *Scaccia de commercio et cambio* § 2 *glossa* 5 *num.* 318, *Turre de camb. disput.* 2 *quaest.* 11 *num.* 30, *Rocc. respons.* 5 § 3, *Casareg. de comm. disc.* 54 *num.* 9 *et* 10 „. Inani autem studio ad aliquam culpae imaginem effingendam, argentariorum Gnecco oratores contendebant non fuisse *illo die* 11 *ja-*
6 *nuarii* eo usque expectandum, dum antemeridiana illa obsignatio perficeretur, sed cito urgendam maturo mane littterae solutionem, edendam protinus protestationem. Si enim aderat Augustae lex, quae vetabat » *a motivo del non seguito pagamento protestar prima, se non se il giorno del pagamento* », si jubet rei natura ut recusatio protestationem precedat, et congruum tempus tum recusanti, tum protestanti tribuatur; si nihil tam insolens quam, illo ipso die qua solutio cedit, fere noctu ad debitoris januam properari, quisque facile intelligebat ita eo loci rem esse moderandam ut, pleno scilicet manente die, sit procurandis exactionibus locus, sole autem vergente ad occasum, protestationum actibus perficiendis: quemadmodum augustani mercatores testabantur » *essere costumanza locale che il protesto di moneta contante debba essere levato la sera del giorno del pagamento, talchè un protesto fatto la mattina per tempo era impraticabile.*

Neque minus erat absurdum illud alterum quod ex opinione quorundam genuensium mercatorum obtrudebant, nequivisse Josephum ad eumdem *tractarium* litteram exigendam remittere » *onde evitare qualsivoglia possibile inconveniente* » quasi scilicet casus ille qui perculit nummulariam Carli, quae diutius seculo florentissima steterat, qui signa in eamdem contulit, foresque ex improviso firmavit, non eodem modo et facilius etiam cuipiam alio contingere potuisset. In quo quidem ipso, minus profecto ille fuit reprehendendus qui id admisit quod est plane apud omnes mercatores usitatum, frequentissimum
8 namque esse in re cambiaria ut in unum eumdemque hominem duplex una simul *gyratarii, et tractarii persona conjungatur* - *Du Puis delle lettere di cambio cap.* 4 § 21, *Franch inst. jur. cambial. lib.* 1 *sect.* 4 *tit.* 5 § 12, *Phoonsen. loix et coutumes du change posit.* 11, *Rosa Florent. dec. inedit. del foro toscano tom.* 1 *decis.* 10 *num.* 3 ». At rursus objicebatur, ex eo quod littera exhiberi non poterat, id minime impedimento esse potuisse quominus etiam sine illa aliquis protestationis actus gereretur, exemplo nimirum illius qui litteram amisit, quem ab ineunda protestatione minime liberari sentit. *Pothier trat. del cambio tom.* 1 *pag.* 145 cujus sententiam refert, *Dufour le parfait negociant tomo* 1 *pag.* 120.

Verum quidquid forte esset eo in casu reputandum, de quo vel *Pothier*, vel *Dufour* ille loquuntur, quo in ipso non sine aliqua contentione fortasse istorum sententia probaretur, ob necessitatem ex jure commerciorum universo transcribendae litterae in
9 protestationis processu, cum omnibus adjunctis, id quod, nisi tenor suppetat praesentis litterae, fieri certe non potest *Phoonsen cap.* 11 § 16, *Franch. lib.* 1 *sect.* 4 *tit.* 1 §. 21, *Baldasseroni leggi e costumi del cambio part.* 2 *art. num* 11 „ praesertim vero, cum ejus necessitatis sit actus is-
10 tiusmodi genus ut nullo alio, ne judiciali, ne accuratissimo quidem extra genus illud suppleri possit „ *Mens. consult.* 128 *num.* 8, *Scaccia* § 7, *Glossa* 2 *num.* 3 *in fine*, *Casareg. cambista istruito cap.* 6 §. 20 *et* 21, *Savary dictionnaire universel. de comerce ver. protet.* „ illud profecto satis in rem nostram esse respondebatur quod in specie longe ab ea diversa versaremur, quam duo *Auctores* illi fingunt, in ea nempe in qua non de littera „ *egarèe* „ agebatur, sed quae praesens admodum erat, nec tamen ob justam causam ostendi poterat, in qua non era diu expectandum dum novae litterae in deperditarum locum, ut fieri solet, evocarentur, sed prope diem ipsa quae extabat erat exhibenda, in qua demum vehemens illa, si qua numquam, urgebat loci dispositio „ *che il notaro deve impegnare personalmente ogni attenzione alle circostanze del fatto onde inserirle, tanto nel protesto, quanto nel protocollo, copiando con la maggior diligenza tutte le cambiali che gli venissero communicate* - . Quod si protestationis actui suppleri aliquo modo potuisset, placuit Patribns animadversio augustanorum negociatorum, ne illam rem quidem fuisse posthabitam, quandoquidem, ipso augustanorum negociatorum ordine testimonium ferente, indubium erat - *che ad esuberanza per via di un notaio regio fu il di* 11 *gennaio generalmente riconosciuto l' intiero portafoglio Carli posto sotto sigillo, e che perciò sono stati garantiti i giorni relativi di presentazione e di protesto.*

At enim haec omnia, quae ex omnium gentium, et Augustae Vindelicorum jurisprudentia disputabantur, iidem evadere curabant ex juris nostri commercialis disciplina, qua statuitur *art.* 155, 153, et 162 *cod. comm.* postridie negatam solutionem, mox ad protestatiouem esse devolandum, qua re intra terminum neglecta - *il possessore della lettera di cambio è decaduto da ogni diritto contro i giranti* - . Parum tamen concinne, nec admodum sibi coherentes leges nostras ad rem Augustae Vindelicorum transigendam, collybique litteram ibidem repraehesentandam, persolvendamque trans-
11 ferebant, contra certissimum illud quod in ludo a pueris accepimus -: *Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur in quo ut solveret se obligavit* - *leg.* 21 *ff. de obl. et act.* a quo non differt illud alterum quod - *In stipulationibus et coeteris contracti-*
12 *bus etc. id sequamur quod in regione in qua actum est, frequentatur* - *leg.* 24 *ff. de reg. jur.* quae porro juris universi

principia *modo*, *formae ac tempori* edendarum protestationum aptant *Casareg.* *de*
13 *commercio disc.* 51 *numer.* 52., *Pothier tratt. del contr. di cambio numer.* 155 *Marrè corso di diritto commerciale par.* 1 *tom.* 4 §. 11 *numer.* 330. Neque ipsi reorum defensores abnuere poterant, cum iidem alioquin faterentur cambialem literam de qua controversia erat, quae ex contrahentium placito et ex comuni caeterarum gentium consuetudine post quintum et septuagesimum diem (qui dies erat 9 *januarii*) proferri debebat ad assequendam solutionem, tamen ex lege Augustae Vindelicorum non ante mercurium diem 11 *januarii* exhiberi potuisse ac debuisse: tum protestationis actum quem nostrae leges in posterum solutionis diem differunt, ibi ex moribus loci eodem solutionis die fuisse peragendum, quibus rebus palam ostendebant non ex romanis, non ex partenopeiis, sed vindelicis legibus – *ubi ut solverent sese conthaentes obligarunt* – totam hanc disputationem esse omnino dirimendam.

Quamquam ne illud quidem evincebatur quod adeo crudeles ac ferinae essent nostrae leges ut illum quoque plecterent quem ab edenda protestatione *vis major* abripuit, quem nullum laborem, nullam anxietatem abjecisse constabat ut, illa sublata vi, munus incunctanter obiret. Siquidem generalem regulam lex ponit ut, elapsis edendae protestationis terminis, decidat litterae possessor – *da ogni diritto contro i giranti* –; sed illa non delet aeque generalia axiomata, quod *nulla sit impossibilium obligatio*, quodque a nemine *casus fortuiti praestentur*: quae, ut semper in honore habita
14 sunt, ita maximopere aequissimis nostris temporibus haberi debent. Et re quidem vera nemini non est perspectum illo jure commerciali nos interim uti quod a Galliis fuit invectum, illasque peculiares sanctiones quas supra retulimus, iisdem verbis a Gallorum codice in nostrum fuisse transductas. Atqui deliberatum est in supremo Gallorum consilio, num post legem illam expediret » *di ammettere formalmente l' eccezione della forza maggiore* »; animadversum, saepe per calumniam in judiciis proferri posse » *falsi processi verbali di avvenimenti di forza maggiore* »: placuit ergo, quin immutatio vel adjectio aliqua in legem inferretur « *di trovare un mezzo qualunque perchè la sorte del protestante non dipenda da una condizione impossibile* »: quamobrem decretum obtinuit quod judici permitteretur » *di pronunciare secondo le circostanze, e non si vincoli la sua coscienza con una disposizione assoluta* » quemadmodum referunt *Locrè exprit du code de commerce art.* 164, *Pardessus delle lettere di cambio num.* 382, *Merlin. questions de droit art. protet*, cui decreto fuisse postmodum judiciorum praxim applicatam idem narrat *Merlin loc. cit. in fine*, ut nihil alienus videretur, quam, vel Gallorum moribus, vel nostris, *vis majoris* exceptionem ab istiusmodi commercialibus negociis fuisse rejectam.

Itaque parvi fecerunt Patres mercatorum quorundam in re praesenti sententiam, qui nec germanam facti speciem noverant, neque ex rei mercatoriae consuetudine, sed ex jure responderunt: eorum autem aliqui, nulla adducta ratione, nonnulli erronea vel inepta, interroganti collegae velificabantur. Vicissim vero summum pondus ei responso tribuendum censuere quod augustanorum negociatorum ordo fatalis illius Carliorum lapsus, gestarumque rerum apprime instructus, juxta mores locique consuetudinem dedit de alia cambiali littera, cujus tenor ac vices mirum in modum cum ea de qua apud Ordinem quaerebatur, omni ex parte congruebant: in qua nimirum quaestione nullimode prorsus dubitarunt quin » *dall' essersi levato il protesto sopra la già riportata cambiale, non già nel giorno* 11 *gennajo, ma nel dì* 13, *non ne risulta alcun pregiudizio di sorte da poter esimere gli antecedenti giratarii, o il primo datore della cambiale dal prestare il pieno rimborso* ». Intimius demum rem ipsam DD. PP. inspicientes lubentius in hanc sententiam convenerunt, propterea quod praeter illum casum, cui humano consilio resisti non pote-
15 rat, praeter omnes adhibitas ab eo diligentias, qui vel suum, vel Contii negocium gessit, illud praeterea constabat quod necessaria illa bidui cunctatio nullum cuipiam detrimentum attulit, quodque sive protesta-

rantibus Gnecco, vel alteri profuisset *Baldasseroni dizionario ragion. di commercio tom. 4 art. negligenza* § 2.

Et ita in strenuo utriusque partis certamine, me quoque suffragium ferente, definita res est.

R. P. D. MARCO

ANCONITANA DECOCTIONIS

*Lunae* 2 *octobris* 1826

ARGUMENTUM

Nulla est declaratio decoctionis facta ex officio ab judicibus ccmmercialibus, non citato creditore. Quando quis vere negociator haberi possit. Vide Decisionem XV, qua praesens infirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Circumscribenda sententia ex defectu citationis, cum in jus non vocatus damnari nequeat.*
2. *Et omnium instituendarum actionum principium ab ea edicti parte proficiscitur, qua praetor edicit de in jus vocando.*
3. *Neque ipsae commerciales leges secus jubent.*
4. *Etiam declaratio decoctionis facta* ex officio *a tribunali commercii citationem requirit.*
5. *Legislatoris silentium circa ea quae ad rei substantiam pertinent, a servanda forma non excusat.*
6. *Quae namque generatim requiruntur, ubique locorum repeti non est necesse.*
7. *In judicio decoctionis tunc citatio inutilis est cum sponte se ipsum debitor decoctum judicibus professus fuerit.*
8. *Secus si ex creditorum instantia vel vulgi romore.*
9. *Possunt quidem sine citatione provisionis causa signa apponi, non autem decoctio declarari.*
10. *Absurda quae ex contraria doctrina orirentur.*
11. *De negociatoribus tantum judicare commercii tribunal potest, de iis nempe qui actu negociationem exerceant.*
12. *Non ideo quis negociator habendus, quia unam vel alteram cambii literas traxerit, et negociationis actus aliquando exercuerit.*
13. *Quando enim plures qualitates in uno concurrant, illa tantum inspicienda quae caeteris praevaleat.*
14. *Amplia ad evitandam odiosam tribunalis commercii jurisdictionem.*
15. *Ubi de nullitate sententiae non dubitatur, inutile est quaerere de ejus injustitia.*
16. *Iniquum est odiosissima decoctionis sententia debitorem mulctare judicio absentem, et solvendo aeri alieno parem.*

DECISIO XIII.

Joseph Consolanus, domo Ancona, societatem iniverat cum quodam Cyriaco Marchetto mercibus aliorum committentium nomine acquirendis, atque huc illuc transmittendis: eam tamen suo et socii placito jam ab anno 1820 dissolverat. Ex tunc negociatoris qualitatem exuere in animo habuit, ac commercio pene despecto, se civilibus gerendis negociis paenitus addixit. Sex enim supra decem patrimonia administranda suscepit, sex insuper pecuniarum capsas custodiendas obtinuit, quas inter aeraria municipii, theatri, delegationis, ac societatis quae *del Casino Dorico* audit, numerantur. Tot inter negocia exactionum difficultatibus ac solutionum necessitate pressum se creditorum nominibus satisfaciendis imparem novit: ac propterea conciliationem e re sua censuit inire. Quamobrem die tertia julii nuper elapsi Hieronymo ex comitibns Bosdari ac Nicolao Pierantonio mandatum dedit creditores universos convocandi, iisque in solutum bona cedendi, quae ad non mediocrem valorem assurgentia adhuc possidebat. Hi porro, mandato suscepto, nuncium die 9 ejusdem mensis singulis creditoribus misere ut crastina die domi Consolani debitoris omnes convenirent conciliationi, si possibile foret, ineundae. Quumque et commerciale tribunal duobus administrandis patrimoniis Consolanium praefecisset, illud etiam arcessendum hujus procuratores duxerunt, eidemque reapse propositam conventionem cum spe conciliationis denunciarunt.

At extemplo tribunal illud, attenta protestatione litterarum plurium collybisticarum, quae adversus Consolanum sequuta jam fuerat, hoc penitus inaudito, eodem die quo creditorum conventus fuerat nunciatus, sententiam *ex officio* protulit quò decoctum usque a die 4 ejus mensis Consolanum declaravit, eoque nomine custodiae personali subiiciendum jussit, eodemque temporis rerum omnium eidem spectantium obsignationem cancellario perficiendam commisit, ac decoctionis agentes dd. Cyriacum Cippitelli et Michaelem Felici, cui postea Andreas Bambozzius suffectus est, designavit, in cujus sen-

tentiae executionem se Consolani domum statim contulit cancellarius, signa apposuit, singulasque res rite recteque notavit, creditoribus ipsis adstantibus, qui ad ineundam conciliationem ibi convenerant. Facile tamen fuit Consolano specialem litteram a nobis obtinere, ac una cum ea inhibitionem ne quid interim in ejus praejudicium innovaretur. Hinc duplex coram s. nostro Ordine judicium exortum est: unum scilicet et principale super circumscriptione et nullitate sententiae a Consolano promotum: aliud instantibus decoctionis agentibus super moderatione inhibitionis. Utrumque hoc mane, me ponente, ac suffragium ferente, definiere Patres; decreverunt enim quoad primum: *Esse locum circumscriptioni, et extendatur decisio* » et agentium instantiam dimiserunt rescripto«: *Nihil, et servetur inhibitio.*

Circumscribendam siquidem Patres duxere
1 sententiam primo ex insanabili citationis defectu. Omnia enim id clamant jura ne dum humana sed et divina nil unquam in eum decerni posse qui in jus vocatus non fuerit ad se defendendum. Hinc teste *Imperatore in* § 3 *instit. de poen. tem. litig.* omnium actionum instituendarum principium ab ea
2 edicti parte proficiscitur, qua praetor edicit de in jus vocando, cui perbelle consonat et *Paulus in leg.* 47 *ff. de re judicata.* Atqui ab ipsa commercialis tribunalis sententia edocemur nec Consolanum, nec procuratores ab eo constitutos vadatos ullimode fuisse: pronum igitur est sententiam ipsam circumscriptionis gladio esse plectendam. Nec ad citationis defectum excusandum unquam conferre certo potest favor commercii, legesque quae illum protuentur. Aperte enim sancitum est in *art.* 8 *edictalis legis* 1 *junii* 1821 » *la procedura nelle cause di commercio . . . . è quella stessa che nel codice civile di procedura è ordinata per le cause sommarie ed esecutive* ». Atqui in judiciis mere civilibus, etsi summariis et executivis, citatio semper requiritur: in commercialibus igitur eadem concurrat necessitas oportet. Ac in simillima huic nostrae circumscriptionis querela idipsum jam alias firmavit Ordo noster *in Anconitana* scilicet *circumscriptionis* 9 *februarii* 1821 *cor. R. P. D. meo Tiberi*, ubi etiam sancitum reperire est non mercatorum aut proxenetarum expiscata testimonia, sed regulas juris communis, et vigentis codicis in hujusmodi dirimendis controversiis attendi debere.

Haec tamen omnia cum probe sentirent decoctionis agentes, ea procedere reponebant cum ad aliorum instantiam decoctio esset declaranda, minime vero cum magistratus illam *ex officio* declarare tenetur, verbaque confidentes recitabant legis commercialis sub art. 443 » *dacchè il tribunale di commercio avrà cognizione del fallimento, sia per dichiarazione del fallito, sia per istanza di qualche creditore, sia per notorietà pubblica, esso ordinerà l'apposizione dei sigilli . . . . nella stessa sentenza dichiarerà l'epoca dell'apertura del fallimento . . . ordinerà nello stesso tempo il deposito della persona*». Arguebant itaque citatam le-
4 gem, quae nec de vocatione in jus, nec de citatione verbum ullum protulit, judici facultatem dedisse *ex officio* procedendi nulla praemissa citatione. Non haec tamen Patribus arrisit argumentandi ratio. Legislatoris enim silentium circa formam quae essen-
5 tialis in unoquoque judicio existimatur, a forma ipsa servanda excusare non potest: et quae generatim semper requiruntur, non ubi-
6 que locorum sunt adnotanda, sed pro expressis haberi ubique debent, utpote ex ipsa natura rei, de qua sermo est, scatentia. Ex citata itaque legis sanctione id tantummodo erui posse Patres duxere, judicem *ex officio* decoctionem declarare posse; sed hanc muneri suo tributam facultatem numquam eumdem a generalibus judiciorum regulis servandis eximere, ac propterea citationem sententiae praecedere omnino debere.

Nec nova s. Ordini nostro hujusmodi species proponenda definiebatur. In citata enim *Anconitana circumscriptionis* 8 *februarii* 1821 *cor. R. P. D. meo Tiberi* has omnes objectiones praeoccupavit, invicteque dissolvit, probe casus distinguens quibus aliquis *ex officio* decoctus declaretur. Etenim si decoctionis sententiae ipsa praecessit debitoris confessio, qua apud tribunal se imparem negotiationi suae sustinendae profes-
7 sus foro sibi cedendum esse declaraverit, tunc inutile novit sacer Ordo eumdem in jus vocare, ex eo quod jam sponte sua judicio

sistere voluerit. At si ex delatione creditoris alicujus, vel ex decoctionis fama et rumore tribunal ejusdem declarationi manus admovere velit, inhumanum nedum incivile s. hic Ordo ex tunc definivit debitoris absentis decoctionem predicare: error siquidem, credulitas, suspicio, invidia, dolus, gratia
8 etiam et potentia judicum mentes a recto tramite abducere posse facile novit. Hanc igitur jurisprudentiam in citata *decisione* § 11 traditam et hodie Patres prebentes cum animadverterint nullimode in jus Consolanium venisse, e medio omnino tollendam ei inimicam sententiam justissime duxerunt.

Quin juvet regerere hujusmodi declarationes decoctionum *ex officio* latas inutiles evadere si decoctus praemoneatur, ex quo facilis ei via sternatur merces resque alias subducendi, eaque ratione creditorum jura fraudandi. Duplex enim objectum continet supra relata commercialis legis dispositio et tribunali cumulata tribuitur facultas tum signa apponendi in substantia debitoris, tum ejus decoctionem declarandi. Quae duo ut probe concilies, ita intelligas oportet ut ad appositionem signorum statim et nulla praemissa citatione procedere possit tribunal semel
9 ac id ei suaserit creditorum instantia, vel increbrescens de inopia debitoris rumor et fama. Provisionis enim et cautionis speciem signorum appositio praesefert, quae natura sua debitoris citationem haud certe requirat. Quod si et decoctionem declarans tribunal idem ratus fuerit, nemo vetat quin idem perficiat, praemissa tamen debitoris vocatione, qui ob jam peractam signorum appositionem creditorum conditionem jam deteriorem amplius reddere nequit.

Quae quidem omnia et majorem evidentiam recipiunt si absurda perspiciantur quae locum obtinerent si statueretur commerciales judices decoctionem declarare posse inaudito debitore. Impune siquidem ii jurisdictionem suam exercere valerent etiam in homines negotiatorum qualitate destitutos, eosque sententia plectere, a qua etsi appellare deinde hi possent, unius tantum judicii beneficio fruerentur, quod adeo absonum est a recta ratione, ut nullo indigeat argumentorum auxilio. Sed, quod et potius est, debitor et aliud beneficium ammitteret, quod
10 cuique indulsit *lex unica cod. ne quis in sua caus.* in suspicionem scilicet adducendi, simulque reijciendi judices eos, quorum sua interest condemnatio. Quod quidem in themate nostro exemplum recipit. Inter creditores enim Consolani erat etiam societas quae audit *del Casino Dorico*, cui nomen dederant Joannes Betti et Carolus Marinelli, quorum alter imo inter deputatos a societate recensebatur, quique postea criminalem expilationis querelam contra Consolanum promoverunt; hi vero Joannes et Carolus judicis munere fungebantur in Anconitano tribunali commerciali; ita ut simul et creditorum, et accusatorum, et judicum partes una simul sustinerent. Cum itaque dubium esse nequeat quod Consolanus illos uti judices respuisset, tum apertius patet injuria eidem illata ob omissam citationem, quae eumdem arcuit ab hac suspicionis exceptione proponenda. Ex quibus omnibus Patres conclusere ex defectu citationis sententiam, de qua sermo est, esse circumscribendam.

Accedit vero ad illam labefactandam et jurisdictionis defectus. Tribunal enim commercii non aliorum quam negociatorum hominum decoctionem declarare potest, in vim articuli 431 *del regolamento provisorio*. Ejusdem vero legis articulus primus aperte edicit negociatoris nomine non alios venire quam qui - *esercitano atti di commercio, e ne fanno la loro professione abituale* -.
11 Non quodlibet igitur commercii genus, sed ea negociandi ratio ad id requiritur quam quis et habitu et principaliter exerceat. Atqui Consolanius post diremptam anno 1820 societatem quam cum Marchetto contraxerat, se civilibus ita negociis immiscuit ut sexdecim patrimonia administranda, sex insuper aeraria custodienda susceperit: impossibile igitur videtur ut vir tantis distentus curis, quibus agendis vix una sufficit persona, et commercium exercere habitu valeret. Unam siquidem vel aliam mercem comparaverit; cam-
12 bii litteras traxerit; negociationis actus aliquando exercuerit: non inde tamen eum negociatorem appelles. Argumento enim *text. in leg. legatis* 65 § *si unum ff. de legat.* 3° optime docent Doctores in eo in quo plu-
13 res qualitates concurrant, illam inspiciendam tantum esse qualitatem in qua magis versa-

tur, et quae aliis praevalet. *Stracch. de mercat. part. 1 num. 60, Ricc. in collect. decis. part. 8 n. 35,38, Cost. in cap. 1 de judic. num. 358 et 474, Fuit. de credit. cap. 2 tit. 7 quaest. 7 num. 256*: quod
14 eo magis retinendum est dum agitur de vitanda odiosissima tribunalis commercialis jurisdictione. *Ansald. de commerc. dis. gen. num. 72, Rota in Romana decoctionis quoad competentiam 26 aprilis 1816 § 5 coram Emo Serlupi* -. Omnia igitur hinc inde allata mature Patres perpendentes definivere vel negociatoris nomen Consolano nullimode appingi posse, vel id eum negociationis genus exercuisse quod ad habituale exercitium inducendum, et propterea ad jurisdictionem tribunalis incurrendam sufficiens esse non potest. Unde sententiam ex defectu citationis jam circumscriptam, ex parte etiam jurisdictionis maximopere claudicare perspexerunt.

Re huc usque perducta inutile prorsus esset de justitia obloqui. Ubi enim de nulli-
15 tate non dubitatur, operam perdit qui justitiam tuetur. Ad bonum tamen Consolani nomen protuendum potiusquam ad definitionis editae justitiam declarandam animadvertere etiam praestat sententiam quae hodie a S. Ordine circumscribitur, omni aequitate destitui. Praecipuum enim ejus fundamentum in protestatione stetit quarumdam litterarum cambialium, et in denegata aliorum nominum solutione. At quis dicat solutionum puram cessationem tribunali jus dedisse aliquem decoctum, sive quod idem est bonorum dolosum consumptorem et fraudandi creditores mente praeditum, declarandi? Consolanus porro haud mediocrem bonorum vim adhuc possidebat, ex quorum cessione creditoribus omnibus satis facere poterat; imo et voluit: mandatum enim dederat ad conciliationem ineundam; quam dum a lege vetitam ejus adversarii affirmant, tempora intervertunt, ac quae post declaratam decoctionem a lege patrari prohibentur, eadem et ante decoctionem illicita existimant: in quo maximopere falluntur. Non itaque quempiam fraudare voluit Consolanus, nec bona occuluit subtraxitve creditoribus, nec dolo se gessit; sed amice res omnes componere, unicuique suum retribuere, decoctionis infamiam vitare in animo habuit. Injuste igitur egit tribunal commerci dum conciliationi viam praepedivit, et insontem civem suae minime sub-
16 jectum jurisdictioni, a judicio absentem, penitusque inauditum, et bona contractis oneribus ferendis, dimittendisque sufficientia possidentem, decoctionis odiosissima perculsit sententia. *Leon. ad art. 441 cod. gallic., Marrè corso di diritto commerciale part. 3 cap. 1 § 2, Rota in Romana decoctionis quoad epocham et nullitatem contractus 29 januarii 1816 § 3 et 4 cor. emin. Rusconi, et in ejus confirmatoria 14 junii 1816 § 9 cor. emin. Serlupi.*

Et ita etc. utraque etc. in hodierna rotali congregatione dirempta est quaestio.

**R. P D. MUZZARELLI**

ROMANA

PRIVILEGII ET ACTIONIS HYPOTHECARIÆ

*Veneris 12 Januarii 1827*

ARGUMENTUM

Adsessori riparum tribunali commercii subrogato, causae omnes coram illo pendentes ad hoc delatae sunt. De privilegiis mercatorum ripalium ex constitutione Paulina, deque hypothecis super rebus mobilibus, quae ab novissimis hypothecariis legibus conservatae fuerunt, non concurrentibus hypothecis inscriptis.

*SUMMARIUM*

1. *Lex 5 octobris 1824 Adsessori riparum subrogavit tribunal commercii.*
2. *Atque ad hoc detulit causas omnes coram eo pendentes.*
3. *In commerciali judicio quaevis nullitas etiam substantialis, si demas incompetentiam ratione materiae, sanatur quoties proposita ante quamvis aliam defensionem non fuerit.*
4. *In graduationis judicio creditores privilegiati ante omnes collocandi.*
5. *Privilegia mercatorum ripalium ex constitutione Paulina.*
6. *Ripali mercatori jus est sibi vindicandi merces suas cujus pretium ab emptore solutum non fuit, si adhuc ipsae extent, etiam in tertios ab eodem emptore distractae.*
7. *Si autem non amplius extent ipsisque aliae subrogatae fuerint, super eas repertas penes debitorem mercator ripalis ex privilegio actionem hypothecariam habet.*

8. *Ex jure communi hypothecae super mobilibus aeque validae sunt, ac quae imponuntur super immobilibus.*
9. *Inter utrasque discrimen, quod bona immobilia transeunt in tertios possessores cum hypothecae nexu, res vero mobiles tamdiu pignori subsunt quamdiu maneant sub debitorum potestate.*
10. *Novissimae hypothecariae leges conservarunt hypothecas super mobilibus, quoties inscriptae hypothecae non concurrerent.*
11. *Cum mercatores plerumque nihil habeant in bonis immobilibus, maximum esset commercii damnum si nefas fuisset res mobiles hypothecae, seu pignori subjicere.*
12. *Leges gallicae hypothecas mobiles reliquerunt sub censura juris communis, idque tenuit semper sac. Ordo.*
13. *A Piana lege 6 julii 1816 sublatus fuit usus obligationis cameralis.*
14. *Atque sancitum ut nullo in pretio haberentur hypothecae, generales praesertim ex contractu prodeuntes.*
15. *Non licet agere ex generali antequam excussa sit hypotheca particularis.*
16. *Sicuti, ubi diversae sunt causa debendi, solutio cedit in causam duriorem et antiquiorem, ita, ubi una est causa, partiales solutiones hanc impediunt, quominus una et eadem semper maneat obligatio et hypotheca usque ad integram nominis solutionem.*

## Decisio XIV.

Rumor ut primum increbuerat, merces et caetera mobilia salsamentariae tabernae hic in Urbe positae in platea *della Rotonda*, spectantis ad Vincentium Renolfi, per interlocutorium decretum Adsessoris riparum diei 12 julii 1823, judiciali et pignori mancipata, et administratori concredita fuisse, ad instantiam Vincentii et Nicolai Bolasco mercatorum ripalium, qui residuale adhuc sibi condicebant in scutis 1854 18 pretium mercium illi venditarum; caeteri Vincentii creditores, agmine facto, ad eumdem judicem statim venerant, singuli singula efflagitantes credita, in et unam eamdemque sententiam coeuntes, ut pignoratae merces venu sub hasta tandem darentur. Aque haec venditio, auctorante Adsessore, creditoribus annuentibus, die 24 februarii 1824, facta fuerat Guillelmo Travostini, qui, cum exhibuisset pretium scutatorum 2601, potior caeteris et melior superfuerat oblator.

Super hac vero pecuniae summa, quae, de mandato judicis, deposita fuerat in mensa nummularia s. Spiritus, acris deinde contentio exarsit fratres Bolasco inter et caeteros Vincentii creditores, quonam modo pecunia illa sibi esset distribuenda. Tribunal commercii Urbis, in cujus jurisdictionem, ex novissimis super judiciorum methodo pontificiis ordinationibus, devoluta fuerat illa quaestio, post relationem acceptam a suo praeside, cui totius negotii demandaverat cognitionem, hanc, die 3 maii 1826, edidit sententiam. Cunctos Vincentii creditores privilegiatos, hypothecarios, chirographarios, uti de more fit, singillatim distinxit. In prima privilegiatorum classe collocavit „ *primo loco cancellarium tribunalis pro expensis occursis pro relatione, reformatione ac praesenti sententia usque ad ejus expeditionem in scutis* 334 18 . . secundo *Guillelmum Travostini pro credito expensarum pro administratione apothecae in sc.* 104 10 : tertio, *Franciscum Cappelloni pro functionibus factis occasione descriptionis apothecae, appositionis administratoris ad dictam apothecam, nec non pro venditione ejusdem apothecae et stipulatione instrumenti juxta notulam a judice subdelegato moderatam in scut.* 38„. Gradum deinde fecit ad secundam classem, et inter creditores hypothecarios *primum locum adsignavit Joanni Baptistae Baroni uti viro et legittimo administratori Annae Cantoni, creditricis Vincentii in sc.* 100 *pro residuo pretio styliorum atque adviamenti apothecae ab eodem Vincentio emptorum usque a die* 9 *septemb.* 1816; secundum *Rationi fratrum Bolasco pro scutis* 1854 18 *pro pretio mercium ripalium in Ripa venditarum die* 15 *februarii* 1821, *et creditarum eidem apothecae*; tertium *Sillano et Petro Renolfi pro residuali depositi quantitate in sc.* 274 54 *eidem debita in computum residualis summae scutor.* 2402 19 *pro pretio mercium et adviamenti dictae apothecae venditarum Vincentio vigore instrumenti diei* 31 *martii* 1821 *ab eisdem Sillano et Petro.* Et cum ex depositae pecuniae quantitate nihil superesset, hinc *caeteris creditoribus sive hypothecariis, sive chirographariis* reservavit *jura contra Vincentium communem debitorem prout et quatenus de jure.*

Appellantibus ab hac sententia creditoribus, qui in ea fuerant posthabiti, quique illius circumscriptionem efflagitabant sin minus revocationem, causa proposita est hac mane Ordini nostro. Rescriptum est autem: *Nihil de circumscriptione, et esse locum distributioni pecuniarum quoad privilegiatos et fratres Bolasco pro integro credito, quoad reliquos per contributum, et extendatur decisio.*

Quae mota primum fuerat a mercatoribus, in mercatorem, coram Adsessore riparum, qui erat judex mercatorum, ea causa, opus erat ut, sublata, per legem, Adsessoris jurisdictione, cognosceretur ac dijudicaretur a tribunali commercii ob causas cum caeterorum, tum nominatim ripalium mercatorum nuperrime instituto: nam actores fuerant fratres Bolasco, quos certo constat in mercatura quotidie versari. Res, quae per instantiam diei 11 julii 1823 fuerat per eos efflagitata, erat pretium mercium ripalium: reus autem conventus erat et ipse mercator salsamentarius Vincentius Renolfi. Quod si deinde caeteri creditores in arenam simul venere, singuli singula exhibentes credita, et sibi antea, quam fratribus Bolasco, bona debitoris adjudicare contendentes; et horum quoque plerique erant mercatores, Comes Dominicus Lavaggi, Joannes Tini, Albertus Gnecco: neque tam judicium novum incoabant, quam coram Adsessore per fratres Bolasco jam inchoatum prosequebantur.

Quod autem cor. Adsessore legittime valideque institutum fuerat a cunctis creditoribus, ejusdem judicii validitas in se integre constabat coram tribunali commercii: idque sive ex lege, sive ex partium collitigantium consensu. Nam tribunal commercii si, ex novissimis pontificiis ordinationibus diei 5 octobris 1824, subrogatum fuerat Adsessori riparum in cunctis civilibus causis art. 69 „ *Il tribunale di commercio sarà formato di tre giudici assistiti da un cancelliere, dovranno giudicare collegialmente, e sarà in esso riunita la giurisdizione contenziosa dell'assessore delle Ripe, che rimane soppressa* »; multo magis subrogatio illa valere debebat quoad causam a fratribus Bolasco jam introductam et tunc temporis adhuc pendentem: art. 1124 *al nuovo tribunale di commercio di Roma saranno deferite tutte le cause pendenti nel soppresso tribunale delle Ripe.* Neque quidqnam obstare poterat, quominus quae coram Adsessore valide ac rite fuerat incepta, ac de particulari concursu causa pergeret coram tribunali in illius locum subrogato. Ad id superaccessit consensus collitigantium creditorum sive implicitus; cum enim, silentibus illis et numquam reclamantibus, valida fuisset jurisdictio Adsessoris, tum debebat usque valere jurisdictio tribunalis commercialis in illius locum subrogati: sive explicitus, nam coram novo tribunali commercii cuncti creditores et jura sua produxerunt, et secum invicem diu dimicarunt, et in judicio steterunt usque ad sententiam. Et quod in judiciis quasi contrahitur, haec regula, ob favorem commercii, potissimum locum habet in judiciis commercialibus. *Qualunque nullità anche delle sostanziali* (demandatum est in art. 13 pontificiae ordinationis super codice commercii), *eccettuata l'incompetenza per ragione di materia, rimane sanata col non essere stata opposta prima di ogni altra difesa.* Opus ergo est ut, rejecta circumscriptionis instantia, decernatur constare de validitate sententiae.

Æque autem constat de ejusdem sententiae justitia. Et primo loco collocati jure ac merito ante omnes fuerunt creditores privilegiati, nempe cancellaria tribunalis, administrator et procurator judicialis; illa pro scutis 234 18 in judiciales actus et sententiae expeditionem erogatis; alter in scutis 104 10 pro custodia mercium debitoris a judice sibi commissa; tertius in scutis 38 pro judicialibus sumptibus factis nomine et vice totius caetus creditorum. Neque in genere, neque in specie a caeteris creditoribus oppositum est contra hanc praelationem. Non in genere; nam quantum creditores hypothecarii et chirographarii de praelatione certabant inter se; tanta ipsis pax est cum creditoribus privilegiatis, quae comperta satis res est, esse cuiquam alteri in jure semper praeferendus: neque in specie, quia singulae pecuniarum et expensarum quantitates, cribatione per judicem subdelegatum praemissa, taxatae fuerunt a tribunali commercii.

Deinde veniunt creditores hypothecarii; at-

que ex his merito primus locus in distributione pecuniarum a tribunali datus est fratribus Bolasco. Notissima namque est et hic in Urbe constantissime observata constitutio » *cum postquam* san. mem. Pauli III, qui inhaerens vestigiis praedecessorum suorum et praesertim Leonis X, Adriani VI, Nicolai V, Clementis VIII, a quibus, in commercii comodum in hujus almae Urbis ubertatem, multi larga copia cumulati fuerunt favores super mercatores ripales die 16 augusti 1447, quatuor hec privilegia et ipse
5 eis adjecit. Primum, ne inhibitiones vel cujusvis generis commissiones quidquam obstarent, quominus pretium mercium ab eis venditarum ex sententia judicis demandatum retardaretur. Nam ripales tunc temporis mercatores huc illuc a morosis debitoribus in varia judicia distracti, quod in exercenda mercatura consumpturi erant, illud tempus, in maximum Urbis incommodum, uti constitutio illa ait, in suis recuperandis creditis conterere cogebantur. Alterum ut, *ad plene probandam qualitatem et quantitatem mercium ab eis venditarum adnotatio et descriptio de illis in ipsorum et proxenetarum libris in judicio et extra fidem indubiam faceret, executionemque haberet perinde ac si esset obligatio in forma Camerae Apostolicae.* Tertium *ut in mercibus a se venditis, penes debitores existentibus, etiam a quibusvis detentis, quibuscumque aliis creditoribus etiam expressam et anteriorem hypothecam per instrumenta publica habentibus praeferrerentur.* Quartum *ut in aliis quibuscumque debitorum bonis, cum caeteris creditoribus hypothecam expressam seu tacitam habentibus, concurrant occasione debitorum propter merces ripales venditas dumtaxat contractorum.*

Jam vero indubia res est et ripales fuisse merces a fratribus Bolasco venditas Vincentio, et earum, prout identidem vendebantur, rite factam fuisse descriptionem in libris et mercatoriis codicibus sive fratrum Bolasco, sive id quod veritatem magis importat, proxenetae. Testimonium hac de re luculentissimum praebuerunt sive ratiocinatores Galli et Leonardi, quorum ille extrajudicialiter a Bolasco, hic apposite assumptus fuerat a judice per tribunal commercii subdelegato; sive demum hic subdelegatus judex, qui ad se codices adsportari jusserat. Atque hi omnes unanimiter retulerunt libros illos per fratres Bolasco et per proxenetam recta methodo fuisse servatos, singulasque mercium quantitates cum adnotatione diei, mensis et anni ibi singillatim fuisse descriptas. Cujus rei tanta persuasio inhaesit Ordini nostro, ut quae a creditoribus chirographariis hac mane proponebatur instantia de libris illis iterum inspiciendis et perlustrandis, num rite nec ne servati essent, ea tamqnam serotina, supervacanea et injusta rejecta fuerit per rescriptum: *Utantur jure suo.* Hisce positis, quemadmodum fratribus Bolasco fas esset, ex constitutione Paulina, vindicandi sibi merces suas si adhuc extarent, etiamsi a Vincentio debitore jam distractae fuissent in tertios pos-
6 sessores. Atque ita nuperrime judicatum est die 2 octobris mox elapsi anni 1826 per Auditorium nostrum, a quo in vim hujus ripalis privilegii fratribus Cogorno fas dictum fuit esse ut quam ipsi vendiderant Aloysio Torri, habita fide de pretio, et Aloysius deinde ex vendito transtulerat in Philippum Ferramola, eam oryzae quantitatem, causa recuperandi pretii, a Philippo
7 sibi repeterent: ita ex vi ejusdem privilegii, cum merces non amplius extent et illis recentes aliae fuerint subrogatae, jus fratribus Bolasco esse debet ut super recentibus his mercibus quae penes debitorem Vincentium fuerint repertae, actionem hypothecariam perinde habeant ac si hypothecam, sive tacitam ex lege, sive ex contractu, sibi quaesivissent.

Neque dici potest jura haec hypothecaria a Paulina constitutione concessa mercatoribus ripalibus sublata fuisse per pontificias leges de hypothecis latas die 6 julii 1816 modo vigentes. Nam ex jure communi, va-
8 lidae aeque sunt hypothecae super mobilibus, ac quae imponuntur super bonis immobilibus *leg. cum tabernam ff. de pignorib. Zanc. de praelat. credit. exercit. etc.* Hac tamen intercedente differentia ut, quae hypotecis fuerunt gravata, ea bona immobilia iisdem etiam tunc teneantur, cum in possessionem
9 transeant extraneorum. Res vero mobiles tam-

diu pignori subsint, quamdiu maneant sub debitorum potestate: *Merlin. de pignor. lib. 1 quaest. 13, Mantica de tacitis lib. 11 tit. 4, Rota cor Otthobono dec. 75.* Quo itaque, regulis juris communis suppressis, hypothecae mobiles tollerentur, ad id opus erat vel expressa derogatione, vel ut ejusmodi essent novae leges, ut cum antiquo jure conciliari nullo modo possent. Neutrum vero occurrit. Nam non modo derogatio defuit expressa, et id est in comperto; sed et caeterarum legum contextus et fines Pontificis legem ferentis et interpretatio communi usu apud omnes recepta suadent, hypothecas mobiles, non concurrentibus hypothecis inscriptis, fuisse conservatas.

Nam illae dumtaxat hypothecae fuerunt sublatae, quae publicis hypothecarum tabulariis inscriptae non essent: et simul illo dumtaxat in casu, quo aliae ex adverso occurrerent hypothecae inscriptae: art. 26 10 *le ipoteche tacite e legali di qualunque specie esse sieno, comprese anche quelle delle donne per le costituzioni o restituzioni delle loro doti; dei minori, o dei pupilli sopra i beni dei tutori e curatori, degli stabilimenti publici, o dei luoghi pii, non sono valevoli, nè produttive di alcun effetto, in concorso dei creditori ipotecarj iscritti e contro i terzi possessori.* Quod si nullae ex adverso occurrerent hypothecae inscriptae, tunc eaedem leges in sequenti art. 31 jusserunt ut valerent hypothecae, etiamsi neque expressae essent, neque ex contractu, sed ex lege aut privilegio tacite prodirent: *Rimarranno fermi i diritti derivanti da tali privilegi ed ipoteche tacite e legali in concorso di creditorj non ipotecarj.* Neque cum deficientibus ex adverso hypothecis inscriptis, conservarentur hypothecae tacitae et legales, facta in lege fuit ulla distinctio hypothecas mobiles inter et immobiles.

Hoc enim Pontifici, cum legem daret, potissimum erat consilium ut *agevolasse*, ita in proemio legis ajebat, *la circolazione delle proprietà.* Consulendum ergo ei erat hypothecis bonorum immobilium. Nam, ne rerum mobilium commercium ex earum hypothecis impediretur, satis ad id cautum erat a jure communi; cujus ex sanctione res mobiles, prout adnotatum mox est, vinculo pignoris statim liberabantur ac migrarent in extraneos. Imo ex opposito, cum plerique 11 mercatores nihil habeant in bonis stabilibus, et quaestuosae ac uberrimae negotiationes plerumque fiant de mercibus, clades et pernicies maxima in commercium redundasset, si res mobiles nefas fuisset hypothecae seu pignoris vinculo devincere. Gallorum sane leges, quae de nova hypothecarum methodo latae apud nos primum fuerunt, reliquerant hypothecas mobiles sub censura juris communis; nam tunc tantum eas evanescere constituerant, cum res mobiles non amplius existerent penes debitorem: art. 2119 codicis civilis: *L' ipoteca su i mobili non ha luogo, quando passano in un terzo.* Atque huic sententiae Ordinem nostrum firmiter adhaesisse, cum ex decisione *romana graduationis die* 30 *novembris* 1814, *confirmata die* 20 *februarii* 1815 coram emo Bussi, tum maxime patet ex altera decisione *romana consignationis* 19 *junii* 1826 quae in hodiernis comitiis confirmata quoque est cor. R. P. D. meo Tiberj, in qua cuidam dementi jus, pro caeteris creditoribus non inscriptis, datum est, quae in patrimonio curatoris, simulque debitoris sui adhuc manebat, eas res mobiles persequendi et sibi habendi ex hypotheca tacita et legali.

Post haec omnia unum superest demonstrandum, hypothecam, quae super mercibus competit fratribus Bolasco, potiorem esse caeteris hypothecis creditorum. Atque ut hoc loco omittantur Lavaggius, Tinus, Gneccus et Giannonius, caeterique quorum singuli chirographarii sunt, scilicet ex obligatione privatim scriptis tradita, in qua Vincentius professus fuit, se aere alieno teneri erga Lavaggium in scutis 950, Tinum in scut. 1000, Gneccum in sc. 300, Giannonium in scut. 250. Nam chirographarii postponendi semper de jure sunt fratribus Bolasco, quibus, ex constitutione Paulina, jus est *concurrendi cum creditoribus hypothecam expressam seu tacitam habentibus*, fratres Bolasco, iis quoque Annae Cantoni, Sillano et Petro Renolfi, Vincentio Guidetti praeferendi sunt, qui hypothecam in se derivare contendunt ex publico instrumento. Annae Cantoni jus est

condicendi sibi residualia scuta centum ex pretio alterius tabernae salsamentariae positae in platea *della Rotonda num.* 4, die 9, septembris 1815 ex vendito translatae in Vincentio, et diversae ab illa altera taberna *num.* 71 cujus merces, instantibus Bolachis, judiciali pignori fuerunt subjectae. Guidettus, die 20 januarii 1821, cambio dedit Vincentio, ad quadriennium, scuta 400, depactis fructibus scut. 8 in singula centum et annos. Sillanus et Petrus Renolfi creditores adhuc sunt residualium scutor 2402 19 ex pretio medietatis mercium et adviamenti, quas die 31 martii 1821 vendiderunt Vincentio.

Et quamquam his creditoribus singulis singula essent instrumenta publica; tamen quae in illis conventa fuerat hypotheca, nullius seu usus erat, seu effectus, quia, non super mercibus particulariter versabatur, sed generalis erat et indefinita. Clara autem est dispositio pontificiae constitutionis diei 6 julii 1816 art. 17 per quam,
13 cum sublatus fuerat usus obligationis cameralis, tum expresse indictum nullo in pretio esse habendas hypothecas generales,
14 ubi praesertim ex contractu prodirent. Ita ut hi tres creditores, relate ad fratres Bolasco legali et tacita super mercibus hypotheca suffultos, perinde habendi sunt ac si meri essent chirographarii. Aliud accedit particulare impedimentum, quominus Guidettus super mercibus jus hypothecarium exerceat. Scilicet agere ei non antea liceret ex generali, etiamsi haec valida esset, quam excussa fuisset hypotheca particularis: *leg.* 2 *cod. de pig. et hypoth., Bruneman. comment. in cod. cap.* 8 *tit.* 14 *de pignorib.* Porro, in securitatem cambii, data ei fuerat, in instrumento die 20 januarii 1821, hypotheca specialis svper nonnullis quibusdam emphyteuticis aedibus hic in urbe positis *in via de' Pastini* ad Vincentium pertinentibus. Atque hanc ipsam hypothecam deinde Vincentio remisit in posteriori instrumento diei 28 septembris 1821, eamdemque commutavit in jus exigendi pensiones conductitias ex iisdem aedibus quotannis retrahendas. Cui ergo cautum ex pacto fuit per hanc pensionum cessionem, is agere amplius non potest ex hypotheca illa, quam a se abdicavit. Et quemadmodum Vincentio fas non fuisset, ante particularem hunc concursum, jus exigendarum pensionum a se abdicare, quia pacto conventum fuerat, ita et quidem multo minus, concursu hoc instituto, ex quo nihil detrimenti allatum est in illud jus, deserere idem jus ei licet, quo jacturam pariat caeteris Vincentii creditoribus, quibus nihil reliqui est, quam persequi haec sc. 2601 ex salsamentariis mercibus retracta.

Neque verum est, quod a caeteris sive hypothecariis, sive chirographariis creditoribus contendebatur, creditum fratrum Bolasco extinctum fuisse usque ad diem 16 februarii 1821 per tres solutiones ei per Vincentium factas, et idcirco creditum pro posterioribus mercium subministrationibus aliis creditoribus Vincentii posthabendum esse, tamquam tempore posterius; nam mercium per Bolasco venditarum una et individua descriptio habetur, quae in eorum et proxenetae libris exordium diei 10 octobris 1820 et finem habet die 18 februarii 1423. Eaque, sive ex regulis mercatorum, sive ex constitutione Paulina, habetur uti publicum et individuum instrumentum. Unum ergo et individuum est creditum: cujus etsi, pro variis mercium subministrationibus, varia sint tempora; una tamen est contractus, seu venditionis natura, una mercium ripalium species, una creditoris et debitoris persona, una et individua hypotheca. Et quantum, ubi variae essent ac diversae debendi causae, solutiones, si quae fierent, cederent in causam duriorem antiquiorem-
16 que: tantum, ubi una est causa debendi, partiales, si quae fiant solutiones, nihil impediunt, quominus una et eadem, usque ad integram crediti satisfactionem, remaneat obligatio, una et eadem hypotheca. Et sane, quae tres per Vincentium factae fuerunt solutiones, eae non ad determinatam sive temporis epocham, sive mercium quantitatem referebantur, sed ex parte fiebant et uti ajunt, *a conto*. Quare eo integra in se remanebat sua obligatio, seu hypotheca, quousque integrum creditum extingueretur. Et ita mercatoribus Bolasco, Sillano et Petro Renolfi, Vincentio Guidetti, creditoribus chirographariis, Lavaggio, Tino, Gnecco, Gian-

nonio acriter secum invicem dimicantibus, jus redditum est.

**R. P. D. MARCO**

ANCONITANA DECOCTIONIS

*Veneris 9 februarii 1827*

ARGUMENTUM

Re late discussa, praecedens decisio XIII infirmatur, et definitur in declaratione decoctionis facta *ex officio* a tribunali commercii citationem debitoris non solum absque ullo nullitatis periculo posse, sed imo omitti debere ex legis sanctione, ex judicii natura, ex universali consuetudine atque ex Doctorum auctoritate. Qui vere decoctus dicatur.

*SUMMARIUM*

1. *Cum expeditissima commercialis praxis esse debeat, nonnisi in dubiis decisionis extensio decernitur.*
2. *Quamvis in genere judicium a citatione exordiri debeat, sunt tamen casus in quibus, ne jura actoris periclitenturc, itatio omitti potest.*
3. *Id accidit in mandato suspicionis fugae.*
4. *In commercialibus controversiis non jus commune sed commerciale spectandum.*
5. *Leges speciales generalibus derogant.*
6. *Ad decoctionem ex officio declarandam debitorem non esse citandum probatur.*
7. *Primum ex verbis legis, quae decoctionem declarari ait vel ex debitoris petitione, vel alicujus ex creditoribus, vel ex publica fama.*
8. *Qui modi latius enucleantur.*
9. *Deinde probatur ex rei ipsius natura.*
10. *Tertio ex his, quae decoctionis sententiam praecedere et concitari debent.*
11. *Quarto ex doctorum et tribunalium sententia atque negociatorum testimoniis.*
12. *Tribunal proprio marte quem decoctum haud facit, sed jam decoctum declarat.*
13. *Hujusce declarationis necessitas et effectus describuntur.*
14. *Cum decoctio pene numquam a malae fidei suspicione sejungatur, leges jusserunt fortunarum simul et personae assecurationem.*
15. *Ex quo magis magisque exulat citationis necessitas.*
16. *Nemo enim dixerit criminalem inquisitionem ab inquisiti citatione exordiri.*
17. *Decisio* Anconitana decoctionis anni 1822 coram Tiberi *declaratur.*
19. *Iniquum non est decoctorem inauditum damnare statimac intra octo dies a lata declarationis sententia potest ipse eidem sententiae contradicere.*
20 *Quae demonstrent aliquem verum negociatorem, ideoque tribunalis commercii jurisdictioni subjectum.*
21. *Ut quis negociator renuncietur, sufficit ipsum habitualiter commercio operam dedisse, nec obstat civilibus quoque negociis incubuisse.*
22. *Dictio* abituale *declaratur.*
23. *Quae demonstrent aliquem decoxisse.*
24 *Lex decoctum debitorem appellat qui a solutionibus cessaverit.*
25 *Sub qua appellatione is etiam comprehenditur qui solutiones distulerit et in suspenso reliquerit.*
26. *Fuga vero et latitatio in loco immuni maximum praebet decoctionis argumentum.*

## Decisio XV.

Expeditissimam circa negocia, quae commercium respiciunt in judicando rationem a s. Ordine nostro servari jussit legislator, ita ut caussarum definitionem ipsa sententiae expeditio nulla interposita mora subsequatur, decisionis formalitate seposita, et novae au-
4 dientiae beneficio nemini indulto. Quum tamen aliquando contingat ejusmodi controversias agitari, quae dubietatem aliquam praeseferant, tunc a statuta regula ita deflectere licet ut decisionis extensio locum obtineat. Quod punctim in hac evenit decoctionis querela. Circumscriptione siquidem plectendam cum Patres judicaverint anconitani tribunalis sententiam, qua Josephi Consolani decoctio *ex officio* fuit declarata, decisionem vulgari simul jusserunt die 2 octobris anni nuper elapsi, quae reapse sub ea die, me auctore, in lucem prodiit. Quo facto innotuit Patres aliquam dubitandi rationem animo praeconcepisse, et controversiam maximi momenti iterum ad trutinam velle revocare. Hoc igitur mane rursus proposita quaestio est, et factorum circumstantiis dilucidius expositis, commercialisque juris principiis maturius perpensis, Patres, ea qua pollent docilitate, a pandita sententia deflectere non dubitarunt per rescriptum»: *Recedendum a decisis, et extendatur decisio.*

Primum quidem et potius precedentis decisionis fundamentum defectus erat citationis, ob quem visum Patribus est circumscribi omnino debere latam decoctionis sententiam. Attentius tamen hodie rem perpendentes diversimode judicandum definiere. Quamvis enim generalis judiciorum norma prae-

2 scribat a citatione quamlibet litis exagitationem esse inchoandam, et injuria quemquam non vocatum damnari : casus tamen adsunt in jure quamplurimi, in quibus vel a mora periculum oriri potest, vel ab ipsa citatione jura actoris in id discrimen adduci queunt, ut pene desperata hujus evadat conditio : quibus in casibus, cujusmodi unus est dum mandatum exquiritur *di sospetto di fu-*
3 *ga* de qua praxis nostra *artic.* 583, quosque fuse recenset *Voetius in Pand. lib.* 2 *tit.* 4 §§ 17 *et* 18, jure recteque omittitur citatio, prout sacrum etiam nostrum Tribunal definivit *in decis.* 45 § 10 *cor. Riminaldo, et in Senogallien, seu Veneta exequtionis requisitorialium* 9 *martii* 1804 § 7 *cor. Strasoldo, ejusdemque confirmatoria* 18 *martii* 1805 § 6 *cor. eod.* At precisive a generalibus juris civilis dispositionibus haec erat controversia definienda. Agebatur quippe de sententia infirmanda a tri-
4 bunali commerciali lata, ac propterea eae punctim leges casui erant aptandae quae de commercialibus judiciis latae fuerant, et ad earum tramites definienda res erat etsi generales juris dispositiones aliud suadere viderentur. Notum namque est specialia jura
5 generalibus derogare, prout optime animadvertit *Pothier in pand. lib.* 1 *tit.* 3 § 25 aliique passim.

Atqui codicis mercatorii lex quae de decoctionum declarationibus disponit, ita concepta est ut ex ea facile pateat citationem oberati mercatoris non esse praemittendam. Uno enim eodemque actu a judicibus et de-
6 coctionem declarari et signacula apponi et decoctum mancipari praecepit, adeo ut haec tria unius ejusdemque sententiae subjectum constituant. Causas autem diligenter enumerat lex ipsa ob quas ad appositionem signaculorum imperandam deveniatur:» *Tostochè il tribunale di commercio avrà cognizione del fallimento, sia per la richiesta, anche col mezzo di semplice memoria, di qualche creditore, sia per la notorietà publica, ordinerà l' apposizion dei sigilli.* Quo loci animadvertendum est tum ex patula legis littera, tum ex rei de qua agitur natura, citationem non solum necessariam haud esse, immo eam esse procul dubio omittendam.

Si verba enim spectes, id statim comperies tanta festinatione hoc esse judicium absolvendum ut simplex decoctionis notitia judicum sententiae viam aperiat: *Tostochè il tribunale di commercio avrà cognizione del fallimento . . . . . ordinerà l'apposizione dei sigilli.* Ad omnem vero dubitationis et arbitrii causam arcendam lex modos probe enu-
7 merat ejusdem notitiae acquirendae, nempe *la dichiarazione del fallito, la richiesta di qualche creditore, la notorietà pubblica.* Ubi igitur citationis vola ? si oberatus mercator se decoctum fatetur, interpellandus is certe non est : si ejus decoctionem declarandam petit aliquis ex creditoribus, lex ipsa citationis necessitatem jussit exulare : petitionem namque sufficere praecepit » *anche col mezzo di semplice memoria* »; atque in hac legis parte animadvertendum occurrit
8 leges nostras gallicis legibus a quibus manant, apertius etiam citationis necessitatem improbasse. Gallici enim codicis articulus 449 a quo hic noster 444 desumptus est, judices notitiam decoctionis acquirere statuebat » *par la requete de quelque creancier* » dubitari porro poterat de ratione hujusmodi *requete* exhibenda. Pontifex vero, ad omnem esitationem arcendam, eam valere addidit » *anche col mezzo di semplice memoria* » ; quo magis magisque citationis necessitatem excludit. Ultimo judicibus notitiae de decoctione acquirendae via paratur a pubblica fama. Quo in casu si citationem aliquis sententiae praeire cupiat, indigitet porro quo instante sit exhibenda. An ab aliquo ex creditoribus ? atqui de petitione creditorum jam loquuta lex erat : num ab ipsis judicibus ? atqui absurdum quacumque absurditate majus esset eosdem actoris partes et judicis in uno eodemque judicio sustinere. Concludamus igitur ex aperta legis littera citationis necessitatem penitus excludi.

Quod si rei de qua agitur, natura inspiciatur, id evidentius etiam demonstratum erit. Appositio enim signaculorum ideo imperatur, ut nequeat oberatus mercator ullam amplius ex rebus suis occultare ad creditores fraudandos. Jam vero si illum premoneas, et quantumvis etiam brevissimi temporis eidem impertiaris, elusoria prorsus evadent providissi-
9 ma haec legis ejusdem capita » *il tribunale di commercio ordinerà nel medesimo tem-*

*po, o il deposito della persona del fallito nella casa di arresto per debiti, o la custodia della sua persona per mezzo di un officiale di polizia* ». Et scilicet nuncium mittere quo moneatur infra paucos dies, vel si velis etiam horas, in carcerem esse detrudendum, idem esset ac ejus fugam vel occultationem suadere, et ferme auctorare. Quae sane Patres et in praeterita hujus causae propositione animadverterunt, rite definientes judices, *ex officio* ac nulla praemissa interpellatione, signorum appositionem et oberati custodiam imperare posse statim ac id iis suaserit creditorum instantia, vel increbescens de inopia debitoris rumor et fama.

Jam vero hic illud redit quod supra positum fuit, appositionem nempe signorum, oberati custodiam et decoctionis declarationem non plurium, sed unius ejusdemque sententiae subjectum constituere. Id imo probe animadvertendum est haec tria eo fuisse a legislatore ordine disposita, ut declarationem 10 decoctionis appositio signorum antecedat, custodia vero personae eamdem subsequatur. Postquam enim de illa verbis in superioribus §§ relatis sub *artic.* 443 loquutus est, sub articulo deinde 448 ita pergit » *nella sentenza in cui il tribunale ordinerà l'apposizione de' sigilli, dichiarerà l'epoca dell'apertura del fallimento* »; et sequenti deinde *art.* 449 personam, ut vidimus, jubet custodiendam. Si ex tribus igitur unius sententiae capitibus primum et tertium absque ulla citatione sunt absolvenda, absurdum saperet ut medium citatione indigeret. Quae lex aperte et conceptis verbis conjungit disjungere, ubi ea non distinguit distinguere, unum individuumque actum in partes secare diversisque formis absolvere, a jurisprudentiae principiis adeo abhorret ut oleum et operam perdere videretur quicumque hujusmodi absurda longiori oratione confutanda susciperet.

Quibus ex lege desumptis argumentis ea opitulantur, quae ex communi negociatorum praxi, ex urbani etiam tribunalis commercialis consuetudine, ex auctoritate tandem recentiorum de commercio scriptorum, desumitur. Neocomacenses scilicet., tergestenses, francofurtenses ad Menum, parisienses, aliique in celeberrimis emporiis degentes negociatores testantur unanimiter » *non si fa mai precorrere veruna citazione al domicilio nè alla persona che vuol dichiararsi fallita* »; idemque se nosse et in usu receptum esse confirmant ligures, neapolitani, mediolanen- 11 ses, et ex nostris anconitani, ferrarienses et bononienses mercatores, et earumdem regionum tribunalia de commercio instituta. Sex supra viginti decoctiones se declarasse testantur triumviri urbani litibus de commercio definiendis addicti, quarum plures ex officio et publici rumoris causa, omnesque nulla praemissa citatione: ac inter eas nonnullae a sacro Ordine nostro, ad quem per provocationem delatae fuerunt, confirmationis robur meruerunt, cujusmodi ea est quae cor. bo. me. R. P. D. Martinez die 16 maii anno 1825 proposita, rescripto»: *Nihil de circumscriptione et expediatur* » dimissa est, nullo in pretio habito citationis defectu. Accedunt tandem auctoritates praeclarissimorum omnium illorum qui gallicum de commercio codicem a quo noster hic desumptus est, interpraetati fuerunt. Uno enim ore citationem ab hoc judicio exulare docent *De la Porte ad art.* 437 *et* 449, *Dufour in opera il negoziante istruito ad eumd. art.* 449, *Locrè in opere l'esprit du code de commerce*, *Pigeau in sua procedura civile dimostrata tom. ult. pag.* 458 *et* 463.

Quod si res accurate, ut par est, perpendatur, quamcumque ab hac judicii ratione iniquitatem abesse, imo eam justitiae omnino esse consonam facillime compertum evadet. Citationis quidem necessitas tum forsan sustineri valeret, qnum tribunal ad sententiam ferendam ex levi quacumque suspicione adduceretur. Abest hoc autem quammaxime a lege nostra. Per eam siqnidem non is qui adhuc integer famae est mercator a 12 judicibus proprio marte decoctus declarari valet; sed decoctio dumtaxat vulgatur ejus qui jamdiu decoctus est. Factum non suspicionem, rei veritatem non praesumptionem lex ista supponit. Tribunal siquidem sententiam ferre jubet » *tostochè non sospetterà, presumerà*, sed *avrà cognizione del fallimento* »; nec ea sententia deterior efficitur mercatoris conditio: non enim ex ejus vi decoquit, at quam admisit decoctionem occultare nequit amplius. Tribunal enim, lege au-

ctorante, *non dichiarerà il fallimento*; sed *l'epoca dell' apertura del fallimento*, quae ad diem retrotrahitur quo vel latitare decoctus caepit, vel cambii litteras insolutas reliquit, vel aliud aliquod oberationis suae indubium protulit testimonium. Cujus verae epocae
13 praefixionem interest quammaxime reipublicae sine mora a judicibus declarari et vulgari. Quippe ex ea die administrationem bonorum suorum amittit decoctus (*art.* 436), viribus cadunt hypothecae et privilegia quaecumque contra illum decem antecedentibus diebus acquisita (*art.* 437), nullitatem recipiunt acta omnia ab eo sive lucrativo, sive oneroso titulo peracta (ibi); condicenda venit quaevis pecunia, qua nomen cujus dies nondum venit, dimissum fuit, et in fraudem creditorum omnis solutio praesumitur (*art.* 439).

Cum itaque tot tantaque pendeant ex decoctionis declaratione, jure meritoque jussit legislator nullam a tribunali moram esse admittendam ad ejus promulgationem, statim ac eamdem obtinuisse novisset. Animadverterunt autem quoque Patres decoctionem omnem a quadam malae fidei et criminis praesumptione nunquam esse disjunctam. Una simul cum ea parique passu procedit susceptarum obligationum proprietatumque violatio, quam, cum saepe a sola culpa, tum saepius a dolo etiam manare neminem latet.
14 Hinc leges de commercio latae quas supra retulimus, duplici tutela in eum qui decoxit, prospiciendum statuerunt, ob discrimen scilicet duplex ne fraudentur creditores et inquisitionis criminalis elementa disperdantur, ac ipsa persona fugam arripiendo et creditores et fiscum eludat. Bona scilicet ejus apprehendi et signis notari ad jura creditorum servanda, personam item custodiae tradendam voluere ut, si crimen admisit, poenam luat. Qua posita criminis suspicione, a decoctione unquam sejungenda, prout testantur recentiores de re commerciali scriptores, praesertim vero *Segur dei discorsi o rapporti al corpo legislativo o al tribunato pag.* 101, *Treilhard rapport. pag.* 123, *Cretet discussioni al consiglio di stato apud Locrè*, *Locrè spirito del codice commerciale ad art.* 488 *ec.* citationis non mo-
15 do necessitas exulat, sed ejus interdictio et periculum magis magisve comprobatur. Nemo enim adhuc dixit in criminalibus judiciis quae ab apprehensione et assecuratione de-
16 linquentis exordium ducunt, inquisiti citationem esse praemittendam. Hoc vero decoctionis judicium duplicem praeseferre naturam compertissimum est, ac mixtum pro-
17 inde esse ex civili et criminali; ita ut acta praesertim quae ab initio a judicibus commercii sunt perficienda, inquisitorii potius magistratus quam civilis judicis munus constituant.

Perperam vero objiciebatur sacri nostri Ordinis decisio *Anconitana decoctionis anni* 1822 *coram R.P.D. meo Tiberi Athenarum archiepiscopo*. Anconitani enim tribunalis sententia per eam revocata ea potissimum de caussa fuit, quod de solutionum cessatione haud satis constaret, ideoque uti decoctos debitores haberi non posse sacer Ordo definivit. Quo vero ad citationis defectum, distat quammaxime a nostra illius decisionis species: agebatur siquidem in ea decoctione ad instantiam creditorum declarata; nunc vero de ea res est quam tribunal ex publica fama novit, et *ex officio* declarat: quo in casu illa eadem supra relata decisio citationis necessitatem excludit aperte. Quidquid igitur in ea decisum fuerit, cum ex declaratione cujusquam creditoris tribunal procedit, id frustra in hodierna controversia proponitur.

Nec ad citationis necessitatem hucusque profligatam inducendam id juvat objicere oberatum mercatorem injuria damnari inauditum, defensionis exui beneficio, insontem forsan indebita poena mulctari. Tribunalis enim sententia quae, ut una creditorum et fisci juribus consulat, sigilla apponi et personam decocti apprehendi jubet, provisorie tantum executioni committitur, ac contra eam infra dies octo patet damnato *oppositionis* remedium, quam *oppositionis* vocem a gallico legislatore adhibitam, noster legis-
19 lator interpraetatus est *reclamo*. Id statuit aperte codicis articulus 451: » *La sentenza sarà esecutoria provisionalmente, ma suscettibile di reclamo pel fallito negli otto giorni*. Patet igitur via, eaque paratissima, qua oberatus mercator nominis juriumque suorum integritati consulat, interponens sci-

licet *oppositionis* remedium adversus latam sententiam, quae definitiva tunc solum efficitur, cum labi terminum dierum octo patiatur decoctus; post quam etiam appellationis beneficium ei suppetere potest.

Ex quibus omnibus concludi tandem potest citationem non solum absque ullo nullitatis periculo in hoc judicio omitti posse, bene vero eamdem omitti omnino debere, id legis sancitione, judicii natura, universali consuetudine, conformi denique scriptorum omnium auctoritate suadente. Restat nunc ut breviter de aliis duabus praetensae circumscriptionis caussis breviter inquiramus, de defectu scilicet jurisdictionis, ac de intrinseca sententiae justitia. Quoad primum vero ex noviter deductis certo certius Patres definierunt *Consolanum uti mercatorem habendum esse*, ideoque commercialis tribunalis auctoritati jure meritoque fuisse subactum. Constat enim eumdem inter judices tribunalis anconitani de commercio consedisse usque ad pervigilium defectionis suae. Solis autem mercatoribus locum illum patere compertissimum est. Constat item eumdem tam actoris, quam rei conventi nomine coram tribunali commercii perpetuo comparuisse. In litterarum cambialium protestationibus, ac in publicis instrumentis ejusdem nominis mercatoris qualitatem adjectam semper reperis. Cambii literas per hosce novissimos annos quamplurimas traxit, easque quidem de loco ad locum pecuniam transmittens, quae mercatoriam qualitatem invicte demonstrant.

Negociatores enim campsoresque anconitani testantur de facto etiam proprio » *ha continuato abitualmente nell'esercizio degli atti di commercio . . . . . per l'estero e fuori di piazza . . . . anche con molti di noi sottoscritti*; subsignati vero ad numerum ferme viginti pertingunt, et ad nobilius pertinent negociatorum genus. *Tandem la camera di commercio anconitana, gli agenti di cambio, i sensali, i ministri scritturali delle case di commercio di Ancona*, et inter urbanos argentarios eques Joannes Gherardus de Rossi uno veluti ore testantur *habitualiter* Consolanum non solum ad annum usque 1820, sed usque ad mensem junium anni 1826, post quem immediate decoxit, commercii negocia egisse; ac uti negociatorem ab omnibus habitum fuisse. Quae *habitualis* exercitii testimonia, ne a sceptico quidem in dubium revocanda penitus excludunt ab hac facti specie ea juris principia quae in praeterita decisione sub § 8 enucleata sunt.

Nec quidquam interest eum civium patri-
21 moniis administrandis operam praestitisse, vel quaesturam gessisse» *della società del casino.* » Potest enim mercator negociis etiam implicari quae commercium nullimode respiciunt: id sufficit ut mercator sit, quod *habitualiter* commercio operam dederit. Quo loci id prudenter animadvertebant qui contra Consolanum caussam dixere, legislatores dubitasse dum de mercatoris qualitate evincenda ita statuebant utrum scribendum esset eadem pollere quicumque acta commercii gerit » *e ne fa la sua professione principale* » an potius *abituale*. Et alterum hoc verbum *abituale* praelative attribuisse, ne a commercio alienus putaretur qui eidem operam navans alia etiam negocia quantumvis gravia simul una gerenda suscepisset. Id denique animadvertendum probe est ex ipsa municipalis arcae procuratione, quam gessisse Consolanius profitetnr mercatoriae jurisdictioni subjectum fuisse. Articulus quippe 604, mercatorii statuti eidem subesse voluit quoscumque pecuniae publicae administratores.

Pauca nunc de sententiae justitia addenda supersunt. Omnia quippe concurrebant quae ad decoctionem declarandam ex legum praecepto viam aperiunt: cessatio nempe solutionum, latitatio debitoris, de eversa ejus fortuna publicus rumor increbrescens. Nec
23 enim ab aliquo controvertitur ante diem decimum mensis julii anni 1826 jam plures ab eo accepto habitas litteras cambiales insolutas fuisse relictas, ac protestationem subiisse; idemque certo certius evenit de aliis nonnullis quae, quamvis ejus acceptatione destitutae, quum tamen oneroso titulo in eum translatae fuissent, statutis diebus dimittendae ab eodem fuerant. Accedit arcarum expilatio quarum ipse gerebat quaesturam: municipali quippe magistratui innotuit scuta sexmillia septingenta et ultra ex publica pecunia ei concredita deesse; ex quo factum est ut manum regiam eidem impendere ille nuncia-

verit, et in alium transtulerit quaestoris munus, ipsa probante sacra Congregatione reipublicae bene gerendae praeposita. Quae tamen omnia haud satisfuere ad usurpatam ab eo pecuniam recuperandam. Septingenta item et quatuor supra viginti scutata deficere patuit ex arca genialis illius civium conventus, quae » *del Casino* » audiebat: eodemque temporis vulgabatur eum aedes et theatri pulpitum distraxisse, ac pro juribus uxoris suae servandis nonnulla bona obligasse. Quae omnia simul juncta si considerentur, pessumdatam ejus
24 fortunam omnino fuisse compertum erit; si vero una spectetur commercialium solutionum cessatio, eum reapse decoxisse concludatur oportet ad legis tramites quae jubet: » *Ogni commerciante che cessa di fare i suoi pagamenti, è nello stato di fallimento* ».

Perperam vero obtruderetur eum non cessasse a solutionibus, sed easdem in suspenso dumtaxat reliquisse. Jam enim, si hujusmodi probaretur distinctio, actum esset de commercio, et vix unius decoctio renunciari unquam posset. Generalis autem legis sanctio quominus ea recipiatur impedire Patres censuere, noveruntque sub iis verbis » *che cessa di fare i suoi pagamenti* » tam eum in-
25 digitari, qui nunquam solvendo par erit, quam qui quacumque de causa muneri suo statis temporibus implendo impar effectus sit, licet post aliquod temporis ejusdem explendi possibilitas adsit. At Consolanii conditio adeo erat desperata ut nec hujus possibilitatis aliqua verosimilis spes locum obtinere posset. Si enim ipse creditoribus dimittendis imparem professus erat, dum procuratores nominaverat ad sua cum iis negocia gerenda, transigendaque, ex dati acceptique rationibus ab eo metipso dispunctis aes alienum infra aes proprium erat: novitque unusquisque quam multa in hoc intruserit, quod serius ab agentibus decoctionis fuit demonstratum.

Quid vero quod praeconceptas ab omnibus suspiciones ipse facto suo confirmavit? Creditores enim qui pro pecunia sua condicenda ejus domum se contulere, non aliud a domesticis responsum accepere » *non è in casa, nè in Ancona, ne si sà dove sia* ». Hinc parrochus *s. Mariae a misericordia* pro gestione legati pii quam Consolanius eo usque gessit, provisionem impetrare debuit. Hinc creditores de ejus fuga rumores, quos eventus ipse probavit, dum rescitum est suae securitati eum consuluisse in asceterium confugiens Castri Emilii. Atqui hujusmodi fuga
26 et latitatio praesertim in loco immuni maximum praebet defectionis argumentum *Blakston ad leg. Anglicas pag.* 406 *tom.* 3, *Salgad. labyr. credit. cap.* 1 *part.* 1 *num.* 51 *et* 52, *Constant. ad stat. urb. annot.* 26 *art.* 1 *tom.* 1 *num.* 13 *et* 15 *et sequen.*

Quod si ex hisce omnibus sententiae, qua is decoctus declaratus est, justitia satis superque demonstratur, ad evidentiam prorsus assurgit ex publica fama. Supra enim relatus parochus, dum provisionem pro gestione legati pii impetrabat, eam se consequuturum sperabat » *attese le notorie circostanze cui è dovuto civilmente soccombere il sig. Consolani* »: unanimes » *gli agenti di cambio* » testantur » *era pubblico e notorio che il signor Consolani era fallito* »; addunt imo miratos omnes fuisse » *che dietro una notorietà così certa non avesse il tribunale aperto il fallimento di officio* ». Si audis *i sensali* » *sin dalla sera del giorno tre luglio era voce pubblica della città di Ancona ch'era mancato di credito il Consolani* ». Easdem tandem inflant tibias proxenetae, negociatores, universus pene civium ordo, ex quorum dicto compertissimum est Consolanum uti vere decoctum ab omnibus habitum fuisse. Debuit igitur commerciale tribunal de decoctione sententiam proferre, eumque qui a solutionibus jamdiu cessaverat, qui latitabat timore perculsus, qui decoctus ab omnibus renunciabatur, *ex officio* decoctum reapse declarare: quod rite recteque perfecit, probavitque hoc mane sacer Ordo noster citationis assertam necessitatem excludens, jurisdictionis praetensum defectum despiciens, sententiae tandem justitiam cognoscens.

Et ita, utraque, in strenuo partium certamine hoc mane definita res est.

R. P. D. MUZZARELLI

ANCONITANA ACTIONIS INSTITORIÆ

*Lunae 5 martii* 1827

ARGUMENTUM

Ex multis excluditur tum institoria qualitas, tum mandatum, adeoque sive institoria, sive mandati actio rejicitur.

*SUMMARIUM*

1. *Prepositum seu mandatum fieri possunt sive verbis quibuscumque, sive re, et tacite etiam factis.*
2. *Ast verba et facta talia esse debent ut mandatum secumferat, non precem aut commendationem.*
3. *Aliud in jure est mandatum, aliud commendatio.*
4. *Ex leg.* 11 *ff. de inst. act. atque ex glossa, ut quis institor habeatur, id procul ab ulla aequivocatione vel ambiguitate significandum est.*
5. *Institorem dat qui ministrum negotiis suis aliquem praeponit, non qui aliena negotia aliis commendat.*
6. *Ex quibus rursus excluditur institoria qualitas.*
7. *Antequam agere quis possit actione mandati contraria, gestionis suae rationem reddere debet.*
8. *Tria mandatarius docere debet in exitu mandati: impletum a se fuisse mandatum: quid a se abesse: hoc ipsum abesse ex causa mandati.*
9. *Ut quis rationes reddidisse dicatur, non satis est partitas dati et accepti innuere; sed eas oportet singillatim comprobare.*
10. *Mercatorum rationes reddendae sunt exhibitione librorum, quos ipsi ex lege penes se retinere, et in quibus dietim quidquid in negociatione egerint adnotare debent.*
11. *Neque inter mercatores fas est fructus exigere ubi caput debiti sit incertum et illiquidum.*

DECISIO XVI.

Petierat Anconam Rocchus de Joanne, anno 1813, causa marittimae negotiationis, et cum, sive alienigena esset, erat enim natione graecus, sive homo novus in marittimo illo portu, hoc sibi imprimis quaerendum putavit ut alicujus anconitani civis in mercatura exercitati, cum operae, tum fidei, se commendaret. Erat autem, illis Italici regni temporibus, homo vel potissimum illius civitatis, Antonius Passano; qui, etsi alienigena et ipse quoque esset, tamen sive solertia in marittimis rebus gerendis, sive gratia apud illius regni moderatores, plurimum valebat. Huius itaque in fidem Rocchus se recepit: et quas ex portibus exterisque negotiatoribus ad se identidem missas recipiebat, earum mercium sive in anconitanis promptuariis custodiendarum, sive venu dandarum adjutricem sibi Antonii operam aliquando habebat. Atque res ita, per annum circiter, se habuit. Ubi autem, resoluto Italico regno, publicisque redintegratis rebus, pristina pax et commercii libertas fuit undique reserata, Rocchus Anconam reliquit, et se contulit Tergestem. Non nihil vero aeris alieni in Roccho tunc temporis fuisse videtur, quod solvendum ab eo esset Antonio. Nam, etsi hunc inter et illum nulla, seu in judicio, seu extra judicium, prolata fuerit rationum dati et accepti dispunctio, quae per utrumque subscripta esset et confirmata; tamen ex una et altera epistola constat Antonium, die 30 decembris 1814, efflagitasse ut pecunia a se credita sibi restitueretur; Rocchum, die 29 martii 1815, respondisse sibi in praesens non suppetere pecuniam a se restituendam.

Quae demum cumque tunc temporis essent hujus aeris alieni rationes, eae profecto solidatae fuisse videbantur ex eo quod nulla deinceps per Antonium facta amplius esset mentio, per undecim circiter annos, et ne illo quidem anno 1822 quo Tergeste Rocchus remeaverat Anconam, ibique per mensem et ultra steterat. Sed ex improviso, post diuturnum silentium, Antonius venit ad judices commercii Anconae, die 24 octobris 1826 efflagitans ut hinc fas esset sibi tradere quamdam quantitatem cineris kalinae, *cenere di soda*, quam penes se a Roccho depositam fuisse dicebat; illinc solverentur sibi scuta 4374, 82, quot ex computo apud acta contemporanee exhibito sibi adhuc deberi contendebat. Expectationem vero hoc, prae caeteris, superavit, quod hanc suam intenderet actionem, non in Rocchum, sed in fratrem ejus Nicolaum Miliani, qui paulo antea illuc appulerat. Et productis quatuor epistolis, quas Antonius, anno 1813, a Nicolao e Melitensi insula ad se scriptas esse dicebat, et in quibus, post varia commemorata negotia, sibi suaeque fidei commendabatur frater ejus Rocchus. Ex hisce epistolis occasionem con-

tendendi arripuit, quidquid pro Roccho gesserat, id omne de mandato Nicolai egisse, et Nicolaum idcirco ad solvendum illud aes alienum teneri seu institoria, seu actione mandati.

Unanimi voto haec Antonii actio fuit admissa per sententiam diei 28 novembris 1826. Et, ultra mandatum personale quod, ad sententiae executionem properandam, cum reali simul conjunxerat, tribunal commercii Anconae, motu proprio, praesulem anconitanae provinciae moderatorem scripto monuit, ne facultas, *passaporto*, Nicolao, pendente lite, daretur egrediendi Ancona. Eodem quoque tempore apud anconitanum praetorem Antonius instetit ut mandatum relaxaretur contra eum, tamquam de fuga suspectum. Sed haec omnia in irritum hucusque cesserunt sive ex appellatione quam Nicolaus, die 11 decembris, interposuit a sententia tribunalis; sive ex decreto praetoris qui, die 18 ejusdem mensis, neque de suspicione fugae constare decrevit, neque hac de re mandatum esse relaxandum. Rebus in hoc statu manentibus, Nicolaus, in gradu appellationis, ad Ordinem nostrum hac mane venit; et in acri utriusque partis conflictu, rescriptum, revocata sententia tribunalis anconitani, votis suis omnino consonum obtinuit: *Non esse locum solutioni, et extendatur decisio.*

Neque institoria, neque actio mandati Antonio est contra Nicolaum. Nam, quo institoria actio ei competeret, opus ad id esset ut Rocchum a Nicolao negotiationi anconitanae praepositum fuisse clare aperteque constaret: ita ut, quidquid Antonius cum Roccho egisset, id cum Nicolao ipso egisse intelligeretur. Porro nihil per Antonium qui actor est, profertur ad praeposituram illam probandam. Et quae per eum exhibitae sunt apud acta judicii, et in quibus tantummodo fundatur ejus actio, illae quatuor Nicolai epistolae e Melitensi insula ad se mensibus junio et septembris 1813, probant quidem fratrem ejus Rocchum, qui Anconae tunc temporis morabatur, sibi fuisse commendatum; nequaquam vero negotiis fuisse praepositum. Nam praepositura seu mandatum etsi fieri possint, sive verbis quibuscumque, sive re et tacite etiam factis: *leg.* 1, 6, 18 *tit.* 1 *lib.* 17 *dig. mandati*, : tamen facta aeque ac verba ejusmodi esse debent ut mandatum secumferant, non precem, non consilium, non commendationem. Aliud in jure est mandatum, aliud commendatio. Et traditum in leg. 12 tituli mox allegati habetur : *Cum quidam talem epistolam scripsisset, rogo te, commendatum habeas Sextilium crescentem amicum meum, non obligabitur mondati; quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa, scripta est.*

Quae in una et altera ex epistolis ad Antonium scriptis occurrebat de Roccho mentio, ea non progrediebatur ultra terminos aut commendationis, aut gratiarum actionis. *Sono intanto in dovere*, ita Nicolaus, die 2 junii, scribebat, *di ringraziarvi per quanto operaste, ed operate a pro di cotesto mio Rocco di Giovanni. Egli mi ha manifestato la sua soddisfazione, ed i vantaggi che si promette dalla vostra valevole assistenza.* Iterum in epistola diei 7 septembris: *Io vi reitero i miei ringraziamenti per quanto operate a pro di codesto mio, e vi prego di continuargli la vostra valevole assistenza e benevolenza.* Rursus, die 17 octobris: *nuovamente raccomando il mio signor Rocco alla vostra amicizia.* Neque hoc erat illarum epistolarum scribendarum primum consilium, ut commendatio Rocchi fieret. De multis, iisque valde diversis, ibi potissimum agebatur negotiis, de mercibus per Castellium, per Gervasium, per duos alios orientales mercatores Anconam transvehendis : de mercatura salis cum Tripolino gubernatore conciliandа : de pecuniario proemio per Soffredinium Nicolao solvendo; deque multis aliis distinctis separatisque vel jam comparatis, vel Antonio mox comparandis lucris : et Nicolaus, cum haec scriberet, nihil de Roccho suo scribebat. Ubi vero finis fuerat singulis illis scribendis negotiis, tunc, in calce epistolae et quodammodo urbanitatis causa, Rocchi commendationem adjiciebat. Quod sane et naturale et nimis justum esse videbatur ut frater fratrem in extero portu commorantem, amico, illis forte diebus potentissimo, commendaret. Neque, cum Rocchum nominaret, vel mandatarii, vel socii, vel institoris ei nomen appingebat. *Suum*, cum

de fratre ageretur, illum esse dicebat: neque suum aliter esse significabat, quam nostros esse cunctos illos dicere solemus qui seu familiaritate, seu propinquitate sunt nobiscum conjuncti.

Tempus quoque notandum est mensium junii et septembris quo Nicolaus epistolas illas scribebat, et in epistolis Antonio gratias agebat pro benevoli in Rocchum significationibus animi: scilicet ante mensem octobris ad cujus primam diem, neque sane antea, inscriptum apparet initium emolumentorum et sumptuum, quorum summam Antonius, in hoc judicio, sibi reposcit, et quae ad negotia tunc temporis jam praeterita referebantur, illas epistolas fas non est modo trahere ad facta et negotia, quae tunc temporis erant futura. Ut Rocchus institor negotiorum Nicolai haberetur, id clare et procul ab ulla vel aequivocatione vel ambiguitate fuisset significandum. Nam proscriptio illa quem tabernae cuidam vel negotiationi fuisse praepositum, quae *in leg. 11 tit. 3 lib. 4 dig. de instit. actio* ordinatur, et quinque illa requisita quae a glossa ad illam legem occurrunt adjecta, ut proscriptio seu institoris denunciatio *claris litteris fiat, quaeque intelligi possit, ante locum negotiationis de plano posita, et perpetuo maneat*, ea satis probant quanta illius proscriptionis necessitas sit, et quantum aperta debeat esse denunciatio. At in epistolis Nicolai non modo aperta denunciatio deest, et id est in comperto; sed ne tacita quoque occurrit: quia quem commendare, id profecto in jure, neque mandari negotium alicui, neque aliquem negotio praeponi, intelligitur.

Deerat quoque seu ratio, seu necessitas, ex qua inferri liceret Nicolaum negotiis suis praeposuisse Rocchum. Non enim sua, sed aliena erant negotia quae in Nicolai epistolis commemorabantur. Et vel ad Castellium, vel ad Gervasium, vel ad alios duos orientales mercatores pertinere ibi dicebantur merces, quae ex partibus vel Melitae, vel Smirnarum, vel Zettae transmittebantur Anconam. Nulla ergo institoris necessitas erat Nicolao, qui nulla negotia sua curare debebat. Nam institorem dat qui ministrum negotiis suis aliquem praeponit, non qui aliena negotia aliis commendat. Hoc unum erat Nicolai consilium ut, quo bene de Antonio, ejusque vel gratia, vel beneficiis mereretur, ejus sive operam, sive mercatoriam dexteritatem cunctis praeponeret orientalibus negotiatoribus, quotquot merces Anconam transvehebant; hisque tutum fore adfirmabat ut merces illuc transvectae et tuto custodirentur in illo portu, si committerentur Antonii fidei, et per ejusdem mercatoriam solertiam, quaestuoso venu brevi darentur. Ita eum cum Gervasio sese gessisse, cum Castellio; ita hoc ipsum ab eo factum iri cum caeteris mercatoribus in posterum obventuris, palam id fit ex ejus epistolis. *Questo signor Castelli mio particolare amico*, Nicolaus scribebat ad Antonium, *spedisce a mia insinuazione un carico di sali e di altre merci, prodotti di Alessandria. Io ho preso a bella posta un interesse su questo carico* (duodecimam partem) *per avere il piacere di vederlo indirizzato alla vostra consegna... Sto concertando con varii amici per farvi delle spedizioni copiose: nè lascerò mezzo per sempre più meritarmi la vostra amicizia.* Et, hac rei conditione illis oblata, nihil sane in illarum mercium transvectione sese amplius ingerebat quam illorum mercatorum sibi quisque curabat. Conditionem sibi oblatam cuncti illi mercatores acceptam sine mora habuerant, praeter unum Castellium, qui ab initio anceps quodammodo esse videbatur. Et quo hanc Castelli haesitationem vinceret, quo Castellius Antonii opera uteretur, Nicolaus se ei in socium adjunxisse dicebat pro duodecima parte mercium. Vel nullo ergo institore opus Nicolao erat, vel ad summum, si opus fuisset, necessitas haec coercebatur ad solam duodecimam partem mercium Castelli. Exiguum sane et levissimum negotium. Sed ne quoad hanc quidem partem opus istitore erat; quia Castellius ipse merces, per sese, vendidisse videtur, statimac, illis venditis, antequam ab illo portu vela daret, die 7 junii 1814, exhibebat Antonio computum venditionis, forte quo palam fieret quantus esset valor duodecimae partis pretii exinde retracti.

Rocchus vero quidquid Anconae gerebat,

ob vel sua propria, vel aliena mercatorum negotia agebat, procul a fratris mandato. Nam, si institor fratris fuisset, hoc aperte in ejus litteris significatum occurreret. Adhoc non constabat utrum Rocchus procurator esset cum libera, uti ajunt, vel sine libera. Tum nullo modo innotescebat, qui fines essent mandati seu praepositurae in Rocchum collatae. Nam in computo crediti, cujus solutionem Antonius modo sibi efflagitat, multae et haud leves occurrunt pecuniarum summae sive Roccho per eum mutuo datae, sive in judicia ac lites pro eo impensae. Neque de his pecuniis mutuo accipiendis, neque de his substinendis litibus ullum exhibetur vel speciale, vel generale Nicolai mandatum, ullum vestigium in ejus epistolis occurrit. In duabus epistolis, quarum unam Antonius misit die 30 decembris 1814 ad Rocchum, qui, publicis redintegrati rebus, Tergestem se receperat, in altera diei 29 martii 1815 hic ad illum respondit, multa commemorantur negotia, multae mercium species, de quibus nulla exciderat mentio in epistolio Nicolai. In has ergo mercium negotiationes dicendum est versam potius fuisse pecuniam sive mutuo datam, sive in judicia et merces custodiendas impensam quam in rem et utilitatem Nicolai.

Quod sane vel Antonius ipse profiteri visus est, quum quoties sive de computandis pecuniis Roccho subministratis, sive de iisdem exigendis actum fuit, eum computum inscripsisse constat nomine Rocchi; tum Rocchum, non Nicolaum, sciscitatum fuisse de restituendis sibi pecuniis. In comperto id est ex epistolis mox allegatis. Et computum pecuniarum per Antonium jampridem confectum et in acta judicii nunc productum, ne institorii quidem mandati mentionem habet. Et Rocchus ipse, cum inducias peteret ad dissolvendum suum aes alienum, nunquam in dilationis causam adduxit, quod caeteroquin nimis naturale fuisset, sibi repetendam esse pecuniam a praeponente suo Antonio. Adhoc, nuperrimae alliae duae epistolae ab Antonio, cum Luccae moraretur, quinque circiter ante menses, quam hoc inchoaretur judicium, scriptae fuerunt ad Nicolaum de valitudine sua suaeque familiae, de bello hisce nostris diebus fervente in Graecia, et de hoc praetenso credito nec verbum nec vola ibi aderat. Quamquam res et ipsa temporis diuturnitas et loci vicinitas hoc postulare videretur ut crediti, si revera existeret, saltem renovaretur memoria. Et quemadmodum Antonius, si debitor potius, quam creditor esset, non bene pro solutione debiti conveniretur ex lege a Nicolao, et hinc profecto responderet nihil sibi cum eo fuisse commune, sed rem sibi esse cum Roccho. Ita eidem jus vicissim non est sese in actorem convertere erga illum eumdem Nicolaum, quem neque uti immediatum debitorem, neque uti praeponentem unquam agnovit.

Quae hucusque exposita sunt rationum momenta cum institoriam actionem ab Antonio excludant, tum multo magis actionem mandati. Nam Nicolao, si nulla seu ratio seu necessitas erat uti opera fratris sui Rocchi, qui, causa marittimae negotiationis, versabatur Anconae; multo minus utendum erat opera Antonii, cujus tum primum noverat nomen; ignota autem omnino erat persona. Gratis autem ab Antonio adseritur Rocchum, deposito cognomine *Miliani*, sumpsisse novum nomen *Rocchum de Joanne*; idque eo consilio fecisse, ne a Gallis, qui cum Anglis tum bellum gerebant, impedimentum pararetur sibi communicandi mercatoria negotia cum Nicolao fratre suo, qui Melitae sub Anglorum imperio degebat. Nulla namque ad id affertur probatio. Tum nullum impedimentum metuendum erat, et quemadmodum continuus aditus patebat mercibus quae Melita transmittebantur Anconam; ita facile erat epistolare commercium, ubi praesertim supprimeretur mentio loci ex quo epistolae mittebantur. Et sane hinc inde, sine designatione loci, continuo scribebantur epistolae. Praeterea non designatur prima temporis epocha, qua cognominis mutationem contigisse constet. Et probabilis esse videtur nomen *de Joanne* semper ab eo et quovis tempore fuisse usurpatum; nam tunc quoque fuit retentum, cum intermissum est bellum. Sive autem Miliani, sive de Joanne nomen haberet, nihil inde inferri potest, quod fratris institor esset: neque mandatum infertur ex hisce levissimis conjecturis.

Cum quo demum, cumque Antonius agere vellet actione mandati contraria sive cum Nicolao, sive cum ipso Roccho, semper ei ineluctabile ad id pararetur impedimentum ex eo quod gestionis suae rationem nuspiam reddiderit. Neque enim rationes dati exigi per eum possent, nisi vel antea, vel simul redderentur rationes accepti. Neque quidquam sibi contendere antea valeret, quam probasset illa tria quae mandatarius quisque docere tenetur in exitu mandati. Scilicet, impletum a se fuisse mandatum: omnino enim fines mandati custodiendi sunt; nam, qui excessit, aliud quid facere videtur. Quid a se abesse: hoc ipsum abesse ex causa mandati: *leg.* 5, 20, 45, 46, 54, *tit.* 1 *lib.* 17 *dig. mandat.* Neque computum ab Antonio exhibitum haberi potest pro redditione rationum: non enim satis est innuere partitas dati et accepti, quod tantummodo ibi fit; sed eas oportet singillatim comprobare: atque eo vel magis, quia de multis magnisque mercibus agitur: *soda*, *zeduaria*, *coppella*, *suppiatti*, *rosolj*, *piombo*, *sale*, *zaffaranone*, *seta ec.* - Praeterea de pecuniis mutuo datis, de judiciis magno cum sumptu sustentatis et docendum ab eo est, quando, a quo, et quomodo tanta et tam lata, ad tanta negotia ad tantas mercium venditiones peragendas et in tanta quantitate, acceperit mandata: rursus quibus et quo pretio vendiderit merces, quarum vendendarum sibi, ait, datum fuisse mandatum. Et quanta illarum mercium esset summa colligi id ex hoc uno potest, quod ingens pecuniae vis in computis illis dicatur fuisse persoluta pro sola earumdem transvectione et in Anconitano portu exoneratione: *spese alla ricevuta del carico vallonea e sale col cap. Muratt Ramesotti*, *scudi* 2998 77: *pagati al cap. Lazzaro Panajotti della polacca l' Evangelista per resto di suo noleggio*, *scudi* 1249 50, et sic de singulis. Incredibile vero forte esse videtur ut, ex tot tantisque mercibus per Antonium venditis, pro lucro resultaverit damnum, et hoc quidem ingens in scutis 2772 51, quale in computis illis inscribitur.

Forma quoque computorum vitiosa apparet. Nam ab Antonio, qui se marittimum negotiatorem fuisse praedicat, servandi erant mercatorii libri *juxta artic.* 8 *codicis commercialis*, qui sub illo Gallorum imperio tunc temporis vigebat: in quibus adnotandae ab eo erant singulae dati acceptique rationes, prout in die occurrebant. Atque per horum librorum exhibitionem conficienda erant computa, vel saltem per certa documenta, nequaquam vero per gratuitas adsertiones. Neque rationes et ab Antonio redditas et a Roccho fuisse probatas, id dici ex eo potest quod Rocchus, die 29 martii 1815, e tergestino portu litteris ad eum datis et se per epistolam accepisse computum diceret, et inducias peteret ad suum aes alienum dissolvendum. Nam hoc unum scriptum ab eo fuisse constat: *volentieri avrei fatto i vostri avanzi: per ora non sono in caso.* Cum enim hoc diceret, dilationem ipsam petebat: rem in ambiguo, ut antea, statu relinquebat: et quamquam dilationem efflagitasset, non inde tamen oriretur confessio debiti. Hanc enim inter et illam nil commune esse videtur. Denique diuturnitas temporis, lapsus undecim circiter annorum, acquiescentia jugiter continuata, silentium Antonii de hoc praetenso credito vel illo quoque anno 1822 quo Rocchus Anconam redierat, et per mensem et ultra moratus fuerat; haec omnia satis indicant quantum turbidae habendae sint illorum computorum rationes, et quantum operae ponendum esset in iis liquidandis, si Antonius actione mandati agere vellet in Rocchum. Atque haec ipsa turbida et illiquida computi ratio satis per se ipsa quoque demonstrat injustam, dissolutam et absurdam esse Antonii contentionem de sibi condicendis, ultra caput debiti scutor 2772: 51, aliis sc. 1602: 31 ex fructibus ab illo capite hucusque decursis. Fructus enim, vel inter ipsos quoque mercatores, nefas semper est exigere, ubi caput debiti sit incertum et illiquidum.

Et ita etc. Utraque etc.

R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 18 *octobris* 1827

ARGUMENTUM

Habes ex summario.

*SUMMARIUM*

1. *Qui negociantur super lana, lacte et pecudum foetibus, uti veri negociatores ratione personae subsunt tribunalis commercii jurisdictioni.*
2. *Nec comparandi cum meris agricultoribus* – mercanti di campagna –, *qui secundum sac. Ordinis sententiam ab ea jurisdictione sunt exempti.*
3. *Generale vocabulum* – derrata – *in art.* 601 *legis commercii res omnes venales comprehendit.*
4. *Adeoque etiam herbas ad oves pascendas, itaut qui illas non ad proprium usum, sed negociandi causa coemerit, ratione rei subsit commerciali jurisdictioni.*
5. *Ex Columella aliisque praestantibus scriptoribus ovium abortus et tenuitas lactis et lanae ab incuria pastorum et pabulorum inopia, non a morbis a quibus oves convaluerant, repetenda est.*
6. *Creditori societatis actio solidalis competit in quemlibet ex sociis, dummodo nomen cesserit in causam societatis.*

DECISIO XVII.

Privata apocha die 30 septembris anni 1823 conscripta, Joannes ac Pantaleus germani fratres Pantalei herbas hibernas latifundii » *della Rustica* » in agro romano existentis, quas a Dominico del – Grande conduxerant, Francisco Cambi atque Angelo Santi vendiderunt, qui eo consilio herbas illas acquisiverunt ut depastum illuc ducerent plures pecudes, quas ipsi negociationis causa, contractu quem nuncupant » *patto stucco* », tum ab aliis, tum praesertim ab iisdem fratribus de Pantaleis, alia inita eodem anno 1823 die 28 octobris apocha, deinde sibi compararunt. Herbarum venditio sub hac conditione peracta fuit ut nimirum emptores singula in se susciperent pacta, quibus erga Dominicum del – Grande fratres Pantalei tenebantur. Qua de re primam pensionis ratam cum eo conventam bona fide rependendam curarunt praedicti Franciscus Cambi et Angelus Santi: mox tamen, contendentes morbis affectas sese pecudes recepisse, ab observantia pactorum desciverunt. Coacti hinc fratres Pantalei latifundii locatori alteram pensionis ratam in scutis 253 Dominico del – Grande repraehesentare, diem Cambio ac Santio dein dixerunt coram juridico collegio de mercatorum negociis jus in Urbe dicente, ubi reos conventos damnari postularunt ad solutionem argenteorum nummorum *quinquaginta trium*, quot nempe ipsi solverant latifundii locatori. Actorum votis annuerunt urbani commercii judices, eo lato decreto, de cujus nullitate et injustitia quoesti illico rei conventi fuerunt apud sacrum Ordinem nostrum, a quo tamen utraque rejecta hodie fuit exceptio ope rescripti: » *Nihil de circumscriptione, et esse locum solutioni scutorum* 253; *et extendatur decisio.*

Tum ratione personarum, tum ratione rei in contractum deductae, jurisdictione potiebantur judices commercii praesentem dirimendi quaestionem. Codex enim commercii *art.* 601 ita praescribit » *I tribunali di commercio giudicheranno* 1.° *di tutte le controversie relative alle obbligazioni e contrattazioni tra negozianti, mercanti e banchieri*; 2.° *fraogni sorte di persone delle controversie relative agli atti di commercio*». Quidquid autem sit de fratribus Pantaleis, quoad Cambium et Santium ambigi nequit
1 quin inter negociatores recensendi sint. Negociationibus siquidem operam eos dedisse nedum patebat ex pluribus fide dignis testimoniis, sed ex multis etiam contractibus ac stipulationibus, ex quibus constat pecudes » *a patto stucco* » ac » *a staglio* », ut inquiunt, eos conduxisse ad negociationem super lana, lacte, pecudumque foetibus exercendam. Nec recte praesidium quaerebant rei conventi a celeberrimis s. nostri Ordinis decisionibus *in Romana decoctionis quoad competentiam* 26 *aprilis* 1816 *coram emin. Serlupi*, *ac* 2 *junii* 1817 *coram b. m. Pic-*
2 *colomini*, quia, cum in illis ageretnr de mero agricultore » *mercante di campagna* » qui certe cum negociatoribus, qui diversum hominum caetum constituunt diversisque legibus reguntur, commiscendus non est, merito definitum fuit jurisdictioni tribunalis commercii subjectum eum haud fuisse. At e contra Cambius et Santius, cum non agriculturam exerceant, sed hibernos saltus ac-

quisiverint ad pabulum ovibus praebendum, ac ad faciendum ex ovibus quaestum, ad illum pertinent negociatorum caetum qui merces ac res, quae mercium loco sunt, emunt ut carius vendant, ideoque jurisdictioni tribunalis commercii subsunt.

Certius competens fuit commercii tribunal ratione rei in contractum deductae. Nam lex » *reputa atti di commercio qualunque compra di derrate, o mercanzie per rivenderle, sia in natura, sia dopo averle lavorate, e poste in opera* » ut inquit citatus commercii codex *art.* 601. Jam vero vocabulum illud » *derrata* » cum adeo late
3 pateat ut res omnes venales comprehendat, indole sua amplectitur etiam herbas ad oves
4 pascendas, et negociandi causa coemptas. Quibus positis, non officit quidquid cavetur *art.* 608 ejusdem codicis, ubi a jurisdictione commercii rejiciuntur » *le azioni promosse contro un commerciante per pagamento di derrate, o mercanzie comprate per uso proprio* ». Non enim ad proprium usum coemptae herbae dici possunt, quae imo, si comparatae fuerunt ut ibi pabulum haberent acquisitae negociationis causa pecudes, ipsae etiam herbae in eumdem negociationis finem coemptae necessario dicendae sunt, quia sine herbis exerceri pecudum negociatio nequibat. Rite ergo et recte institutum judicium fuit coram judicibus commercii, quorum definitivo decreto album calculum merito Patres adjecere.

Si namque herbarum venditio sub ea conditione inita fuit ut emptores pactis omnibus succederent, quibus erga Dominicum del Grande sese devinxerant fratres Pantalei, nulla ratio suberat cur data fides violari deberet, et annuae pensionis solutio detrectari, sub qua latifundii conductionem fratres Pantalei stipulati sunt. Nec excusare solutionis defectum poterant Cambius et Santius ex morbis quibus affici objiciebatur pecudes ab iisdem fratribus Pantalei sibi comparatas. Nil commune habet stipulatio una cum altera. Quin imo contractus herbarum non modo tempore anterior est, sed diversa quoque ac distincta syngrapha continetur. In praesens de pretio herbarum agitur, quod nulla ratione ducti detrectant emptores, quodque pactorum religio suggerit ut illico solvatur. Si deceptos e converso se putant Cambius et Santius, ex pecudum contractu agant peculiari judicio adversus Pantaleos, quod caeteroquin nunquam eis proderit. Utcumque enim mala scabie pecudes urgerentur dum montanis pascuis nutriebantur, ab hoc tamen morbo convaluisse, antequam ad maritimas regiones redirent, tum magis confirmat qui ex officio pecudes invisit publicus minister et publicanus cui adhibenda omnis fides erat. Quod si, ut pariter dicebatur, parum lactis, velleris, ac foeturae pecudes dederunt, id sane nec satis probatum erat, nec, si probaretur, argumento esset haec mala ob praecedentem et sanatum scabiei morbum evenisse. Plures imo aderant opiniones, et peritissimi agrorum cultores, qui haec vitia, non a veteri scabie, sed ab una custodum socordia et defectu pascuorum oriri profitebantur.

Idipsum confirmabat, pluribus innixus scriptorum auctoritatibus, ac praecipue *Columellae de re rustica*, praestantissimus Archigymnasii romani in re medica antecessor
5 Aloysius Metaxà, qui extra judicii ritum de sententia sua rogatus respondit ovium abortus ac tenuitatem lactis et lanae ab incuria pastorum et pabulorum inopia, non a morbis a quibus oves convaluerant, repetendam esse. Animal quippe sanatum reducitur in pristinum statum, perinde ac si nunquam in morbum incidisset. Longe itaque erat quod locum sibi vindicaret pactum, et commissa dici posset stipulatio, qua contrahentes voluerunt ut nullum solveretur pretium, ac pecudes commodo vel incommodo locatorum in latifundio manerent, si morbo aliquo afficerentur. Juris imo ratio exigebat ut ad solutionem pretii herbarum, tam Cambius, quam Santius *in solidum* damnarentur. Quamvis enim unus Cambius apocae venditionis herbarum subscripserit, subscripsit tamen nomine etiam socii sui Angeli Santi, quo cum societatem contraxisse super pecudum fructu nedum plures alii contractus, sed plura etiam judiciaria acta revin-
6 cebant. Creditori autem societatis actio competit *solidalis* adversus quemlibet ex sociis, dummodo id ex quo creditum oritur, in causam societatis cesserit. *Zanch. de societat. part.* 2 *cap.* 10 *n.* 92. At herbae adeo ces-

serunt in causam societatis, ut sine herbis pecudum societas, neque iniri, neque ad exitum perduci posset.

Et ita etc. utraque etc.

### R. P. D. DE CURSIIS

FIRMANA VENDITIONIS

*Lunae* 9 *julii* 1827

ARGUMENTUM

Poena conventionalis adjecta non *quantitati solvendae*, sed *facto*, vel *non facto*, omnino probatur, ad eamque damnatur qui conventioni contravenit, quin opus fuerit interpellatione; nam huic poenae fit locus non ex mora, sed ex ipsa contraventione. De emptione venditione jam perfecta, quamvis scriptura deficiat, plurima habes argumenta.

*SUMMARIUM*

1. *Actio ex empto ad quanti interest diversa prorsus est ab actione damni injuria illati ex lege Aquilia.*
2. *Et nihil odii continet.*
3. *Multum distant inter se poena* legalis, *quam lex comminatur, et poena* conventionalis *quae ex stipulatu debetur.*
4. *Poena autem conventionalis vel adjecta est* quantitati solvendae, *et cum plerumque foenoris labe inquinetur, durissima habetur et excusabilis; vel alligatur* facto *vel* non facto, *et legitima est, atque canonico civilique jure commendatur.*
5. *Poena adjecta* facto *vel* non facto *solvenda est, nullo etiam intercedente damno.*
6. *Mora non intelligitur ubi nulla petitio est.*
7. *Quando poena adjecta est conventionis contraventioni, ut eam incurrat qui contravenit, nulla opus est interpellatione: non enim pendet a mora, sed ab uno contraventionis facto.*
8. *Re non amplius integra alterius ex contrahentibus culpa, alter ad contractus executionem cogi nequit.*
9. *Non permittendum ut quis vel emolumentum capiat ex propria culpa, vel ex aliena damnum patiatur.*
10. *Scriptura non ad emptionis venditionis substantiam et perfectionem, sed dumtaxat ad ejus probationem pertinet.*
11. *Limita si declaratum fuerit contractum sine scriptura non valiturum.*
12. *Ex quibus constet de emptionis venditionis contractus perfectione.*
13. *Deque scriptura ad hanc perfectionem minime a contrahentibus requisita.*
14. *Patronus testimonium dicere nequit in causa quam patrocinatur, non autem in alia quam nunquam oravit, etsi forte is pro quo testatur, aut fuerit, aut sit in sua clientela.*
15. *Testi mediatori maxima fides habenda.*
16. *Affinitas affinitatem non parit.*
17. *Quando tot venduntur merces quae constent numero et pondere, perfecta non dicitur venditio nisi prius merces ipsae appensae et numeratae fuerint.*
18. *Sed vendita universa taberna cum omnibus mercibus cujuscumque numeri et ponderis, uno pretio per peritum virum a contrahentibus electum constituendo, perfecta est venditio simulac de constituto pretio constiterit.*
19. *In emptione venditione quoad pretium fas est contrahentibus sese ad consuetudinem, vel virorum peritorum amicorumve judicium referre.*

### Decisio XVIII.

Ab exeunte usque junio piacularis anni 1825 agi caepit de distrahenda Aloysio Fiorio aromatum taberna, Firmi instructa, cujus semissis ad Cajetanum Giacopettum ejusque sororem Nicolaam pertinebat; alter vero ad Rosam Alessandriniam eorum materteram, cujus negocia gerebat filius Aloysius. Conditiones ineundi contractus perscriptae fuerunt ab advocato Raphaele de Minicis mediatore utrinque electo; cumque eas Giacopettus et Aloysius Alesandrinius expendissent, die 3 julii domum mediatoris convenerunt una cum Fiorio, ut contractum penitus conciliarent, quemadmodum accidit. Cautum est enim prae caeteris ut merces emerentur a Fiorio, non quanti constabant venditoribus, sed quanti minutatim dividi poterant juxta pretium a perito viro definiendum; et a Florio per ratas praestandum: ut Giacopettus hypothecam daret de tabernae ac mercium proprietate; atque idem Giacopettus de *rato*, alias *de proprio*, obligatus esset pro aliis tabernae condominis, uno excepto casu si judex ex legitima causa decretum pro mulieribus nollet interponere. Quin etiam Giacopettus unum praesertim pactum adjici voluit » *chiunque ricusasse, o fosse in mora di osservare il contratto in genere o alcuna delle condizioni e patti qui sopra stabiliti, sarà tenuto di pagare all'altra parte scudi cento in titolo di danni ed interessi, oltre qualunque altro danno spe-*

*ciale e spesa tanto giudiziale che stragiudiziale , ed il signor Giacopetti sarà di ciò responsabile del proprio anche per gli altri cointeressati.*

Non aliud ideo supererat nisi ut hujusmodi pacta , pluribus pagellis conscripta , a mediatore in legittimam scripturam redigerentur: qua confecta et signata per Giacopettum , Alessandrinium et Fiorium , instrumentum fieret cum interventu mulierum et judicis auctoritate. Atqui postero die Giacopettum paenituit promissae hypothecae, et mediatori atque emptori significavit potius poenam conventionalem soluturum se fore , quam ut illam praestaret. Sed facilis compositio fuit, remissa per emptorem hypotheca : atque ita , rursus constituto contractu ac depacta etiam mercede cum perito Aloysio Perozzi , ad vesperam alterius diei 5 omnes denuo congregati sunt apud mediatorem ut apocam venditionis describerent atque signarent. Tunc vero, incaepta descriptione per amanuenses , Alessandrinius primum, morbum caussatus, discessit , facta praesentibus potestate ut apocham descriptam domum suam afferrent ad subscribendum : mox autem abiit etiam Giacopettus magnopere professus - *che il contratto era fatto , e che egli era un galantuomo.* - Ut imo Fiorium de ea discessione conquerentem tutissimum redderet, subscripsit sua manu, antequam abiret, nedum pagellis omnibus et earum apostillis , duabus prioribus exceptis quae jam fuerant descriptae ab amanuensibus.

In data fide quiescens Fiorius, scientibus et plaudentibus venditoribus, syngrapham jam scripserat cum eodem Perozzio , Giacopettii et Alessandrinii propinquo , quem administrum tabernae ad triennium elegerat cum annuo scutorum *centum quinquaginta* stipendio. Sed postero mane diei *sextae* ejusdem mensis julii Giacopettus epistolam misit ad Alessandrinium, in qua nolle amplius contractum exequi declaravit, ad extremum addens ut semetipsum mediatori excusaret: - *Fa le mie scuse coll'Avvocato* -. Conscium de improvisa novitate Alessandrinius fecit advocatum De-Minicis, qui statim omnia pandidit Fiorio. Hic vero Giacopettum in jus vocavit apud judices de commercio et mercatorum negociis jus Anconae reddentes, ab eoque poenae nomine ex stipulatu petiit scuta *centum* , una cum damnorum omnium et sumptuum refectione. Repulsus inimica sententia quae Giacopettum, contractum quemcumque negantem, absolvit , provocavit ad sacrum nostrum Ordinem , ubi in comitiis diei *vigesimae tertiae* aprilis proxime elapsi revocata illa est, ope rescripti: - *Esse locum solutioni scutorum centum, et emendationi damnorum; et expediatur* -, prout videre est ex sententia a R. P. D. meo Muzzarelli signata. Nec Giacopetto profuit appellasse. Cum enim mihi commissa causa, de illius sententiae viribus disputatum hodie sit , adeo juri et justitiae consona comperta est ut albus ei calculus fuerit adjectus, edito rescripto: - *Sententiam rotalem esse confirmandam; et extendatur decisio* -.

Porro agebat Fiorius ex pacto convento , quod unus caeteroquin Giacopettus excogitavit , voluit , dictavit , et ex quo cautum ut si quis ex contrahentibus recusaret , vel remoraretur contractus executionem aut pactorum implementum , teneretur , mulctae nomine , alteri rependere nummos *centum* argenteos , praeter cujusque damni refectionem. Hujusmodi est haec pactio ut impune posset condonari quoad damna quae ipso jure debentur , si venditor fidem fregerit et contractum exequi noluerit: *Rot. in recent part. 14 decis. 210 num. 2 et in Veliterna exequutionis contractus super* 1 *emendatione damnorum 4 aprilis 1783 § 4 coram Origo* -. Nec quidquam odii et acerbitatis habet petita damnorum refectio , si discrimem perpendatur quod intercedit inter actionem ex empto ad quanti interest et actionem aliam longe diversam damni injuria illati ex *lege Aquilia.* Cum autem in themate actione ex empto ad quanti interest contractum impletum non fuisse , quae ex indole et natura contractus profluit, dam- 2 norum sarcitio reposcatur , nihil odii actio continet , nullamque praesefert asperitatem: *Rot. in Romana emendationis damnorum 23 januarii 1807 § 2 coram Piccolomini.* Ambigi vero nequit quin damnum emptori fuerit illatum ex violata contractus fide. Praeter enim amissum lucrum quod ex

aromatum taberna percipi poterat, non levis momenti est stipendium quod solvere debuit institori, cujus operam fuisse conductam Giacopettus non ignorabat.

Nec turbae movendae sunt quoad conventionalem poenam scutorum *centum*. Erraret siquidem vehementer qui diceret hujusmodi poenas exigendas non esse, aut ipsas quoque odiosas videri et quavis excusatione declinari posse. Multum profecto discriminis intercedit inter poenam *legalem* quam lex comminatur, et poenam *conventionalem* quae ex stipulatu debetur. In ipso autem poenarum conventionalium genere maxima etiam
3 differentia est inter poenam *solutioni* adiectam, ut si quis, exempli causa, ita fuerit stipulatus: si centum Kalendis januariis non dederis, dabis biscentum, et poenam quae *ad factum*, vel *non factum* respicit, ut in praesenti agitur casu, in quo conventum ut si quis aut totum contractum, aut aliqua ejus pacta recusaret, aut remoraretur, *centum* persolveret contrahenti alteri quaerenda. Quantum tamen duriores et excusabiles sunt tam legales poenae quam conventionales solvendae quantitati adjectae, quae plerumque labe foenoris inquinantur; tantum aequae legitimaeque sunt poenae conventio-
4 nales alterius generis, nimirum facto, vel non facto alligatae, ad coercendam perfidiam et improbitatem contrahentium maxime utiles, ac canonico et civili jure commendatae : § *conventiones instit. de perp. et temp. act.*, *leg. praedia* 29 *ff. de act. empt.*, *leg. eadem* § *Cato ff. de verb. obligat.*, *Carleval. de judic. tit.* 3 *num* 2, *Mantica de tacit. et ambig. lib.* 14 *tit.* 27, *Leotard. de usuris quaest.* 38 *num.* 8, *Rot. in Romana pecuniaria* 11 *januarii* 1805 § 9 *cor. Tassoni, et in Bononien. pecuniaria* 21 *junii* 1819 § 4 *cor. emin. Bussi.*

Neque rem mutat quod damnum fortasse non probetur. Damni quippe probatio si requiritur dum res est de exigenda poena conventionali *quantitati* adjecta, haud concurrat oportet in casu poenae conventiona-
5 lis, ad *factum* vel *non factum* respicientis, quae sane solvenda est, nullo etiam intercedente damno, si praecipue, ut in praesenti themate accidit, de modica poena agatur. *Rot. in Ferrarien. societatis quoad poenam conventionalem* 25 *junii* 1727 § *parum cor. Millino*, *in Ferrarien seu Veneta pecuniaria* 22 *junii* 1739 § 11 *cor. De Vais*, *et in cit. Bononien. pecuniaria* 21 *junii* 1719 § 5 *cor. Bussi.* Tam vero commissam fuisse poenae stipulationem ipsum ostendit Cajetani factum, qui ab exequendo contractu adeo abhorruit ut postridie subscriptionis omnium pagellarum, die scilicet *sexta* julii anni 1825, quasi nihil constitutum pridie fuisset, epistolium misit ad Alessandrinium ab eo cum mediatore communicandum, in quo professus fuit sese amplius nolle contractum executioni committere, ineptam et falsam causam interserens: – *L' affare dell' apoca va alla lunga, e sembra di più che si suscitino delle difficoltà per averla nei termini da noi voluta. Questo sarebbe un titolo per distrugger l' affare per parte del signor Fiori, e per me ce se ne aggiungono infiniti altri.* – Tam immo firmiter recusabat ut statim addiderit: – *Io non parlo più di quest' affare, e cederò piuttosto formalmente tutte le mie ragioni, qualunque esse fossero, che cimentarmi ad eterni dispiaceri, che oggi li limito alla sola durata del negozio, sia qualunque il suo stato. Questa è la mia risoluzione, e riacquisto da questo momento la mia tranquillità che preferisco ad ogni interesse* –. Et ne dubium videretur stare eum prorsus nolle contractui cum Fiorio jam constituto, admonebat amplius Alessandrinium alias vias esse ad distrahendam tabernam aliis conditionibus, quae in futurum conciliari possent: *E' affare, se sarà combinabile, si farà, e per realizzare quello che esiste in negozio, vi è pure altra strada senza essere responsabile dei terzi* –; in qua tamen nova venditione aggredienda sollicitari nolebat ab Alessandrinio – *perchè volentieri per otto giorni almeno non sentirò più parlarmisi di questo affare.*

Ab exequendo insuper contractu rursus abhorruit Cajetanus, cum e venditore in emptorem conversus, quanti minimi tabernae semissem a matertera sibi comparavit. Abhorruit demum, dum, judicio vocatus apud anconitanos commercii et mercatorum judices ut compelleretur ad solutionem poe-

nae, nedum totus in eo fuit ut imperfectum ostenderet contractum, sed in aestu quoque litis, non aequioribus conditionibus quam cum matertera fecisset, reliquum a sorore mercatus fuerit tabernae quadrantem. Aut nulla igitur vis est *duplicis conditionis*, vel violatae nempe fidei, vel commissae moræ in totius contractus aut alicujus pacti observatione: – *si ricusasse o fosse in mora di osservare o il contratto in genere, o alcuna delle condizioni e patti sopra stabiliti* –; aut, si vim suam conventio exerit, uti exerere certe debet, haud potest Giacopettus poenae solutionem evadere.

Verum qui pro Giacopetto causam orabant, revoluta in oppositum defensione qua hactenus usi fuerant, totis viribus objiciebant antequam damnari is posset ad poenae solutionem, trahendum ad judicem fuisse qui certum terminum ei praestitueret ad contractum executioni committendum: item in mora constitutum eum non fuisse: 6 moram denique ab eo non fuisse contractam quia nulla intelligitur mora ibi fieri ubi nulla petitio est, ut inquit *Scaevola in leg. nulla* 89 *ff. de regul. jur.* Sed absurdissime. In primis enim, non poenam tantum et damna promisit Giacopettus si *moram* contraheret, sed vicissim *sive* moram contraheret, *sive* datam violaret fidem et conventioni contraveniret. Cum ergo contravenerit et contractum exequi renuerit, scripta in id epistola qua profitebatur: – *Questa è la mia risoluzione* – et contraventioni haerere cum pertinacia voluerit, nulla opus fuit ad poenam ab eo incurrendam 7 ipsius interpellatione; quoniam, non ex mora, sed ex contraventionis unius eventu factus illi locus censetur: *Leg. ita stipulatus* 115 *ff. de verb. obligat., leg. continuus* 137 § *si ut aliquid ff. eod. tit., Alciat. in lege si pupillus* 127 *numer.* 2 *ff. de verb. obligat., Donnell. in lege cum stipulatus numer.* 11 *ff. de verb. oblig., Rot. in cit. Ferrarien. societatis quoad poenam conventionalem* 27 *junii* 1757 § *rursus coram Millino.* Necessaria itaque in hoc casu non erat interpellatio. Utcumque tamen non ita alternatim conventum esset ut conditio contraventionis expungeretur, mora non desideratur. Dum enim Fiorius ad anconitanum commercii tribunal convolavit, poenae solutionem, damnorumque refectionem adversus Giacopettum postulans, si non explicite, saltem implicite sollicitus visus est de exequutione contractus. Si hinc a poena praestanda, sarciendisque damnis eximi Giacopettus cupiebat, promptum se statim ac exequendo contractui paratum ex bona fide exhibere debebat.

At vero tam longe abfuit in judicio illo, atque etiam in causa appellationis, ita se gessisse Giacopettum, ut imo contractum mordicus oppugnaverit, emptoque primum semisse, atque inde reliquo tabernae quadrante, integrum illius dominium acquirendum curaverit. Hunc scopulum videntes qui Giacopetto patrocinabantur, frustra reponebant plures eum exceptiones habuisse adversus institutam actionem proponendas; ideoque primum apud judices anconitanos et in s. Auditorium imperfectum et non absolutum traduxisse contractum; interpellationis deinde defectum apud sacrum Ordinem objecisse. Sed quamvis reo convento jus competat plures afferendi exceptiones inter se diversas, non minus idcirco constat, eum qui hactenus unam protulit exceptionem contractus nunquam perfecti et absoluti, in mora fuisse ne contractum exequeretur, quod negare apertius non poterat, dum eum prorsus inficiabatur. Nec minus praeterea constat eam exceptionem fuisse calumniosam: quod hodie Giacopettus suo facto confitebatur. Dum enim rotalem sententiam a R. P. D. meo Muzzarellio publici juris factam revocari petebat, contextim urgebat ut contractus executio demandaretur, implorato rescripto: » *Sententiam esse infirmandam: non esse locum solutioni scutorum centum ac refectioni damnorum, sed contractus exequutioni, et expediatur*». Hoc modo perfectum et absolutum usque ab initio contractum, et injustos insimul fuisse conatus suos Giacopettus fatebatur. Ab eo igitur tempore damnandus est ad damna sarcienda, poenamque solvendam.

Nec cogendus hodie est Florius ad contractus executionem: res quippe non est amplius integra, nec in ea amplius is con- 8 ditione versatur qua erat mense julio anni 1825, quo tempore ad aromatum emendam tabernam impellebatur ex solemnibus equa

tunc imminebant, Senogalliae nundinis, ubi merces utili pretio acquirere poterat, quemadmodum expresse cum Giacopetto et Alessandrinio obtestatus fuerat. Fuisset autem iniquissimum, ut is nunc adigeretur ad emendam tabernam, initio quidem florentem ac celebratam, sed dein, mercibus non suffectis, ab hominum opinione et frequentia prolapsam; praesertim quia tota Giacopetti fuit culpa, qui fidem violavit et calumniosa inficiatione litem extraxit amplius biennio, quo tempore destitutus emptor aliam suis pecuniis directionem necessario dedit. Atque ita demum permittendum non est ut Gia-
9 copetto sua culpa opitulari debeat, et Florius ex culpa aliena detrimentum ferat: *Rot. in Senogallien. exequutionis contractus super liquidatione* 24 *januarii* 1820 § 3 *coram reverendissimo P. D. Tiberi Archiepiscopo Athenarum.*

Parum autem sibi constabant Giacopettus ejusque defensores, quippe qui in hoc ipso jurium experimento licet contractum exequutioni committendum esse contenderent, contextim tamen ad veteres redeuntes nenias imperfectum illum fuisse ex ea ratione dicebant quod nulla confecta fuerit scriptura. Sed nil futilius opponi poterat. Emptio enim venditio, quae consensu constat, satis inita
10 intelligitur si rei et pretio consensus contrahentium accesserit; nec indiget scriptura quae, non ad contractus *perfectionem* ejusque substantiam pertinet, sed vicem unius
11 *probationis* obtinet, nisi saltem declaratum fuerit contractum sine scriptura non valiturum: *leg. contractus* 17 *cod. de fid. instr., Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 1 *tit.* 10 *num.* 7, *Castill. controv. lib.* 3 *cap.* 26 *num.* 3, *Rot. in decis.* 32 *num.* 7 *part.* 4 *tom.* 2 *rec., cor. Ansaldo decis.* 897 *num.* 19, *in Firmana venditionis et attentatorum* 28 *junii* 1754 § 7 *cor. Figueroa, in Anagnina venditionis* 26 *martii* 1762 § 6 *coram Cornelio et in Praenestina pecuniaria* 26 *junii* 1822 § 12 *cor. me*. Atqui nihil affertur ex quo pateat hac mente initum contractum fuisse ut valere stipulatio non deberet, nisi publica vel privata scriptura conficeretur. Imo vero contrarium plane liquet ex praeclaris ejusdem rei conventi factis: qui sane, jam cribratis pactionibus die 3 julii, ad mediatorem advocatum De-Minicis conversus clamavit: » *Il contratto è fatto, e se voi foste notajo potressimo ora firmare anche questa minuta, sebbene fatta in carta semplice.*

Adeo profecto persuasum erat Giacopetto contractum absolutum perfectumque fuisse, ut cum sero eum poenituerit de hypotheca quadam suis bonis injicienda, emptorem rogaverit die 4 julii ut eam, de juratoria promissione contentus, liberaliter remitteret: quod cum non facile obtinuisset, palam dixerit sese potius, emptore hypothecam remittere renuente, paratum fuisse solvendae poenae, quam praediis, veluti convenerat, hypothecae subjiciendis. His actis et confessionibus, quibus nihil illustrius desiderari potest, cumulus superaccessit praedicta die *quinta* julii, qua contrahentes domi convenerant advocati De-Minicis mediatoris ut syngraphae subscriberent. Ibi enim, cum aegre ferret Giacopettus temporis moram, quod ab antigraphariis insumendum erat in transcribendis ac in bonam formam redigendis pagellis, ideoque discedere cuperet, subirato Florio, et impatientiam hominis vituperanti, respondit, nihil esse pertimescendum » *giacchè il contratto è fatto e terminato* «; addens » *ch'egli era uomo di onore il quale non sapeva mancare, e gli si faceva troppo torto a diffidare di lui*». Ad pacandum tamen emptorem, antequam abiret, se promptum obtulit subscribendo » *uno dei fogli di carta bollata in cui si stava copiando il contratto* «; sed nesciens ubi scriptum desineret, consilium arripuit omnibus subscribendi pagellis earumque additionibus in margine factis, duabus prioribus exceptis, quia ab amanuensibus illo temporis vestigio descriptae fuerant.

Quibus ita se habentibus si solliciti visi
13 sunt contrahentes de publicis instrumenti tabulis celebrandis, quibus adesse mulieres debebant ex decreto judicis, id quoque nihil derogat perfectioni contractus et obligationi susceptae a Giacopetto. Contra imo Giacopettus teneri voluit *de rato, alias de proprio* antequam stipulatio instrumenti fieret; atque eam emisit obligationem in seipsum perpetuo valituram, uno excepto casu si judex ex justa causa interponere decre-

tum noluisset. Fuisset autem ludicra obligatio, si stipulatio expectanda fuisset ad illius perfectionem; nam celebrato instrumento nulla hujusmodi obligatione opus erat. Nec vitio testium, ex quorum dictis supradictae contractus agnitiones eruebantur, vertendum erat quod Alessandrinius arcto consanguinitatis vinculo cum Giacopetto conjungatur: quod Perozzius ab ipso Fiorio in institorem tabernae fuerit electus: quod item advocatus De-Minicis ejusdem Fiorii causas oraverit, ejusque frater uxorem duxerit sororem pariter Fiorii: quod insuper Minuccius apud advocatum De-Minicis amanuensis munere fungeretur: quod denique Ancideus ministerium Fiorio praebeat in exactione municipalium Firmi intributionum. Eo magis enim Alessandrini testimonio credendum erat, quo certius est eum integrae fidei et probitatis esse, contrariis jactationibus minime prorsus obstantibus, ac pro extraneo homine contra propinquum et socium nullo suo compendio, sed potius damno deponere. Idque etiam dicendum de Perozzio, qui et ipse consanguineitatis vinculo cum Giacopetto et Alessandrinio devincitur, qui alias propter honestatem et religionem suam ab eodem Giacopetto laudibus ornatus diceiatur; quique etiam ab ipso Giacopetto delectus est ut tabernam aestimaret, dum ejus semissem et reliquum quadrantem a matertera et sorore coemit.

Nec meliora erant quae adversus advocatum De-Minicis objiciebantur. Famigerata quippe lex *mandatis* 25 *ff. de testibus* patronos testimonio interdicit in causa cui
14 patrocinium praestiterunt; non autem in alia quam nunquam orarunt, etsi forte persona pro qua testimonium ferunt, aut fuerit, aut sit in eorum clientela. At advocatus De Minicis, nedum pro Fiorio nunquam hanc causam apud judices oravit; sed
15 praeterea, cum testis mediator sit et contractum conciliaverit, major ei prae caeteris fides: *Rot. decis.* 26 *numer.* 4 *coram Tanara*, *decis.* 46 *numer.* 10 *cor. Herzan*, *et in Romana executionis laudi* 25 *junii* 1818 §. 6 *cor. eminentissimo Isoard*; praesertim vero cum de spectatissimo viro agatur, cujus honestas et integritas omnibus perspectissima est. Ex eo praeterea quod germanus Advocati frater matrimonio se junxerit cum Fiorii sorore, non ideo affinitatem cum ipso
16 Fiorio Advocatus gerit, ex vulgato juris adagio quod affinitas non parit affinitatem. Tantum vero abest Minuccium amanuensem Advocati fuisse, ut pro re nata una cum Ancideo fuerit sero diei quintae julii accersitus, quia Piermarinius quidam verus Advocati amanuensis, a diurno labore defatigatus, munus scribendi refugerat. Nihil demum abest quod Ancideus auxilietur Fiorio municipales Firmi intributiones exigenti. Non idcirco namque famulus reputandus est, cui vetitum sit testimonium pro domino dicere; sed eamdem, uti publico ministerio addictus, sibi vindicat fidem, quam caeteri testes merentur, a quibus praeterea adminiculum recipit.

Nihil autem perfectioni contractus detractum fuit, quod merces appensae ac numeratae non fuerint: quod etiam convenerit ut si ab aestimanda tabernae suppellectile Perozzius abstinuisset, committi sese contrahentes deberent illius arbitrio quem Perozzius ipse deputasset. Nam tot librae cerae, saccharis, piperis, cinnamomi, et aliorum aromatum venditae fuerunt: quo casu perfecta non dicitur venditio (quoad trasferendum alioquin periculum rei venditae, non quoad consensum), nisi prius appensae merces fuerint, sed uno pretio a perito viro communi utriusque partis contrahentis placito electo, constituendo, universa mercatoria taberna in contractum deducta fuit, quascumque merces et cujuscumque numeri contineret: quo alio
18 casu perfectam esse venditionem, etiam quoad periculum, simul atque de constituto pretio constiterit, ex diserta scimus sanctione *leg. quod soepe* 35 §. 5, *in his ff. de contrahen. empt.* Quoties denique commissum Aloysio Perozzio fuit munus aestimandi merces, dici nequit in incertam personam contrahentes convenisse. Inter alia quidem emptionis venditionis requisita certum pretium requiritur: non tamen impermissum est quoad pretium ad consuetudinem referri vel virorum peritorum, amicorumve judicium: *leg.* 15 *super rebus cod. de contrahen. empt.* Quod si quoad tabernae suppellectilem illius judicium quem Perozzius nominasset, obsequio habere contrahentes voluere, id sane,

praeterquam minimam respicit contractus partem, non incertam constituit personam semel ac contrahentes eum praefinierunt qui eligere personam ipsam debebat.

Atque ita, utraque parte scse defendente, una mecum Patres judicarunt.

R. P. D. MARCO

ROMANA SEU TAURINEN. EXEQUUTIONIS CONTRACTUS

*Lunae* 9 *julii* 1827.

ARGUMENTUM

Ab observantia contractus alter ex contrahentibus liberatur, cum alter conditiones et pacta non impleverit. In contractibus innominatis, re etiam non amplius integra, agi potest ex inadimplemento ad contractus rescissionem. Vide decisionem proxime sequentem qua praesens infirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Eo genere quodque dissolvitur, quo colligatum est.*
2. *Conditioni obligata conventio, ea inadimpleta, resolvitur.*
3. *Judicium ferendum ex novata, non ex veteri obligatione.*
4. *Novatio est prioris debiti in aliam obligationem vel civilem vel naturalem transfusio atque translatio.*
5. *Alter ex contrahentibus ad implementum agere nequit nisi prius doceat pactis ex parte sua satisfactum omnino fuisse.*
6. *Secus dum alter impune pro arbitrio agere posset, alter ad servanda pacta cogeretur; quod iniquum et absurdum.*
7. *In contractibus in quibus datio vel factum constituit contractus causam, nisi res detur vel fiat, contractus ipse per se corruit.*
8. *Scilicet in contractibus innominatis in quibus, re etiam non amplius integra, causa non sequuta, contractus ipse resolvitur.*
9. *Idque obtinet quandocumque ita causa deficit ut inadimplementum purgari nequeat.*
10. *Cum enim ad impossibile tempus essendi res perducitur, nullum amplius contractae morae parari potest remedium.*
11. *In contractu pro operibus typis imprimendis, qui* associationis *dicitur, distinguendi sunt socii quorum nihil intersit citius vel serius volumina habere, ab sociis qui uti negociatores cum aliis sese obligaverint, et debent idcirco statis temporibus volumina accipere.*
12. *In hujusmodi contractibus prudentius plerique expectant, antequam nomen suum in sociorum albo adscribant, videre quomodo pactis satisfiat.*

DECISIO XIX.

Celebratissima in litteraria republica mercatoria librorum Ratio sic appellata *Vedova Pomba e figli* taurinensis, anno vertente 1819, universos principes latinae linguae scriptores quos usitatiore vocabulo *classicos* appellamus, typis committere instituit. Ingens sane opus, diuturnum, sumptuosissimum hinc per frequentiores Europae civitates per nostram praesertim Italiam programmata expediuntur, quibus negociatores non m[illegible], sed bonarum quoque artium cultores excitarentur, qui tanto operi adjutrices praeberent manus; scilicet praefinitum exemplarium numerum se quisque accepturum spondens, quos vernaculo vocabulo *associati* nuncupamus. Neque nostra hac in Urbe socii ejusmodi defuerunt; quos tamen colligere potuit Marianus de Romanis bibliopola, peritia et honestate nemini secundus, maximo artis typographiae detrimento nuperrime desideratus. Hinc missis litteris panditi per editores Pomba erga Marianum grati animi sensus, et nova data incitamenta ut sociorum numerum augeret » *affidati all'amicizia vostra, che prenderà un vivo interesse in questa nostra impresa, e se dobbiamo aver riguardo alle estese vostre relazioni, siamo intimamente persuasi ce ne chiederete altro numero di copie.*

Nonnullis tamen conditionibus alligabatur *associatio*, et multa ab editoribus Pomba sociis pollicebantur qui inter primos quingentos nomen dedissent. Praecipua vero fuere ut singulis in mensibus singula in lucem prodirent volumina; post panditum octavum, ne amplius socii, nisi aucto pretio, adscriberentur; si qua de causa voluminum publicatio in alio mense remoraretur, celerior in sequenti evaderet. In exemplaribus sex supra viginti Marianus se primum operi addixit, quorum numerum ad novem supra triginta deinde auxit. Factum hinc ut ad annum 1820 in novo programmate, quo singula sociorum nomina fuere nunciata, de Mariano sic legeretur » *Roma signor Mariano de Romanis per copie num.* 39 » quo in programmate sancitae iterum relatae conditiones et promissa, nunquam remoranda, singulis in mensibus voluminum editio.

Ab data tamen fide desciscere jam videbantur editores Pomba: hinc Mariani de Romanis querelae, et reddita ab ipsis responsa de futura celeriori voluminum publicatione. Ad annum 1822 Romam se contulit Josephus Pomba; augendo sociorum numero maxima

studuit cura, et revera duos supra viginti collexit; hos vero ab urbe digrediens cessit Mariano, cumque is ad exemplaria usque sexaginta quinque se socium jam adscripsisset, inde, quasi cum ipso novata re, solemnis stipulatur contractus, cujus majoris evidentiae gratia verba damus » *che il signor de Romanis accollandosi la responsabilità dei 22 associati qui dietro esposti, invece del 10 per cento di sconto, godrà il 25, ed avrà l'undecimo tomo gratis come i primi 500 associati. Di più lo stesso de Romanis resta associato ad altre copie sessantacinque da valutarsi per sessanta collo sconto del 26 per cento e medesimo premio del tomo 1. gratis, e per parte del signor Pomba si promette di non mandare d'ora in poi ad altri libraj, e far nuovi associati, senza passarne di concerto col de Romanis.*

Intollerabiliter tamen in dies comperiebatur editorum mora; ipsique fatebantur » *sono giusti i rimproveri che ci fate pel ritardo de'classici latini*; rursus » *si ricupererà il tempo perduto*.»; atque iterum: » *è verissimo che i classici latini hanno bisogno di andare con maggiore attività, ed anderanno: nell'anno venturo vedrete spiegata un'attività senza pari, e 18 volumi vedranno al certo la luce.* Neque secus loqui poterant. Ad annum siquidem 1825 trigesimum sextum volumen prodierat, cum ex data fide duo supra septuaginta evulgari debuissent. Hoc labente anno vita fungitur Marianus. Ejus filii scripti haeredes, Philippus et Nicolaus, tantam pertaesi moram Rationi Pomba nunciarunt ne duo alia volumina expediret: intempestive tamen accepto nuntio, transmissa volumina fuere. Hinc novae protestationes et solemne *diffidationis* epistolium ad diem 31 julii 1825 ab fratribus de Romanis conscriptum, quo se velle ex conditionum inadimplemento ab contractu recedere quoad exemplaria vigintiduo nunciarunt.

Oppositi tunc vani praetextus; inutiles excusationes; cumque et ipsi editores Pomba contractam ab se moram probe cognoscerent, sic rem componendam curarunt ut scilicet loco depositi exemplaria ea vigintiduo fratres de Romanis retinerent, donec gallus quidam Merle, Rationis procurator, Romam adventaret, qui novos quaereret socios, eosque de Romanis cederet; exemplaria vero interim persolverent ad numerum tantum sexaginta. Haec habet epistolium ab Ratione Pomba diei 17 septembris anni ejusdem conscriptum, hodierna in controversia maximopere faciendum. Sic namque ille » *frattanto io continuerò a farvene la solita spedizione dello stesso numero; ma non mi prevarrò a suo tempo che del valore di sessanta, fino a tanto che il mio viaggiatore sarà giunto in Roma: son certo che farà nuovi associati, ed allora parleremo*»: atque inferius » *dunque io vi spedisco il volume 41, e da questo momento calcolerò di non esser creditore che di sole sessanta, ma non concludo nulla fino a che il mio incaricato sarà giunto in Roma.*

En Romam tandem advenit procurator. Urbane inter se conveniunt, atque ita ut hominis comitatem fratres de Romanis in epistolio quodam ad Pombam commendarent. De re amice componenda igitur confestim; damnantur jurgia; judiciales contestationes detestantur. At enim nimis contrariae pacis conditiones utrinque afferuntur. Exemplarium octuaginta septem integrum pretium postulat procurator; epistolium urgent fratres de Romanis, et novos socios ab eo colligendos requirunt. Exasperantur animi, atque urbanis colloquiis epistolia succedunt satis utrinque acerba, atque postremum, praesertim mensis januarii volventis hujus anni, asperrimi belli indicium. Apud commercii triumviros, provocante primum Ratione Pomba, manus conseruntur. Mercis pretium postulatur contra fratres de Romanis in scutis 802, quod deinde ad scuta tantum 667. 48 coercitum est. Contractus tamen resolutionem ob inadimpleta pacta rei conventi opposuere, et reliquum pretium quod, detractis exemplaribus viginti duo, debebant, obtulere in scutis 245. 20. Victi tamen discessere indicta per sententiam diei 23 maii solutione scutorum 628.54. Ad sacrum Ordinem nostrum controversia defertur, quam hodie Patres pro fratribus de Romanis definiendam putarunt dato responso: » *Esse locum absolutioni ab observantia contractus quoad exemplaria 21, et extendatur decisio.*

Num integra diei 28 septembris anni 1822 inter Josephum et Marianum stipulata conventio executioni committi deberet, huc tandem universa apud Nos proposita hodie controversia redibat. Multa tamen eaque momen-

tosissima illius contractus solutionem suadebant. Utque a vehementioribus sit initium, notissimam ab Ulpiano regulam accipimus » *nihil* ( scilicet ) *tam naturale esse quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est: ideoque verborum obligatio verbis* 1 *tollitur; nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur* » *leg.* 35 *ff. de reg. jur.*, *pariterque in instit.* §. 4 *quibus mod. tollit. obblig.* Etsi itaque ad septembrem anni 1822 contraentibus placuisset *che il signor de Romanis accollandosi la responsabilità dei* 22 *associati qui dietro esposti, godrà ec. di più lo stesso de Romanis resta associato ad altre copie sessantacinque* »; tamen triennio post ad eumdem septembris mensem anni 1825 ab contractu in partem recedere contraentibus placuit. Et revera quaerentibus ac vetantibus de Romanis ne ea duo et viginti exemplaria sibi mitterentur, annuit Ratio Pomba per ea verba explanatione haud egentia » *non mi prevarrò a suo tempo che del valore di sessanta* »; rursus » *vi spedisco il volume* 41, *e da questo momento calcolerò di esser creditore di sole* 60.

Post ejusmodi panditum animi sensum et post acceptam propositam ab fratribus de Romanis conditionem, incivile pene erat ut integram contractus executionem Ratio Pomba urgeret. Nec aliquid facesserat addita in eo epistolio conditio » *mandando persona in Roma per far nuovi associati, e dopo fatti ci combineremo* »; rursus » *fino a che il mio viaggiatore sarà giunto in Roma, son certo che farà nuovi associati, ed allora parleremo* ». Immo si quid videmus, major ex conditione accedit argumento vis. Haec namque illius epistolii summa. Sociorum defectum culpa sua contigisse Ratio Pomba probe cognoscens, fratrum de Romanis obligationem quoad exemplaria viginti duo coercuit, donec repertis a procuratore novis sociis defectum suppleret. Atqui Romam adventus procurator nullos collegit socios, ac de integra voluminum solutione contra datam in 2 epistolio fidem unice quaesivit; re ergo infecta a qualibet soluti obligatione fratres de Romanis quoad illum exemplarium numerum fuerunt: si enim utrisque contrahentibus placuit ut solutio pretii exemplarium viginti duo esset in suspenso quousque procurator novos socios reperiret, controverti in facto 3 nequit novatam obligationem fuisse, ac propterea non ex contractu, sed ab eo epistolio esse sumendam controversiae definitionem. Notissimi enim juris est subsequenti novatione penitus extinctam remanere veterem obligationem. *Novatio* ( enim ) *est prioris debiti in aliam obligationem vel civilem, vel na-* 4 *turalem transfusio atque translatio; hoc est cum ex praecedenti causa ita nova constituitur, ut prior perimatur, uti docet Jurisconsultus in leg.* 1 *ff. de novationibus.*

Haec ex contrahentium facto: non minora tamen ex ipsa contractus indole fratribus De-Romanis argumenta suffragantur. Sic namque in legibus providentissime cautum ut quolibet in contractu nemo possit ex contrahentibus implementum urgere, nisi prius ad unguem se adimplevisse doceat; propo- 5 sitae secus actioni inadimplementi exceptio semper adversatur. Sic Jurisconsultus *in leg.* 14 *ff. de act. empt.* - *Offerri pretium venditori ab emptore debet, cum ex empto agitur; et ideo si partem pretii offerat, nondum ex empto actio est ad rem acquirendam* - et consentiunt doctores *Cyriac. controv. forens* 129 *num.* 1, *Fachin. controv. jur. lib.* 2 *cap.* 4, *Domat leggi civili lib.* 1 *tit.* 1 *sez.* 3 *art.* 2, *Baldasseroni diction. commerc. artic. contravenzione.* Nequibat ergo Ratio Pomba contractus exequutionem urgere, nisi prius se ad unguem eumdem contractum adimplevisse doceret. Atqui deficere ejusmodi in probatione debebat. Toties namque pollicitas conditiones, datamque semel iterumque fidem perfregerat, violaverat. Singulis in mensibus singula volumina minime ediderat; neque deinde purgandae morae ullo modo studuit, sed immo ita eam auxit, ut ad annum 1825 vix sex supra triginta prodierint, cum ex adverso duo et septuaginta evulgari debuissent.

Neque hic violationi finis. Professi namque editores Pomba sic fuerant - *di non mandare d' ora in poi ad altri libraj, e far nuovi associati senza passarne di concerto col De-Romanis.* - At enim exemplaria ab ipsis habuere negotiatores haere-

des Raggi et Pius Cipicchia, habuitque eques Aloysius Marini, de quo ambigi nulla ratione potest. Tandem vero cum post octavum volumen pretii augmentum indixisset – *publicato l' ottavo volume non si riceveranno più associazioni, che a ragione di venticinque centesimi al foglio* ; id tamen ad volumen trigesimum quintum distulit, ita publico programmate docente. Sic pactorum religione violata et pessumdata contractus fide, qui fieri unquam poterat ut contractus implementum Ratio Pomba ab fratribus de-Romanis impune poscere-
6 ret ? Nonne id absurdi hoc in casu fieret ut alter, fracta fide, omnia pro suo arbitrio et commodo agere posset; alter vero conditionibus parere et pacta servare tantummodo cogeretur. Pugnant haec cum aequitate, quae parem contrahentium conditionem requirit.

Atque haec pactorum violatio eo jam nos vocat ut ab ipso *associationis* contractu potuisse jure meritoque fratres de-Romanis discedere, doceamus. Etsi enim persaepe in contractibus ad implementum agi soleat, vel quanti interest contractum non fuisse adimpletum, id tamen haud obtinet in his contractibus in quibus contrahentium datio,
7 vel factum ipsam constituunt contractus causam, atque ita ut, datione, vel facto sublatis, causa corruente, contractus ipse corruat necesse est. Atque hi sunt contractus, quos non peculiari nomine distinguimus, sed ea formula *do ut des, do ut facias, facio ut des* ; ut scilicet ipsam contractus causam in datione vel facto comprehendi significemus; hinc re etiam non integra, causa amplius non sequuta, contractum resolvi tralatitium habemus, docetque titulus ipse *ff. de condict. causa data causa non sequuta*, et praesertim ejus *lex* 4 in his verbis – *si quis accepto tulerit debitori suo cum conveniret ut expromissorem daret nec ille det, potes dici condici posse ei qui accepto sit liberatus – pariterque leg.* 7 *ff. de praescript. verbis, leg.* 3 *et* 7 *cod. de rerum permutat. doctores vero Voet. ad cit tit. ff. causa data ec. num.* 1 2, *Heinec ad eumd. tit. pand. part.* 3 § 41, 42, *Donnell. ad leg.* 8 *cod. de contrah. empt., Bruneman. ad leg.* 5 *cod. de rer. permut., Domat. leggi civili lib.* 1 *tit. I. sez. III. artic.* 4 *et sez. VI art.* 11.

Ejusmodi vero esse naturae contractum quem dicimus *di associazione*, res ipsa per se docet, cum ideo quis nomen suum in sociorum albo adscribat ut statis illic temporibus, atque eo pretio, ejusque nitoris et elegantiae, volumina recipiat. Si alterutra ex his conditionibus deficiat, jam in socio oritur jus ab contractu resilire, cum causa deficiat qua se obligatione devinxerit. Atque ea causa deficit, illudque committitur inadimplementum, quod purgari nequit. Praetergres-
9 so namque eo mense, vel eo anno, quin constituta volumina prodierint, natura ipsa fieri nequit ut tempora redeant in quibus obligationi satisfieri possit. Ad *impossibile*, uno verbo, *tempus essendi* res perducitur,
10 ita ut contractae morae nullum valeat parari remedium, ut his verbis docuit jam Ordo noster *in decis* 376 *numer* 8 *part.* 2 *Recent. in Bononien, seu Imolen. resolutionis affictus* 10 *januarii* 1785 *coram Soderino, in Romana pecuniaria* 20 *junii* 1806 §. 2 *coram Piccolomini et in Romana seu Privernen. pecuniaria* 31 *januarii* 1806 §. 2 *cor. Rusconi.* Hac una animadversione tanto nisu ab Ratione Pomba jactatae exceptiones de morae purgatione, deque infecta interpellatione corruebant, cum supervacanea interpellatio foret pro ea purganda mora quae purgari nequibat.

Spernendae pariter usitatissimae in negociatorum ore exceptiones de tradita merce ejusque pretii solutione numquam remoranda. At enim in hoc punctim controversia versatur, num in ea parte contractus exequutioni committi debeat, videlicet num quoad illum exemplarium numerum tradita merces intelligi debeat nec ne. Non enim libere et nulla addita protestatione exemplaria fratres de-Romanis acceperunt, sed vetantes ne illa expediretur, et per epistolia clamantes – *la cassa coi volumi* 37 38 *noi non l' accettiamo, e resterà intatta finchè tutto sia stabilito* –. Atque ita tandem receperunt ut tantum *depositi loco* eam retinerent, donec per procuratorem controversia componeretur. Extranea ergo quotquot de paratissima receptae mercis solutione disputabantur, cum falso laboraret supposito, mercem videlicet fuisse receptam quae depositi tantum loco

servabatur. Extranea pariter quot quot inutili longiore oratione de Aloysio, altero ex fratribus de Romanis, disputabantur. Peculiaris namque inter fratres exarserat controversia de germana paternae voluntatis interpraetatione quoad exemplarium numerum Aloysio tradendum; unum et quinquaginta tantum hic postulabat, duo supra septuaginta tradere illi volebant. Controversiam contra Aloysium diremit A. C. Colapietro. Hac de causa Rationi Pomba nunciatum fuit, unum Aloysium quoad illum exemplarium numerum agnoscere; re vero infecta, uni superfuere, prout eo usque fuerant socii Philippus et Nicolaus, quibus contractus inadimplementum urgere jus est; prout esset Aloysio si eorum locum occupasset.

At enim nulla Mariano ejusque haeredibus rediere damna tum ex remorato ad volumen usque trigesimum quintum pretii aumento, tum ex retardata voluminum editione; sic rursus Rationis Pomba oratores. Verum, distinctione primum adhibita, universa corruebat propositae exceptionis vis: socii namque alteri ab alteris secernantur; utique vel latinae linguae cultoris, vel praeceptoris, vel alterius cujusque haud multum intererit, hoc vel alio mense, vel etiam anno, volumina recipere, et Ciceronem vel Terentium prae Virgilio vel Quintiliano vulgari. Atque hac de causa factum puto quod plerique hisce in casibus sileant. At enim agitur hic de socio negociatore, qui lucri causa pro ingenti octuaginta septem exemplarium numero nomen suum operi adscripsit; quique pactorum fide innixus non dubitavit quominus erga plures alios se obligatione devinceret. Interest summopere socii ejusdem statis temporibus volumina habere, quae aliis tradat, ne secus hi indignati *associationi* valedicant. Atque id quod verebatur, nonne contigit revera, ut nonnulli ex nimis remorata voluminum editione ab contractu recederent?

Quod autem attinet ad caetera exemplaria pro quibus socii numquam reperti fuere, non minus evidens est damnum. Nec enim inciviliter fratres De-Romanis contendebant ideo alios socios non fuisse adinventos punctim quod propter remoratam voluminum publicationem vilescere in dies *coepit associatio*. Et revera, non omnes qui sese adscribere operi statuunt, in album sociorum suum nomen referunt vix programmata associationis in lucem evulgata sint; sed quidem prudentiores expectant primum agnoscere quomodo leges et pacta ejusdem adimpleantur. Atque hoc eadem Ratio Pomba probe novit cum ita scripsit: « *Riguardo al dubbio che avete di non trovare associati per il numero da voi preso, questo a parer nostro non deve avere luogo, perchè anche noi vediamo che i nostri associati vanno aumentando a misura che i volumi compajono in luce* ». Apertissimum itaque damnum fratribus De Romanis obventum cum non modo lucra ob repudiata ab aliis volumina amiserint, sed ea scissa, invendita, et sibi idcirco inutilia apud se retinere cogantur. Jure itaque potuere, ne alterius culpa detrimentum caperent, ab contractu eo modo recedere, quemadmodum et Patres hodie pro his respondere putarunt.

Atque ita, acriter utraque pugnante parte, me quoque suffragium ferente, decisum est.

**R. P. D. MARCO**

ROMANA

SEU TAURINEN. EXEQUUTIONIS CONTRACTUS

*Veneris* 3 *augusti* 1827

ARGUMENTUM

Decisio proxima superior infirmatur. Novatio expressa voluntate expressisque verbis dumtaxat fieri potest. In contractibus nominatis nullus paenientiae locus, atque actio tantum ad implementum: in innominatis est quidem paenitentiae locus re etiam non amplius integra, sed ita tamen ut recedi possit et recedatur ab integro contractu, non ab una dumtaxat parte.

*SUMMARIUM*

1. *Ex jure novissimo novata non dicitur obligatio, nisi expressa et expressis verbis demonstrata sit contrahentium voluntas.*
3. *Veteres jurisconsulti animum novandi desumebant ex praesumptionibus et conjecturis.*
3. *Iustinianus sancivit expressa verba adesse debere.*
3. *Eo minus igitur adest novatio, ubi contraria appareat contrahentium voluntas.*
5. *In quovis dubio novatio excluditur.*
6. *Ad imparia non sunt judicandi contrahentes.*

7. *Depositi loco rem recipere, monstrat controversiam haud definitam, sed in suspenso relictam.*
8. *In contractibus vulgo* – associazioni – *mos est exiguam moram in edendis voluminibus tollerare, nec statim post moram ab contractu recedere.*
9. *In contractibus innominatis re etiam non amplius integra est locus paenitentiae.*
10. *Ita tamen ut ab integro contractu non ab una tantum parte recedendum sit.*
11. *Est enim contractus quilibet quid individuum, cujus partes, altero ex contrahentibus invito, scindi nequeunt.*
12. *Et qui recedere velit, omnia in pristinum prius reddat oportet.*
13. *Hinc rescissionem petere nequit, qui ea in conditione sit, ut in pristinum reducere omnia non possit.*
14. *Contractus* – di associazione – *potiusquam sit innominatus, veram praesefert emptionem venditionem.*
15. *In contractibus nominatis nullus paenitentiae locus, atque dumtaxat ad implementum agi potest.*
16. *Quo in casu contrahens in jus vocatus adigitur ad contractum ex sua parte adimplendum, secas ad id damnatur quanti alterius contrahentis interest contractum ipsum impletum non fuisse.*

## Decisio XX.

Non novum hodie, sed pluries redditum docilitatis et justitiae testimonium in praesenti controversia Patres exhibuere. Rogagati namque ad diem nonam elapsi julii, num Philippus et Nicolaus fratres de Romanis integrum septem supra octuaginta exemplarium latinorum classicorum pretium Rationi Pomba praestare deberent, rati quoad exemplaria viginti duo jure potuisse ipsos ab contractu discedere, sic dedere responsum: – *Esse locum absolutioni ab observantia contractus quoad exemplaria viginti duo* –, ut pandit mea ad eam diem vulgata decisio. Hac tamen victae Rationi Pomba exhibita, ut ex lege commerciali *in artic.* 32 redditae Patrum sententiae rationes cognoscere posset, eam in lucem illius oratores controversiam restituere, sicque factorum seriem contractusque indolem in medio posuere ut, re intimius cognita, ab decisis recedere putaverint Patres, usitato reddito responso: – *Recedendum a decisis, et extendatur decisio.*

Integram iterum ordiri factorum historiam alienum foret omnino, cum revocata decisio ab 1 ad 7 usque paragraphum narret accuratissimam. Potior decidendi ratio in eo steterat, ut inter fratres de-Romanis et Rationem Pomba per epistolium diei 17 septembris anni 1825 novata obligatio videretur, quae in Marianum De-Romanis vita functum, eamdemque Rationem triennio antea, ad diem videlicet 28 septembris anni 1822 scriptis tabulis, lucem adspexerat. Nil tamen ex ipsis contrahentium factis novatione deterius. Probatisssima namque extat no-
1 vissimi juris regula, non aliter novatam obligationem dici posse, nisi expressa appareat contrhaentium voluntas, expressisque verbis sic fuerint professi, se novandi animo et prioris obligationis tollendae causa, novam interponere. Atque idem novandi animus apud veteres jurisconsultos quoque requirebatur, id est nulla intelligebatur novatio fieri, nisi id actum esset ut praecedens obligatio tolleretur. *leg.* 2. *in fin.*,
2 *leg.* 8 *et* 28 *ff de novat.*, *leg.* 3 *cod. eod.* Si quid tamen dubii circa novandi animum esset exortum, conjecturis et praesumptionibus utebantur ut id cognoscerent, num revera novandi animus intercesserit. Meliore
3 consilio Justiniano placuit obligationem certa atque expressa contrahentium voluntate ortam, nonnisi certa atque expressa voluntate tolli posse, atque idcirco definivit: – *Voluntate solum, non lege esse novandum* – *leg. fin. cod. de novat.*; *Voet comment. ad pandect. de novat. num.* 3; *Vinn. instit. quibus mod. tollit. obligat.* § 3 *num.* 7; *Constant. vot. decis.* 252 *num.* 18; *Cyriac. controv. forens.* 101 *num.* 36, *Rota decis.* 149 *num.* 3 *et* 392 *num.* 4 *part.* 1 *recent.*, *decis* 131 *num.* 9 *cor. Ottobono.*

Id itaque in facto Patres investigarunt, num expressa ejusmodi novandi voluntas inter fratres De-Romanis et Rationem Pomba intercessisset. Certa et privatis consignata tabulis extiterat conventio ad diem 28 septembris anni 1822 – *che il sig. de-Romanis, accollandosi la responsabilità dei* 22 *associati qui dietro esposti, invece del* 10 *per cento di sconto godrà il* 25, *ed avrà l'undecimo tomo gratis, come i primi* 500 *associati. Di più lo stesso de-Romanis resta associato ad altre copie sessantacinque da valutarsi per sessanta*

*collo sconto del 25 per cento e medesimo premio del tomo 11 gratis, e per parte del sig. Pomba si promette di non mandare d' ora in poi ad altri librai , e far nuovi associati, senza passarne di concerto col de-Romanis* –. Contraria itaque, certa , atque expressa ponderis ejusdem requirebatur voluntas ut illa de medio sublata dici posset. Atqui, Mariano vitae usura fruente, res in modestioribus constitit querelis , neque ad convicia et contumelias processerat , sicque respondebat ipsa Ratio Pomba – *sono giusti i rimproveri che ci fate pel ritardo de' classici latini* –; rursus – *si ricupererà il tempo perduto ec.* – ut narrat revocata decisio § 4.

Vita functo Mariano , paulo acerbius per fratres de-Romanis Rationi Pomba scriptum est in epistolio diei 31 julii 1825: acerbissimae autem querelae factae sunt per alterum diei 11 septembris anni ejusdem , quo se tantum exemplaria quinque supra sexaginta recepturos professi sunt. Quid tunc Ratio Pomba ? Ipsa verba retulisse juvet in epistolio diei 17 mensis ejusdem conscripta – *vi dico sinceramente che non mi doveva mai aspettare dalla vostra rispettabile casa simili questioni ; voi non ignorate il nostro contratto, ed onestamente lo dovete mantenere ; è inutile che rinnoviate de' pretesti per esimervene* –; inferius – *per rompere quel nostro contratto non vi sono motivi legittimi; se si effettuasse, non sarebbe che in linea amichevole , qualora io fossi in grado di farvelo: lo che mi è impossibile* –. Contraria satis novationi voluntas ex hisce eruitur. Rei componendae modum deinde subdit per ea verba – *cercherò però il mezzo di combinare che possiate esser contenti voi , e me* –, scilicet per procuratoris adventum , qui novos colligeret socios. Ut hunc tamen rei componendae modum non absolutum et perpetuum , sed conditionale et temporarium significaret, sic subdit – *frattanto io continuerò a farvene la solita spedizione dell' istesso numero* , ut scilicet se nolle ab contractu discedere rursus panderet. Tum ea verba jungit quae novationem profecto secumferre nequeunt – *ma non mi prevarrò a suo tempo , che del valore di 60 , fino a tanto che il mio viaggiatore* ( vide temporarium rei componendae modum ) *sarà giunto in Roma : son certo che farà altri associati , ed allora parleremo* ; eademque iterum iterumque verbosiore in epistolio repetit.

Decem interjectis diebus ad diem 27 ejusdem mensis , sic redditum ab fratribus de-Romanis responsum. Integra primum narrata controversia quae inter sese et Aloysium fratrem exarserat circa exemplarium classicorum venditionem, cum hic unum tantum supra quinquaginta recipere vellet; ipsi vero septuaginta duo tradere conarentur. Controversiae, inquam, narrata historia , alterum rei componendae modum proponebant his verbis – *noi crediamo di buon grado , e definitivamente vi diciamo che la nostra associazione ai vostri classici si restringe a quindici esemplari* –; et inferius – *eccovi dunque il modo per riparare a tutto : a noi manderete quindici esemplari con le consuete facilitazioni , e gli altri settantadue li spedirete a nostro fratello* –. Novo huic rei componendae modo respondit Ratio se facillime morem gesturam , dummodo tamen *resti sempre venduto il numero stesso , che contrattai col signor Mariano de-Romanis* –. Sic inter varios tractatus diversosque propositos rei componendae modos plusquam integer labitur annus , donec Romam advenit procurator , quocum res definitive componenda foret. Dissociatis tamen animis, infecta mansit, atque ad judices delata controversia est, prout fusius narrat revocata decisio.

Curiosius post haec investigabant Patres, ex quibus nam certa illa atque expressa contrahentium voluntas deduci posset , qua primaeva obligatio anni 1822 novata dici deberet? Omnia, volvente eo tempore, in incerto nutarunt ; diversos diversi tractatus sequuti sunt ; varium quodlibet epistolium continebat rei componendae modum. Ex tradita igitur regula rejiciatur novatio necesse
4 est , atque integra primaeva obligatio exequutioni committi omnino debet, cum nulla posterior steterit , quae illam de medio sustulerit. Atque ideo vehementius , cum in dubio quolibet contra novationem responderi omnino debeat, quae nunquam praesumi-
5

tur, neque ex novissima lege praesumi possit, sed expressa requiratur, docentibus *Salgad. labyrint. credit. cap.* 11 *num.* 97, *Urceol. allegat. quest.* 73 *num.* 1, *Constant. vot. decis.* 495 *num.* 23. Immensa fit argumenti vis, cum hoc adjungatur, obligationis novationem, eo quo contendunt fratres de-Romanis modo, fieri omnino non potuisse. Eo namque jam processerat collectio, ut supra quinquaginta volumina id temporis jam prodierint; oportebat itaque ut exemplaria vigintiduo universorum jam evulgatorum voluminum fratres de-Romanis Rationi Pomba reddidissent, secus imperfecta, scissa, divisa volumina retinere debuisset: atqui integra reddere fratres de-Romanis, ipsis confitentibus, nequibant; in recitato namque epistolio ad Pombam sic ipsi narrabant – *vedete che in questa guisa ne resterebbero* 21 *copie a nostro carico incomplete, cioè dal volume* 37 *in poi. Diciamo incomplete, perchè, qualunque sia la massa di libri che trovansi nel suo negozio* (Aloysii scilicet fratris), *è di sua assoluta proprietà, fra i quali tutti i volumi dal primo al* 34 *che gli restano invenduti, e che non possiamo rivendicare* –; rursus – *le copie mancanti a compire il numero ottantasette sono presso Luigi; seppure non ha venduto le opere staccate* –. Si igitur quoad exemplaria vigintiduo in pristinum res reduci nequibat, quisque videt, novatione admissa, universum in Rationem Pomba incommodum rediturum; quod unum sufficit ut ipsa ne praesumi quidem possit, multoque minus admitti, nisi velint contra legum monitum ad
6 imparia contrahentes judicari.

Vanum esset illud urgere fuisse revera in facto novatam obligationem cum pretium sexaginta tantum exemplarium fratres de-Romanis ab eo tempore rependerint, quod tamen ipsi non probant: constat enim ex calculo, quod commercii juridicis et sacro Ordini exhibuerunt, vix partem pretii interdum persolvisse. At vero et illud quoque in facto inficiari nequit integrum semper exemplarium octuagintaseptem numerum ipsos recepisse. Si revera novata obligatio foret, id est si novus primaevo contractui illi successisset, neque integrum exemplarium numerum Ratio Pomba misisset, neque fratres de-Romanis recepissent. Utique depositi loco ea receperunt, quod ipsum demonstrat in su-
7 penso controversiam stetisse, donec per procuratorem componeretur. Nonne et hoc ipsum ea epistolii verba apertissime significant » *manderò persona in Roma per fare nuovi associati, e dopo fatti ci combineremo; frattanto continuerò a farvene la solita spedizione dello stesso numero; ma non mi prevarrò a suo tempo, che del valore di sessanta, fino a tanto che il mio viaggiatore sarà giunto in Roma* ». Naturae sensum repudiet necesse est qui ex hisce verbis absolutam perfectamque novationem inducere conetur, cum dictiones *allora ci combineremo*; *frattanto*; *fintantochè* temporarium et conditionalem rei componendae modum tantummodo secumferant. Advento ergo procuratore, et re haud composita, evanuit conditio, et primaeva in suo robore constitit obligatio.

Hactenus de novatione; jam de ipsius contractus inadimplemento et rescissione disseratur necesse est. Varias datae fidei violationes, variaque profligata fuisse pacta fratres de-Romanis querebantur. In hoc tamen ipsi praecipue consistebant, remoratam fuisse voluminum publicationem, atque ita remoratam ut in singulis mensibus nunquam ex pacto singula prodierint volumina, atque idcirco non eum esse modo voluminum numerum, qualis ex promissis ab opere incaepto esse deberet. Ex hoc sibi plurima rediisse damna, multosque defecisse socios addebant; quibus de causis se jure ab contractu posse discedere quoad exemplaria vigintiduo contendebant, cum causa data, causa non sequuta, ab innominato contractu, qualem fingebant *associationem*, re etiam non integra quis possit discedere. Hisce arrisit revocata quoque decisio. At enim, re intimius perspecta, neque ex facto, neque ex jure posse fratres de-Romanis datam semel revocare fidem agnitum est. Ex facto inquam. Nondum enim vita functo parente Mariano, segnior facta est voluminum publicatio. Peritissimus bibliopola, qui typographicam artem egregie callebat, ejusque vicissitudines noscebat, moderatiores cum Ratione Pomba querelas adhibebat; sed tamen de rescindendo contra-

ctu, nec volam, nec verbum quidem ab eo factum accipimus. Paulo acerbiores, eo vita functo, querelae factae sunt, sed tamen ipsos fratres de-Romanis confitentes habemus moram, si quae anterior fuerat, fuisse modo celeriore diligentia compensatam » *attesa la celerità colla quale in oggi un volume siegue l'altro, gli associati hanno dovuto piuttosto che gustare, divorarne la lettura, e furono costretti a trascurare i loro affari per divorare un volume in un sol giorno* » : verba sunt orationis apud commercii judices ab ipsis exhibitae.

Tandem vero, non dicam posse impune
8 ab editoribus associationum pacta violari, sed tamen diuturna obtinuit consuetudo ut, si quae intercedat non inferenda mora operis, praesertim maximi, difficultati aequo animo concedatur, et volumina sine querelis recipiantur; praecipue vero si celerior postea fiat eorum evulgatio. Post haec asperum sane et incivile videbatur ut, mora proprio facto quasi remissa, consuetudine excusata, celeriore sequenti publicatione purgata, acerbissima rescissionis poena mulctari vellet. Majora tamen ex jure derivabant. Demus enim paulisper fratribus de-Romanis *associationem* contractum innominatum constituere, ut ut verissimum sit, sancivitque revocata decisio § 10,11, hisce in contractibus, re etiam non
9 integra, poenitentiae locum fore, ac posse alterum ex contrahentibus, altero quoque invito, a contractu discedere. Id tamen sic interpretari debet ut ipse possit ab integro quidem contractu discedere, non autem ab una tantum parte (seposita qualibet novatione, quam superius exclusimus). Est nam-
10 que quilibet contractus quid individuum et unum, cujus partes alterius ex contraentibus arbitrio scindi nequeunt; neque, una retenta, altera repudiari potest. Atqui septem supra octuaginta exemplaria integer contractus com-
11 plectebatur: qui fieri igitur poterat ut quoad vigintiduo dissolveretur, quoad reliqua consisteret? Saltem integra octuagintaseptem exemplaria repudiare debebant; sed quinque supra sexaginta accepto habere, coetera arbitrio suo rejicere, salva aequitate, nequibant.

Rursus, qui velit, re amplius non integra, ab contractu discedere, hoc prius efficiat oportet ut omnia quoad suam partem in pristiuum restituta sint, eumque redeant in statum atque ante contractum reperiebantur; verum superius in § 6 docuimus fieri omnino non posse ut quoad fratres de-Roma-
12 nis omnia in pristinum reducerentur, cum plurima jam evulgata exemplaria in fratris Aloysii dominium, ipsis narrantibus, transierint, multaque praeterea ipse vivens genitor scissa et divisa vendiderit, ita ut integra Rationi Pomba restitui nullimodo possent. Id, ipsis rescissionem urgentibus, maximo erant
13 impedimento, cum rem eo in statu positam demostrarent, in quo par utrisque contrahentis conditio, rescissione sancita, fieri nequibat. Atque haec si associationem innominatum contractum consideremus. Verior tamen
14 hodie Patribus sententia arrisit emptionem potius et venditionem posse appellari. Hoc sub aspectu associationis contractu constituto, facillima sane definitionis controversia deveniebat.

In nominatis namque contractibus nullum fore poenitentiae locum, atque ad implementum actionem superesse, tralatitium in jure
15 scimus. Hujus vi contrahens ad judicem appellatus ad contractum ex parte sua adimplendum adigitur, vel secus in id damnatur quanti alterius intersit contrahentis adimple-
16 tum non fuisse contractum: » *Si res vendita non tradatur, in id quod interest agitur* » » docet *lex 1 ff de act. empt. et vendit.* pariterque *lex 4 cod. eod. et noster Ordo decis.* 497 *num.1 cor. Molines, decis.* 107 *num.* 9 *cor. Malvasia* ». Si itaque Ratio Pomba in voluminibus evulgandis moras nectebat, hoc unum emptoribus fratribus de Romanis supererat, ut Rationem ad judicem appellarent, qui terminum ad implendum contractum praefiniret, secus ad universa damna eam damnaret quae ex inadimplemento redierant, scilicet ad id quod emptorum interesset associationis contractum non fuisse adimpletum. Rescissionem vero arbitrio suo urgere; neque hanc universi contractus, sed altera rejecta parte, alteram retinere, hoc fratribus de-Romanis nullimode concedi posse Patres definierunt.

Quod quidem eo libentius definitum est, quia, cum hodie contenderent fratres de-Romanis, exemplaria illa vigintiduo non fuisse divendita ob retardatam voluminum editionem;

tum patuit id alia prorsus de causa contigisse, quam culpa Pombae editoris. Docent enim eorumdem fratrum litterae, itemque litterae Aloysii ad Rationem Pombam, et judicata res praesulis Colapietro in causa quae acta est Aloysium inter et fratres, ex iis exemplaribus septem et octuaginta quae in contractum venerant a Mariano initum septembri mense anni 1822, vix quinque et sexaginta emptores certos, sive associatos habuisse: unum nempe et quinquaginta tabernae addictos ad templum divi Marcelli; quindecim tabernae alteri ad forum divi Pantaleonis; quorum sane exemplarium sexagintaquinque ita pretium ex contractu erat persolvendum, ut sexaginta tantummodo exemplaribus responderet. Quae vero supererant exemplaria divendi semper a Mariano consuevisse seorsim, aucto pretio voluminum cujusque operis seorsim divendendi, uti ostendit cathalogus ab eodem Mariano suis typis evulgatus. Quare Patribus visum est hujusmodi disputationem falso etiam supposito laborare.

Atque ita, utraque parte jura sua deducente, me quoque suffragium ferente, ab decisis recessum est.

**R. P. D. DE CURSIIS**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae 1 octobris 1827*

ARGUMENTUM

Quando agitur de empta merce non in usum proprium, sed negociandi causa, jurisdictio obtinet tribunalis commercii. Solutio nunquam praesumenda ex lapsu temporis, ex silentio creditoris (sit etiam haebreus homo) aliisque conjecturis, quae non adeo sint graves, ut solutionis monumento equipolleant.

*SUMMARIUM*

7. *Emptio venditio mercis non in usum proprium, sed negociationis causa jurisdictioni commerciali subest.*
2. *Exhibitio documentorum, quae nonnisi ob actore suppeditari potuerint, expresso procurae mandato equipollet.*
3. *Fidei humanae congruit acta relligiose servari.*
4. *Existentia literae collybisticae penes eum qui illam se dimisisse contendit, optime solutionem probat.*
5. *Isdraelitae in negociis agendis solertissimi.*
6. *Praescriptio crediti odiosa semper, ac summae difficultatis.*
7. *Ex solo silentio creditoris, quamvis isdraelitae, praesumi nequit solutio.*
8. *Optima est tacendi ratio summa debitoris inopia quae actionem inutilem reddit.*
9. *Solutionem, quae quid facti est, evincere nequeunt conjecturae, nisi adeo graves sint ut monumento solutionis aequipolleant.*
10. *Temporis lapsus utut diuturnus, cum non satis sit ad obligationem perimendam, nec aptus est ad solutionem probandam.*
11. *Nec magis valet sola creditoris acquiescentia.*
12. *In judiciis mercatoriis bona fides dumtaxat et actae rei veritas prae oculis habenda est remotis subtilitatibus et apicibus juris.*

DECISIO XXI.

Sationes omnes kalini cineris, quas duo agricultores Francicus de-Rossi, ac Thomas Mercuri peregerant in rure suburbano ad collem Exquilinum posito, quod a nobili Negronia familia, ad quam pertinet, nomen accepit, per apocham anno 1810 tertio nonas sextilis exaratam, coemit, certo constituto pretio, Franciscus Patriarca, qui etiam nummos argenteos biscentum arrhae caussa venditoribus in antecessum numeravit; postea tamen, quasi gesti contractus Patriarcam poenituisset, eodem die, ac in ima ejusdem apocae cera de illius cessione egit cum negociatore isdraelita Abraham Baraffael, qui ideo, solutis scutis biscentum, quot cedens repraesentaverat agricultoribus, omne damnum lucrumve negociationis sibi suscepit, ac sese in solidum pro pactorum implemento erga agricultores ipsos devinxit. Ortis vero cedentem inter ac cessionarium dissidiis, res primum in judicium deducta fuit; sed deinde, concordia inita eodem anno 1810 postridie idus septembris, jus cessionis abdicavit Judaeus, illudque denuo collatum hoc pacto in Patriarcam est, ut prior teneretur integram kalini cineris quantitatem ab agro recolligendam sibi comparare pretio scutorum septuaginta duo in singula millena, ac praeterea sumptum obire combustionis ac translationis cineris cum pretio ipso deinde compensandos. Cautum autem diserte fuit, ut si plus in pecunia ab Judaeo solutum fuisset, quam in merce receptum, id omne, quod mercem excederet, restituendum ei esset.

Factum ex hoc est ut plures pecuniae summas ad vim usque scutorum sexaginta identidem persolverit Hebraeus, quin tam ne eam quidem receperit kalini cineris quantitatem, quae traditae pecuniae medietati responderet. Siluit ille, donec vixit, ob debitoris inopiam: eo nihilominus elato nuperis annis, cum ex ejus kalendariis atque codicibus comperire datum heredibus fuerit, traditi cineris valorem ad scuta 419. 92 $\frac{1}{1}$ vix evehi, ideoque creditorem superfuisse defunctum Abrahamum in scutis quatuorcentum quadraginta obolisque septem cum dimidio; satius idcirco duxerunt auctoritatem capitolini judicis implorare ut procurator ad agendas lites hereditati defuncti constitueretur: quo demum imperato, electoque ad hoc munus honesto curiae nostrae causidico, Bartholomeo Bellio, hic statim in jus rapuit Patriarcam apud urbanum commercii et mercatorum collegium, a quo damnari reum conventum ad praedictae summae solutionem obtinuit. Provocavit is quidem ad sacrum nostrum Auditorium, ubi de nullitate ac injustitia prolatae ab urbanis commercii judicibus sententiae questus est: sed hodie, controversia mature perpensa, cum haud dignae visae fuerint querelae istae quae exciperentur, merito rescriptum est: » *Nihil de circumscriptione; esse locum solutioni scutor.* 440 *et ob.* 07 $\frac{1}{1}$, *et extendatur decisio.*

Perperam de circumscriptione tam ex jurisdictionis vitio, quam ex defectu mandati querelam movere Patriarcam, luce ipsa clarius est. Si enim de jurisdictione sermo sit, illud certum est mercaturam exercuisse tum defunctum Abraham Baraffaelium, tum ipsum qui nunc de nullitate conqueritur, Franciscum Patriarcam, in praesens exercere, ac jurisdictioni tribunalis commercii obnoxios per consequens fuisse. Verum nedum ratione personarum, sed ratione etiam rei in contractum deductae, jurisdictionis judicum commercii quaestio subiiciebatur. Ambigi siquidem nequit, quin inter contrahentes actum
1 fuerit de emptione ac venditione mercis non in usum proprium convertendae, sed ad emporia negociationis caussa transmittendae: quo sane casu nemo dixerit, rem jurisdictioni tribunalis commercii haud subesse, nisi violare velit, atque impune contemnere manifestam legis censuram, quae » *reputa atti di commercio qualunque compra di derrate e mercanzie per rivenderle sia in natura, sia dopo averle lavorate, e poste in opera* » ut scriptum est *art.* 602 judiciariae commercii praxeos. Idem dicendum est de objecto mandati defectu. Quamvis namque peculiare desit procurationis mandatum; aderat tamen generale ad acta delatum, nempe decretum judicis capitolini, quo causidico Bellio quaestionum omnium ad hereditatem Abraham Baraffael spectantium defensio commissa fuit. Accedit, eumdem causidicum apud acta detulisse apodicticum quemdam calculum hereditatis creditum praeseferentem, cujus elementa nonnisi ab actoribus habere potuerat: idque praecipue, quia veritas ejusdem calculi novis monumentis ab ipsis actoribus traditis demonstrata fuit. Jam vero documentorum exhibitio, quae nonnisi
2 ab actore suppeditari potuerint, expresso procurationis mandato aequipollet juxta sanctionem *art.* 68 praefatae commercii praxeos. Inanissimum ergo erat irritam nullamque traducere sententiam illam quae valida prorsus fuit, et ad neotericae praxis tramites edita.

Ad justitiam sententiae quod attinet, ne ipse quidem Franciscus Patriarca denegabat, valorem traditae mercis ad scuta 419. 92 $\frac{1}{1}$ tantum pervenisse; sed hoc unum regerebat, totum kalinum cinerem ab agro recollectum Hebraeo traditum fuisse: quod sane non erat, ut sese posset a solutione subducere. Non enim in genere emit Hebraeus, uno praefinito pretio scutorum septingentum decem, kalinum cinerem qui ab agro recollectus fuisset: imo vero in specie kalinus cinis in contractum ita deductus fuit pretio scutorum septuaginta duo in singula millena, ut si merces solutum pretium non attingerent, quod reliquum ex ipso pretio erat, restituendum foret emptori. Convenit siquidem – *che se il prezzo della soda risulterà minore delle somme che dovrà improntare il signor Baraffael, sarà obligato il sig. Patriarca di restituirgli il di più pagato* –. Quod autem peculiari pacto conventum fuit, rationi potissimum congruebat. Leges namque, quae aequalitatem in contractibus maxime

desiderant, haud patiuntur ut alter ex contrahentibus quaestum lucrumque faciat cum non levi alterius contrahentis jactura. Si itaque a quantitate scutorum octingentum sexaginta, quot Judaeus persolvit, valor kalini cineris detrahatur in scutis quatuorcentum decemnovem obolisque nonagintaduobus cum dimidio, facile calculanti patebit creditricem superesse Abrahami hereditatem in scutis quatuorcentum quadraginta et obolis septem cum dimidio, quae restituenda
3 ex stipulatu sunt: cum nihil magis fidei congruat humanae, quam ea quae placuerunt, religiose servari. *leg. non minorem* 20 *cod. de transact.*

Nec ad minuendam quantitatem pecuniae ab Judaeo persolutae recte in discrimen revocabatur summa argenteorum nummorum centum Thomae Mercurio traditae ex mandato ipsius Francisci Patriarca, quod forte in nummaria scheda deficiat ejusdem Thomae acceptilatio. Animadvertendum quippe est, Mercurium illiteratum esse atque idiotam, qui ideo se subscribere schedae non poterat. Non ideo vero minus de facta solutione constat, semelac nummaria scheda, seu collybistica litera, quam Thomae solvi ab Judaeo jussit Franciscus Patriarca, penes ipsum remansit Judaeum. Existentia enim literae penes il-
4 lum qui eam se dimisisse contendit, optime solutionem evincit: *leg. Labeo ait* 2 *ff. de pactis*, *Rot. in rec. decis.* 225 *num.* 16 *part.* 10 *et decis.* 2 *num.* 10 *tit. de legat. cor. Falconerio.* Plus autem ad confusionem in re planissima ingerendam, quam ad veram defensionem parandam, idem querebatur Franciscus *aut* de scutis biscentum a se agricultoribus arrhae nomine solutis, quasi restituta ei non fuissent; *aut* de aliis scutis quadraginta, quae cedere in sui commodum ac utilitatem debere cum iisdem agricultoribus convenerat. Quo enim tempore de cessione contractus emptionis venditionis kalini cineris inter Hebraeum ac Patriarcam actum est, statim hic postremus recuperavit scuta illa biscentum a se antea kalini cineris venditoribus numerata, teste litera ipsa cessionis, in qua emptum cinerem eodem pretio cum agricultoribus convento cessit idem Franciscus - *per averne ricevuto lo sborso come sopra di scudi duecento* -. Compensationem demum illam scutorum quadraginta non sibi pepigit Franciscus cum Judaeo, sed imo cum agricultoribus, contra quos jura sua ille debet experiri tam pro compensatione ipsa assequenda pecunia, quam pro condicenda pecunia quam indebite fortasse receperint. Quoad Hebraeum, qui sumptus pro comburendo exportandoque cinere ex pacto erogare tenebatur, sat est ostendere quid revera solverit, ut si quid praeter et ultra acceptam mercem rependerit, ab uno Francisco Patriarca, cum quo contraxit, condicere valeat.

Quo cum res perducta sit haud Dominos de eorum sententia dimovere potuit animadversio ex officio facta, juris praesumptioni resistere, quod negociator isdraelita (quod
5 genus hominum constat in negociis agendis esse solertisimum) spatio plurium annorum, donec scilicet in humanis versatus fuit, silentium ea de re jugiter servaverit. Cum enim de praescriptione crediti, quae caeteroquin odiosa semper est, ac prae dif-
6 ficultate sua piscationi anguillarum a doctoribus solet assimilari, ut animadvertit *Costa de scient. et ign. cent.* 2 *dist.* 6 *num.* 19, ne meminerit quidem qui reo convento patrocinabatur, praesumendum omnino erat, ni judicialibus, extrajudicialibus saltem actibus, qui intercipiendae praescriptio-
7 ni pares sunt, ipsius praescriptionis cursum in themate interruptum fuisse. Nec ratio deerat cur, quamdiu vixit Hebraeus tacuerit, nec debitorem suum judicio vadaverit. Tanta enim laborabat inopia, ut nulla spes creditori suppeteret quidquam ab eo
8 consequendi quamvis usque *ad saccum* ut inquiunt *et peram* excusso. Inutilis autem est actio quam inopia debitoris excludit. *leg. nam is* 6 *ff de dol. mal.*, *leg. Titius* 76 *ff. de procurat.*, *Marchesan. de commiss. part.* 3 § 1 *num.* 49, *Bollet. disquisit. cleric. debit.* § 1 *num.* 2, *Rot. decis.* 445 *num.* 9 *cor. Emerix jun. et decis.* 465 *num.* 32 *cor. Ansaldo.* Nec ex temporis lapsu, quo creditor siluit, recte argueretur praesumpta debiti solutio, de qua pariter nec verbum, nec volam fecit in hoc jurium experimento rei conventi defensor. Solutio enim, quae quid facti est, factis invictisque monumentis comprobari de-

9 bet : nec ad eam evincendam idoneae sunt conjecturae, nisi vehementes istae sint, adeoque graves ut monumento solutionis aequipolleant. *Rot. post Salgad. labyr. credit. decis.* 23 *num.* 9, *post. Merlin. de pignor. decis.* 231 *num.* 18 , *in rec. decis.* 294 *num.* 13 *part.* 19 *tom.* 1 , *et decis.* 474 *num.* 2 *cor. Riminaldo.*

Hujusmodi vero non erat servatum a creditore silentium, ut ex eo facile presumi possit expleta debiti solutio. Temporis siquidem la-
10 psus , utut diuturnus , cum non satis sit ad perimendam obligationem; nec aptus idcirco est ad inducendam solutionis probationem. Sola hinc ac quiescentia aliis destituta praesidiis
11 atque argumentis obesse non valet ob eam rationem, quia creditor, jus suum salvum esse ciens, silendo nullum sibi praejudicium infert. *Rot. in Albanen. dotis et fructuum* 23 *februarii* 1752 § 12, *et in confir.* 23 *januarii* 1753 § *fin. cor. Elephantutio.* Leve etiam fuisset objicere defunctum Abrahamum minime latuisse quantum cineris confici posset, quia contractus , de quo quaeritur , ipsi antea cessus fuerat , qui propterea praesumendus non est quod integrum pretium incuriose voluerit numerare , si merces in adeo minori quantitate repertae fuissent: cum praecipue jus ei esset ex stipulatu custodem apponendi , qui combustioni ac transportationi cineris invigilaret. Atqui non inficiabatur Franciscus Patriarca, traditum cinerem scutis decemnovem supra quatuorcentum obolisque nonagintaduo cum dimidio vix aestimari . Utcumque id inficiatus fuisset, praesto erant Hebraeo domestici codices, ex quibus recepti cineris quantitas erui poterat. Quo posito , locum sibi vindicat pactio diserta contractus inter Hebraeum ac Patriarcam initi, qua cautum ut si pretium cineris solutam haud aequaret pecuniam , quod supererat , restituendum Judaeo esset. Caeterum mercatorii , in quo versamur , judicii qualitas omnino exigit
12 ut bona fides ac sola rei veritas prae oculis habeatur, remotisque subtilitatibus et apicibus juris , judicium de bono et aequo feratur : *leg. de submersis* 5 *cod. de naufrag., Marquad. de jur. mercat. lib.* 3 *cap.* 7 *num.* 5. , *Stracc. de mercat. cap.* 4 *num.* 1 , *Kurich. ad jus maritt. tit.* 1 *art.* 3 , *Rot. in Romana seu Liburnen. pecuniaria* 17 *martii* 1806 § 5 *cor. Resta* , *et in Anconitana pecuniaria* 5 *junii* 1820 § *ult. cor. me.*

Et ita, hoc sollemni die aperitionis Rotae, tres tantum ex Patribus, coeteris absentibus, jus reddidere , utraque parte dimicante.

## R. P. D. MARCO

### PISAUREN. SEU FANEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

*Lunae* 3 *decembris* 1827

### ARGUMENTUM

Cambium obliquum commerciali jurisdictioni non subest. Multa habes de jurisdictione, deque cambii obliqui natura et validitate.

### *SUMMARIUM*

1. *Negocium mere civile ad extraordinarium commercii tribunal deferri nequit.*
2. *Adeoque nec mutuum cum usuris conventis titulo lucri cessantis et damni emergentis.*
3. *Commercialis jurisdictio obtinet, cum personae sint revera commerciales , vel res in judicium deducta actum commercii exhibeat.*
4. *Ex lege commerciales sunt personae quae habitu negociationem exercent.*
5. *Quibus de causis oporteat ut negociatores proprias leges propriumque tribunal habeant.*
6. *Contractus publicis tabulis consignatus, sollemnibus clausulis et hypotheca munitus , atque initus inter homines non negociatores, commerciali jurisdictioni subesse nequit.*
7. *Atque sunt ab ea exemptae ipsae impropriae collybi literae.*
8. *In pecuniae trajectione vera consistit collybisticae literae natura.*
9. *Et quando collybum suppositiones habeat loci , qualitatis , nominis , domicilii etc. ad ordinarios judices est amandandum.*
10. *Qui actus vere commerciales ab lege censeantur .*
11. *Inter hos obliquum cambium recenseri nequit.*
12. *Hujus validitas controversa fuit inspecto jure canonico.*
13. *Sed tandem probata ex doctrina Summi Pontificis Benedicti XIV.*
14. *Verbis tantum in hoc contractu commerciale negocium continetur.*
15. *Re enim debitor prosuo commodo pecunia utitur, et usuras solvit titulo lucri cessantis et damni emergentis.*
16. *Hinc cambium obliquum bene appellatur improprium et suppositilium.*
17. *Adeoque commerciali jurisdictioni subesse nequit.*
18. *Consuetudo contra legem nullam vim habet.*

19. *Mercium emptio tunc commerciali subest jurisdictioni, cum negociationis causa facta sit.*
20. *Non ergo emptio, quamvis a negociatore, facta tamen proprii usus causa.*

## Decisio XXII.

Argentea mille ad julium anni 1824 Victorius Maccaroni, fanensis, octo stationum equis commutandis (*Poste*) redemptor a Bartholomaeo Pergami, pisaurensi, mutua accepit. Besses usurae stipulatae sunt; quas ut legittime creditor assequeretur, non illa usitata per proxenetarum fidem contrahendi forma usus est, sed vetustiore illa quam suo nomine *obliquum cambium et indirectum* appellamus. Scriptum idcirco legimus » *affinchè per la detta somministrazione non abbia il medesimo a soffrire alcun danno, il prefato signor Maccaroni si obbliga di cambiare e ricambiare l' equivalente della sudetta percetta somma, senza la menoma cura e pensiero di detto signor Barone; ma a tutto carico, premure e spese di esso sig. Maccaroni* ». Delectus ad hoc ex consuetudine mandatarius publicus magni nominis argentarius dux Torlonia. Tandem, quod totius negocii summa erat, incertorum fructuum remota supputatione » *hanno concordato di fissare e tassare, conforme concordemente fissano e tassano detti cambii alla ragione di scudi otto per ogni cento ed anno, e qualunque somma maggiore, o minore si ritragga, ceda ad utile e danno respettivamente di detto signor Maccaroni* ». Ne quid tamen ad creditoris deficeret securitatem, duo, neque parvi valoris, urbana prædia hypothecæ subjecta fuerunt.

Biennium fere excesserat, cum ad mensem augustum anni 1826 Maccaronius Pergami debitor extitisset tum ob memoratam fructuum præfati cambii solutionem; tum ex quorumdam traditorum generum non soluto pretio, aes hoc alienum in mutuum convertere ad scuta usque biscentum supra mille convenerunt. Diversam vero contrahendi formam ab illa priore contrahentibus adhibere placuit. Interposita namque proxenetarum fide besses quoque usuras se soluturum Maccaronius pollicitus est, ne quid scilicet creditor Pergamus ex contractu detrimenti caperet, seu quod idem est, lucri cessantis et damni emergentis probatissimo titulo. Nec hypotheca quoque defuit, quam super iisdem fundis creditoris favore debitor constituit. Utriusque vero cambii remoratis a Maccaronio fructuum solutionibus, ad mensem augustum labentis hujus anni vim scutorum 128 ab ipso judicialiter Pergamus postulavit, utriusque contractus allegato titulo, videlicet quoad scuta 80 » *per frutti di due semestri di un cambio obliquo in sorte di scudi* 1000 », quo vero ad reliqua scuta 48» *per frutti di un semestre di altro cambio* ». Ex quadam vero, quam in pisaurensi foro viguisse venditant, inaudita consuetudine, ordinarium commercii tribunal Pergamus adivit. Incompetentiam statim allegare Maccaronius coepit, qua tamen ab judicibus rejecta exceptione, ad postulatam persolvendam summam damnatus ille abiit, simulque in sententia *reale, et personale* mandatum creditori concessum. Rogati a me hodie Patres, qui novam caeteroquin expeditissimam competentiae quaestionem definirent, ulla absque dubitatione responsum dedere: » *Esse locum circumscriptioni per viam nullitatis, et extendatur decisio.* »

Novam profecto controversiam non indole quidem sua, cum ejusmodi passim in foro agitari videamus, sed ratione aditi judicis, definivit hodie sacrum nostrum Tribunal. Nemo siquidem hospes adeo in foro extiterit,
1 qui negotium mere civile ad extraordinarium commercii judicem deferre cogitaverit. Antequam vero in mediam rem veniamus, neque praeteriisse praestabit, jurisdictionis defectum quoad summam scut. 48 – alterius instrumenti vi postulatam luce clariorem ap-
2 parere. Mutuum namque cum usuris exhibent tabulae illae uno sub titulo damni emergentis et lucri cessantis constitutis, quem porro titulum commerciali subesse jurisdictioni nemo sanus tuebitur. De primo itaque instrumento, quod cambium exhibet obliquum, unice nobis inquirendum. Duplici sub adspectu tribunalis commercii competentiam metiri solet Ordo noster, quoties ejusmodi definiendae se offerunt quaestiones; num videlicet veri negociatores litigantium per-
3 sonae haberi possint, vel potius res de qua

inter quoscumque agatur ex lege commerciali *in art.* 601, actum commercii vere exhibeat. Atqui neque Pergamum, neque debitorem Maccaronium negociatores censeri posse Patres perpendebant. Hos describit ipsa commercii lex in *art.* 1 his verbis » *sono commercianti quelli i quali esercitano atti di commer-*
4 *cio, e ne fanno la loro professione abituale* ». Neque ejusmodi certe dixeris Baronem Pergamum, neque pariter Maccaronium publici quidem operis redemptorem, non autem negociationem *habitu* exercentem. Aliena ergo *ratione personarum* tribunalis commercii jurisdictio.

Neque minus *ratione rei* aliena. Tantam ex negociatione reipublicae redire utilitatem principes cognoverunt, ut proprias illam habere leges, proprios magistratus, propriamque judicii exercendi formam voluerint. Hisce praecipue legibus negociatorum tum bonae fidei habita ratio, tum celeritati in reddendo
5 jure perspectum, tum contractuum observantiae praesertim consultum efficacioribus inventis remediis, cum commercii celeritas illis solemniis et cautionibus negociatores sibi prospicere haud ferat, quibus uti pro lubitu suo et commodo cives reliqui possunt. Haud itaque ferendum, contractum publicis tabulis comprehensum, inter negociatores minime
6 conflatum, quibuscumque vallatum clausulis, quodque maximum est, maximi valoris fundos hypothecae obnoxios habentem, judicibus commercii juris ferendi materiam suppeditare. Atqui ejusmodi erat contractus in quo versamur, cum Maccaronius Pergamo sic prospexerit » *a garanzia poi del suddetto signor Barone sulla restituzione della sorte capitale, sul pagamento dei frutti . . obliga ed ipoteca specialmente i seguenti fondi cioè un palazzo di piani quattro, vani* 37, *posto entro la città di Fano, un caseggiato situato in detta città di piani* 4 *e vani* 25». Qui itaque ejusmodi sibi hypothecis prospexerit debitorem ad commercii judicem appellet ut solutionem forte remorantem in vincula conjiciat?

Vehementiora ex ipsis commercii legibus suppetunt. Privilegia namque ad actus vere commerciales sic ab ipsis coangustata deprehendimus, ut ipsas improprias collybisticas litteras ab ea jurisdictione exemerint. Neque enim verum commercii actum litterae illae
7 exhibere possunt, quae nullam pecuniae trajectionem offerunt, in qua verae collybisticae literae continetur natura *art.* 105, *vel*, quæ (ut utar verbis legis iu art. 107) complectantur » *supposizioni sia di nome, sia di qua-*
8 *lità, sia di domicilio, sia dei luoghi donde esse sono tratte, o nei quali esse sono pagabili*». Improprias hasce litteras, verbis interprete haud egentibus, ad ordinarios ju-
9 dices amandandas jubet *art.* 606 sanctio » *allorquando le lettere di cambio non saranno riputate che semplici promesse a termini dell'art.* 107. . . *il tribunale di commercio sarà obligato di rimettere l'affare al tribunale civile, se ne viene richiesto dal convenuto* ». Quid ergo dicas de publicis tabulis quae ibi solvendam constituant pecuniam, ubi fuerit accepta, quae haud inter negociatores fuerint confectae; quaeque nullum, *rei veritate inspecta*, commercii actum revera complectantur?

Utque id vere dixisse videamur, remotis adhibitis adhuc extrinsecis argumentis, intrinseca gesti actus natura perpendatur. Commerciales judices judicium ferre voluit lex » *fra ogni sorta di persone delle controver-*
10 *sie relative agli atti di commercio* ». Attende » *la legge reputa atti di commercio ogni operazione di cambio, banca, senseria etc. tutte le obbligazioni tra negozianti, mercadanti, e banchieri, le lettere di cambio, o rimesse di danaro fatte di piazza in piazza, tra ogni sorta di persona* » *art.* 601, 602 ». Haec omnia inter obliquum cambium recenseri posse ne delirando quidem quis dixerit. Obliqui cambii naturam optime describunt *Card. de Luca in summa*
11 *de cambiis n.* 16, *atque Azuni dizionario di giurisprudenza mercantile verb. cambio* § 14. Doctorum praesertim theologorum scholas contractum hunc anteactis temporibus plurimum exercuisse scimus. Controversiae materiem suppeditabant usurae quae sub eo usi-
12 tato verborum circulo cooperiuntur; jure siquidem canonico improbatas semper usuras una tantum verborum vi posse legittime percipi alienum summopere videbatur. Quid vero de illo sentiendum sit doctissime, more suo, con-
13 stituit Benedictus XIV, in opere *de Synod. Dioecesan. lib.* 10 *cap.* 5 *num.* 10 *in fo-*

*ro tamen externo non diffitente eodem summo Pontifice, probatum esse traditur in addit. ad Ferrar. bibliot. jur. verb. cambium num.* 2.

Id unum, Patrum sententia, satis superque erat ut cambium obliquum negocium vere commerciale dici non posset. Ut ut enim verissimum sit, verborum eam formulam ad contractus essentiam et validitatem ita pertinere ut, ea sublata, ipsum contractum improbari necesse sit, hoc tamen inter om-
14 nes certum exploratumque est, verbis tantum universum illud commerciale negotium contineri; debitorem vero accepta pecunia pro sua necessitate et commodo uti; fructus tandem non ex vera cambiorum ope-
15 ratione, sed lucri cessantis et damni emergentis titulo *ex una stipulatione* revera condici, sic docente *Casareg. de commerc. disc.* 27 *num.* 3 *ad* 15, *sac. Rota dec.* 231 *num.* 13 *part.* 17 *recent.*, ita ut non verum et proprium cambium illud appellent quod, salva rei veritate, nequirent, *sed obliquum*
16 *improprium supposititicium*, usuris dumtaxat legitime condicendis idoneum. Qui fieri ergo poterit ut commercii lex, quae veros commerciales actus taxative descripsit praefinivitque, quaeque improprias ipsas collybisticas litteras ex eorum numero expunxit,
17 ut §§ 5 et 6 docuimus, merum civile actum, quod nonnisi fictam, impropriam, supposititiciam pecuniae trajectionem exhibet, comprehendere voluerit?

Quam labilibus niterentur fundamentis Pergami oratores forte cognoscentes, in ea verbali cambiorum operatione parum consistentes, ad consuetudinem confugiebant quam adducto causidicorum testimonio pisaurensi in curia jamdiu viguisse praedicabant, cujus vi contractus ejusmodi ad commercii judices deferrentur. Despicere potius, quam refellere eam consuetudinem ejusmodi Patres censuerunt. Ex hucusque enim probatis,
18 scriptam legem asserta consuetudo everteret, quod fieri posse universae negant leges; docentibus jurisconsultis Paulo *in leg.* 14 *ff. de legibus* „ ibi „ *quod vero contra rationem juris constituta sunt, non est producendum ad consequentias* „ *Celso in leg.* 39 *ff. eodem* „ ibi „ *quod non ratione introductum sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet* » *et leg.* 2 *cod. quae sit longa consuetud.* Neque huic consuetudini se Maccaronium voluisse subjicere allegata statim ab eo incompetentia ostendit: narrat namque in sua sententia ipsum tribunal, Maccaronii oratorem » *senza entrare nel merito della domanda, ha allegata l' incompetenza di questo tribunale*, quam tamen exceptionem unanimi suffragio rejecit tribunal » *ad unanimità di voti rigetta l'eccezione d' incompetenza allegata dal reo convenuto.* » Maccaronio vero satis superque quod illius exceptionem hodie nostrum exceperit tribunal, cujus jam relato responso sententia illa ad nihilum redacta est.

Ineptius tandem alterius conventi cambii originem urgebat Pergamus, quasi creditorum generum insolutum pretium apud commercii tribunal postulari possit. Distingui enim principio debet quis de generum emptione convenerit, quisque illam acceperit: num scilicet negociator, negociationis ineundae causa,
19 quo in casu commerciali jurisdictioni revera controversia subesset. Atqui non negociatorem Maccaronium superius probavimus, neque negociationis, sed proprii usus causa, illa accepisse constat: exulet ergo oportet commer-
20 cialis jurisdictio; quam extraneam hoc in casu inter ipsos negociatores censuit *art.* 608. Frustra deinde crediti prima investigatur origo cum per posteriorem contractum universa fuerit novata res. Id in controversia versatur hodie num cambii fructus lucri cessantis damnique emergentis titulo in publicis conventi tabulis apud commerciales judices postulari posset, quo nil absurdius, neque in foro deterius unquam auditum.

Et ita, utraque pugnante parte, una mecum suffragantes Patres de turno definierunt.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA SOCIETATIS

*Veneris* 14 *martii* 1828

ARGUMENTUM

Judicium est commerciale quando instituitur contra negociatores super re quae commercii actum praeseferat; neque exceptio de usuris ad eas causas pertinens quae vocatur *mixti fori*, potis est commercialem actionem in civilem convertere. Nulla concipitur usurarum pravitas in societate.

*SUMMARIUM*

1. *In Urbe, procul a statutis, ab universitate, et ab extrinseca forma, quotquot mercantur trajectitias literas cambii, pro argentariis habentur.*
2. *Judicium est commerciale ubi res et rei sunt commerciales.*
3. *Exceptio de usuris pertinet ad eas caussas, quae vocantur* mixti fori.
4. *Ex actione agnoscitur an judicium sit civile vel commerciale.*
5. *Per exceptionem de usuris actio commercialis in civilem converti nequit.*
6. *Alias enim nullum esset commerciale judicium suapte natura expeditissimum, a quo debitores declinare non possent per exceptionem usurarum, quibus inquinatum quodvis commerciale negotium facile praedicatur.*
7. *Usura nihil aliud est quam lucrum ex mutuo.*
8. *Adeoque non habet locum nisi in mutuo vel aperto, vel palliato.*
9. *Et exulat prorsus a societate, in qua nihil ex meo fit tuum.*
10. *Societas est duorum vel plurium in idem placitum consensus lucri faciendi gratia.*
11. *Ratio fructuum non modo pro dodrante sed etiam pro dextante et forte amplius tolerata est in hominibus a mercatura alienis.*
12. *Fortius toleranda, utpote non excessiva, in negociatoribus.*
13. *Socius socio reddere debet rationem administrationis suae.*
14. *Finita societate, liberum est socio remittere reddendae rationis onus.*
15. *At talis remissio fieri nequit tempore quo societas initur.*
16. *Nulla conventione dolus in futurum remitti potest.*
17. *Liberum est sociis lucrorum damnorum onerumque divisionem quibuslibet rationibus instituere dummodo absit leoninum pactum, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiat.*
18. *Inaequalitas non abhorret a societatis natura.*
19. *Sicuti in maxima collationis aliarumque conditionum aequalitate inaequales constitui possunt lucri et damni inter socios partes, ita vicissim partes lucri et damni possunt esse aequales etsi collatio caeteraeque conditiones sint inaequales.*
20. *In aestimanda hinc inde socialium partium collatione favor et gratia plurimi facienda est.*
21. *Praesertim si ab iis, tamquam a causa, societas initium sumpserit.*

DECISIO XIII.

Emptio venditio, die 30 aprilis 1822, contracta fuerat principem faeminam Paullinam Burghesiam inter, et Dominicum Arcieri et Andream Baldini, insignes hic in Urbe negotiatores gemmarum. Contrahentes utrinque sibi quaesiverant, hi, ex empto, abacum, *gran servizio di vermeil*, ex caelato argento inaurato ad instruendam locupletissimam mensam affabre elaboratum: illa, ex vendito, abaci pretium, comuni placito, conventum in scutis quindecim millibus. Paullina vero, cui ex aliis quoque contractibus patet hanc fuisse consuetudinem, maluit, ea occasione, vitalitiam pensionem sibi comparare, quam pecuniam sterilem in se retrahere. Itaque, post contractam venditionem, in eadem apocha privata, censum sibi condidit reservativum, seu, uti ajunt, vitalitium. Scilicet transtulit, *a fondo perduto*, in negotiatores illos dominium proprietatemque capitis scutorum 15000, sub hac tamen reservatione ut ex fructibus ex illius investimento percipiendis, scuta bismillia eo sibi ab eis solverentur in singulos annos, quousque versaretur in humanis. Fortunae et aleae plenus erat hic contractus, sive ex natura sua, quemadmodum solent esse omnes illi census reservativi, quorum exitus ab incerto pendet eventu vitae hominum; sive multo magis ex pacto speciali, quod ibi fuit adjectum, ut proprietas illius capitis, pro medietate si intra unum annum, pro tribus ex quatuor partibus si intra duos annos, ex integro negotiatoribus tunc demum quaereretur, si Paullina excederet e vivis post duos revolutos solidos annos a contractu vitalitio. Neque ulla quaestio modo exardescit super hoc vitalitio censu, cujus integritas manet in tuto.

Sed alter contractus modo venit in quaestionem, qui, etsi, eadem die 30 aprilis, et versaretur super eadem materia, seu super eodem capite scutor. 15000, tamen ab illo

primo erat omnino distinctus sive personarum, sive tituli, sive ratione obligationum, quae in hoc altero contractu suscipiebantur. Scilicet Dominicus et Andreas, ubi in vitalitium censum convenerant, partim aleatoria jura, partim aleatorias sibi quaesiverant obligationes: jura quidem proprietatis super capite sc. 15000 vel ex integro, vel pro parte, prout brevior vel longior futura esset vita Paullinae: obligationes vero et quidem gravissimas, tanta diligentia rependendi scut. 2000 ratatim in singulos menses cujusque anni, per integram vitam Paullinae, quae quadragesimum tunc agebat aetatis annum, ut si, vel semel, unius ratae solutio aliquando retardaretur, onus, non ad instar poenae, sed ad instar modi, eis esset perinde restituendi integri capitis sc. 15000, ac numquam contraxissent de vitalitio censu. Placuit autem eis aleatoria haec sive jura, sive obligationes, pro aequis partibus, communicare, et in aequalem societatem sibi adsciscere Josephum Vannutelli romanae Curiae advocatum.

Hujus societatis, quae per privatam apocham contracta fuerat, illa ipsa die 30 aprilis 1822, hic primus et potissimus cito fuit effectus ut socio Josepho, quemadmodum media pars capitis seu proprietas sc. 7500 illo momento quaerebatur; ita obligatio incumberet quotannis rependendi scuta mille, quae medietatem importabant vitalitiae pensionis: foenori ergo collocandum erat caput illud, quo pensio exinde retraheretur. Qua de re, constitutum fuit inter socios, ut investimento illi soli potius Dominicus et Andreas darent operam, quam ad illud opus Joseph quoque concurreret una cum eis: sive quia illis, cum continuam profiteantur in Urbe et extra Urbem negotiationem, prompta et expedita magis esset investiendae pecuniae occasio, quam Josepho qui forensibus curis distrahebatur: sive ne hoc in illo negotio accideret quod accidere in rebus communibus saepe solet, scilicet, quae communiter administrantur, communiter negliguntur. Hanc itaque investiendae pecuniae spartam negotiatores illi ultro libenterque in se susceperunt et, quo in antecessum adimerentur curae et ambages de reddendis investimenti rationibus, ab eo primum tempore determinarunt certam rationem fructuum scutor. novem in singula centum et annos: simul promittentes, eo se eam ex capite sociali soluturos esse, quousque, vitalitia pensione in Paullinae obitu cessante, ipsa quoque societas cessaret.

Quamdiu vitalitius census, duravit tamdiu per Dominicum et Andream constat huic obligationi fuisse satisfactum. Itaque Joseph quotannis retrahebat scuta 675, quae erant fructus dodrantes ex capite scutor. 7500: His addebat alia scuta 325 ex aere proprio: conficiebatur inde summa scutor. 1000; quae erat media pars a se debita vitalitiae pensionis. Alia scuta 1000, pari modo, addebantur a Dominico et Andrea, qui totam deinde et integram summam scutor. 2000 Paullinae repraesentabant in singulos annos. Ubi vero princeps foemina, post tres plusquam integre expletos annos, e vivis excessit, cito negotiatores ultroque ad Josephum venere, litteris die 25 julii 1825 ad eum datis, profitentes: » *essendosi risoluto il contratto vitalizio colla morte della principessa Paolina Borghese, risultiamo debitori della giusta metà della sorte capitale, cioè in scudi* 7500 *in di lei favore* ». Sed, quoniam caput illud in quaestu tunc temporis erat implicatum, hoc unum efflagitarunt, et a Josepho obtinuerunt, ut annales ad restitutionem induciae sibi darentur, promissis interim fructibus scutor. sex in centum et annos. *Questo capitale al presente trovasi in giro di commercio per cui chiediamo un largo di un anno al pagamento, con riserva che, facendoci comodo prima di detta epoca, ella favorisca ricevere anche in conto, ed in rate non minori di scudi* 500. . . . . *e ne pagheremo i frutti al sei per cento ed anno.*

At contra hanc a se datam fidem, contra hanc apertam confessionem nova et inexpectata deinde prodierunt consilia, a quibus praesens haec causa suum duxit exordium. Non modo enim ad duos circiter annos Dominicus et Andreas produxerunt inducias, quae ad unum dumtaxat annum cohibendae fuissent; non modo, per illud temporis spatium, promissos a se quaestuosae pecuniae fructus solvere detrectarunt; sed etiam ex improviso judicem adiere efflagitantes ut, nihili habitis, tamquam usurariis, conven-

tionibus dierum 30 aprilis 1822, 25 julii 1825, de solvendis pecuniae fructibus ad rationem scutor. vel novem, vel sex in annos; et imputatis idcirco solutionibus, quas fecerant pro rata vitalitiae pensionis Josepho spectantis; quidquid reliquum exinde esset in capite scutor. 7500, nempe scuta 4625. 67, id unum, per judicem, declararetur, a se esse solvendum in solidationem sui cujuscumque debiti. Huic improvisae actioni, a qua fuerat perculsus, Joseph, sequenti die 10 maii 1827, alteram et ipse opposuit actionem, postulans ut, computatis quoque decursis fructibus, solverentur sibi scuta 7695. Sed quia coram diversis judicibus hae duae proponebantur actiones, illa a Dominico et Andrea coram altero ex locumtenentibus A. C., haec a Josepho coram tribunali commercii Urbis; idcirco, suspensa controversia principali, quaestio super competentia jurisdictionis exarsit. At omnes hoc de negotio quaestiones agendas esse, non apud A. C., uti negotiatores contendebant, sed apud commerciale tribunal, quod erat in votis Josephi; id in acri partium certamine definitum fuit per quinque rescripta, primum Signaturae Justitiae quae, diebus 12 julii et 6 septembris 1827, rescripsit *ad tribunal commercii quoad omnia*; deinde cardinalis Praefecti ejusdem Signaturae qui, diebus 29 septembris et 8 sequentis decembris, rejecit instantiam negotiatorum veniam petentium de redeundo, uti ajunt, ad Signaturam; postea pontificii Auditoris qui eisdem iterum instantibus, die 15 elapsi januarii, per rescriptum *utantur juribus suis* silentium tamdem imposuit.

Itaque contradictores reditum fecere ad tribunal commercii quod, pro quadruplici numero quaestionum quae proponebantur, quatuor, in una eademque sententia diei 11 februarii praeteriti, edidit decreta. Primum se ad judicandum competens esse declaravit, atque, hac in re, rejecit instantiam Dominici et Andreae qui incompetentiam iterum refricabant. *Tum remisit partes ad tribunal ordinarium quoad alteram instantiam, per eosdem actores promotam, super nullitate contractus.* Tertio *firmam*, decrevit, *coram se remanere causam super praetensa usurarum a Josepho perceptarum* in vim conventionum diei 30 aprilis 1822 *et* 25 *julii* 1825 *in summa scutorum* 2872. 23 *imputatione in partialem extinctionem capitalis scutor.* 7500. Quarto mandavit *per Dominicum et Andream persolvendam pro nunc esse tantummodo summam scutor.* 4627. 67. Appellatum est per Dominicum et Andream, qui illius sententiae circumscriptionem, sin minus postulabant revocationem. Ordo vero noster quatuor illis instantiis cumulatis in unum, plus Josepho, in gradu appellationis, adjudicavit, quam datum ei fuerat in prima instantia. Nam, hac mane, rescripsit»: *Nihil de circumscriptione, et esse locum solutioni scut.* 8637. 63, *et extendatur decisio.*

Societas versabatur non super abaco argenteo, quia hic per Dominicum et Andream pridie, nempe die 29 aprilis 1822, ex vendito traditus fuerat Aloysio Boncompagni Plumbini principi, quam vitalitius census contraeretur. Sed versabatur super pretio scutorum 15000, quod ex venditione illa fuerat retractum, quodque societatis materiam suppeditabat. Non sterile autem, non otiosum, non in arca reconditum, sed illius pretii ea, ex mutua contrahentium mente, ex ipsa census vitalitii necessitate, futura erat destinatio ut investimento cito collocaretur, quo fructus continuo suppeterent ad vitalitiam pensionem, statis temporibus, Paulinae solvendam. In hac solutione situm erat indeclinabile onus societatis, quod adimpleri non poterat nisi annuatim detrahendo scuta bismillia vel ex capite sociali, vel ex capitis fructibus. Detractio ex capite id, brevi tempore, secum tulisset ut, per absumptionem capitis, pareret ipsam societatis destructionem: quod erat contra sociorum mentem, qui societatem eo duraturam fore spoponderant, quousque vitalitiae pensionis obligatio duraret. Una ergo supererat detractio ex fructibus. Quo vero fructus haberentur, ad id necesse erat investire pecuniam. Investimentum autem cito post initam societatem executioni fuisse commissum, id, cum ex fructibus vitalitiis Paulinae, pendente ejus vita, diligenter solutis, tum maxime constat ex ipsa confessione negotiatorum, qui, quo, in exitu societatis, obtinerent a Josepho annales inducias ad restituendam ei medietatem capi-

tis socialis, hanc causam interseruere, caput illud in negotiationibus tunc temporis esse implicatum.

Negotiationes autem illae esse non poterant super bonis immobilibus, quia haec immobilis natura impedimento fuisset, quominus pretium ex eis, in incerto societatis exitu, retraheretur ad aequalem ejus inter socios distributionem. Sed tales erant quales conveniebant Dominico et Andreae, qui negotiatores sunt, et quidem magni nominis, gemmarum margharitarum; et hoc est in propatulo: insuper nummulariam mensam hic in Urbe, ipsi dicunt, se habere apertam sub *Ditta Arcieri e Baldini*. Et quamquam neque litterae patentales sint eis, neque compertum sit quemnam gradum obtineant inter argentarios, haec tamen omnia non impediunt quominus argentarii munus profiteantur in
1 Urbe, in qua, procul a statutis, ab universitate, ab extrinseca forma, quotquot mercantur trajectitias litteras cambii, ex testimonio eorumdem argentariorum, pro argentariis habentur. Hanc autem trajectitiam cambialium mercaturam, multis ab hinc annis, per Dominicum et Andream publice exerceri, id compertum fit, cum ex testimonio trium proxenetarum urbis, qui ajunt sibi ab eis fuisse commissas *ora la compra, ora la vendita di cambiali sopra differenti piazze estere*, tum ex confessione eorumdem Dominici et Andreae, qui in altero judicio, die 24 martii 1824, acto coram altero ex Locumtenentibus A. C. ex eo nonnihil pecuniae sibi deberi a reo convento contendebant, quod crediti mentio legeretur in libris suae mensae nummulariae, *banco di Baldini*.

Nullum itaque dubium esse poterat, quin commerciale esset judicium, quod actor Jo-
2 seph, die 9 maii 1827, instituerat, ubi res et rei una simul erant commerciales. Res quidem, nempe scuta 7695, quae, una cum decursis fructibus, Joseph, finita societate, sibi reposcebat ex capite sociali in quaestuosam negotiationem antea erogato: rei vero Dominicus et Andreas, quos constat duplicem profiteri mercatoriam artem in emendis vendendisque margharitis, in trajectitiis cambialibus litteris mercandis. Hinc Josepho, qui erat actor, opus omnino erat sequi forum negotiatorum qui, erant rei: et forum ratione sive rei, sive reorum, erat commerciale. Ita codex commercii art. 601: *i tribunal di commercio giudicheranno . . . . fra ogni sorta di persone delle controversie relative agli atti di commercio.* „ art. 602: *la legge reputa atti di commercio . . . . . ogni operazione di cambio, banca e sensaria.*

Neque haec judicii commercialis natura mutari poterat per exceptionem de usuris, quas in societate delitescere negotiatores contendebant. Nam exceptio de usuris per-
3 tinet ad illas causas, quae vocantur *mixti fori*. Tum, cujusnam generis judicium aliquod sit, num commerciale, seu potius sit
4 civile, id cognoscitur ex actione, quae certe commercialis erat, die 10 maii 1827, primum proposita coram tribunali commercii. Ad hoc, si quod per actionem commercialem, id per exceptionem de usuris convertere
5 fas esset in judicium civile, cum nullum fere sit commerciale negotium quod pro cujusque lubidine praedicari non possit uti labefactum usuris; tum nullum esset com-
6 merciale judicium a quo, cum ex sua natura expeditissimum sit, debitorum malitia declinare non posset per exceptionem de usuris. Accedit, praetextum illum de usuris, non tam exceptionis, quam propositum fuisse a Dominico et Andrea per modum actionis, coram judice civili A. C., pridie quam actio institueretur a Josepho coram tribunali commercii. Quaestio inde exarsit super competentia jurisdictionis. Quinque conformia seu rescripta, seu decreta succiderumt quaestionem; eamque remiserunt *ad tribunal commercii quoad omnia*. Hoc itaque tribunal ubi, in primo suae sententiae capite, se competens esse declaravit, non tam suam de novo protulit sententiam, quam id ipsum confirmavit quod firmatum fuerat per quinque decreta. Quod si exceptio de usuris, etsi ante quinque illa rescripta proposita coram judice civili, tanti non valuerat ut secum traheret actionem, in distincta sede judicii a Josepho institutam coram judicibus commercialibus; multo minus id ipsum assequi poterat, postquam divulsa per quinque illa decreta a judice civili remissa, *quoad omnia* fuerat ad unum idemque tribunal commercii. Quare Ordo noster rejecit

primam partem appellationis, quae erat de circumscriptione sententiae tribunalis commercii per Dominicum et Andream efflagitata.

Rejecit quoque alteram partem de infirmatione ejusdem sententiae, quin imo eo plenius sententiam confirmavit, quo major est summa scutorum 8637. 63, cujus Dominicus et Andreas, sive pro capite sociali, sive pro fructibus decursis, renunciati sunt debitores per Auditorium nostrum, quam quae a tribunali commercii *pro tunc* limitata fuerat in scutis 4627. 67. Et antequam haec altera rescripti pars demonstretur, statuatur oportet conventionem quae modo venit in quaestionem, nihil aliud esse quam societatem: natura societatis resultat sive ex mente contrahentium, sive ex apertis socialibus verbis quibus in apocha usi sunt: *essendo stato trattato e concluso dall'avvocato Vannutelli il contratto vitalizio fatto sotto questo medesimo giorno fra la principessa Borghese, ed Arcieri e Baldini, nell'intelligenza che questa impresa relativamente al guadagno ed alle perdite dovesse andare in società fra Arcieri e Baldini da una parte, e l'avvocato Vannutelli dall'altra, si è creduto fare una dichiarazione che regolasse il contratto sociale*: sive ex eo quod, quae pacta in illa apoca fuerunt conventa, ea singula ad aequalitatem societatis tendebant. Hac autem natura societatis semel firmata, corruant per se oportet quae a Dominico et Andrea opponebantur exceptiones de nullitate contractus, depromptae ex pravitate usurarum: nam usura, cum nihil aliud sit quam *lucrum ex mutuo*, prout a vulgo aeque ac in scholis definitur; *caus. 14 quaest. 3, s. Thom. 22 quaest. 78, s. Antonin. par. 2 tit. 1 cap. 7 § 8, Layman. lib. 3 tract. 4 cap. 16, Nav. comm. de usur. num. 4.*, non potest habere locum nisi in mutuo vel aperto, vel pal-
8 liato. Exulat autem a societate, in qua nihil ex meo fit tuum, sed vel cuncta communia
9 sunt, vel quod cujusque socii proprium est, ita ejus est ut alterius socii simul esse non possit. Ita scuta 7500, quae erant media pars capitis socialis, tantum erant propria Josephi quantum alia scuta 7500 propria erant Dominici et Andreae. Et, ubi hi ab illo scuta 7500 investimento collocanda sumebant; non id ex mutuo, neque eorum propria fiebant, sed ita de communi re, vel mandato sumebant, ut proprietatis jura Josepho salva superessent. Quare quidquid utilium ex investimento hujus pecuniae Joseph deinde hauriebat, id omne ei obveniebat ex re non aliena, sed sua.

Natura societatis id secum necessario ferebat ut quidquid in ea gerendum esset, totum id ad consequenda lucra dirigeretur. Haec enim est indoles societatis, ut sit duorum vel plurium in idem placitum consensus,
10 lucri faciendi gratia *leg. 3 ff. pro socio*. Gravior vero in specie, quam quae fuisset in genere, cura ex eo urgebat consequendorum lucrorum, quia vitalitia pensio solvenda erat quotannis ad integram vitam creditricis in gravi summa scutorum 2000, ad hoc ratatim in singulos menses, cum tanta insuper diligentia ut vitalitium caput amitteretur, statim ac vel una menstrua pensionis solutio retardaretur. Si conventum ita fuisset ut socii vel utrique, vel eorum alteruter sterile et otiosum relinquerent caput sociale: in primo casu, per annuam solutionem scutorum 2000, utrique socii amisissent caput sociale intra annos septem, menses sex: in altero casu quantum alter locupletasset sese per investimentum integri capitis socialis; tantum alter socius, intra idem tempus, in certo damno fuisset amittendi ejusdem capitis. Atqui uterque casus fuisset absurdus et injustus. Primus quia pugnasset cum ipsa natura societatis quae fit lucri faciendi causa: secundus quia enormissimam inaequalitatem induxisset inter socios. Concludendum ergo est opus fuisse ut investimentum fieret nomine communi.

A quo vero erat faciendum? Nimium verendum erat ne investimentum vel negligeretur si fieret cura comuni sociorum, vel abiret in transversum si uni Josepho committeretur, distento ab aliis negotiis extraneis a mercatura. Factum inde fuit quod tali in re prudentissimus quisque paterfamilias fecisset: scilicet ut investiendi onus daretur Dominico et Andreae potius quam extraneo cuilibet negotiatori: quia illis et sollicitudo esse debebat quaerendorum lucrorum, cum essent socii; et erat, eadem de re, prompta et expedita occasio, cum pro-

fiterentur mercatoriam artem. Itaque Dominicus et Andreas susceperunt in se onus investiendi ad rationem scutor. novem in singula centum, non solum sua scuta 7500, (neque de hoc est vel esse potest ulla quaestio, cum de re eorum propria ageretur), sed etiam alia scuta 7500, quae erant Josephi. Huc re perducta, unum modo superest demonstrandum, per onus illud Dominico et Andreae impositum nequaquam laesa fuisse aequalitatis et societatis jura. Quantum enim onus illud cuicumque alteri grave forte erat qui a mercatura esset alienus: tantum et commodum et utile Dominico et Andreae qui in habituali negotiatione versantur, et majus consequi lucrum poterant ex industria.

Neque vera est immanitas fructuum scutor. novem in singula centum, quam, post inchoatam litem, opposuere. Nam si ab ea abhorruissent, nihil inde damni, imo quid lucri obvenisset Josepho, cui, quemadmodum coeteris civibus, prompta tunc temporis erat occasio investiendae pecuniae in consolidatis, quae, cum valerent scutis 75 in singula centum, cum capitis augmento, dabant annuum fructum scutis novem longe majorem. At e contra acquieverunt rationi dodranti. Et quo obligatio solvendae vitalitiae pensionis duravit, ei semper eousque satisfecerunt. Nihil quidquam obmussitarunt unquam de hac excessivitate. Quin imo, ubi, resoluta societate, dies venit restituendi capitis socialis, detrectarunt ejusdem restitutionem: implicatum esse, dixerunt in negotiatione, *in giro di commercio*. Atque haec est causa, ob quam fructus, ex conventione diminuti ad rationem semessalem, post dissolutam societatem competant Josepho ex capite quod, juxta debitorum confessionem, pergebat esse non sterile, sed implicatum in commercio. Quod si ratio fructuum non modo pro dodrante, sed etiam
11 pro dextante et forte amplius tolerata est in aliis causis quoad homines a mercatura alienos; *s. Rota in roman. nullit. contract.* 30 *april.* 1825 *cor. Resta, in Ferentina cambii 4 febr.* 1824 *numer.* 18 *coram Rmo Pianetti*; multo minus excessiva videri debet quoad Dominicum et Andream, sive quia ne-
12 gotiatores, sive, et hoc magis quoque est aestimandum, quia, per determinatam illam rationem fructuum, eximebant sese a reddendis investimenti rationibus.

Ni enim conventa fuisset illa ratio fructuum nullum in jure dubium esse poterat, quin, quae cuique socio socialem rem gerenti incumbit obligatio, ea Dominico quoque et Andreae immineret, reddendi rationes, quonam in quaestu collocassent caput sociale, quosnam fructus inde percepissent. Nam haec inter praestationes sociorum personales potissimum
13 recensetur, ut socius socio reddat rationem administrationis suae; *l.* 9 *ff. de eden.*; *Felic. de societ.* 38 *numer.* 4, *Voet. comm. in pand. lib.*17 *tit.* 2 *numer.*11. Cujus tanta vis est, tanta efficacia, ut etiamsi eam, finita
14 societate, remittere socio liberum sit, tamen ab initio, tempore eo quo societas initur,
15 remissio talis fieri non magis socio potest, quam tutoribus cum ad tutelae gestionem vocantur: quia nulla conventione dolus in
16 futurum remitti potest: quod tamen fieret si socius a rationum redditione statim immunis esset *l.* 3 *ff. de pact.*. Haec autem reddendarum rationum obligatio quantum gravis et incommoda esset cum cuique privato homini, tum multo magis negociatoribus, nemo est qui non videat. Itaque, hac forte de causa, negociatores illi maluerunt sese obstringere ad certam rependendam rationem vel annuam vel bimestralem, vel etiam menstruam, prout menstrua erat obligatio solvendae vitalitiae pensionis. Nunc vero, quemadmodum non paterentur a se, per Josephum, extorqueri fructus si quos ex capite sociali in majori summa perceperint, quam quae definita fuerat in scutis novem; ita incivile, injustum est, eos conqueri et petere remissionem fructuum ex eo quod adserant, nequaquam vero probent, minus de illa dodranti ratione a se fuisse perceptum. Non enim ad imparia quemque judicare fas est.

Etsi vero obligatio investimenti negociatoribus imposita, tanti haberetur quamdam induceret inaequalitatem; tamen inaequalitas haec parvi esset pendenda. Nam in coeteris socialibus pactis, praeter hanc investimenti obligationem, socii erant aequales: nimirum aequales in capite, cujus quisque in commune conferebat scuta 7500: aequales in onere rependendae annuae vitalitiae pensionis, quisque in scutis 1000: aequales in lucris, si quid ex capite sociali superesset, post fini-

tam societalem : aequales in damnis , si census vitalitius per creditricis vitam ita protraheretur , ut absumeret caput sociale. In tanta autem aequalitate capitis , lucrorum , onerum , damnorum , si quid oneris praeterea occurrit magis uni ex sociis impositum, quam alteri , non inde tamen validitas societatis excluditur ex hac inaequalitate. Nam liberum est sociis , lucrorum , damnorum ,
17 onerum divisionem quibuslibet rationibus instituere , dummodo illud unicum vitent pactum a leonis fabula, leonini nomine cognitum , ut alter lucrum tantum , alter damnum sentiat; *Ulpian. in l.* 29 § 2 *ff. pro socio, Paul. in l.* 30 *ff. pro soc., Dec. in l. si pascenda cod. de pact. , Donell. comment. jur. civil. l.*13, *Vinn. select. quaest. cap.*53,
18 *Zanch. de societ. par.* 3 *cap.* 8. Inaequalitas enim non abhorret a societatis natura. Et , quemadmodum partes inaequales lucri et damni inter socios constitui possunt in maxima collationis et aliarum conditionum aequalitate , uti auctor est Imperator *in* § *inst.*
19 *de societ.* , ita vicissim et paritate rationis recte partes compendii et detrimenti constituuntur ex pacto, quamvis collectio coeteraeque conditiones sint inaequales, *Rot. in Fulginat. societ.* 24 *aprilis* 1722 *et* 11 *januar.* 1723 *cor. Crispoldo, Roman. societ.* 22 *aprilis* 1825, 27 *jan.* 1826 *cor. Emin. Isoardet* 26 *martii et* 18 *junii* 1827 *R.P.D. meo Marco.*

Quidquid demum seu oneris seu operae plus in Dominico et Andrea erat , quam in Josepho , id abunde compensatum esse videbatur ex eo quod neque abacus argenteus ex vendito traditus , atque ejusdem pretium , sub vitalitio censu , aliter a Paullina remissum fuit Dominico et Andreae , quam sub conditione quod ea super re societas , pro aequis partibus , iniretur ab eis cum Josepho. Vir adest , equestri ordine insignitus , qui erat alter ex gestoribus negotiorum Paullinae , quique ait , se ab ejus ore , sive ante, sive post societatem , saepe accepisse hoc consilium : simul audivisse quod ab illa venditione ab illo censu abhorruisset , si Joseph societatis particeps factus non esset: huic nimirum , a quo cuncta negotia sua *gratis* gerebantur , maximo studio , voluisse , illa occasione , grati sui animi aliqua sensa prodere. In aestimanda autem hinc inde collatione socialium partium , favor et gratia
20 maximi facienda sunt , ubi praesertim ab eis
23 tamquam a causa suum societas sumpserit exordium; *leg.* 80 *ff. pro soc. Connan. comment. jur. civ. lib.* 7 *cap.* 13 , *Rota in allegatis decisionibus coram Emo Isoard et R. P. D. meo Marco.* Quanti autem favor hic Josephi valeret , id comprobarunt vel ipsi Dominicus et Andreas ; qui cum alias Josephum adierunt Florentiae tum temporis morantem , litteris die 27 augusti 1822 ab Urbe ad eum missis , quo coeteris oblatoribus anteferrentur in opalis emendis a principe foemina : tum post emptionem abaci argentei declararunt : *essere stato trattato , e concluso dall'avv. Vannutelli il contratto vitalizio nell'intelligenza che questa impresa , relativamente al guadagno ed alle perdite, dovesse andare in società.* Quare si operam ipsi in emendo abaco contulerunt; plus etiam, aut saltem non minus, contulisse videtur Joseph , cujus mediatione et favore contractum inire potuerunt.

Atque ita , utraque parte acriter contradicente , definitum est.

**R. P. D. BOFONDI**

ROMANA PECUNIARIA

*Mercurii* 26 *martii* 1828

ARGUMENTUM

Qui debitum fassus est illiusque ad certam diem dimittendi obligationem suscepit , quum dies cesserit , vanis posthabitis exceptionibus , ad solutionem est adigendus.

*SUMMARIUM*

1. *Nulla datur major probatio quam proprii oris confessio , cui nemini licet adversari.*
2. *Pacta sunt religiose servanda.*
3. *Nemini licet ab eo resilire quod consulto prius ei placuit.*
4. *Posteriora derogant prioribus.*
5. *Fas est semper contrahentibus communi consensu a priori contractu resilire.*
6. *Frustra obiicit defectum redditionis rationum ille cui imputandum est rationes exhibitas expunctasque non fuisse.*

## Decisio XXIV.

Rationibus dati acceptique dispunctis inter cetarium Emanuelem d'Angelo et piscatorem Nicolaum Vindittium quoad contractus piscationis initos ab altero cum altero, se confessus hic est declaravitque » *esser vero, e legittimo debitore del signor Emanuele d'Angelo della somma di scudi mille trecento ventisei e baj.* 40 *moneta* », atque hanc summam *alla fine di ottobre prossimo avvenire* 1827 » soluturum creditori spopondit. Ejusmodi declarationem debiti solvendique obligationem confirmavit Vindittius coram regio Consule generali utriusque Siciliae, coram quo itidem convenit ut quoad peragendam piscationem d' Angelus praeberet Vindittio necessariam ad instruendas cymbas piscationemque explendam pecuniam, atque hic vicissim pisces ei venderet quos piscaretur certo constituto venditionis pretio. Quod si piscis quantitas esset major pecunia suppeditata, ac quidquam hujusce debiti satisfactioni forsan superesset, id in prioris debiti recensiti computari deberet decrementum. Ast data ab Vindittio non servata fide, dum praestituta venit dies solutionis, judicio egit adversus ipsum cetarius d'Angelus, mandatumque a tribunale commercii obtinuit » *di sospetto di fuga* » de quo ad praesens non quaeritur. Sciendum solum hic est, idem tribunal Vindittium condemnasse ad pecuniae vim rependendam quam ut sibi debitam d'Angelus poposcerat. Provocatione autem interposita a reo convento, conscendit contentio ad sacrum Tribunal, ubi quaesito, num locus esset solutioni scutorum 1326. 40 ac refectioni expensarum, responsum prodiit: » *Esse locum solutioni scut.* 1326. 40 *et refectioni expensarum etiam extrajudicialium, et extendatur decisio.* »

Et rectissime sane responsum ita fuit a sacro Auditorio. Semel ac enim, computis utrinque ad liquidum perductis dispunctisque accurate hinc inde rationibus, clare innotuit Vindittium » *esser vero e legittimo debitore del signor Emanuele d'Angelo della somma di scudi* 1326. 40 » quam ultro ipsemet confessus est et declaravit, confirmavitque solemniter coram regio utriusque Siciliae Consule, et quam » *alla fine di ottobre prossimo avvenire* 1827 » se soluturum promisit, planum erat quod quum elapsus jamdiu esset october mensis, ideoque cessisset et venisset appositus dies solutionis, quin unquam Vindittius propriam obligationem implevisset, incumbebat ipsi absque ulla exceptione debiti contracti satisfactio, cogegebaturque idem vel invitus ad extinguendum admissum aperteque declaratum nomen. Nulla 1 enim datur major probatio, quam proprii oris confessio, cui certe nemini unquam licet adversari, *Rota in Perusina juris reluendi* 4 *decembris* 1794 *impress. anno* 1795 § 12 *in fin. coram Paracciano et in Beneventana haereditatis* 1 *aprilis* 1792 *impres.* 1795 2 § 5 *coram Origo*: itidemque exploratum est pacta esse religiose servanda, nec resilire cuiquam fas esse ab eo quod consulto ipsi- 3 met prius placuit, « *Rota in Civitatis Castellanae liberationis a molestiis super rejudicata* 16 *januarii* 1792 § 2 *cor. Soderino, in Beneventana executionis apocae* 3 *februarii* 1792 § 2 *coram Acciajuoli, in Caesenaten. contractus* 20 *junii ejusdem anni* § 4 *coram Origo, et in Faventina societatis* 4 *maii* 1792 § 13 *coram Guardoqui.* »

Frustra autem praesidium quaerebatur in priori contractu anni 1825, in quo statutum fuerat, ut debitum Vindittii in fine piscationum fuisset repertum, ipsemet deberet » *scontare il suo debito che risulterà, a scudi quindici l'anno* » semel ac enim posterius debitor ipse ultro libensque fassus fuit post rationes dispunctas » *vero e legitimo debitore della sommma di scudi* 1326. 40 » illudque se obligavit extinguere » *alla fine di ottobre prossimo avvenire* 1827 », prout etiam rite recteque declaravit coram regio utriusque Siciliae Consule, adeout nulla de nova istiusmodi conventione et contractu oriri posset vel minima simulationis alteriusve vitii suspicio. Sane nullo in calculo haberi amplius poterat conventio praecedens, utpote prorsus comuni placito novata, et solum quidquid in novo contractu sancitum erat, debebat sedulo inter contrahentes attendi. Posteriora siquidem 4 perspectum est semper derogare prioribus, liberumque utique manet contrahentibus con- 5 cordi consensu a priori contractu resilire.

Mirum autem non erat immutationem ac novationem illam intercessisse super modo solutionis peragendae, quum secus d' Angelo neutiquam profecto mutuaturus fuisset Vindittio ex praedicto mox renovato contractu aliam ingentem summam usque ad argentea octigenta, jam satis experientia edoctus satis non esse ad pecuniam restituendam exercendae piscationis fructum.

Perperamque obtrudebatur defectus redditionis rationum unde constaret, an et in qua summa, debitor creditorve restaret Emanuel d'Angelus. Nam confundenda non est syngrapha diei 11 novembris 1826 confessionis debiti controversi in causam anteactae negociationis cum altera syngrapha eadem die exarata pro ineunda piscationis negociatione nova. Quoad enim *illam* nulla desideratur amplius rationibus expunctio, quia ejus confectioni praecessit, et exinde ortum fuit liquidum debitum, teste ipsius Vindittii confessione *così d'accordo avendo appurati col sudetto Emanuele tutti e singoli conti ec.*, adeo ut et de vera existentia recensiti debiti liquidi et de onere satisfaciendi solvendique Vindittio incumbente, nulla amplius dubietas admitti quiret. Quoad vero *alteram* pendet coram tribunali commercii separatum judicium super redditione rationum ac liquidatione; ideoque cum duo ex diversa actione adsint judicia diversa, atque illud liquidum sit, hoc vero illiquidum, nulla patitur juris ratio hoc illud remorari, cum in credito liquido ac expeditissimo contra illiquidum altiorisque indaginis nullae admittantur exceptiones, nec ulla unquam compensatio obtineat. Potissimum quia objectus defectus redditionis rationis non culpae verti debebat Emanuelis d'Angelo, sed erat solummodo Vindittio imputandus, qui statо tempore sollicitus haud fuit dati acceptique exhibere atque expungere rationes, ad quas imo propter sui socordiam ad judicium vocari et compelli necessum fuit Emanueli; graviusque etiam quia, ex dati acceptique rationibus ab eodem creditore Emanuele judicio exhibitis, patet etiam non creditorem Vindittium in causam hanc novae negociationis esse, sed debitorem immo remanere pro altera non levi summa scutorum 459. 10. Illudque non leve accedebat quod Vindittius nihil de hac redditione rationis antea objecit, tametsi objicere potuisset, ac praesertim quando coram tribunali commercii fuit primo pulsatus, relaxatumque adversus ipsum mandatum » *di sospetto di fuga* ». Minus igitur obtrudi modo valebat iste defectus redditionis rationum, atque omnino idcirco insubsistens dignoscebatur objectio proposita de rationibus non redditis. Ut vero de expensis etiam extrajudicialibus reficiendis pactum aderat in contractu originario, ita pro iis quoque Patres domini jus congrue censuerunt reddere.

Et ita, utraque parte decertante, definitio fuit edita.

**R. P. D. MUZZARELLI**

ROMANA SOCIETATIS

*Lunae* 21 *aprilis* 1828.

ARGUMENTUM

Infirmatur praecedens decisio XXIII quoad competentiam, et negatur jurisdictio commercialis, ad quam constituendam, deficiente re commerciali, sola non sufficit negociatorum persona.

*SUMMARIUM*

1. *Nuda vox* – ritenere – *sine communicatione lucrorum ac damnorum neque societatem, neque societatis onera importat.*
2. *Ibi societas non potest esse ubi procul a mutua communicatione unus totum lucrum perferat, alter totum damnum.*
3. *Passim et in dies instituuntur actiones super creditis frugiferis coram ordinariis judicibus.*
4. *Nec unquam hujusmodi credita enumerata sunt inter res et operationes commerciales.*
5. *Ad judicium commerciale satis non est persona negociatorum, sed necessaria quoque est res commercialis, et quidem ex earum numero quae descriptae sunt in art.* 601 *et seq. commere. cod.*
6. *Ex lege pro commerciali haberi nequit actio ex hoc dumtaxat quod instituatur contra negociatores.*
7. *Judices debent parere legi, non obsistere.*
8. *In causis non commercialibus judices commerciales sese incompetentes declarare debent etiam ex officio.*
9. *Tribunali appellationis, post resolutam extrinsecam quaestionem de jurisdictione, integrum est quae-*

*stionem intrinsecam in merito vel dirimere, vel ita remittere ut partes utantur juribus suis prout et quatenus de jure.*

## Decisio XXV.

Venditio abaci argentei inaurati, *gran servizio di vermeil*, ad parandam locupletissimam mensam eleganter elaborati, ad hunc finem a principe faemina Paullina Borghese, per apocham privatam diei 30 aprilis 1822 inita fuerat erga Dominicum Arcieri et Andream Baldini, insignes hic in Urbe negotiatores gemmarum, ut super pretio, cujus hi debitores sese professi fuerant, ex pacto in summa scutorum quindecim millium, census vitalitius favore illius constitueretur. Itaque, in eadem illa emptionis venditionis apocha, hinc Paulina dominium proprietatemque illius capitis pecuniae transtulit in Dominicum et Andream, *a fondo*, uti ajunt, *perduto*. Illinc hi titulo vitalitiae pensionis, eo se vicissim promisuernt soluturos fore illi scuta bismille in singulos annos, quousque illa vitam ageret. Quidquid vero Dominicus et Andreas convenerant cum principe faemina, totum id, eadem ipsa die, per separatam apocham, ita se gessisse declararunt, in communi cum Josepho Vannutelli romanae curiae advocato, ut hinc mediam partem totius illius contractus sibi adsumeret, altera media pars sibi reservaretur. *Il contratto vitalizio fatto colla principessa Borghese, sotto questo giorno, che contiene la vendita e cessione del gran servizio di vermeil per la somma capitale di scudi quindicimila, sùl quale è stata costituita una rendita vitalizia di scudi duemila a favore della Principessa, si dichiara ch' è stato fatto per l' interesse comune, e che l' avvocato Vannutelli ne debba dividere il guadagno e le perdite che ne potranno risultare.*

Æqualis autem haec communicatio id continuo secum ferre videbatur ut jus Josepho esset sibi, sine mora, adsumendi sin medietatem ipsius abaci, quia hic, eodem pretio scutorum 15000, venditus pridie fuerat Aloysio Boncompagni Ludovisi Plumbini principi, quam vitalitius census contraheretur; certe quidem mediam illius pecuniarii capitis partem. Nihilominus ipse convenit ut, quousque vitalitii census obligatio duraret, integrum caput Dominicus et Andreas penes se, sub hoc onere, retinerent ut ejus fructus solverent ad rationem scutorum novem in singula centum et annos. *Arcieri e Baldini riterrà il capitale che sarà ritratto dalla vendita del vermeil, sino che dura il contratto vitalizio: si è convenuto fra socj, che l' interesse o prodotto di questo capitale resti fissato alla ragione del nove per cento l' anno.* Quo Paullina fuit in humanis, eo vitalitiae pensiones quotannis solutae ei fuerunt, hoc modo: videlicet Dominicus et Andreas conferebant in unum scuta 1350, seu annuos capitis fructus dodrantes: tum alia scuta 650, ab his pro media parte aeque ac a Josepho conferebantur ex aere proprio: conficiebatur inde summa scutorum bismillium, quae in vitalitiam pensionem statis temporibus solvebantur. Ubi vero Paullina tres et amplius post annos ab inito vitalitio censu excessit e vivis, tunc Dominicus et Andreas, etsi dies venisset qua nefas sibi esset ultra penes se retinere mediam partem capitis Josepho spectantem; tamen ab hoc veniam impetrarunt, per unum annum, differendi illius capitis restitutionem, diminutis fructibus ad rationem scutorum sex in singula centum. *Essendo stato risoluto il contratto vitalizio*, (ita Joseph datis ad illos litteris, die 25 julii 1825, respondebat), *si è convenuto fra socj, che la somma di scudi* 7500, *risultante dal capitale sociale per mia porzione, resti depositato per un anno presso Arcieri e Baldini coll' interesse del sei per cento ed anno.*

Cum vero non unus, sed duo circiter anni jam elapsi fuissent, quin satis restitutioni per eos fieret, hinc Joseph contra eos, ex lege, mox agere minabatur. At Domicus et Andreas quodammodo praevenire hujusmodi minas visi sunt, et ipsi ad judicem primi venere, die 9 maii 1827, efflagitantes, *salvis quibuscumque juribus et actionibus sibi competentibus, mandari fieri dispunctionem rationum contractus socialis super vitalitio conflatae ex pretio di un servizio di vermeil, abrogata quacumque conventione et perceptione usuraria dierum* 30 *aprilis* 1822 *et* 25 *julii* 1825, *et imputatis*

*omnibus solutionibus per se expletis, mandari per Josphum recipi scuta* 5627. 67 *in solidationem cujuscumque crediti.* Hac accepta instantia, postridie et ipse quoque Joseph venit ad acta judicii, postulans ut per illos scuta 7695 sibi solverentur. Sed quia hae duo sibi invicem oppositae actiones propositae fuerant coram diversis judicibus, illa negotiatorum coram A. C., haec Josephi coram tribunali commercii Urbis, ideo, suspensa intrinseca quaestione, controversia extrinseca exarsit super competentia jurisdictionis. Sed Signatura justitiae primum, deinde ejusdem Signaturae cardinalis Praefectus, demum Auditor pontificius, unanimiter decreverunt, rem remittendam esse *ad tribunal commercii quoad omnia.*

Itaque omnes et singulae quaestiones propositae et definitae hoc modo fuerunt a judicibus commercii, per sententiam diei 11 praeteriti februarii. Primum, *se competens tribunal ad judicandum esse declaravit. Tum remisit partes ad tribunal ordinarium quoad alteram istantiam per Dominicum et Andream promotam super nullitate contractus.* Tertio *firmam decrevit coram se remanere causam super praetensa usurarum in summa scutorum* 2872. 23 *imputatione in partialem extinctionem capitalis scutorum* 7500. Quarto *mandavit per Dominicum et Andream persolvendam pro nunc esse tantummodo summam scutorum* 4627. 67. Hujus sententiae, a qua cito appellarunt, Dominicus et Andreas petebant circumscriptionem, sin minus revocationem ab Ordine nostro, cui in prima hujus causae propositione visum fuit utramque controversiam extrinsecam et intrinsecam simul attingere, et utriusque resolutionem, die 14 martii mox elapsi, pandidit favore Josephi per rescriptum : *Nihil de circumscriptone, et esse locum solutioni scut.* 8637. 63, *et extendatur decisio.* Hujus decisionis, quae publici juris facta est, num argumenta consisterent nec ne, ad id proponendum potestas, hac mane, facta est partibus contendentibus. Atque in hac altera causae propositione Auditorium nostrum, post sedulo audita ac lecta juris et facti momenta hinc inde adducta, in hanc alteram sententiam concessit, ut sese abstineret a decisione intrinsecae quaestionis, quam remisit in posterum a quo de jure cognoscendam: solummodo vero resolveret quaestionem extrinsecam super circumscriptione; eamque diremit favore Dominici et Andreae. Rescriptum enim: *Recedendum a decisis, et circumscriptis, per viam nullitatis, omnibus gestis coram tribunali commercii, partes utantur juribus suis, et extendatur decisio.*

Neque ratione rei, neque ratione personae tribunal commercii competens erat ad judicandum. Non primum ratione rei. Quod ut bene intelligatur, recolendum est memoria quidquid actum fuerat die 30 aprilis 1822 Josephum inter et duos negotiatores, totum id, in prima propositione causae, dictum fuisse quod actum esset sub communi seu nomine seu titulo societatis. Haec mens fuit Ordinis nostri, qui, cum commercialem in universum respiceret societatem, commercialis competentiae rem esse declaravit. At in hac altera propositione consideratum est unius ejusdemque contractus duas sedulo distinguendas esse partes a se invicem longe diversas, et aliud fuisse emptionem abaci argentei, quam socii sibi quaesiverunt a Paullina, aliud investimentum ex negotiatione capitis scutorum 15000 quod retractum fuit ex valore abaci, quem die 29 aprilis 1822 vendiderant Principi Plumbini Atque in prima quidem acquisitionis parte socios illos secum invicem fuisse, id confirmatum est hac mane; quia societas hujus primae partis constat sive ex mente contrahentium, sive ex verbis quibus usi sunt in contractu, sive ex re ipsa : nam re ipsa abacus fuit inter eos, uti inter socios, divisus ex aequo : et ipsi aperte professi sunt *essere stato trattato e concluso dall' avvocato Vannutelli il contratto vitalizio fatto sotto questo medesimo giorno fra la principessa Paolina, ed Arcieri e Baldini, nell' intelligenza che questa impresa relativamente al guadagno ed alle perdite dovesse andare in società fra Arcieri e Baldini da una parte e l' avvocato Vannutelli dall' altra.* Sed nihil interest ulterius inquirere et disputare de illa prima contractus parte, quae modo non venit in quaestionem. Nam abacus argenteus, super

quo illa societas versabatur, pridie venditus fuerat quam conderetur census vitalitius, quam de capite scutor. 15000 ageretur.

Quoad alteram vero contractus partem, de investiendo capite scutor. 15000 retracto ex venditione abaci, visum est hac mane Ordini nostro nullam hac de re initam fuisse societatem. Nam, num investiendum nec ne esset caput illud, cujusnam generis deberet esse negotiatio in quam idem caput esset collocandum, haec omnia neque dicta in contractu fuerunt, ubi Josepho hoc satis fuit dicere ut Dominicus et Andreas retinerent penes se caput; *Arcieri e Baldini riterrà il capitale che sarà ritratto dalla vendita del vermeil, sino che dura il contratto vitalizio*: sola autem usurpatio unius hujus vocis „*riterrà*„ sine communicatione lu-
1 crorum et damnorum, neque societatem, neque societatis onera secum importabat. Neque Josepho talis necessitas erat contrahendae societatis, qualis ad caput communi nomine investiendum visa fuit in praeterita decisione. Nam urgebat quidem obligatio solvendi scuta bismillia in singulos annos: verendum quidem erat ne caput, si nullum illius fieret investimentum, brevi consumeretur per illas vitalitias pensiones. Sed non inde necessitas societatis contrahendae erat: quia satis obligationi illi de solvendis vitalitiis pensionibus facere poterant Joseph, Dominicus et Andreas, sive propriis singuli redditibus bonorum, sive investiendo quisque, proprio lubitu, pecuniam capitis sibi obtingentis: sive etiam cum parte ejusdem capitis in scriniis absconditi. Idque facilius, si praevidere illis forte datum esset quod postea evenit, nempe quod infirma valetudo Paullinae brevi pareret ejus interitum.

Accedit quod contrahendae societatis multo minor Josepho necessitas erat, quam Dominico et Andreae, quia hos sibi obligatos ille devinxerat de solvendis capitis fructibus ad rationem scutorum novem in singula centum et annos: *si è convenuto fra socj, che l' interesse o prodotto di questo capitale resti fissato alla ragione del nove per cento ed anno*. Tutum Joseph omnino se fecerat per hoc pactum; et cum annui fructus dodrantes procul ab ulla cura obvenirent ei ex sua pecunia, nulla ibi necessitas erat, sive committendi sese aleae societatis mercatoriae, sive exponendi sese periculis commercii, quae, quot, et quanta sint quotidianae rerum vicissitudines cuique faciunt compertum. Quare nulla mens Josepho fuisse videtur contrahendae societatis: neque aliud in contractu dixit, quam Arcieri e Baldini *riterrà il capitale*. Nuda autem haec vox „*riterrà*„ secum societatem non ferebat; sive quia nihil additum fuit quo intelligeretur retentionem illam fuisse socialem, sive quia, per pactum de certis annuis ac invariabilibus fructibus ad rationem dodrantem, certum sibi ac invariabile lucrum quaesivit, sive demum quia conventum fuit ne dodrans illa ratio quovis sub praetextu unquam mutari posset. *Essendo stato fissato l' interesse annuo del capitale sociale alla ragione del nove per cento l' anno, non si potrà, sotto qualunque pretesto, o in qualunque tempo, dalle parti contraenti domandarsene aumento o diminuzione di sorte alcuna*. Ita Joseph hinc tutum sibi quaerebat et invariabile lucrum de consequendo pecuniarii sui capitis dodranti fructu in singulos annos: illinc a se quodvis periculum arcebat ne vel minui quoque aliquando posset illa dodrans ratio. Quaevis idcirco ab hoc contractu societas exulabat; quae ibi adesse non potest ubi,
2 procul a mutua communicatione, unus totum lucrum, alter totum perferat damnum, *leg.* 29 *ff. pro soc.*

Dicendum itaque est, ubi res acta fuit de investiendo abaci valore, hoc unum Josepho consilium fuisse ut creditum frugiferum ex eo sibi componeret, ejusque debitores sibi obstringeret Dominicum et Andream. Palam id fit ex illo verbo „*riterrà*„: palam ex conventione fructus dodrantis; palam ex pacto ne dodrans ratio quovis sub praetextu variaretur; palam denique ex eo quod per illam fructuum conventionem, cum certum sibi lucrum quaesivit, tum ab omni periculo sese fecit immunem, quod in Dominicum et Andream retulit in universum. Et quod haec mens contrahentium fuisset, quod actum esset non de societate, sed de fructifero credito, id vel ipse quoque Joseph agnovit luculentissimis suis et dictis et factis; sive enim, Paullina mox defuncta, in-

staret pto restitutione capitis sui crediti ; sive cum Dominico et Andreae inducias ab eis petitas concederet restituendi infra annum illius capitis ratione fructuum , quae illuc usque fuerat in dodrante , tunc diminuta per annum ad semissem ; sive demum cum , hac lite instituta , in allegationibus a se datis ad judices commercii acriter profiteretur nihil aliud fuisse contractum, quam purum creditum fructiferum. Haec autem crediti frugiferi natura satis ad id non erat
3 ut judicium ex ejus causa institutum haberetur commerciale. Passim enim et in dies instituuntur actiones super creditis frugiferis coram judicibus ordinariis. Neque hujusmo-
4 di credita enumerantur inter res et operationes commerciales.

Uti materia hujus judicii neque in prima neque in hac altera propositione habitus fuit abacus argenteus. Alias enim, si materia judicii desumpta fuisset ab illo abaco , expedita procul ab ullo dubio et definitu facilis res fuisset , materiam non esse commercialem, quia, etsi juxta articulum 602 ordinationum commercialium commercialis habeatur res ; seu merx , quae hoc consilio emitur ut iterum deinde vendatur , tamen abacus argenteus pridie venditus fuerat Principi Plumbini , quam vitalitius census contraheretur, quam conventiones Josephum inter et Dominicum et Andream scriptis traderentur. Sed in prima propositione materia ex eo habita fuerat commercialis, quia opinio occurrerat societatem mercatoriam in universum initam fuisse, et quoad omnia. Nunc vero cum visum fuerit quod societas respexerit tantum acquisitionem et obligationem capitis vitalitii, de qua re nihil interest hoc loco cognoscere, procul vero fuerit a conventione de investiendo eodem acquisito capite , quam demonstratum est verum fuisse creditum fructiferum , exinde sequitur materiam defuisse commercialem.

Quod autem commerciale non erat ratione rei , idem judicium fieri non poterat ratione personarum , seu ex eo quod rei conventi essent Dominicus et Andreas , quos constat non modo mercatoriam profiteri gemmarum artem , sed et nummulariam quoque mensam hic in Urbe habere apertam. Quo enim judicium habeatur commerciale , ad id satis non est persona negotiatorum. Alias quotquot contra vel negotiatores vel argentarios instituerentur actiones, sive de statu
5 personarum, sive de haereditatibus et testamentis , sive de servitutibus et obligationibus, sive de qualibet alia re civili, totidem ex eis coalescerent judicia commercialia. Quod quam sit absurdum nemo non videt. Ita enim novum aperiretur negotiatorum forum, a quo nefas cuique civium esset illos extrahere , eosdemque deferre in tribunalia ordinaria. At non haec mens fuit legibus nostris quae satis non esse personam , sed ad judicium commerciale commercialem quoque rem necessariam esse voluerunt, et quidem ex earum rerum numero, quas apposite descripserunt in articulis 601 et sequentibus. Et quasi haec omnia satis non essent , ab iisdem ordinationibus in sequenti articulo 608, ne ulla omnino hac de re dubitatio remaneret , expresse declaratum est nefas esse
6 pro commercialibus habere actiones ex hoc solo quod instituerentur contra negotiatores. Neque Signatura justitiae aut potuit , aut voluit in commerciale convertere hoc judicium , quod ad commercium non pertinet. Non potuit ; quia, quod lex vetat esse commerciale , id per judices intrudi non potest
7 in commercium : debent enim judices parere legi , non obsistere. Non voluit , quia nihil de competentia dixit ; sed , in maxima contentione partium , quarum altera coram A C , altera judicium jam inchoatum prosequi efflagitabat coram tribunali commercii, hoc unum eis respondit judicium remittendum esse *ad tribunal commercii quoad omnia*. Cui quidem tribunali cum causas remitteret , hoc ipsum quoque remisit ut potestas ei esset decernendi , utrum se ad judicandum competens nec ne esse sentiret. Id sane congruebat legi in art. 6 ordinationum commercialium,, *nelle cause non commerciali i tribunali di commercio dovranno dichiararsi incompetenti anche di officio*. Quod quidem dicendum est , judicibus commercii apprime fuisse perspectum.
8 Quasi enim dubium adhuc esset, prout sane erat , num jurisdictio sibi nec ne esset, non antea processerunt ad dirimendas tres , quae hinc inde sibi proponebantur actiones, quam in antecessum definirent , jurisdictio-

ctionem sibi competere ad judicandum. Sed quam male hanc sibi attribuerint jurisdictionem qua ex lege carebant, id satis demonstratum huc usque est. Quare quae gesta fuerunt coram eis, cuncta per viam nullitatis circumscripta sunt ab Auditorio nostro. Constitit autem hoc loco definitio Ordinis nostri. Neque post resolutam extrinsecam de jurisdictione quaestionem ultra visum est ei procedere ad dirimendam quaestionem instrinsecam, num in irritum dicendum sit, ex vitio seu illicitae usurae, seu lesionis, cessisse contractum diei 30 aprilis 1822 et idcirco quidquid nomine fructuum Dominicus et Andreas solverunt, imputandum sit in partialem restitutionem capitis scutor 15000 prout ipsi ajunt; seu potius, validitate illius contractus confirmata, damnandi ipsi sint ad solvendum integrum illud caput, tum reliquos decursos fructus, prout est in votis Josephi. Clara namque est facultas hac de re per leges Nobis tributa in art 25 ordinationum commercialium: » *annullando il*
9 *giudicato, può il tribunale di appello pronunziare sul merito ove lo trovi in stato di decisione, o può anche rimetterlo allo stesso che pronunciò, o ad altro tribunale. Lo stesso ha luogo nel caso che revochi la dichiarazione di competenza, o d' incompetenza fatta dai primi giudici.* Hac itaque utens facultate Ordo noster, partes, quoad intrinsecam quaestionem, ita remisit ut utantur juribus suis prout et quatenus de jure.

Et ita etc. utraque etc.

**R. P. D. MUZZARELLI**

ROMANA SOCIETATIS

*Veneris* 16 *Maii* 1828

Argumentum habes in decisione praecedenti quae confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Sola persona negociatorum non facit judicium commerciale.*
2. *Ad hoc ut fiat judicium commerciale opus est ut res adsit et materia commercialis.*
3. *Societas dum est contractus mere civilis commerciali jurisdictioni haud subest.*
4. *Ut commercialis habeatur societas, observari debent illae formulae et solemnitates, quas ad hoc requirunt leges commercii.*
5. *Fides tribuitur mercatoriis libris, quos publici negociatores recto ordine adservant.*
6. *Aliud est unam eamdemque causam, quae a collitigantibus per diversas actiones coram diversis judicibus proposita fuerit, unire coram uno eodemque tribunali.*
7 *Aliud declarare cuinam ex diversis illis judicibus competat jurisdictio.*
8. *Ex commerciali lege in causis non commercialibus tribunal commercii incompetens sese declarare debet etiam ex officio.*
9. *Post diremptam jurisdictionis quaestionem extrinsecam, tribunal appellationis liberam habet facultatem vel judicandi de intrinseco rei merito, vel ad hoc remittendi partes, quae utantur juribus suis coram quo de jure.*

## Decisio XXIV.

Contractus duo uno eodemque actu per apocham diei 30 aprilis 1822 initi fuerant a Dominico Arcieri et Andrea Baldini, notissimis hic in Urbe negotiatoribus gemmarum, quorum in primo ex empto hi acceperant a principe faemina Paullina Borghese abacum ad parandam locupletissimam mensam ex coelato argento inaurato exquisite fabrefactum,, *gran servizio di vermeil*: in altero penes se retinuerant abaci pretium de communi contrahentium placito constitutum in scutis quindecimmillibus; et super eo, *a fondo*, uti ajunt, *perduto*, condiderant censum vitalitium; seu professi fuerant, eo Paullinae se soluturos esse scuta duomillia in singulos annos, quousque versaretur in humanis. Neque de duobus hisce contractibus fuit umquam, aut modo est ulla controversia. Sed post duas illas conventiones simultanee conciliatas, negotiatores eadem die privatam scripserunt syngraphan cum Josepho Vannutelli romanae curiae advocato: qua primo sibi hunc adsciverunt in socium, sive capitis scutorum quindecimmillium quae fuerant retracta ex venditione abaci, quae Aloysio Boncompagni - Ludovisi, principi Plumbini facta fuerat die 29 aprilis, pridie nimirum quam vitalitius census contraheretur, quaeque a Paullina quaesiverant ex censu vitalitio; sive obligationis susceptae de solvendis vitalitiis pensionibus. Deinde professi sunt, quo obligatio

vitalitii census duraret, eo usque se sub hoc onere retenturos esse penes se caput illius pretii, seu medietatem capitis de illo pretio spectantem ad Josephum, ut huic solverent ejus fructus ad rationem scutorum novem in singula centum et annos » *il contratto vitalizio fatto colla principessa Borghese sotto questo giorno, che contiene la vendita e cessione del gran servizio di vermeil per la somma capitale di scudi quindicimila, sul quale è stata costituita una rendita vitalizia di scudi duemila a favore della Principessa, si dichiara che è stato fatto per l'interesse comune, e che l'avvocato Vannutelli ne debba dividere il guadagno e le perdite, che ne potranno risultare. Arcieri riterrà il capitale che sarà ritratto dalla vendita del vermeil, sino che dura il contratto vitalizio: si è convenuto fra socj, che l'interesse, o prodotto di questo capitale resti fissato alla ragione del nove per cento l'anno.* »

Quousque duravit census vitalitii obligatio, nulla unquam quaestio fuit Dominicum et Andream inter, et Josephum; quippe obligationi ex aequo satisfactum utrinque fuit: nec fuit etiam cum die nona junii 1826 Paullina mortem obiret. Nam etsi dies tunc venisset restituendi capitis pecuniarii; tamen, efflagitantibus negotiatoribus ad id inducias, eas Joseph eis ad annum concessit, diminuta ratione fructuum ad sex in singula centum. *Essendo stato risoluto il contratto vitalizio*, ( ita Joseph datis ad illos litteris, die 25 julii 1825, respondebat ), *si è convenuto fra socj, che la somma di scudi* 7500, *risultante dal capitale sociale per mia porzione, resti depositata per un anno presso Arcieri e Baldini coll'interesse del sei per cento ed anno.* Sed ubi fuerat annus et ultra elapsus quin quidquam restitueretur, tunc lis vehementer erupit; nam Dominicus et Andreas contendebant, caput scutorum 7500 spectans ad Josephum ex jure fuisse sterile et infrugiferum: quare quidquid a se solutum fuerat in causam fructuum ad rationem primo novem, deinde sex scutorum in singula centum et annos, id omne fuisse indebitum, et idcirco esse imputandum in sortem; atque, hac imputatione facta de scutis 7500, nihil aliud a se deberi quam scuta 4627.67. Hac de causa die 9 maji 1827 hanc instituerunt actionem: *salvis quibuscumque juribus et actionibus sibi competentibus, mandari fieri dispunctionem rationum contractus socialis super vitalitio conflato ex pretio di un servizio di vermeil, - abrogata quacumque conventione et perceptione usuraria dierum* 30 *aprilis* 1822 *et* 25 *julii* 1825, *et computatis omnibus solutionibus per se expletis, mandari per Josephum recipi scuta* 4627. 67 *in solidationem cujuscumque crediti.*

Sed ex actoribus postridie conversi sunt in reos conventos per actionem Josephi, qui in causam sive integri capitis, sive ejus fructuum mox decursorum, in universum efflagitabat scuta 7695. Cum vero coram diversis judicibus penderent instantiae, illa negotiatorum coram altero ex Locumtenentibus A. C., haec Josephi coram tribunali commercii Urbis, hinc, suspensa principali, quaestio incidentalis exarsit super competentia. Signatura justitiae, cui primum delata fuit haec controversia, deinde ejusdem Signaturae Cardinalis Praefectus, demum pontificius Auditor nihil quidquam declararunt, quisnam ex judicibus illis competens esset: simpliciter negotium omne remiserunt *ad tribunal commercii, quoad omnia*: simul liberam, ( prout ex Signaturae resolutione typis edita palam est ), eidem tribunali relinquentes de jure facultatem judicandi, num desuper hac causa jurisdictionem nec ne sibi esse arbitraretur. Atque, hac utens facultate, tribunal illud in primo capite sententiae a se latae die 11 praeteriti februarii, *ad judicandum se competens esse* declaravit. Tum in altero capite mandavit Josepho solvenda esse scuta illa 4627. 67, ad quorum solutionem negotiatores se semper professi fuerant promptos esse et paratos. Tertio, num quid aliud ultra hanc summam solvendum Josepho nec ne esset, seu solvenda eidem nec ne essent scut. 2872. 23 quae supererant ad complendum integrum caput scut. 7500, id a se per alteram sententiam decernendum reservavit in posterum. Demum remisit partes ad tribunal ordinarium quoad alteram instantiam per Dominicum et Andream promotam super nullitate contractus. Hanc sententiam approbare primum vi-

sus fuit Ordo noster, ad quem negotiatores appellaverant, petentes illius circumscriptionem, sin minus revocationem. Nam, in prima causae propositione diei 14 sequentis martii, cunctis quaestionibus cumulatis in unum, etiam super reservatis, rescripsit: „ *Nihil de circumscriptione, et esse locum esolutioni scutor.* 8637. 63, *et extendatur decisio.* At ubi decisio typis edita fuit ei oblata, sententiam illam reprobavit, et die 21 sequentis aprilis rescripsit:» *Recedendum a decisis, et circumscriptis, per viam nullitatis, omnibus gestis coram tribunali commercii, partes utantur juribus suis, et extendatur decisio.* Hujus autem alterius resolutionis momenta adeo inconcussa visa sunt, adeo solida ut, cum proposita iterum fuerit, novum hac mane confirmationis robur acceperit, per rescriptum:» *In ultimo loco decisis, et extendatur decisio.*

Quod Dominicus et Andreas sint negotiatores, quod sint etiam in Urbe argentarii, id satis non est ad hoc ut judicium, in quo ipsi modo sunt partim actores, partim rei conventi, existimetur esse commerciale. Nam, si
1 judicia fierent commercialia ex sola persona negotiatorum, tunc, quotquot actiones instituerentur seu in negotiatores, seu in argentarios, totidem ex eis coalescerent judicia commercialia: atque ita forum illi sibi conderent privativum, a quo nemini civium in quavis causa civili fas esset eos extrahere. At haec non est mens ordinationum nostrarum commercialium, quae, in articulis 601 et sequentibus, non tam respiciunt personas,
2 quam judicium: tunc demum per modum exceptionis fieri permittunt commerciale, cum res adsit et materia commercialis. Porro ad hoc unum reducebatur quaestio num Josepho jus esset, ultra caput, condicendi sibi illius fructus, seu potius, qui soluti jam fuerant a negotiatoribus, eorum fructuum summa imputanda esset in partialem capitis extinctionem, et insuper num conventio de solvendis fructibus secumferret universam totius contractus nullitatem. Haec autem omnia nemo non videt abesse a qualitate commerciali.

Etiamsi vero, una cum praetenso jure condicendi fructus, universus contractus in quaestionem veniret; tamen ex hac societate non resultaret materia judicii commercialis. Societas namque illa fuerat contractus mere civilis,
3 per quem civilia de vitalitio contractu seu jura seu obligationes communicabantur. Et nemo sanus esset qui eam in illarum societatum numero recensendam esse arbitraretur, quae describuntur in titulo III libri I ordinationum commercialium: sive quia nihil illa
4 commune cum ipsis habet (et id est in propatulo ex earumdem definitionibus), sive quia nihil quidpiam ex illis formulis et solemnitatibus observatum est, quae, juxta allegatas ordinationes, requiruntur ad hoc ut commercialis habeatur societas, seu *in nome collettivo*, seu *in accomandita*, seu *anonima*, seu etiam sub titulo *di associazioni commerciali in participazione.* Neque aptari huic rei potest articulus 602 » *la legge reputa atti di commercio qualunque compra di derrate e mercanzie per rivenderle* ». Nam materia societatis fuit non abacus argenteus, sed pretium abaci. Nam abacus per Dominicum et Andream, ex vendito pridie alienatus fuerat in Principem Plumbini, quam super ejus pretio census vitalitius cum Paullina contraheretur. Multis et univocis probationibus innititur praecox haec et praematura venditio. Extant enim ordines, quos Princeps Plumbini, die 29 aprilis, scriptos edidit, eosque dedit ad suum arcarium, tum ad suum argentificem: horum extant testimonia, quorum ille a se, illa ipsa die, numerata fuisse dicit scuta quindecim millia Dominico et Andreae in solutionem pretii: hic ex eorum aedibus, eadem die, post perfectam emptionem venditionem transvectas de mandato principis fuisse ait in suam officinam undecim arcas, in quibus continebatur abacus, quo eum libripenderet. Accedunt quoque alii tres testes, qui de facto proprio emptionem venditionem factam fuisse dicunt praedicta die 29 aprilis. Et quod hi servitio sint addicti Dominici et Andreae, id nullius impedimenti in hoc casu est, quominus eis credatur: quia quod ipsi dicunt, id cohaerere adjungunt cum rationalibus codicibus *dittae Arcieri e Baldini.* Notum au-
5 tem satis est, multum fidei tribuendum esse mercatoriis libris, quos publici negotiatores recto ordine adservant juxta ordinationes commerciales.

Joseph autem in primis hujus causae exor-

diis, mordicus contendebat abacum nequaquam venditum fuisse pridie, quam super eo census vitalitius contraheretur. Cum autem in cursu judicii rem et demonstrationem eo adductam esse viderit ut quod ipse contendebat, id falsum esse deprehenderetur, tunc hoc alterum a se propugnandum nuperrime arripuit, ut praecocis venditionis se ignarum fuisse diceret; ejusdemque se non antea factum fuisse certiorem, quam dies veniret prima sequentis maii. Hac namque die scriptam a Dominico et Andrea fuisse constat litteram illam bonae fidei, quam ipse detulit ad acta judicii. Littera illa ita se habet » *noi Arcieri e Baldini dichiariamo che la ricevuta di scudi quindicimila moneta per il vermeil fattaci dall'avv. Vannutelli agente della Principessa Borghese è apparente; mentre è quella medesima somma, sulla quale è costituito il vitalizio a forma dell' apoca di detto giorno* ». Sed haec ipsa littera, quin prosit, potius obest Josepho, et demonstrat eum fuisse apprime conscium praematurae venditionis. Nam, si declaratio bonae fidei diem habuit primam maii, necesse id fuit ut a Josepho scriptis antea traderetur acceptilatio scutorum quindecim millium, quam haec littera bonae fidei scriberetur a negotiatoribus. Alias vana et inutilis fuisset haec bonae fidei declaratio.

Id palam fit primum ex tempore, quo litterae testimoniales de generali mandato per Paullinam collato in Josephum exhibitae fuerunt apud acta Sacchi alterius ex notariis capitulinis. Productae autem fuerunt die 29 aprilis, qua productione illa opus fuit ad hoc ut fides haberetur acceptilationi, qua Joseph uti Paullinae procurator profitebatur, se accepisse scuta quindecim millia in pretium abaci. Tum palam fit ex fine, eoque unico, quem negotiatores habuerunt obtinendae illius praecocis acceptilationis; nempe ut suasum facerent Principi Plumbini, abacum ex empto a se jam fuisse quaesitum. Alias illum Princeps non emisset. Porro necessitas persuasum id faciendi Principi non alio tempore esse poterat quam ante diem primam maii, quia ante illam diem abacus ex vendito translatus fuerat in Principem. Sed acceptilatio erat simulata: quia Joseph profitebatur se habuisse scuta quindecimmillia, quae non habuerat: atque, hac de causa, opus deinde fuit declaratione bonae fidei. Ergo particeps ipse fuit simulationis. Eo vel magis quia ejus ac negotiatorum intererat simul conspirare in simulationem: quia de communi agebatur re et interesse sociali. Cum autem simulatione opus fuerit ante diem primam maii; hinc certo concludi posse videtur quod ante illam diem convenerit Joseph in simulationem, et litteram scripserit acceptilationis. Neque in tanta socialis rei communicatione credibile est ut hinc undecim capsae, in quibus continebatur abacus insignis valoris et magnitudinis, die 29 aprilis ex aedibus Dominici et Andreae transveherentur in officinam argentificis; illinc vero haec omnia ignorarentur a Josepho, et ignorarentur sive illa, sive altera sequenti die, quando vendebatur abacus, et quando nemini magis quam Josepho perspectum esse debebat quonam loco staret res vendenda, cum ipse, uti gestor negotiorum Paullinae, venditor esset. Quare nihil adjumenti post haec omnia Joseph desumere potest ab epistola quam ab Andrea, die 3 februarii 1827, ad se scriptam fuisse dicit. Epistola ita se habet » *jeri, non ostante il cattivo tempo, vi ho servito, parlando con Arcieri. Osservando quindi che voi non ignorate che, fatto il contratto vitalizio, e con voi la nota convenzione, si procurò dalla Casa di realizzare quel capo, a termini della convenzione, dopo qualche mese. Ed eseguito questo per far fronte al gravoso frutto del nove per cento addossatoci* ». Nam verba illa, scilicet caput venditum fuisse *realizzato*, post nonnullos menses, referenda sunt ad opales et challaidos, quarum venditionem Dominicus et Andreas, a Paullina quoque in se collatam, susceperant: et haec venditionis susceptio constat ex indubiis documentis apud acta judicii exhibitis. Nequaquam vero referenda sunt ad abacum, quem ex productione mandati procurae, ex acceptilatione et recognitione bonae fidei, ex testimoniis, ex numeratione pretii constat pridie fuisse venditum, quam super eo census vitalitius contraheretur.

Haec autem omnia dicta esse intelligantur in hypothesi quod totus et integer contractus veniret in quaestionem. Sed, ut ab initio monitum est, illa conventio venit in disceptationem, per quam statutum fuit

ut, quo census vitalitius duraret, eo Dominicus et Andreas penes se retinerent pretium abaci, ejusque solverent fructus dodrantes. Porro in hac id unum actum fuerat, ut Joseph fructiferam sibi redderet mediam partem, quae sterilis ex sua natura erat, pecuniarii capitis ad se spectantem : quod sane societas non erat. Nam neque societas expressa, neque negotiatio, neque significatum fuerat negotiationis genus, in quo pecuniarium illud caput esset collocandum. Et dum hinc certa et indeclinabilis obligatio urgebat solvendae vitalitiae pensionis in singulos menses, verosimile non esse videtur quod illinc Joseph, qui negotiator non erat, mercatoriam societatem iniret, et in ejus fallacem ambiguam periculosam aleam conferret pecuniarium suum caput, ex quo vitalitiae pensiones erat retrahendae. Itaque hoc unum Joseph vere et proprie proposuerat sibi, ut sub titulo seu mutui seu crediti Dominicus et Andreas retinerent penes se caput pecuniarium sub obligatione solvendi ejus fructus. Hac de causa adhibita fuerant verba, *Arcieri*, *e Baldini riterrà il capitale*. Tum adjectum hoc alterum pactum: *si è convenuto fra socj, che l'interesse o prodotto di questo capitale resti fissato alla ragione del nove per cento l'anno*. Et quasi id satis non esset, quo dodrantes fructus ponerentur in tuto, adjectum insuper fuit: *essendo stato fissato l'interesse annuo del capitale sociale alla ragione del nove per cento l'anno, non si potrà, sotto qualunque pretesto, e in qualunque tempo, dalle parti contraenti domandarsene aumento, o diminuzione di sorte alcuna*. Neque solum, cum duraret census vitalitius, sed etiam ubi, in morte Paullinae, illius obligatio cessaret, Joseph perinde fructus dodrantes semper exegit ac si de credito pure fructifero ageretur. Nam Dominico et Andreae, post vitalitii cessationem, efflagitantibus annales inducias ad restituendum caput pecuniarium, Joseph eas concessit. Et illis rursus petentibus ne, per illas inducias, ulterius graverentur ratione fructuum dodranti, Joseph, non uti socius, sed uti creditor pecuniae fructiferae de qua ipse solus disponere valeret, id quoque concessit, et diminuit fructus ad rationem semissalem.

Quotquot autem coram tribunali commercii in disceptatione causae sese obtulerunt occasiones investigandi, cujusnam naturae fuisset contractus hic de solvendis pecuniarii capitis fructibus, totidem vicibus Joseph, seu ejus procuratores, in allegationibus a se scripto editis, iterum iterumque obtestabantur nihil aliud actum fuisse, quam ex sterili pecunia confleri creditum fructiferum.

Procul ergo abest qualitas commercialis ab hoc judicio, in quo cuncta sunt civilia. Quod autem, ex sua natura, erat civile, hoc judicium neque conversum fuit, neque converti potuit, in commerciale per Signaturae tri-
6 bunal. Aliud enim est, quae una eademque causa, per diversas actiones, proposita est a partibus collitigantibus coram diversis judicibus, eam unire coram uno eodemque tribunali; aliud vero declarare, quisnam ex il-
7 lis diversis judicibus magis competens prae alio sit ad judicandum. Porro primum factum fuit per Signaturam, a qua ad tribunal commercii remissa fuit illa quoque altera instantia quae per Dominicum et Andream ab initio judicii proposita fuerat coram A. C. Quoad competentiam vero ne verbum quidem fecit. Namque simpliciter rescripsit, *ad tribunal commercii quoad omnia*. Et ne forte haec, utcumque clara, rescripti verba in transversam interpretationem adducerentur, Signatura in resolutione sua typis edita, uberioris cauthelae causa, liberam tribunali commercii superesse dixit facultatem decernendi utrum ad judicandum competens se nec ne esse arbitraretur. Idque conforme erat ordinationibus nostris commercialibus, quae in art. 6
8 ita mandant: *nelle cause non commerciali i tribunali di commercio dovranno dichiararsi incompetenti, anche di officio*. Et tribunal commercii id ipsum apprime cognovit: cui, cum nihil illucusque pronunciatum esset de sua competentia, visum fuit in primo sententiae capite antea declarandum esse se esse competens ad judicandum, quam ad judicium reipsa progrederetur. At quantum hac in re perperam judicaret, cum attribueret sibi competentiam quam ei omni ex parte deesse constabat, id satis demonstratum esse videtur ex rationum momentis in hac et in antecedenti decisione expositis. Qua-

re hac quoque mane confirmata est circumscriptio illa, per quam in antecedenti propositione sententia tribunalis commercii perinde habita fuit ac si nunquam extitisset. Post hoc extrinsecum de circumscriptione de-
9 cretum, libera Auditorio nostro, ex lege, supererat facultas vel gradum facere ad judicium proferendum super intrinseca rei quaestione, vel sistere sese, et hoc alterum judicium remittere ad judices ordinarios: art.25. » *Annullando il giudicato, può il tribunale di appello pronunziare sul merito ove lo trovi in stato di decisione, e può anche rimetterlo allo stesso che pronunciò, o ad altro tribunale. Lo stesso ha luogo nel caso che revochi la dichiarazione di competenza o d'incompetenza fatta dai primi giudici.* At, priori posthabita, quemadmodum in praecedenti, ita et in hac altera propositione, Auditorium nostrum usum est facultate posteriori. Et num Josepho jus sit condicendi sibi cum integrum caput sui crediti pecuniarii, tum decursos et non adhuc solutos fructus, prout ipse contendit, seu potius quotquot fructuum summas hucusque perceperit, earum imputatio facienda sit in partialem capitis solutionem, et num conventio de fructibus solvendis secumferat contractus nullitatem, quod Dominicus et Andreas sibi praestolantur, hac de re partes ita remisit ut utantur juribus suis, prout et quatenus de jure.

Ex hoc autem palam fit, in hac ferenda decisione, nullam habitam fuisse rationem de illis intrinsecis argumentis, quae sive a Josepho ad jus in se confirmandum condicendi fructus, sive producta sunt a Dominico et Andrea, quo idem jus condicendorum fructuum, uti usuraria labe infectum, reprobaretur. Haec enim omnia attingebant intrinsecam rei naturam, cujus definitio remissa est ad judices ordinarios. Multo vero minus ratio habita est cujusdam voti, quod, inde a tempore antecedentis propositionis, exhibitum fuit a Dominico et Andrea ad usurariam comprobandam fructuum pravitatem. Cum a nemine ex iis subscriptum esset, quibus facultas est orandi causas coram nostro Tribunali; cum ignotum quoddam praeseferret auctoris nomen; cum clanculum, et, uti ajunt, sub manica distributum esset, haec omnia contra ordinem nostrorum judiciorum patrata dederunt causam ut, in antecedenti decisione, ne mentio quidem indigesti illius voti haberetur. Atque hoc silentium idem putabatur fore, ac manifesta voti reprobatio; sed, cum nonnihil turbarum contra illud nuperrime excitatum fuerit, et, animadversione facta, nonnullae in eo delitescentes occurrerint propositiones temerariae et reprehensione dignissimae: hisce de causis Auditorium nostrum non se tantum, uti antea, cohibuit intra silentii terminos; sed in hac altera dedisione claram patefaciendam esse jussit illius voti reprobationem. Atque ita, habita in reliquis relatione ad praecedentem decisionem quae confirmatur, jus, utraque parte acriter contradicente, redditum est.

R. P. D. RUSPOLI

ROMANA SOCIETATIS

*Lunae* 1 *decembris* 1828

ARGUMENTUM

Habes in superiori decisio XXIII, quae confirmatur quoad competentiam tribunalis commercialis.

*SUMMARIUM*

1. *Societas de re emenda, quae postea vendatur, habetur uti mercatorius actus.*
2. *Ex eo desumitur quemdam non uti mere civem, sed uti negociatorem contraxisse, quod in contractu ipso vel tractando vel perficendo vel exequutioni committendo utitur ipse non ea communi, qua cives solent, sed mercatoria subscribendi formula.*
3. *Ex lege* i biglietti *ab negociatore subscripti, nisi alia subsit expressa causa, ad ejus commercium pertinere existimantur.*
4. *Idque intelligendum non dumtaxat de syngraphis, quas vocant* - biglietto all'ordine -, *sed de qualibet solutionis sponsione] a negociatore scripta.*
5. *Ususfructus atque usus ex navi dissoluta et ex iisdem deinde tabulis restaurata, nec non ex massa ex qua vasa sint facta vel contra, extinguuntur, cum amplius non sint antiqua navis vel vasa.*

## Decisio XXVII.

Princeps foemina Paullina Burghesia splendidissimo cultu utebatur, quamobrem in impensas effusa quamquam divitiis affluebat, ut reditus tamen suos in diem augeret plurimum curabat. Erat ei praeclarissima ex ar-

gento inaurato supellex ad mensam instruendam comparata, summa arte fabrefacta, ut opus superaret materiam. De venditione cogitavit, quam cum diu frustra quaesivisset, consilium cepit suppellectilem, quo facilius emptores invenirentur, in taberna venui subjiciendi, quam gemmarum et id generis rerum pretiosarum Dominicus Arcieri et Andreas Baldini divites in urbe mercatores exercent. Ut argentea vasa in pluribus abacis exposita sunt, magnus incolarum atque advenarum concursus fit, qui rei magnificentiam operisque singulare artificium mirabantur; sed pretium ingens ab emptione deterrebat. Aliquot tamen mensibus post Aloysius Boncompagni Ludovisi Plumbini princeps suppellectilem sua nobilitate suaque opulentia dignam acquirere concupivit: conciliatur emptio venditio immani pretio scutatorum nummorum quindecim millium, quae, ex mandato ab ipso tertio kalendas majas anno 1822 dato, quaestor ejus arcarius eodem die Arcerio et Baldinio solvit, acceptilatione ab his pariter scripta, ut ii rem suam vendidisse plane viderentur, quibuscum unis Principem contraxisse patebat.

Postridie perinde quasi facta infecta res esset, exaratur apocha, qua foemina princeps Burghesia suppellectilem illam eodem pretio scutatorum quindecim millium Dominico Arcerio et Andreae Baldinio divendit, iisque pretium relinquit, in quo annuum duorum millium scutatorum reditum sibi constituit ita duraturum, ut illum emptores solverent donec ipsa viveret, se vero mortua, post alterum ab inito contractu annum, nihil ultra praestare tenerentur, quin immo caput ipsum sortis lucrarentur. Eodem die, pridie nimirum kalendas majas, quo Burghesia cum Arcerio et Baldinio haec egerat, privata syngrapha inter ipsos mercatores et Josephum Vannutellium jurisconsultum scribitur, qua ( habita pariter uti non facta Plumbini Principi venditione ) significant rem totam a Josepho, cujus opera et consilio in re sua familiari gerenda foemina princeps plurimum utebatur, sic communi placito actam, ut negotium cum muliere contractum, quod ad futurum quaestum vel jacturam spectaret, inter sese commune ex societate esset; adeoque Vannutellius alterutrum aeque ac mercatores ipsi faceret. Cautum deinde ut Arcerius et Baldinius pecuniam tenerent, quae ex suppellectilis venditione perciperetur: – *i signori Arcieri e Baldini riterrà il capitale che sarà ritratto dalla vendita del vermeil* ( sic genus argenti inaurati gallico verbo hodie nuncupatur ) *sino a che dura il contratto vitalizio* –. Hujus capitis usuram sive fructum dodrantem constituerunt quem nec minui, nec augeri unquam voluerunt, decernentes reliquum, quod annuam duorum millium scutatorum pensionem Burghesiae praestandam conficeret, aequis portionibus hinc a Vannutellio, illinc ab Arcierio et Baldinio solvendum fore. Pacto denique convenerunt quod, Paulina demortua, tum caput sortis bipartiretur, cujus dimidiam partem Vannutellius, alteram Arcierius et Baldinius haberent. Quoad Burghesia vixit, satis a se initae obligationi quisque fecit. Moritur haec anno 1825 quinto idus junii. Tum Arcierius et Baldinius insequenti mense litteras ad Vannutellium mittunt, quibus nunciant contractum propter Burghesiae mortem resolutum, seque, rationibus subductis, dimidiae partis ex capite scutatorum quindecim millium debitores fatentur. Hoc in negotiationibus collocatum ajunt, quamobrem annum ad partem illam dimidiam rependendam postulant, semissem interea usuram praestituri. Vannutellius utitur conditione.

Abierat fere biennium, cum Arcierius et Baldinius qui nihil solverant, Vannutellium in jus apud alterum ex praesulibus Curiae Innocentianae vocarunt, ut qualibet fructuum ex conventionibus anni 1822 et 1825 dimanante perceptione abrogata, quam foenore infectam ajebant, summam reciperet scutatorum 4627 et obul. 67, quae, usuris omnibus persolutis in sortem collatis, integrum ejus creditum constituebant secundum rationes quas ad acta deferebant. Postridie Vannutellius executivum judicium instituens diem dixit Arcierio et Baldinio apud mercatorios primarum actionum in Urbe judices vim scutatorum postulans 7695 tam capitis quam insolutorum fructuum nomine. Tum Arcierius et Baldinius apud Signaturae ordinem egerunt, ut propter praeoccupatam jurisdictionem et conjunctissimam utriusque peti-

tionis naturam praesuli innocentiano res cognoscenda committeretur : sed aliter Ordini supremo visum , qui rescripsit – *ad tribunal commercii quoad omnia* –, quo denique coram oportuit dicere causam, Arcierio et Baldinio perperam obsistentibus. Postquam illud se ad reddendum jus in proposita re competens definivit ( acriter enim jurisdictionem Arcierius et Baldinius negabant ) suspenso judicio quod ad scutata spectaret 3067 obolosque triginta tres , quot e suo nomine usurarum solutarum causa rei subducebant , eos ad solutionem scutatorum 4627 et obulorum sexaginta septem damnavit , quam summam se Vannutellio debere jam dica sua confessi fuerant, remque in eo cognoscendam ad ordinarium judicium ablegavit , quod novissimam ipsorum Arcieri et Baldinii actionem respiciebat , quam nullum atque irritum a se factum cum Vannutellio contractum propugnabant. Ex interposita provocatione Arcierius et Baldinius apud nostrum Auditorium postularunt , ut ad nihilum mercatorii tribunalis sententia redigeretur : quippe jurisdictione in re destituti et proinde praesuli A. C. omnia cognoscenda committerentur , secus nullius momenti una atque altera renunciaretur obligatio , quam ipsi anno 1822 et anno 1825 erga Vannutellium susceperant. Hic contra petivit ut Arcierius et Baldinius ad summam ulterius solvendam, de qua mercatorium tribunal judicium suspenderat, atque ad posteriores etiam fructus rependendos condemnarentur. Primum arrisit Vannutellio fortuna: etenim circumscriptionis querela rejecta , *esse locum solutioni scut.* 8637. 63 Sacer Ordo authumavit. Cum vero jussisset Decisionem conscribi , quo factum est , ut res in disputationem redierit ; sic Patres in contrariam partem abierunt , ut sententia ab R. P. D. meo Muzzarelli lata sit, qua, *circumscriptis per viam nullitatis omnibus gestis coram tribunali commercii*, demandatum est ut partes , quod ad praecipuam rei quaestionem pertineret, secundum jus suum agerent. Appellavit Vannutellius , mihique causa commissa , acris orta est disputatio. Siquidem Arcierius et Baldinius negabant provocationem esse a judicio quo circumscriptio decreta sit. Ad Patres controversiam dirimendam ablegavi ; quos jussi de illa eodem die rogari , quo praecipua quaestio cognoscenda esset. Hodie itaque mane , libello quo Arcierius et Baldinius appellationem non deberi Vannutellio contendebant, rescripto.» *Nihil* » rejecto , Patres domini quod ad precipuam attinet quaestionem responsum dederunt: – *Sententiam esse infirmandam, et esse locum solutioni pro nunc scut.* 4627, 67, *et quoad imputationem usurarum in sortem videatur particulariter, et extendatur decisio* –.

Rebus in clariorem lucem constitutis, dubitari non posse videbatur quin Arcierius et Baldinius non uti mere cives , sed uti quidem mercatores cum Vannutellio contractum iniverint , qui proinde judicio acturus, eos apud commercii tribunal convenire debebat. Etenim animadvertere inprimis oportebat , non eam pactionem ab Arcierio et Baldinio cum foemina principe conventam separatim et unice inspectam illum constituere actum quem leges mercatorium renunciant; sed illa quidem negotiatio quam vel ex ipso suppellectilis capite , vel ex ejusdem pretio Arcierius et Baldinius una cum Vannutellio instituerant. Praesto est porro ex apocha , quam illi cum hoc die 30 aprilis anno 1822 fecerunt , ipsorum Arcierii et Baldinii confessio, qua significarunt , censui quem ipsi eodem die cum Burghesia ad ejus vitam duraturum ex argenteae suppellectilis capite constituerant , perficiendo Vannutellium operam dedisse – *nell' intelligenza che questa impresa relativamente al guadagno e alle perdite dovesse andare in società fra i signori Arcieri e Baldini da una parte , e il signor avvocato Vannutelli dall' altra* , – adeoque decernentes censum ipsum fuisse contractum – *per l' interesse commune, e che il signor Vannutelli ne debba dividere il guadagno e le perdite che ne potranno risultare* –. Ex hac igitur apocha , quas Arcierii et Baldinii confessionem exhibet , manifeste patet inter eos et Vannutellium negotiationem ex suppellectilis capite institutam ab initio adeo nimirum ut illam a Burghesia simul emendi , huic annuum reditum simul solvendi, et communem denique sive quaestum sive jacturam ex suppellectilis venditione faciendi animus fuerit:

quo quidem fit, ut semel atque census cum foemina principe contractus fuit, Vannutellius dimidiam capitis ipsius partem acquisierit, istamque institutae cum mercatoribus negotiationi recte subjecerit, qui rem cum illis habebat communem, quique cum illis lucrum et detrimentum dividere debebat.

Haec utique pro nihilo habenda Arcierius et Baldinius contendebant, quod cum pridie, quam ipsi et Vannutellius conventionem scriberent, certo pretio scutatorum quindecim millium viro principi Ludovisio suppellex divendita esset, nequaquam proinde consistebat, societatem emptionis et faciendae deinceps venditionis ab se initam cum Vannutellio, quare unum superesse census contractum mere civilem: quo in loco acriter utrinque pugnabatur, ut hinc Vannutellium venditionem Ludovisio factam cognovisse, illinc ignorasse Patribus persuasum esset. Sed haec omnia perperam obtrudebantur. Noverit enim eam vel non Vannutellius, semper tamen uti mercatores Arcierius et Baldinius contraxisse videbantur. Ac primo plane non abhorrebat, Vannutellium venditionis jam perfectae nescium fuisse, etiamsi de illa perficienda agi fortasse cognovisset: etenim brevissimum unius diei spatium ab emptione principis Ludovisi ad apocham intercesserat, quam Arcierius et Baldinius cum Vannutellio scripserant. Nulla sane ratio occurrit, quare trigesimo aprilis die sic census cum Burghesia constitutus fuerit, sic vero eodem die ab Arciero et Baldinio cum Vannutellio pactio conventa, ut si de venditione pridie facta Boncompagnio nihil fuisset. Enim vero Burghesia suppellectilis suae dominium in Arcierium et Baldinium pretio scutorum quindecim millium transfert, ex quo census sibi constituit; aliunde autem Vannutellius apud Arcierum et Baldinium caput pecuniae ex suppellectilis venditione percipiendum relinquit » *i signori Arcieri e Baldini riterrà il capitale che sarà ritratto dalla vendita del vermeil* ». Incassum vero Arcierium et Baldinius, ut evincerent Vannutellium cognovisse venditionem Principi Plumbini factam, quamdam scutorum quindecim millium ab ipso Vannutellio scriptam acceptilationem opponebant: etenim praeterquam quod autographam numquam exhibuerunt, sed exemplar, quod monumenti genus nullam in judiciis ad fidem conciliandam vim habet; hoc autem trigesimum aprilis diem praeseferebat; quare nihil probabat, Vannutellium pridie, nono scilicet supra vigesimum die novisse, suppellectilem jam divenditam. Quin immo cum ipsi Arcierius et Baldinius syngraphum, quae dicitur bonae fidei, kalendis maii Vannutellio tradiderint, ut ipsa declaratum esset unam eamdemque esse pecuniam quam apocha census cum Burghesia constituti, et acceptilatio a Vannutellio scripta respicit, quam per speciem tantummodo scriptam dicunt: non est quidem alienum acceptilationem hanc existimare datam a Vannutellio ipsis kalendis maii, quippe uno eodemque die fictae acceptilationes et bonae fidei syngraphae confici solitae sint. Sed hanc Vannutellii acceptilationem et Arcieri ac Baldinii syngraphum, quarum diem utraque habet venditione Principi Plumbini facta posteriorem, eo quidem scriptas habere oportet, qua Vannutellius nihil de perfecta venditione nosceret, quasi nimirum Arcierius et Baldinius (contractum cum Burghesia initum celaturi) monumentum ex Vannutelli acceptilatione tenere vellent, quo suppellectilis venditionem libere curarent: secus latet porro quare et acceptilationem et syngraphum scripserint, quae nulli usui erant post perfectum cum Burghesia contractum, post jam divenditam Ludovisio suppellectilem. Quod autem Vannutellius eodem vigesimo nono aprilis die mandatum ad acta tabellionis Sacchi detulerit, quo foemina princeps Burghesia rei suae familiaris universum gestorem ipsum constituebat, id nihil ad rem pertinere manifestum erat. Siquidem constabat (et ipse tabellio testimonium dicebat), debuisse Vannutellium mandatum edere, foemina principe propediem ab Urbe profectura, ut ejus negotia nullo impedimento gereret. Verum ex hoc etiam ab emptione Principis Plumbini mandatum illud alienum plane videbatur, quod nobilissimus vir ingens suppellectilis pretium unis Arcierio et Baldinio, perinde ac si rem istorum propriam emisset, solvit, ab iisque pariter acceptilationem retulit. Caeterum ipsos Arcierium et Baldinium factam venditionem tum occulere voluisse vel ex hoc facile perspici potest, quod multo

post pactionem ab iis cum Vannutellio conventam affirmabant distractam suppellectilem post diem trigesimum aprilis, namque anno superiori litteras ad Vannutellium mittebant, quibus dicebant – *voi non ignorate che, fatto il contratto vitalizio, e con voi la nota convenzione, si procurò dalla Casa di realizzare quel capo a termini della convenzione dopo qualche mese*»; idemque per defensores suos tum apud Signaturae ordinem, tum apud mercatorios judices profitebantur. Ac inani quidem labore earum sensum literarum ad aliam rem, ad opalorum et cyanorum scilicet negotiationem, traducere conabantur: nimis enim ipse literarum sensus resistit, qui caput aperte respicit ex quo Arcierius et Baldinius censum cum Burghesia et conventionem deinde cum Vannutellio fecerant. De re autem dubitari amplius non sinebant quae ex ore ipsorum Arcierii et Baldinii novissime exciderant, qui professi sunt, triennio fere post, cyanos a se venditos, nondum vero ad hanc diem opalos distractos: quamobrem ea verba » *si procurò di realizzare quel capo dopo qualche mese* » ad margharitarum venditionem nullo modo referri poterant. Nec denique ex scientia venditionis magis quam ex aestimatione suppellectili data menstrua scutatorum 27 et ob. 08 solutio ab Vannutellio praestanda proficisci posse videbatur. Si itaque Vannutellius die trigesimo aprilis nescivit suppellectilem pridie divenditam Ludovisio, jam in discrimen revocari nequibat quin apocha diei 30 aprilis actum exercuerit, quem lex art. 600 mercatorium renunciat: quippe suppellectilem a Burghesia cum Arcierio et Baldinio emerit ut deinceps venderet. Nec illud juris principium recte objiciebatur *plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur.* Etenim cum hinc Arcierius et Baldinius, illinc Vannutellius constituerint suppellectilem, animo dein vendendi, simul acquirere, simulque ex ejus pretio censum cum Burghesia contrahere, cumque alioquin certa Vannutellio mens et voluntas fuerit negotiationem apocha diei 30 aprilis cum mercatoribus Arcierio et Baldinio faciendi, aequum sane non esset ut res ex uno istorum facto longe aliter cessisset, quod ipsi e pactis communi placito conventis, Vannutellio prossus inscio, descivissent.

Hac autem ignoratione Vannutellii seposita, constabat Arcierium et Baldinium tam cum Burghesia, quam cum Vannutellio, uti mercatores, contraxisse. Etenim occurrebat imprimis animadvertendum quoties monumentum aliquod conficiendum fuit, quod negocium ex argentea suppellectile contractum respiceret, eos non illud modo et forma civibus communi, nomen scilicet et cognomen adhibendo, subscripsisse, verum mercatoriam subscribendi formam » *Arcieri e Baldini* » semper usurpasse, quá scilicet in rebus commercii uti soliti sunt. Sic porro egerunt in apocha quacum se Burghesiae obligarunt; sic in societatis contractu quem cum Vannutellio iniverunt; sic in syngrapha bonae fidei hinc tradita; sic in acceptilationibus eidem datis suam ex pecunia partem in singulos menses solventi quae Burghesiae erat praestanda; sic in nova syngrapha diei 25 julii post mortem Burghesiae. Aderant vero qui, ipsis Arcierio et Baldinio rogantibus pro testimonio, dicebant, suppellectilis negotiationem susceptam fuisse » *dalla Casa di commercio Arcieri e Baldini* » atque in hujus arcam immissam in hujusque codices relatam pecuniam a viro principe Ludovisio solutam. Quamobrem cum non Arcierium et Baldinium uti mere cives, sed mercatoriam quidem eorum Rationem totam hanc negotiationem gessisse constaret, non erat proinde opus conjecturis ut ex mercatorii codicis *articulo* 609 judicium fi-
3 eret, quo cautum est » *i biglietti sottoscritti da un commerciante saranno riputati fatti pel suo commercio, allorquando non vi sarà enunciata nessun'altra causa* ». Ac perperam Rationis mercatoriae defensores legis verbum » *i biglietti* » ad syngraphas coercere nitebantur, quae in commercio dicuntur » *biglietti all'ordine* »; nam quamlibet
4 solutionis sponsionem a mercatore factam, in qua non aliena a commercio appareat causa, legem respicere satis ex hac ipsa patet quippe superiori *articulo* 608 sanctionem in subjecta materia ferens generali utitur vocabulo » *azioni* ». Ita vero intelligendam auctores sunt *Locrè in opere spirito del codice di commercio edit. mediolanen.* 1814 *tom.* 9 *pag.* 21; *jurisconsultus Salvius, consul. liburnensis in adnot. ad cod. commerc. pag.* 167 *edit. pisanae* 1826, ac ita denique

ab appellationum Aula parisiensi acceptam docet *Syrejus in generali collectione legum et decisionum tom.* 16 *par.* 2 *pag.* 64.

Haec quoad Rationem mercatoriam Arcierii et Baldiini: quo vero ad Vannutellium ipsum spectat uti iterum dilemmate possumus argumentantes quod ille noverit, vel non, suppellectilem principi Ludovisio divenditam. Si primum, Vannutellius per conventionem recte initam factus dimidiae partis dominus et socius ex summa scutatorum quindecim millium, partem illam pecuniae suam penes Arcierum et Baldinium reliquit, qui praeter margharitarum et id generis rerum pretiosarum mercaturam, argentariam etiam exercent: si alterum, cum illis suppellectilem emit ut deinceps venderet. Sed alterutrum fuerit, Vannutellius pecuniam suam ex suppellectilis venditione vel consecutam, vel consequendam, Arcierio et Baldinio, non uti civibus, sed uti mercatoribus, credidit: quippe uti mercatores contraxerunt, eamque in negotium suum contulerunt. Est itaque vana inutilis et plane supervacua disputatio, quam Rationis mercatoriae defensores copiosissima oratione de societate, deque ejus generibus et legibus, instituebant ut nullam commercii causa societatem inter Rationem mercatoriam et Vannutellium constitisse evincerent. Hic pecuniam suam, animadvertere iterum juvat, penes mercatores et argentarios reliquit animo quidem ratus non otiosam, contra mercatorum atque atque argentariorum instituta, apud ipsos futuram, scilicet pecuniam in mercatorum tabernam, in argentariorum mensam immisit, non aliter ac in dies mercatori et argentario cuilibet creditur. Quod autem mercatoriae Rationis aeque ac Vannutellii animus fuerit pecuniam negotiandi, ipsa facto loculentiori suo probavit: namque cum ex Burghesiae morte contractus census esset resolutus, adeoque secundum pacta conventa dimidiam capitis partem Vannutellio restituere teneretur, annum ad solutionem postulavit, professa » *questo capitale al presente trovasi in giro di commercio* ».

Quo cum pervenerit oratio, jam amplius non opus esse argumentis videtur ad mercatoriam actionem probandam. Etenim si quid antea dubitationis forte extitisset, utrum qua mercatores, an non, Arcerius et Baldinius obligationem erga Vannutellium suscepissent, omnis plane dubitatio evanescere necessario debuit, postquam ipsi aperte confessi fuerant pecuniam quam Vannutellio debebant, in commercio se collocasse: quo quidem factum est ut mercatorium illud negotium manaverit, quod mercatorii codicis *articulus* 609 supra relatus respicit. Quippe mercatores, non quo causam commercio alienam obligationi suae non adscripserint, sed contra professi fuerint, in mercatorios usus se pecuniam vertisse, cum nihil plane referat non in ipso contrahendo negotio, sed postea rem eos declarasse. Quin immo non erit alienum ex jure animadvertere post litteras ab Arcierio et Baldinio octavo kalendas sextiles ad Vannutellium missas priorem titulum et causam debendi sublatam omnino fuisse, ut Vannutellius non amplius ex priori societatis censusve contractu, sed ex nova mercatorum obligatione creditor extiterit. Vix enim atque conditionem litteris illis propositam accepit, ex hac tantum petere deinde poterat. Atqui haec priorem contractum in alium plane converterat. Novus quidem erat respiciendus, quidquid de illo veteri esset, qui plane sublatus nullam amplius actionem parere poterat: quemadmodum porro usufructus atque usus ex navi dissoluta et ex iisdem deinde tabulis restaurata, nec non ex massa ex qua vasa sint facta, vel contra, extinguuntur: quippe amplius non sit antiqua navis, non amplius antiqua massa vel vasa; *leg.* 10 *ff. quibus modis usufructus vel usus amittatur, l.* 42 *ff. de usufructu et quemadmodum, l.* 68 *ff. de solut. et liber.* § 8.

Haec Patres perpendebant, ut mercatorii tribunalis jurisdictionem hac in controversia constituerent, utque proinde Arcierum et Baldinium ad solutionem adigerent. Verum cum ab iis proposita de usuris quaestio non nihil dubitationis exhibere videretur (quippe in praesenti non satis pateret, recte an non de illis pactio conventa fuerit); seorsim idcirco de ipsis cognituri, voluerunt mercatoriam Rationem nunc solvere scutatos nummos 4627 et obolos sexaginta septem, quam summam, usuris deductis, ipsa debere apud judicem Innocentianum professa est.

Et ita etc. in acri litigantium certamine.

R. P. D. DE RETZ

ROMANA REDUCTIONIS HONORARII

*Mercurii* 8 *aprilis* 1829

ARGUMENTUM

Ex universali theatrorum consuetudine actoribus cantoribusque, qui fortuito morbo correpti locatam operam in scenicis actionibus vel praestare nequiverunt, vel coacti sunt intermittere, integrum tamen solvendum est honorarium. Idque ex jure pariter obtinet si honorarium ipsum conventum fuerit, non pro rata actionum, sed unicum pro certo facto, certo tempore, praestandum.

*SUMMARIUM*

1. *Quando conventum fuit unicum honorarium, et per modum unius, actori vel cantori solvendum, non autem pro rata actionum, tunc dividi nequit, si actor vel cantor, fortuito morbo correptus absque sua culpa, nonnullis scenicis actionibus interesse nequivit.*
2. *Honorarium ex jure non dispertitur si unicum dicitur pro certo facto, certo tempore, praestandum.*
3. *Verba* – altri casi fortuiti – *posita post casus expressos incendii et interdicti principis, quibus suspendantur scenicae actiones, includunt dumtaxat casus similes expressis, non autem casum non expressum infirmitatis actoris.*
4. *Honorarii reductio, conventa in uno casu, exclusa videtur et cessare debet in aliis casibus non expressis.*
5. *Ex regulis legibusque theatralibus Mediolani editis inter casus fortuitos, quibus evenientibus fiat locus respondenti honorariorum imminutioni, nullibi actorum fortuitus morbus adnumeratur.*
6. *Imo sancitur ut, eis fortuito aegrotantibus, integrum solvatur depactum honorarium perinde ac si valerent et locatam operam praestarent.*
7. *Ex ubique recepta consuetudine honoraria solvuntur musicis fortuito aegrotantibus.*
8. *Consuetudo autem vim legis habet, et imo legi derogat.*
9. *Quae generalis consuetudo probatur ex testibus.*
10. *Itemque ex rebus judicatis.*
11. *Musica scientia adnumeratur inter artes liberales.*
12. *Cantores honorabiles sunt etiam apud principes.*
13. *Et multiplici doctrinarum genere eruditi debent.*
14. *Quando conductor impedimento est locatori quominus praestet operas, premium vel in minimo reduci leges non patiuntur.*
15. *Famulis aut ancillis quae brevi tempore morbo impeditae promissas operas non praestaverint, numquam fit illico reductio ex mercede.*
16. *Multoque minus id peragendum cum actore vel cantore principe, qui certe inter ancillas et famulos recenseri nequit.*
17. *Sententia, de cujus justitia et aequitate constat, semper est confirmanda.*

DECISIO XXVIII.

Anicetus Pistonius, dudum vita functus, cum superiori anno scenicis parandis actionibus in theatro Urbis » *Valle* » tum pro autumnali tempestate, tum pro insequentibus bacchanalibus anni volventis, naviter incumberet, psaltrias et cantores primi nominis ubicumque conquisivit. Hos inter potissimum delegit Aloisiam Boccabadati » *in qualità di prima donna assoluta* », quam optime noverat quantum arte musica praestaret. Cum ea itaque, die 30 aprilis 1828, ita stipulatione convenit ut scilicet Aloisia diceret caneretque » *tutta quella musica e spartiti, sì nuovi, che vecchi, tanto in serio, che buffi e semiseri, che dal signor Pistoni verranno destinati per mettersi in scena in Roma nella impresa del teatro Valle nelle venture stagioni di autunno e carnevale* 1828 *in* 1829 » ; tum rursus ut obstricta maneret » *d'intervenire a tutte e singole prove e concerti, che in qualunque luogo e tempo gli saranno intimati dal detto impresario, o chi per esso* » ; ut denique teneretur » *di farsi a proprie spese ogni sorta di basso vestiario* ». Vicissim Anicetus hostimentum dare spopondit Aloisiae » *per suo onorario, ed in premio di sue virtuose fatiche* » in argenteis nummis 3000, hisque divisis » *in otto rate eguali* », videlicet » *a quartali secondo l'uso teatrale e non altrimenti* » ; promisit insuper ociosum diem extra ordinem hebdomade quavis, nec non proventum alterius ex vespertinis autumni actionibus, tum demum » *un compenso di* 30 *scudi al mese per l'alloggio* ». Placuit post haec contrahentibus de periculo quoque cavere certi generis fortuitorum casuum; pactaque in his dumtaxat congrua honorarii remissio.

Ita rebus compositis, caepti sunt scenici ludi die 18 septembris. At paucas post actiones Aloisia epiphorae et coryzae morbis correpta theatrum linquere debuit; quod licet

posterioribus diebus iterum petierit cum jam aegritudo senesceret, repente tamen ab eo rursus abfuit, quia coryza recruduit. Inde filii heredesque Aniceti, interea temporis demortui, contestando denunciavere actrici die 12 octobris» *quod cum merces conventa fuerit, ex natura locationis, in correspectivitatem operae ab Aloisia praestandae, nec ferant leges aequitas et correspectivorum indoles, ut etiam ex casu fortuito operae locator praestare operam praepeditus, assequatur a conductore integram mercedem; tum locum fieri debeat proportionatae mercedis detractioni, seu remissioni ad ratam operae praestitae* ». Respondit continuo Aloisia, significavitque redemptoribus » *, quod si mala valetudine afficitur non data opera, aut corporis affectione, bene vero casu cui omnes subjiciuntur; id non sui, sed adversariorum tantum periculo cedere, ita ut instans non modo nihil mercedis nomine remittere teneatur, sed integram consequi suis loco et tempore debeat ad formam conventionis* ». Ex his duae ferbuere lites coram juridico commercii conventu, quarum altera quoad mercedis reductionem (de altera super solutione honorarii agit *coaeva decisio*) pro redemptore dijudicata est. Provocavit ad nostrum Ordinem Aloisia, et causam tenuit per sententiam ab R. P. D. meo de Cursiis prolatam. Quae cum hodie ad trutinam reducta fuerit instantibus Pistoniis, confirmari omnino promeruit per rescriptum: » *Sententiam rotalem esse confirmandam, et extendatur decisio.* »

Cantatricis honorarium haud esse imminuendum ex defectu locatae rei, sive ob interceptam causa morbi operae praestationem in scenicis concentibus superioris autumni, plura suadebant cumulate. Et primo quidem universa qua lata patet stipulatio a contrahentibus conscripta. Promisit namque Aloisia totam canere musicam cujusvis generis et speciei, quam Pistonius praestitueret; adesse experimentis omnibus a Pistonio indicendis, sibique propriis sumptibus parare minores vestes, nempe » *la calzatura e pantaloni di maglia, e corpi e maniche di maglia, scarpe, coturni, stivali e stivaletti, calze e guanti, ornamenti di testa, piume, arioni, e quanto forma ogni specie di piccolo vestiario* ». Promisit contra Anicetus, assignavitque Aloisiae » *in correspettività dei succennati oblighi* » unicum honorarium pro autumni tempestate proximi anni 1828, tum et bacchanalibus hujusce anni, idemque praefinivit in argenteis 3000, pensitandis equidem statis diebus » *a quartali secondo l'uso teatrale* », sed nunquam diribendis juxta actionum numerum, qui non fuit designatus; sed pro integro tempore, quo canentis operae conductio erat duratura.

Atqui si Aloisia generatim agere autumni tempestate et bacchanalibus pollicita fuit pro lubitu arbitrioque Pistonii; si non solum agere, verum et congredi cum aliis cantoribus, atque experimenta quaecumque facere, tum et sumptus vestimentorum perferre; si indefinitis hujusmodi oneribus unicum tributum est praemium scutatorum 3000, non pro actionum numero solvendum, sed » *a quar-*
1 *tali* », quomodo fiet locus divisioni praemii, si nonnullis ab actionibus abstinere ex morbo Aloisia debuit? Omnia hinc inde conjunctim et *per modum unius* fuerunt promissa. Poterat Pistonius indicere Aloisiae experimenta centum, centum actiones; poterat demandare minorem numerum; pendebat in his Aloisia a redemptoris placito. Erat quoque dissimilis semper et incerta sumptuum quantitas, quos in vestimenta erogare cantatrix tenebatur. Pro his omnibus simul una conjunctis unicum constitutum honorarium. Manifestum itaque, aditum ex stipulatu non patere detractioni honorarii pro rata actionum, quibus Aloisia procul ab ejus culpa haud interfuit, cum
2 non dispertiatur ex jure proemium, quando unicum dicitur pro certo facto, certo tempore, praestandum; *arg. leg.* 1 *ff. si mensor falsum modum dixerit, et leg. lecta est* 40 *ff. de rebus creditis, Bartolus ad leg.* 1 § *divus ff. de var. et extraordin. cognition. numer.* 17 *et seqq.*

Neque vera praefata stipulatione honorarii reductio fuit coercita intra limites defectus praestationis operae per Aloisiam ex suspensione scenicarum actionum ob incendium theatri, ob vetitum principis, aliosque istiusmodi casus fortuitos, sive ex casu » *di sospensione, proibizione, incendio, ed altri casi fortuiti* » ceu habet littera pacti; atque nihil dictum omnino de casu quo cantatrix

morbo affecta in scenam prodire nequiret. Neque ad casum infirmitatis protendi potest mentio » *altri casi fortuiti* ». Etenim haec verba, posita in una eademque oratione in qua res erat de suspensione actionum scenicarum ob casus expressos, includunt dumtaxat casus hisce similes, casus nempe de hostili incursione, de bello, deque id generis aliis quoque gravioribus infortuniis, prout monent *Felin. in cap. sedes numer.* 5 *vers. intellige de rescript.*, *Ripa de peste tit. de privil. contr. numer.* 77 *ver. quod intelligit*, *Redoan. de reb. eccles. non alien. quaest.* 18 *numer.* 11 *ver. multi autem casus*, *Mastrill. decis* 299 *n.* 26, *et Pacion. de locat. et conduct. cap.* 49 *n.* 69.

Quod clarius etiam ex his fit, quae contrahentes convenerunt postquam casum praeviderant suspensionis. Haud enim constituerunt post commemoratos casus » *di sospensione*, *proibizione*, *incendio*, *ed altri casi fortuiti* »; sed ulterius progressi, pacti continuo sunt ut non deberet iis casibus evenientibus » *pagarsi dal signor impresario l' onorario di quella stagione che a rata delle recite che saranno state fatte, oppure che si faranno, venendo rimossa una tal sospensione* ». Atqui cum haec conscriperint stipulatores, satis patule demonstrarunt de solis cogitasse casibus, propter quos theatralia suspenderentur spectacula, non autem de caeteris quorum causa spectacula suspendi non solent: proindeque iis unis casibus obvenientibus convenisse ut honorarium decurtaretur Aloisiae » *a rata delle recite che saranno state fatte* », minime vero ut honorarium illud pro numero actionum divideretur, si ipsa morbo vexata haud sui praesentiam fecisset in theatro, neque in spectaculis partem habuisset. E conspectu igitur hujusce apertissimae conventionis, qua, uno casu incluso, alii excluduntur, cessare debet quaelibet proemii reductio, quae nullo pacto considerata fuit pro casu invaletudinis.

Quae sane eo libentius retinenda, quo certius videtur apud omnes in more positum ut nunquam ejusmodi casus infirmatis stipulatione comprehendantur. Et vero id habetur ex epitome quadam regularum et legum theatralium edita Mediolani anno 1823, sive ex opere cujus titulus » *Cenni teorico prattici sulle aziende teatrali, ossia osservazioni generali e speciali per servire di norma in tutti i contratti che riguardano teatri e virtuosi in tutti gli oggetti che per stabilita consuetudine formano massima di regolamento apposito* ». Ibi normae praescribuntur quibus, ex communi usu, ex generali consuetudine, contractus theatrales perficiendi sunt; ibi onera recensentur quae canentibus addicenda veniunt; ibi relati casus fortuiti de quibus habenda mentio in stipulatione contractuum cum actoribus ut, iis evenientibus, fiat locus convenienti honorariorum imminutioni. » *I casi fortuiti che si accennano nelle scritture* ( ita legitur in cap. 6 art. 1 pag. 107 ), *ed a cagione de' quali resta sospeso il teatro e lo spettacolo, e per cui i virtuosi non hanno diritto ai loro emolumenti fissi, che in ragione di tempo, sono* » *incendio del teatro : fatto di principe : lutto comandato : preci publiche : decreto d' alta autorità : misura di polizia locale* »; neque in minimo dinumeratur fortuitus morbus.

Imo ubi in eodem opere *cap.* 8 agitur de casibus » *impreveduti dall' impresa* » et praesertim *artic.* 1 de infirmitatibus actorum, § 3. » *malattie sopragiunte nella esecuzione della scrittura* », sancitur conceptis verbis ut, in casu fortuitae infirmitatis qua affecti fuerint cantores, sive ante caeptas actiones, sive spectaculis manentibus, debeant redemptores spectaculorum integrum praestare aegrotis honorarium, perinde ac si illi » *fossero in perfetta attività* ». Nec equidem immerito. Quam enim durum et iniquum esset compellere theatrorum redemptores ut mercedes persolvant si, suspensis spectaculis, theatris occlusis, nihil omnino lucrentur; tam justum, aequum et rationi congruum videtur ut ipsi praestent aegroto actori honoraria, ex cujus intermissa opera non omne adimitur illlis lucrum, non tolluntur spectacula, theatra non obseruntur; dum e contrario actor innocuus et itineris sumptus et vestium expensas et omnium experimentorum labores sustinere coactus fuit; novisque insuper quam multis afficitur damnis, scilicet » *per la malattia in se stessa*, *pel sagrificio che*

*ingiustamente si pretenderebbe, per lo svantaggio che portano alla professione simili accidenti, e pel dubbio di una perfetta e duratura guarigione, e del pericolo di ricadute* » veluti habet *d.* § 3 *in fin.*

Quapropter jamdiu ubique locorum invaluit consuetudo persolvendi stipendia musicis adversa valetudine fortuito conflictatis. Consuetudinem autem vim legis habere, imo et ipsi legi derogare, vulgatum est; *leg. digna vox cod. de legibus*, *leg.* 1 *et* 3 *cod. quae sit longa consuetudo*, *leg.* 32 *et* 33, 35 *et* 36 *ff. de legib.*, *Zacch. de salar. quaest.* 9 *numer.* 26, *et Rota decisis.* 271 *cor. Riminaldo.* De hujusmodi generali consuetudine probationes attulit Aloisia satis luculentas. Nam *Petrus Boschi*, redemptor florentini theatri » *della Pergola*, testatur prae primis contra proprium commodum » *secondo l' uso e consuetudine teatrale, qualora un artista cade ammalato in tempo del di lui contratto, e molto più avendo cominciato le recite, ha diritto di pretendere li suoi appuntamenti, sempre che la malattia non sia acquisita* –. Adhaeret huic testi » *la Direzione generale dei spettacoli di Bologna* » concinitque amplissimis verbis et qui a secretis est Rectoribus bononiensibus. Tandem idem referunt tum actores ac socii » *dell' impresa del teatro de' Fiorentini* », quae multis ab hinc annis Neapolis constituta est, tum alii quoque actores aetate graves, ac de regulis propriae artis satis instructi *Joseph Scarsella*, *Aloisius Ravaglia et Nicolaus De-grecis.*

Testium dicta confirmant etiam permultae resjudicatae. *Gustavus Modena*, cum suas praestaret operas Florentiae penes spectaculorum redemptorem *Antonium Raphtopulum*, aegrotavit extemplo, et ab agendo abstinere debuit. Renuit Antonius honorarium; at illud persolvere adactus est anno 1827 sententia judicum qui de commercii negociis cognoscunt, quia » *quando si tratta di opere consistenti o nell' operazione dell' intelletto, o parte nella fatica del corpo e parte nell' operazione dell' intelletto, in questi due casi il locatore malato conseguisce sempre l'intiero salario* » et quia » *la professione del sig. Modena consiste parte nell' operazione dell' intelletto e parte nell' esercizio del corpo* ». Id ipsum decisum fuit anno 1824 a judicibus panormitanis duplici sententia in causa inter » *Marianum Meneccium et Petrum Bolognesium.* Par quoque jurisprudentia Parisii, ubi imo superiori anno causa cecidit theatri redemptor, licet res esset cum minoribus canentibus vulgo » *coriste* ». Par insuper penes Aulas veronenses et brixienses, in quarum judiciis anno 1813 prolatis *inter Theresiam Strinasacchi et Leandrum Giusti* quamplurima referuntur testimonia redemptorum cantorumque, qui consuetudinem confirmant.

Nec dissimilis ac dissona viget in Urbe sententia. Anno enim 1809 *dux Franciscus Cesarinius* stipendium rependere damnatus est *Antonio Massa*, qui aegrotaverat, et propterea operas non praestiterat aliquo tempore. Denique et idem jugiter sensit Curia florentina, quemadmodum patet ex decisione » *del supremo Consiglio di giustizia inserita nel tesoro del foro toscano tom.* 1 *pag.* 273 » et ex decisione altera Rotae florentinae in causa *Florentina praetensae reductionis salarii* 21 *maii* 1749 *penes thesaur. Ombros. tom.* 7 *decis* 39, *in cujus* § 52 loquitur de usu jamdiu constituto ex fide redemptorum theatri veneti. Quod si secus nuperrime judicatum est a tribunalibus Mediolani in causis *Antonii Paul* cum *Josepho Glossop*, *et Rosae Morandi* cum *Josepho Franchetti*, id plane factum post editas in iis regionibus austriacas leges, quibus aliter statuitur, qua fuerat usus aliarum gentium. Equidem res istae judicatae, nisi satis aptam suppeterent s. Ordini dicendi rationem, universalem tamen consuetudinem plurimis testimoniis comprobatam magis magisque confirmant. At, consuetudine manente, Pistoniorum actio erat undique profligata, praesertim cum ipsi neque morbi veritatem, neque fortuitum casum in discrimen adducere valerent.

Post haec supervacanea visa est Auditorio nostro disquisitio de nobilitate artis musicae, de necessaria dignitate sociata probitati, virtuti ac scientiae in cultoribus liberalium artium, deque vera ac propria

specie contractus Pistonium inter et Aloisiam conscripti. Quidquid namque aliquis autumaverit de musica scientia, id sane certissimum, illam recensere inter artes liberales *Fabium Quintilianum lib. 1 oratoriarum institutionum cap. 17, Marsilium Ficinum lib. 1. epistol., Polidorum de rerum inventoribus lib. 1. cap. 14, Marant. controv. jur. resp. 52 num. 39 tom. 5, Paulut. dissert. 83. num. 72 tom. 2, Zaul. ad statut. favent. rub. 58 lib. 4 num. 118, Tiraquel. de nobilitate cap. 34 num. 10, Pacichel. de distant. cap. 6 memb. 9 num. 15, Gassend. in manuduct. ad theorema super part. specul. music. in cap. proemial. tom. 5 pag. 575 edit. florent., Costant. vot. 375 numer. 37 tom. 3*, aliosque permultos. Quidquid dici velit de dignitate juncta cum probitate virtutis, quae requiritur in exercitio liberalis artis, cantores honorabiles esse etiam
12 apud principes monet *Constantinus loc. cit.*, eosque multiplici doctrinarum genere
13 erudiri debere ait *Petrus Lichtental in suo dizionario e bibliografia della musica vol. 1 art. artista, canto e cantante.* – Utcumque demum consideretur contractus de quo quaeritur, an scilicet plus, vel minus vera, ac propria locatio conductio operarum, id controversia vacat nulla cantatricis culpa factum esse, quominus operas praestaret suas.

Quin imo Pistonii heredes revera expertes culpa non fuere in Aloisiae aegritudine. Nam constat ex adductis monumentis, theatrum – *Valle* –, ubi agere et concinere Aloisia debebat, ejusmodi sive scenam, sive proscenium habere conditionem, ut sit potius pro canentibus apertam habitare plateam, quam illic noctu manere. Prostant quippe – *al di sopra del palco scenico* » plures amplae et seclusae fenestrae » *per le quali s'introducevano correnti di aria pregiudizievoli alla salute de' cantanti* –», Quamquam porro ad magistratum spectaculis praepositum suas querelas actores omnes detulerint ; quamquam imploraverint omnes » *necessario provedimento per i danni che cagionava al loro fisico l' apertura di alcuni vani di finestre esistenti al di sopra del palco scenico di detto teatro* »; quamquam magistratus, ut malis mederetur, jusserit » *all' Impresa di chiudere senza ritardo le fenestre in questione* », jussa tamen nunquam executioni commissa sunt, unde illud consequutum quod » *le correnti dell'aria hanno sempre dominato sul palco scenico* ». Haec habentur ex relatione ejusdem magistratus ad Praefectum Urbis.

Neque ea excluduntur ex dictis vel architecti, vel fabrorum lignariorum, aliorumque theatro inservientium. Si namque » *il palco scenico del teatro Valle è intieramente coperto da un soffitto di tavole connesse a battente oltre il tetto, a preferenza de' teatri di Argentina, Aliberti e Tordinona, i quali hanno i respettivi palchi scenici coperti dal solo tetto* » id habet ex opposito praegrandis vitii » *che le fenestre mancavano affatto di telari e di vetri* » ; ideoque ex illis » *s' introducevano correnti di aria* » cantorum valetudini non mediocriter noxiae. Itaque non immerito propugnabat Aloisia, coryzae morbum quo diu fuit conflictata, ortum habuisse ex mala theatri conditione, ac proinde ex culpa conductoris Pistonii. Verum si id omne redemptoris culpae tribuendum, injuria iliius heredes Aloisiae honorarium decurtare conabantur. Quando enim conductor impedimento est locatori, quominus praestet operas, praemium vel in minimo reduci, le-
14 ges non patiuntur. *Ita Ulpianus in leg. sed addes 19 §. fin., et Paulus in leg. qui operas 38 ff locat. conduct., arg. leg. ult. pr. ff ad leg Rhod. de jactu, Voet. in pandect. lib. 19 tit. 2 numer. 27, et Pacion. de locat. et conduct. cap. 50 num. 2.*

Accedit, Aloisiam modico solum temporis spatio aegrotasse, atque paucis dumtaxat actionibus ( paucae profecto sunt actiones quatuordecim, habito respectu ad longum septem mensium cursum, ad quem integra stipulatio protendebatur ) paucisque spectaculis, et quidem non continuis, sed ex intervallo, scenicis ludis non adfuisse. Verum si famulis aut ancillis, quae brevi tempore
15 adversa valetudine impeditae non operas promissas impleverint, nunquam fit illico deductio ex mercede, *leg. cum heres 4 §. stichus 5 ff de statu liberis, arg. leg.*

*habitatores* 27 *prin. ff locat. conduct.*, *et Voet. in pandect. dd. lib.* 19 *tit.* 2 *num.* 27, multo sane minus id peragendum erat Aloisiae damno, quae demum, sicuti 16 inter canentes » *prima donna assoluta* » non inter ancillas et famulos recensenda venit. Quapropter Pistoniorum petitio rejici omnino debebat, atque s. Ordinis sententia 17 penitus confirmari, quae justitia et aequitate undique emicabat *ad textum in Clement. ut a calumniis de sentent.*, *et rejudic.*; *et in leg. praeses cod. de sentent.*, *et Rota in Firmana quartae maritalis et alimentorum* 7 *februarii* 1791 §. 2 *coram Despuig*, *et in Perusina immissionis* 13 *maii* 1791 §. 4 *cor. Resta.*

Atque ita in acri litigatorum pugna decisum est.

**R. R. D. DE RETZ**

ROMANA SOLUTIONIS HONORARII

*Mercurii* 8 *aprilis* 1829

Argumento non indiget

*SUMMARIUM*

1. *Pacta conventa, quae neque legibus, neque moribus adversantur, servari debent.*

## Decisio XXIX.

Exequitur coaeva Decisio *super reductione honorarii*, Aloysiam Boccabadati, ubi primum superiori anno vadatam se vidit coram judicibus qui de commercii negociis jus dicunt in Urbe, ab heredibus Aniceti Pistoni, redemptoris theatri » *Valle* » postulantibus honorarii imminutionem ob non praestitas a cantatrice operas, quia aliquot diebus morbo vexata, protinus et ipsam citasse illos ut integrum assequeretur quadrantem honorarii vulgo » *quartale* » cujus solutionis jam dies cesserat mense octobris, insuperque ut semissales usuras obtineret, pro quibus notissima indixerat *Castrensis requisita*. At caussa cecidit omnino penes tribunal illud, per quod contextim decretum ut honorarii reductio peragenda esset pro numero actionum, queis actrix abfuisset. Meliori deinceps omine pugnavit coram s. Auditorio, ad quod confugerat ope appellationis, petens etiam quadrantem alterum emolumenti novembri mense sibi pendendum, quodque litem totam illi addixit. Discrepantibus sententiis, hodie rursus quaestio expensa est, editumque rescriptum: » *Sententiam rotalem esse confirmandam*, *et extendatur decisio.*

Convenit Aloysia cum Aniceto, quando proprias operas ei locavit pro actionibus scenicis superiorum tempestatum autumni et baccanalium, ut sibi daretur » *per suo onorario ed in premio di sue virtuose fatiche la somma di scudi* 3000 *moneta romana divisa in otto rate uguali*, *cioè in quartali secondo l'uso teatrale.* » Qua die caepta lis est super honorarii reductione, alterum ex his quadrantibus jam erat per redemptorem spectaculorum rependendum: alterius dies venit solutionis lite ipsa manente. Itaque si ex his quae demonstrata sunt in contemporanea decisione, hujusmodi honorarium decurtari non debet pro rata parte scenicarum actionum quibus cantatrix, fortuito morbo correpta, interesse nequivit, sique Pistoniorum actio rejicenda penitus visa est, necessario consequitur Aloysiam ex pacto integros quadrantes non solutos obtinere debere, nec non semisses fructus pro quibus ipsa debitori *castrensia* requisita interpellavit. Praetoris enim edicto tuentur pacta conventa, quae neque legibus neque moribus adversantur, quaeque contractui legem dicunt, ceu monet Imperator *in l. si quis in conscribendo* 29 *cod. de pactis*, et Jurisconsultus *in l.* 7 §. 7 *ff. eod. et Rota in decis.* 85 *num.* 6 *cor. Olivatio.*

Et ita etc. utraque etc.

**R. R. D. MUZZARELLI**

FERRARIEN.

PECUNIARIA QUOAD SCUTA 3722. 37.

*Lunae* 27 *aprilis* 1829.

ARGUMENTUM

In societate *simplici* unusquique sociorum erga tertios, qui cum societate contraxerunt, in solidum tenetur; e contra, *in anonyma*, sociorum obligationes immissi capitis limites non praetergrediuntur. Iis autem deficientibus, quae vel ad constituendam societatem anonymam, vel ad ejus denunciationem publice faciendam lex requirit, definitur societatem *simplicem* habendam esse, non *anonymam*.

*SUMMARIUM*

1. *Quando agitur inter socios, intra limites propriae cujusque portionis sociorum obligationes manent.*
2. *Si autem agatur cum tertiis a societate extraneis, unusquisque sociorum erga eos tenetur in solidum.*
3. *Neque ad hoc opus est speciali pacto: vigore enim reciproci mandati in re sociali inter socios de jure suppositi, tertii habentur ac si contraxissent non cum societate, sed cum singulis sociis.*
4. *Distinctio est inter societatem* simplicem *et* anonymam.

   *In* simplici *socii tenentur erga tertios in solidum etiam in bonis propriis.*

   *In* anonyma *sociorum obligationes erga tertios non praetergrediuntur limites immissi capitis* et num. 11.
5. *Quando socii nihil dixerunt de societate* anonyma *tenendum est eos* simplicem *contraxisse societatem.*
6. *Aliud est statuere quod caput immittant socii, aliud nolle teneri ultra determinatum caput, et ab illo ad hoc non valet illatio.*
7. *Societas est rerum plurium, aut unius, inter aliquos consensu suscepta communio, lucri in commune faciendi gratia.*
8. *Hinc necessitatis est immittere caput, quia sine collatione rerum in commune societas concipi nequit.*
9. *Voluntatis autem est, velint nec ne socii intra limites teneri certi determinati capitis.*
10. *Naturale est quidquam eo genere dissolvi quo colligatum est.*
11. *Mandatum de administrando* in simplici *societate detorqueri nequit ad novam creandam societatem* anonymam *ab illa longe diversam et separatam.*
12. *Nefas semper fuit sociales obligationes intra praefinita bonorum confinia cohibere, nisi haec sociorum voluntas mercatoribus patefieret, et rite denunciaretur.*
13. *Ritus denunciationis ante codicem mercatorium erat minus sollemnis.*
14. *Ex hoc codice requiritur pro forma essentiali ut societas anonyma resultet* « per mezzo di atti pubblici.
15. *Ad hoc autem sub actus publici nomine veniunt sola instrumenta per publicum tabellionem scripta.*
16. *Neque actus idcirco fit publicus ex quo fuerit a summo Imperante adprobatus.*
17. *Idque lex ipsa demonstrat dum ad societatem anonymam, praeter auctoritatem magistratus, requirit actum publicum.*
18. *Ubi duo distincta copulative requiruntur, hoc ipso unum ab altero longe differre significatur.*
19. *Lex imperat sub nullitatis poena ut in publicatione anonymae societatis actus publicus una cum confirmatione magistratus insinuetur, et ad valvas curiae affigatur.*
20. *Magistratus autem confirmatio debet esse explicita, clara et sollemnis.*
21. *Nullus deceptor actionem doli evadere potest.*
22. *Quidquid dolo malo fecit debitor ut res perire aut deperderetur, ejus detrimento est.*

DECISIO XXX.

Valles comaclenses in ditione pontificia celebrantur ob insignem copiam anguillarum et piscium, qui e proximo mari per canalem, seu portum, uti vocant, *di Magnavacca*, attracti ex minori salsedine aquae, illuc pervadunt, ibique semel ingressi, intercluso exitu, in quantitate ingenti captantur. Ad exitum vergebat quinquennalis illa comaclensis piscationis locatio conductio, quae initium sumpserat anno 1819, quando de ineunda nova conductione agi caeptum est; cujus hae praecipuae in antecessum statuebantur conditiones; durationem conductionis futuram esse ad novem annos; conductionem susceptam iri a multis in societatem coactis; tot futuros esse socios quot actiones seu societatis quotas; actiones autem futuras esse usque ad numerum 270; quamlibet actionem aestimatam iri scutis 300 ita ut ex coalescentia omnium actionum componeretur caput scutorum 81000; in hac summa scutorum 81000 positum esse caput societatis a singulis sociis ab initio in communem arcam pro rata mittendum; ultra praedictos socios, seu, uti vocabant, *azionistas*, societatis participem futuram esse quoque

Communitatem Comacchi, quae hoc modo et locatricis quia vallium piscationem ipsa locabat, et conductricis partes simul agebat quia conductionis socia simul erat; in annuam conductionis pensionem solutum iri scuta 44000; quidquid, deducta pensione deductisque administrationis expensis, superesset id inter socios divisum, pro tribus ex quatuor partibus per quatuor primos, pro quatuor ex quinque partibus per reliquos quinque novennii annos, Communitati esse addicendum; quod reliqui lucrosum esset inter socios fore distribuendum; universae conductioni praefuturos esse tres administratores, qui, sub nomine seu ditta *Commissione delle Valli di Comacchio*, sociorum mandatarii essent, societatemque in universum repraehesentarent.

Hisce aliisque, die 13 aprilis 1823, conciliatis conditionibus, novennalis conductio suum sumpsit exordium die prima januarii 1824. Et, illa ipsa die, universae societatis agendis negotiis apposuerunt manum tres administratores, qui socii simul erant, Laurentius Colognesi, Joseph Maria Patrignani, Leopoldus Pilati, cives comaclenses. Hi tres administratores, seu, uti vulgo vocabantur rectores, *regolatori*, missis undique ad vulganda mandata in se collata literis, quas vocant, circularibus, huc illuc pro variis societatis necessitatibus cum multis sive indigenis, sive alienigenis mercatoribus cito negotiari caeperunt, sive quo pisces per eos in nostris simul et exteris regionibus venumdarentur; sive quo pecuniam, si quando opus esset, mutuam acciperent ab eis. Fuit inter exteros negotiatiores Paulus Benz, qui Venetiis degens illuc ad se pro societatis negotiis venientem illo primo anno excepit Leopoldum, alterum ex tribus rectoribus, eique nomine et vice societatis agenti non solum sese promptum paratumque exhibuit venu per venetam ditionem dandis piscibus, quos ex sociali conductione retractos, et ad se missos recepturus esset, sed etiam pecuniam per collybisticas literas identidem dare mutuam non dubitavit. Atque ita sese gessit per primum et alterum conductionis annos. Ubi vero tertius adventabat societatis annus, tum non Comacchi solum et per finitima loca, sed et per exteras quoque regiones, et per venetam rumor serpere caepit societatem vallium comaclensium vergere ad inopiam; male ei rem cessisse, pejorem quoque futuram esse in posterum. Hac fama commotus Paulus, rectoribus illo quoque tertio anno per epistolas ad se redeuntibus, detrectabat pecuniam mutuam dare, quam illi reposcebant. Sed illis iterum iterumque obtestantibus nihil periculi in societate esse; disseminatos per malevolentiam rumores omnino esse falsos; tutam integram esse sociorum fidem; uberiorem quam antea, illo tertio anno fore piscationis fructum; pecuniam, si quae mutua daretur, cito prae sociali fide restitutam iri; his aliisque multis illecebris per repetitas epistolas tum et oretenus per Josephum Mariam Venetias, data opera, profectum callide insinuatis, tum multo magis trium rectorum obtestationibus quodammodo illectus et seductus Paulus sententiam mutavit, et illo quoque anno multum pecuniae eis mutuo dedit. Sed brevi novit valde se ab eis fuisse deceptum: nam, paucos post dies, cum alibi, tum Venetiis, fama undique percrebuit societatem abiisse in decoctionem, eaque simul et novennali conductione dissoluta, Fiscum pontificium per extraordinariam providentiam Pontificis maximi suscepisse in se comaclensium vallium administrationem.

Facile cum animo suo volvere quisque potest quae et quanta fuerit indignatio Pauli, cui opus, post urbanitatis officia incassum adhibita, tandem fuit ad judices venire, quo tres rectores, qua societatis mandatarii, qua socii et ipsi in solidum obligati, pecuniam sibi restituere cogerentur. Itaque, post tres distinctas actiones formiter institutas pro triplici distincta quantitate pecuniae mutuo datae, hanc a tribunali commercii Ferrariae die 22 aprilis 1828 obtinuit sententiam quoad primam summam scutorum 3722. 57, de qua res hoc loco est: nam de duabus aliis summis seorsim agitur in distinctis decisionibus: *si assegna il termine di giorni trenta, entro il quale Pilati, Colognesi, Patrignani far debbano in modo che la società, di qualunque genere fosse stata esistente, paghi*

*il credito del Benz di scudi* 3722. 37, *altrimenti si condannano solidalmente nella loro rispettiva socialità con mandato reale e personale per detta somma unitamente ai danni e spese da liquidarsi.* Neque rectoribus quidquam profuit appellare ad Auditorium nostrum. Nam, causa hac mane proposita, in acri partium conflictu, rescriptum est: » *Esse locum praefixioni termini, quo elapso, relaxationi mandati personalis et realis pro summa scutorum* 3722. 57 *in solidum contra Leopoldum, Josephum Mariam, et Laurentium una cum damnis et expensis etiam extrajudicialibus; et extendatur decisio.*

Vulgari juris est, sociorum in re sociali obligationes, quantum restringi solere intra limites propriae cujusque portionis si
1 res sit cum aliis sociis, tantum, si agatur cum tertiis a societate extraneis, ita ampliandas esse ut erga hos tertios unusquisque
2 eorum teneatur in solidum. Neque speciali pacto opus est ad hanc ampliationem, quia vigore reciproci mandati in re sociali de ju-
3 re suppositi inter socios, singuli socii citra aliam expressionem perinde tenentur in solidum erga tertios, ac si tertii, non cum societate, sed contraxissent cum singulis sociis; *Casareg de commerc. disc.* 44, *Ansald. de commerc. et mercatur. disc.* 37 *num.* 7, *Rot. dec.* 612 *coram Ansaldo.* Ergo singuli tres societatis moderatores, non solum qua universae societatis mandatarii, sed etiam qua socii et ipsi, solidali obligatione tenentur, ut quidquid Paulus vel pecuniae credidit societati, vel damnorum passus est propter societatem, de eo omni, etiam cum bonis propriis, eum faciant indemnem. Datur aliquando casus quod sociorum obligationes, etiam quoad tertios, non ultra protendant, quam quod in communem arcam collatum fuerit ab eis. Atque, hac de
4 causa, distinctio fit inter *simplicem* et societatem *anonymam*, quod scilicet in hac limitatio obligationum fiat intra limites capitalis immissi, quae non contingit in illa. Sed haec distinctio nullius usus est in hac causa, in qua constat societatem simplicem ab initio fuisse contractam. Satis primum esset quod socii, cum convenirent in unum die 14 aprilis 1823, cum in illis generalibus comitiis de novennali societate paciscerentur inter se, nihil dixerint de societate anonyma. Et nihil fuisse dictum res est in comperto posita, quam nemo hucusque ausus est negare. Cum enim societas anonyma,
5 seu de coercendis sociorum obligationibus inter determinatum capitale et non ultra, sit exceptio, sit limitatio regulae generalis, per quam constat eos erga tertios in solidum teneri, etiam in bonis propriis; ubi de exceptione inducenda nihil dictum fuerit, hoc silentium satis per se, et de jure, probat remota exceptione quae numquam praesumitur, utpote per se odiosa, socios adhaesisse regulae generali de simplici contrahenda societate; *Rota decis.* 612 *num.* 22 *et* 24 *cor. Ansaldo.*

Accesserunt quoque verba, seu explicitae sociorum declarationes, quae contrahebatur a se, eam nonnisi simplicem et mercatoriam societatem esse. Dictum id in capitulis die 13 aprilis 1823 scriptis; dictum in rescripto Cardinalis Ferrariae Legati, qui de mandato Pontificis maximi, sociis id efflagitantibus, societatem approbavit; dictum in litteris, quas vocant, circularibus, missis ad exteros mercatores, nunciantibus eis socialem vallium conductionem. Et quidquid tres moderatores per duos circiter primos conductionis annos gesserunt in re sociali, aut ordinanda, aut administranda, aut regenda sive soli per se, sive in unum frequenter coacti, ea omnia puram simplicemque praeseferebant societatem. Postquam vero elapsi fuerant duo anni et duo menses, et negotia societatis in praeceps magis magisque ruere pergebant, die 13 februarii 1826, tunc prima mentio excidit societatis anonymae, quam tres moderatores a se publicari, nomine omnium sociorum, tum primum dicebant. *Prevalendosi delle facoltà loro accordate dai signori azionisti, interessati nel negozio Valli, mediante la sessione* 2 *decembre* 1823, *dichiarano in nome degli azionisti loro mandanti, contrarre, siccome contraggono, a mutue stipulazioni ed accettazioni, una società del genere delle anonime, in conformità degli articoli* 28 *fino al* 36 *del codice di commercio, obbligando quindi, siccome obbligano, i signori azionisti, loro mandanti, colle ri-*

*serve e limiti portati dall' artic.* 32, *e non più oltre nè in altro modo , facoltizzando l' avvocato Antonio Colognesi a fare eseguire la debita pubblicazione di detta società negli atti del tribunale di commercio di Ferrara.* Sed si societas tunc primum declarabatur anonyma , ergo antea non fuerat anonyma. Et anonymam antea non fuisse ipsi tres moderatores professi sunt , qui, quos duos jam elapsos fuisse videbant novennalis conductionis annos , eos non attribuerunt anonymae , sed hujus exordium collocantes in die prima antecedentis januarii 1826 , eam duraturam esse decernebant non per novem, quanti ejus duratio conventa fuerat ab initio , sed, detractis duobus annis jam elapsis, per reliquos septem conductionis annos.

Neque socii significaverant unquam ab initio , se nolle teneri ultra determinatum capitalem. Immiserant quidem in arcam socialem caput scutorum 81000 : dixerant » *il fondo di cassa per la conduzione dell' azienda è stabilito in scudi* 81000 *divisi in* 270 *azioni, di scudi* 300 *l'una* ». 6 Sed aliud est statuere quem capitalem immittant socii, aliud nolle teneri ultra determinatum capitalem: ab illo ad hoc non valet illatio. Illud necessitatis est: nam societas, 7 Paulo eam definiente *in leg.* 3 *ff. pro soc.* , est rerum plurium , aut unius, inter aliquos consensu suscepta communio , lucri inde in commune faciendi gratia; et sine col- 8 latione rerum in commune societas concipi non potest. Hoc est voluntatis: voluntarium namque est velint, nec ne, teneri socii intra limites certi determinati capitalis. Factum 9 quoque ab initio accesserat sociorum , qui in primis ipsis capitulis societatis , transiliverant ultra caput scut 81000, cum promitterent se in hypothecam daturos bona sua usque ad summam scutorum decem octo millium , quo in tuto magis magisque poneretur pensio conductionis Communitati quotannis solvenda. Quo vero tres moderatores dissolverent antecedentem societatem simplicem, opus erat ut, quemadmodum a cunctis sociis die 13 aprilis 1823, in generalia comitia coactis, ea fuerat creata, ita iidem socii in unum simul convenirent, et mandata darent ad eam dissolvendam. *Nihil est enim tam naturale* , ut ait *lex* 35 *ff. de reg. jur., quam eo genere quidquam dissolvere, quam quo colligatum est.* Neque sine novis et expressis mandatis , moderatores dis- 10 solvere poterant societatem illam simplicem, ad quam curandam per novennium , ipsi fuerant deputati. Nam mandata in eos collata pro societatis conservatione excludebant ipsa per se facultatem dissolutionis.

Eo autem urgentius requirebantur nova mandata, quo gravior est differentia simplicem inter et societatem anonymam ; quarum haec , ut supra dictum est , non ultra sociorum protrahit obligationes erga tertiosi , quam limites ferant determinati capitalis; ut illa , bona cuncta sociorum, etiam propria , 11 sine limite , erga tertios remanent obligata. Universi mercatorum coetus intererat , tum publica fides exigebat , ut quicumque cum societate contraherent , iis in comperto poneretur , qua conditione essent etiam in posterum contracturi , an sub obligatione in solidum, quemadmodum illucusque contraxerant , seu potius , ut tum primum facere meditabantur , intra cancellos solius capitalis socialis. Jam vero moderatores, die 13 februarii 1826 , novam instituentes societatem anonymam, aperte significarunt, nihil novi mandati a sociis , ad illam rem , in se fuisse collatum , cum dicerent id a se fieri in vim *delle facoltà loro accordate dai signori azionisti, mediante la sessione del dì due decembre* 1823. Atqui mandata illa ad unam societatem simplicem referebantur , quia de hac una dumtaxat , uti supra demonstratum est , tunc temporis agebatur. Ergo , quae de simplici admini- 12 stranda acceperant , eadem mandata moderatores detorquere non poterant ad creandam novam societatem anonymam , ab illa longe diversam et separatam. Ergo ex defectu facultatis in mandatariis nova societas fuit irrita et nulla.

Ultra vero hoc primum sane insanabile , multa quoque alia accesserunt intrinseca vitia. Nefas semper fuit cohibere sociales obli- 13 gationes intra praefinita bonorum confinia , nisi haec sociorum voluntas mercatoribus patefieret, et rite denunciaretur. Ritus denun- 14 ciationis ante codicem mercatorium erat minus solemnis. Sed post codicem invectum et modo

vigentem factus est sollemnior. Requirebatur primum, pro forma essentiali, ut societas resultaret ex actu publico; *art.* 39 » *le società anonime non possono essere formate, che per mezzo di atti pubblici.* Actum publicum nequaquam praeseferebat particularis illa moderatorum conventio, qui die 13 februarii 1826 et societatem anonymam primum composuerunt, et causidico Cognesi in mandatis dederunt ut illam insinuaret apud acta tribunalis mercatorii Ferrariae. Constat enim privatam fuisse illam conventionem. Hinc, quo satisfactum a se fuisse ostenderent praecepto legis, moderatores modo contendunt vices actus publici fecisse capitula, die 13 aprilis 1823, in generalibus sociorum comitiis conventa. Sed id purum putumque redolet figmentum. Nam quae capitula societatem et simplicem formaverant et duraturam ad novennium, eadem, anno 1826, valere non poterant ad hoc ut coalesceret nova et diversa societas, nempe anonyma et duratura ad septennium. Et quamquam capitula illa quis fingeret aptari huic novae societati potuisse; tamen ea actus publici vices gerere non poterant. Nam, sub actus publici nomine, in allegata lege, veniunt sola instrumenta per publicum tabellionem scripta. Haec est communis intelligentiae notio. Neque moderatores dicant capitula summi Imperantis auctoritate deinde fuisse roborata. Nam adhuc post superadjectam illam auctoritatem actus publici nequaquam nanciscebantur naturam. Quod sane et intelligit lex, et intellexerunt socii. Illa, quia, ultra auctoritatem magistratus, ad societatem anonymam requirit etiam actum publicum. Et ubi duo distincta copulative requiruntur, hoc ipso unum ab altero longe differre significatur: Hi, quia non contenti solis capitulis, vel ab ipso quoque summo Imperante confirmatis, eadem deinde curarunt redigenda in publicum instrumentum.

Id vero nimis sero fecerunt, scilicet die 20 julii 1826, quando moderatores arbitrabantur societatem anonymam inde ab antecedenti februario a se et fuisse insinuatam apud acta tribunalis Ferrariae, et fuisse publicatam. Sed hoc ipso publicatio et insinuatio non valuit, quia deerat actus publicus. Nam, sub nullitatis poena, lex imperat ut in publicatione societatis anonymae actus publicus una cum confirmatione magistratus, et insinuetur, et ad valvas curiae affigatur ad commodam omnium notitiam; *art.* 44 » *l' atto del Governo che autorizza le società anonime, dovrà essere affisso in un coll' atto di associazione pel tempo prescritto dall' articolo* 41.. Insinuari autem, affigi non poterat id quod non adhuc existebat in rerum natura. Et quae de actu publico dicuntur, eadem quoque dicta esse intelligantur de altero defectu insinuationis et affixionis alterius actus, per quem societas anonyma confirmaretur a magistratu. Nam haec confirmatio erat pedissequa actus publici, quem supponebat. Ergo, ubi hic non existeret, et non extitisse abunde demonstratum est, et ne illa quoque existere poterat. Neque approbatio haec tunc intercessisse dici potest, cum capitula diei 13 aprilis 1823 deinde a Cardinali Legato, seu a Praeside provinciae, de mandato Pontificis maximi, confirmarentur die 19 sequentis augusti. Nam quod de capitulis illis jam demonstratum est, nempe quod referebantur ad societatem simplicem, de qua sola tunc res erat anno 1823, non ad societatem anonymam, quae ne in mentem quoque venerat cujusquam ex sociis, idem et de Praesidis approbatione intelligendum est, qui approbare non potuit id de quo, tempore approbationis, ne cogitabatur quidem. Praeterea opus erat approbationem Praesidis esse explicitam, claram, solemnem; *art.* 36 » *la società anonima non può esistere, che coll' autorizzazione del Governo e sua approvazione dell' atto che la costituisce. Tale approvazione debbe essere data nella forma stabilita dai regolamenti di pubblica amministrazione.* Neque ejusmodi fuerat approbatio Cardinalis Legati, qui confirmans societatem simplicem, de anonyma ne verbum quidem fecerat. Tum adjecerat robur auctoritatis suae, ne quid detrimenti caperet Communitas Comacchi, a qua piscatio vallium locabatur; nullumque respectum habuit ad commercium et ad mercatorum coetum. His autem omnibus deficientibus qualitatibus, quarum una si deesset, societas dari non poterat, concludendum est nihil valuisse sive conventionem moderatorum de

ineunda societate anonyma ad septennium , sive insinuationem per causidicum Colognesi die 27 ejusdem februarii 1826 factam apud acta tribunalis ferrariensis: quo ergo in loco res erant prius , in eodem perstiterunt. Et cum societas ab initio simplex esset, ita et esse porrexit usque ad sociorum decoctionem. Quare, quidquid moderatores cum Paulo Benz contraxerunt , de eo erga eum tenentur in solidum , quemadmodum de jure fit in societate simplici.

Quod si societas fuisse supponeretur anonyma, nihilominus moderatores erga Paulum tenerentur , si non qua socii, certe qua deceptores. Deceperunt autem Paulum primo , cum , si societas esset anonyma, eum de anonyma non monuerunt; et quantum sollici ab initio fuerant de societate simplici patefacienda ei per litteras circulares , tantum de nova societate anonyma cum eo semper siluernnt. Tum major accessit deceptio, cum quo tempore socialem conductionem in praeceps ruere et diem decoctionis propediem imminere sentirent , eodem tempore , sive oretenus Joseph Maria hac de causa Venetias missus, sive tres simul moderatores per epistolas ostentabant ingentes societatis opes; tuta esse in ea omnia. Steterat quidem opulentia vallium multos per annos et forte saecula, et qui eas in conductionem habebant, nemo eorum inde abiit qui divitiis non esset onustus. Id ipsum eaedemque opes, et forte majores, sperari posse videbantur in exordio hujus novennalis conductionis. Multi namque magna copia erant socii, et vis unita fortior. Tum insigne caput scutorum 81000 fuerat in arcam socialem immissum. Ad hoc socii promiserant se daturos esse hypothecam scut. 18000 in bonis stabilibus. Res locata conducta omni rerum genere erat instructa. Verum ex improviso et intra breve spatium trium annorum cuncta evanuerunt ; absorpta lucra conductionis ; absumptum ingens caput scutorum 81000. Neque satis; aes alienum grande conflatum, et ex tantis vallium opibus nihil, praeterquam rudera miserrimae decoctionis et nonnulla debitorum nomina: atque haec, fatentibus ipsis moderatoribus , umbratilia , quia vel litigiosa, vel exactu aut difficilia, aut impossibilia.

Indignati, hac de re , omnes fuerunt nostri simul et exteri mercatores, et Cardinalis provinciae praeses justa ira perculsus in severa abiit contra administratores eorumque ministros. Sciscitantibus autem omnibus, quaenam causa tantae rerum absumptionis fuisset, et quonam modo fieri potuisset ut quae olim semper fuerant divitiarum fodinae, eae comaclenses valles , tam brevi temporis spatio , immanem peperint ruinam , moderatores responderunt canalem di *Magnavacca* fuisse obstructum , ex eaque obstructione anguillas fuisse impeditas quominus valles intrarent , ibique captarentur. Sed canalis obstructio, quantumque ea fuerit , causam quidem praebere potuit diminuendae pensionis , quae e scutis 44000 , quanti aestimata fuerat in capitulis locationis , ob illam causam deinde , annuente provinciae Praeside, reducta fuit ad scuta triginta duo millia; sed parere non poterat totius societatis excidium. Quod si, postpositis moderatorum dictis , facta perpendantur , ex his profecto patet moderatorum seu eorum ministrorum vitio et culpae potius rem esse tribuendam, quam aut obstructioni canalis, aut caeli tempestatibus. Et sane Cardinalis Legatus, audito proximo dissolutionis periculo, simul et arcarii fuga , mense septembris anni 1826 graviter animadvertit in societatis ministros, quorum alios et munere dejecit, alios severe mulctavit, cunctis vero extraordinarium praeposuit cognitorem » *controlore* » dictum. Quidquid vero in arca sociali deesset ejus debitores esse decrevit moderatores » *della deficienza di cassa siano intanto ritenuti debitori i regolatori in solidum , per la responsabilità ch' è loro ingiunta dal capitolo 17 , salve e riservate le loro azioni per la divisione del debito.*

In illa infelicissima oberatione , si Paulus Benz ultro moderatoribus obtulisset mutuam dare pecuniam, reputans societatis fidem adhuc manere integram , moderatores , si viri boni esse volebant, Paulum a se dimittere, et sin ei nuditatem societatis aperire , certe pecuniam ejus recusare tenebantur. Cum autem Paulum ex nonnullis rumoribus antea commotum videamus recusantem, illo tertio societatis anno, dare mutuam pecuniam: cum, quo Paulus in recusatione sese acrius obfirmaret, eo vividius moderatores apud eum instasse neque per epistolam solum, sed, quia epistolae satis forte non erant, al-

terum ex moderatoribus Venetias venisse et voce obtestationes reduplicasse de fide sociorum, de societatis firmitate, de opulentia piscationis, ne dubitaret pecunias credere iis quorum fidem jam expertus fuerat per duos antecedentes annos; cum haec omnia et dicta et scripta fuisse videamus illo tertio anno, illo tertii anni mense septembris, quo clarius, quam antea, defectae societatis clades severam excitaverant animadversionem Praesidis provinciae, et conductio socialis undique fatiscens, undique nutare videbatur. Et revera, paucos post menses, per generalem decoctionem omnino corruit: hisce omnibus concurrentibus adjunctis, uti Paulus illectus ab obtestationibus, tandem flexit ad preces, et pecuniam credidit, eum pro certo habendum est a moderatoribus summopere fuisse deceptum.

Quo cum conjectos se moderatores esse sentiant, hoc diverticulum arripiunt, scilicet sese tunc temporis audivisse anguillas immensa copia sussurantes sub aquis, vividam inde affulsisse sibi spem, fore ut proxima illa autumnali tempestate qua piscatio fieri solet, tam uberrimum acceptuari essent piscationis fructum ut, per eum, et ab aere alieno sese redimerent, et multum insuper perciperent lucri. Quod si deinde res aliter quam sperabatur, accidit, casui non sibi id esse tribuendum. Quis enim expectasset casum qui omnium vota fefellit? Sed his omnibus nulla fides praeberi posse videtur. Nam de magna copia insussurantium anguillarum testes proferuntur Comaclenses illi qui, partim e moderatorum servitio erant, partim idem cum eis fovebant interesse. Tum si tanta copia erat insussurantium anguillarum ergo falsa erat obstructio canalis *di Mognavacca*, quam moderatores objecerant. Ad hoc inverisimilis esse videtur spes per moderatores exagerata. Speraverint ipsi usque ad diem 24 septembris 1826, quo a Paulo extorquere potuerunt collybisticam litteram librarum italicarum quinque millium; speraverint ulterius ad diem primam sequentis octobris, qua ab eodem acceperunt alteram litteram librarum viginti millium; speraverint etiam ad diem 15 ejusdem octobris, qua eum induxerunt ad alteram litteram librarum quindecim millium, atque spes piscationis adhuc crescebant. Imo moderatores, per epistolam ad Paulum missam, magis magisque ingeminabant adsecurationes, proximam piscationem longe fore uberiorem, quam quisque captu suo imaginari sibi posset. Speraverint quoque ille ipsa die 19 novembris, quando ultimam legimus a moderatoribus scriptam ad Paulum fuisse epistolam piscationis spe refertam.

Quando ergo spes cessarunt? Profecto, quae dies initium dedit recusationibus Pauli, eadem finem attulit spei moderatorum. Scilicet ubi Paulus de societatis inopia, de frigescente fide serio commonefactus ab amicis et a re ipsa, quod neque pecuniam, neque pisces, per venetam ditionem deinde vendendos, ad se remitti videbat, quorum pretio compensare sese posset de pecuniis a se creditis, tunc primum, die 19 novembris, firmiter moderatoribus respondit nihil ultra pecuniarum a se datum iri. Moderatores ubi id acceperunt, biduo post, nempe die 21 ejusdem mensis, cito epistola ad Paulum scripta, effundere sese in lacrymas, questus, lamentationes caeperunt; male sibi piscationem cessisse, nihil ex ea fore sperandum, quo se ab aere alieno redimerent. Ita qui biduo ante quaerebant novas pecunias, biduo post desperabant restituere veteres. Spes ergo, pari passu, progrediebatur cum conniventia Pauli. Quo haec durabat, eo usque sperabatur bona piscatio; ubi illa cessavit et renitentem se Paulus praebuit credendis novis pecuniis, cito piscationis spes abiit in auras. Et quam inepta esset spes vel ipsi moderatores cognoverant, qui in exordio anni 1821 ediderant, de more speculum de dandi accipiendique rationibus verosimiliter illo anno extituris. Peritissimi, instructissimi erant de omni re. Itaque, omnibus perpensis, introitum maximum, illo anno sperandum, supputari posse dixerant in scutis 149562. 80, exitum in pari summa. Ergo nihil lucri sperandum. Multoque minus sperari poterat, ut, per piscationis fructum dissolveretur aes alienum novum, quod, post editum illud speculum, in immani summa cum Bentio aliisque mercatoribus contrahebatur, et in illo speculo, utpote anteriori, non com-

prehendebatur. Ergo vere deceptores fuerunt moderatores, qui sub piscationis spe corra-
22 dere studuerunt pecuniam a Paulo. Actionem autem doli deceptor nullus evadere potest; *leg.* 23 *ff de reg. jur.*, *leg.* 5 *ff commod.* Quidquid autem dolo malo factum
23 est a debitore, quo res periret, aut deperderetur, detrimentum ejus est, proindeque ipse tenetur ac si nihil eorum accidisset.

Atque ita etc. utraque etc.

R. P. D. MUZZARELLI

FERRARIEN.

PECUNIARIA QUOAD SCUTA 2791. 93.

*Lunae* 27 *aprilis* 1829,

Argumento et summario non indiget.

DECISIO XXXI.

Demonstratum est in prima contemporanea decisione, Leopoldum Pilati, Josephum Mariam Patrignani et Laurentium Colognesi, qua mandatarios societatis vallium comaclensium, qua et ipsos quoque socios in solidum teneri obligatione restituendi Paullo Benz, veneto mercatori, scuta 3722. 57; quae hi ab illo mutuo acceperant die 1 octobris 1806. Idem et ob easdem rationes in hac altera decisione evulgatur, fuisse decretum quoad alteram summam scutorum 2791. 93, quam die 15 ejusdem octobris iisdem Paullus fuerat mutuatus. Nam Auditorium nostrum, confirmata sententia per ferrarienses judices lata in prima instantia, hocce hac mane in gradu appellationis edidit rescriptum: » *Esse locum praefixioni termini, quo elapso, relaxationi mandati personalis et realis pro summa scutorum* 2791. 93 *in solidum contra Leopoldum, Josephum Mariam et Laurentium, una cum damnis et expensis etiam extrajudicialibus; et extendatur decisio.* » Neque quidquam valuit exceptio per mandatarios proposita, societatem inde ab anno 1827 in decoctionem incidisse: concursum creditorum super ejus bonis fuisse coactum: ergo ad judices concursus Paullum esse amandandum. Nam Paullus eos persequitur non tam qua mandatarios, quam uti socios et ipsos in solidum obligatos. Nulla ergo ei necessitas est concurrendi coram judicibus, quia expedita ei est actio contra singulos ex sociis in solidum obligatis.

Atque ita etc. utraque ete.

R. P. D. MUZZARELLI

FERRARIEN.

PECUNIARIA QUOAD SCUTA 372. 35.

*Lunae* 27 *aprilis* 1829.

Non indiget argumento, nec summario.

DECISIO XXXI.

Actiones tres pro triplici distincta quantitate pecuniarum mutuo datarum institutae fuerant per Paullum Benz, venetum negociatorem, eademque probatae per tres distinctas sententias die 22 aprilis 1828 in prima instantia latas per judices commercii ferrarienses. Et quemadmodum confirmatis illis sententiis Ordo noster in gradu appellationis hac mane damnavit Leopoldum Pilati, Josephum Mariam Patrignani, Laurentium Colognesi, sive qua mandatarios societatis vallium comaclensium, sive qua et ipsos quoque socios ad restituendum Paullo primam et alteram pecuniae creditae summam, prout constat ex prima et altera contemporaneis decisionibus, ita eosdem et ob easdem rationes ex solidali obligatione depromptas damnavit ad restituendam tertiam quantitatem scutorum 972. 35, quam per Paullum constat die 24 septembris 1826 mandatariis illis mutuo fuisse datam. Nam hoc edidit rescriptum: » *Esse locum praefixioni termini, quo elapso, relaxationi mandati personalis et realis pro summa scutorum* 972. 35 *in solidum contra Leopoldum, Josephum Mariam et Laurentium, una cum damnis et expensis etiam extrajudicialibus; et extendatur decisio.*

Atque ita etc. utraque etc.

R. R. D. DE RETZ

ROMANA SOLUTIONIS HONORARII

*Lunae* 11 *maji* 1829.

Argumentum habes in superiori decisione XXVIII quae confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Honorarium unicum, et per modum unius, non pro rata actionum, ex stipulatione solvendum dispertiri nequit pro actionum numero quibus actor vel cantor fortuito morbo correptus non adfuit.*
2. *Leges enim vetant praemium dividi quod unicum dictum est pro certo facto, certo tempore, pendendum.*
3. *Nec honorarium actoribus promissum desinit esse unicum, nec pro rata actionum dispertiendum, ex quo solvi debeat pro quavis tempestate, si contractus plures anni tempestates complectatur.*
4. *Nec ex quo solutio facienda sit* « a quartali « *quae solventis commodum dumtaxat respicit.*
5. *Quando honorarii reductio pro rata actionum conventa fuit in casu suspensionis spectaculorum, nilque dictum de altero casu infirmitatis actoris, sequitur contrahentes in casu isto honorarium reduci noluisse.*
6. *Ex usu et consuetudine theatrorum jam ubique recepta honorarium non imminuitur actoribus et musicis in morbum casu delapsis, sive is brevis fuerit, sive diuturnus.*
7. *Quam consuetudinem evincunt plures antiquae et nuperae res judicatae.*
8. *Ancillis et famulis, qui morbo impediti brevi tempore locatas operas non praestaverint, nunquam fit illico mercedis reductio.*
9. *Multoque minus facienda actori vel cantori, qui certe inter ancillas et famulos recenseri non potest.*

## Decisio XXXIII.

Re semel atque iterum praejudicata, condemnati ad judicium rursus venere heredes Aniceti Pistoni redemptoris theatri » *Valle* » ut honorarii Aloisiae Boccabadati debiti reductionem, si fieri posset, obtinerent. Siquidem cum haec » *in qualità di prima donna assoluta* » scenicarum actionum in Urbe pro autumnali tempestate superioris anni et pro bacchanalibus insequentibus particeps esse deberet, totosque canere musicos modos, sive » *tutta quella musica e spartiti* » quos Anicetus praestitueret; cumque inopinato epiphorae et coryzae morbo correpta theatrum deserere aliquot diebus adacta fuerit, multo aestu propugnabant Pistonii locum fieri » *proporzionatae mercedis detractioni, seu remissioni ad ratam operae praestitae* ». Sed hodie non meliorem sortem experti sunt penes nostrum Ordinem, causaque tertio cecidere. Dum namque de momentis quaereretur decisionis per me vulgatae sub die 8 aprilis dudum elapsi, rescriptum prodiit: » *In decisis* », et demandata est contextim sententiae *expeditio*, altera tamen praeeunte decisione, per quam tum momenta ipsa denuo breviter referrentur, tum nova diluerentur objecta.

Quae in praeterita concertatione potissimum valuere contra Pistonios, *stipulatio* scilicet et *consuetudo*, ea hodie quoque litem adjudicarunt Aloisiae. Redit enim prae primis pactum disertissimum, per quod Anicetus » *in correspettività delli succennati obligbi* ( obligationum nempe agendi, cantandi, experimenta subeundi, sumptus minorum vestium perferendi, caeteraque adimplendi, quae Aloisia spoponderat pro toto autumni et baccanalium tempore, sive pro longo septem mensium cursu ) *promette e si obbliga dare, ed effettivamente pagare alla sudetta signora Baccabadati per suo onorario ed in premio di sue virtuose fatiche la somma di scudi* 3000 *divisi in otto rate eguali, e queste a quartali secondo l' uso teatrale, e non altrimenti* ». Hujusmodi promissiones factae
1 sunt hinc inde conjunctim *et per modum unius*; atque unica stipulatione sese contrahentes invicem devinxere. Igitur ex stipulatu honorarium dispertiri non potest pro actionum numero, queis Aloisia fortuito morbo vexata non adfuit, cum leges vetent
2 praemium dividi, quod unicum dictum est pro certo facto, certo que tempore, pendendum, veluti tradit *confirmata decisio* § 4.

Et perperam omnino inficiabantur Pistonii omnia per modum unius conventa fuisse, quia licet verbis non dictum, ex re tamen, quae verbis praevalere debet, emergit honorarium distinctum fuisse in scutatis 1500 pro qualibet tempestate. Nam inficiationem

excludit primo contractus littera, quae conceptissima per se est. Quid vero si sub unica stipulatione duo considerentur contra-
3 ctus pro duplici tempestate, *autumni* videlicet *et bacchanalium*? Res recidit eodem. Etenim pro tempestate autumni suas obligationes generaliter et conjunctim suscepisset cantatrix, atque id ipsum fecisset pro tempestate bacchanalium. Ergo unicum quoque honorarium scutatorum 1500 quavis pro tempestate redemptor promisisset. Solutio vero facienda » *in rate eguali,*
4 *e queste a quartali* » etiam in hac hypothesi, unum respicit commodum Pistonii, ne scilicet compelleretur unica solutione integrum honorarium pensitare; minime autem respicit honorarii imminutionem, si forte aliquot ab operibus praestandis, vel obligationibus implendis Aloisia abstinuisset.

Quae adeo certa sunt ut vel ipsi contrahentes per aliud distinctum pactum declaraverint solum peculiarem casum, quo praemium cantatrici promissum dividi deberet pro rata parte scenicarum actionum. Declararunt nimirum » *che in caso di sospensione proibizione, incendio, ed altri casi fortuiti, che Dio non voglia, non dovrà pagarsi dal signor impresario l'onorario di quella stagione, che a rata delle recite che saranno state fatte, oppure che si faranno, venendo rimossa una tal sospensione.* ». Sed nihil dixerunt de casu infirmitatis, ex quo Aloisia partem in specta-
5 culis habere non posset. Quomodo itaque dispertietur honorarium, quod unicum assignatum est pro certis obligationibus simul sumptis, quodque tunc tantum partiri oportebat, cum publica spectacula abrumperentur? Atque futiliter Pistoniorum oratores rursus contendebant, sub verbis » *altri casi fortuiti* » comprehendi quoque casus invaletudinis. Si enim Anicetus pacisci voluit de honorarii reductione in casu dumtaxat suspensionis spectaculorum, et altum tenuit silentium de casu altero infirmitatis, planum est consequens in casu isto honorarium reduci noluisse. Nam inclusio unius est alterius exclusio. Rem fusius insequitur *confirmata decisio* §§ 5 *ad* 8.

Enim vero non una stipulatio, sed consuetudo insuper Aloisiae jus vindicabat. Quandoquidem dubitari non potest, quin in circumstantibus regionibus, ac praesertim ubi theatra maxime exercentur, usus jamdiu invaluerit honorarium non imminuendi acto-
6 ribus et musicis in morbum casu delapsis, sive is brevis fuerit, sive diuturnus. Hinc actores ipsi, et canentes, dum Romae contrahunt, istiusmodi consuetudine contrahere intelligunt. Quam quidem consuetudinem inutiliter impugnabant Pistonii, perinde ac non sit constans, neque longo tempore servata, neque judicio confirmata. Etenim illam certissimam et universalem ostendit » *la Direzione generale dei spettacoli di Bologna* » quae perhibet » *esser massima costante ed incontroversa, che l'impresario, conduttore di una impresa, debba immancabilmente corrispondere per intiero l'onorario a quell'artista qualunque che senza sua colpa venga eventualmente preso da infermità, che lo inabiliti all'adempimento dell'assunto impegno, dopochè a termini della scrittura si trova alla piazza a disposizione dell'impresario, e segnatamente allorchè poi abbia già intrapreso il servizio teatrale.*

Idem testantur actores etiam ac socii » *dell'impresa del teatro de' Fiorentini* » in neapolitana civitate commorantes, qui profitentur » *esser stata antica costumanza comica, come lo è, che ad un attore ammalatosi di malattia naturale in una piazza, non si è mai sospeso, nè gli si sospende, il suo onorario sino alla fine della medesima, e che in Napoli fino dall'anno 1816, in cui fu stabilita la comica compagnia reale, non è stato mai sospeso l'onorario ad alcuno, non ostante che diverse malattie abbiano avuto la durata di più mesi* ». Consonant his complures actores, et canentes primi nominis, necnon redemptor teatri florentini » *della Pergola* », qui imo contra proprium commodum testimonium dicit. Denique consuetudinem ipsam satis superque evincunt per-
7 multae antiquae et nuperae resjudicatae veronenses, brixienses, panormitanae, parisienses et romanae, de quibus meminit *praeterita decisio* §§ 9 *ad* 11, quasque frustra elidere conabantur Pistonii aliis judicatis rebus, quae aut non pertinent ad praesentem

speciem, aut prolatae sunt a judicibus sub dominatu exterae legis, quae consuetudinem delevit. Atqui, consuetudine perstante, fieri sane non poterat ut cantatricis honorarium resccaretur.

Fortius quia, si ipsa inopinato morbo correpta est, reapse theatri redemptor non omni culpa vacavit in ejus invaletudine, prout animadvertit *laudata decis.* §§ 13 et 14. Quam quidem culpam haud abstergit novissima declaratio magistratus spectaculorum quoad tempus questuum Aloisiae, quia non excludit adesse in theatro » *al di sopra del palco scenico* » plures seclusas fenestras » *per le quali s' introducevano correnti di aria pregiudizievoli alla salute de'cantanti* ». Fortius etiam quia cantatrix fortuito morbo affecta paucis tantum ab actionibus sese abstinuit. At *si modico tantum tem-*
8 *poris spatio famuli aut ancillae valetudine impediti non per omnia operas promissas impleverint, non statim ob id deductionem ex mercede eorum facere oportet* » ut monet *Voet. in pandect. lib.* 19 *tit.* 2 *num.* 27; multo magis aliquid Pistonius indulgere Aloisiae debebat, quae certe
9 cum ancillis et famulis non erat comparanda. Videsis *Zaul. ad statut. favent. rubr.* 58 *lib.* 4 *numer.* 18, *Costantin. vot. decis.* 375 *num.* 37 *tom.* 3 *et Rot. in decis* 1041 *num.* 27 *et seqq. coram Molines.*

Et ita etc., utraque etc.

**R. P. D. RUSPOLI**

ROMANA SOCIETATIS SUPER RESEVATIS

*Veneris* 5 *junii* 1829

ARGUMENTUM

Quando agitur non de mutuata, sed de pecunia communi, in quaestu collocata vel collocanda, ad fructus ex ea rite condicendos opus non est interpellatione requisitorum castrensium. Alteri autem ex contrahentibus imposito munere pecuniae, ad lucrum faciendum collocandae, rite constituitur certa fructuum ratio: inest enim alea, dum qui negotium suscepit, si minus, potest etiam lucrum percipere quod multo majus sit constituta fructuum quantitate. Dodrans fructus cum negociatore conventus probatur. Semper autem improbatur quarumcumque usurarum pactio ex simplici dilatae solutionis causa.

*SUMMARIUM*

1. *Recte fructus condicuntur ex paecunia, quae, negociatori tradita fuit ita occupanda ut quaestum suppeditaret.*
2. *Citra autem expressam conventionem ex ipsius rei natura et necessitate contrahentium voluntas evincitur pecuniam ad quaestum faciendum collocandi.*
3. *Aque eo magis fructus legitime condicuntur si reapse pecunia ipsa in quaestum occupata fuit.*
4. *Requisitorum castrensium interpellatio ad condicendos fructus requiritur in mutuata pecunia, non autem in ea quae in quaestu collocata fuit vel erat collocanda.*
5. *Fructum prestandorum obligatio oritur ex sola collocandae pecuniae necessitate.*
6. *Alteri ex contrahentibus pecuniae collocandae ad lucrum faciendum munere imposito, rite recteque certa fructuum ratio constituitur.*
7. *In hoc enim alea committitur, quia qui negotium suscepit uti plus, ita ex collocata pecunia percipere potest quod minus sit promissa fructuum quantitate.*
8. *Dodrans fructus haud nimius videtur a negociatoribus promissus, qui facile ex pecunia majus compendium sibi comparare possunt.*
9. *Usurarum pactio ex simplici dilatae solutionis causa illicita semper est, et a nostris legibus reprobata.*
10. *Neque fit licita, ex quo etiam probetur debitorem ex pecunia, cujus dilata fuit solutio, lucrum accepisse.*

## Decisio XXXIV.

Cum Paullinae Burghesiae faeminae principis morte census esset interceptus, quem ad ejus vitam duraturum Dominicus Arcieri et Andreas Baldini mercatores ex capite scutatorum nummum quindecim millium praeclarissimae suppellectilis pretio iniverant, rem esse cum advocato Josepho Vannutelli communem professi, conspicuum pecuniae caput bipartiri debebat, ut dimidiam Vannutellius partem ab Arcierio et Baldinio consequeretur, qui a die contracti census, dodrante ita usura constituta, illud retinuerant, ut quod reliquum esset ad annuam scutatorum duorum millium pensionem Burghesiae praestandam aequis portionibus hinc a Vannutellio, illinc ab Arcierio et Baldinio solvendum foret. Sed annum quem mercatores ad solutionem petebant, quia pecuniam in negotiatione occupatam haberent, semissem interea fructum praestituri, facile Joseph concessit.

Cum vero biennium fere praeteriisset, nec quidquam Arcierius et Baldinius ex sorte solvissent, eo quin immo progressi ut contenderent Vannutellium non ultra summam scutatorum 4627, et obolorum sexaginta septem pro solido nomine ab se condicere posse, quippe id omne in sortem esset conferendum, quod ex male pacta sive dodranti, sive semisse usura perceperat, Vannutellius eos ad judices rapuit de rebus ad commercium pertinentibus jus ex priori actione dicentes. Horum porro sententia fuit ut summam illam mercatores nulla mora rependerent, quam ultro sese debere significaverant, ampliato quod ad reliquum spectaret judicio. Nec secus novissime censuit sacer Ordo, ad quem universum ex provocatione negotium delatum est. Siquidem hujus jussio fuit » *esse locum solutioni pro nunc scut.* 4627. 67, *et quoad imputationem usurarum in sortem videatur particulariter.* » Rem late expositam in decisione praestat videre, quam anno superiori kalendis decembribus in causa *Romana societatis* evulgavi. Quaestione deinde ea ex parte finita, quippe res orta sit judicata, curavit Vannutellius ut de eo institueretur disputatio, quod seorsim Patres cognoscere voluerunt. Quare cum eos hodie in proposita re rogassem, responsum accepi: »*Esse locum solutioni fructuum usque ad exitum vitalitii, et extendatur decisio.*

Recte fructus capiti scutatorum quindecim millium praefinitos apocha fuisse, qua cum censum ab Arcierio et Baldinio cum Burghesia contractum Vannutellio communem significatum est, atque huic esse proinde jus
1 ipsos condicendi quoad census stetit, ex hoc facile perspici poterat, quod conspicuum pecuniae caput mercatoribus Arcierio et Baldinio traditum fuit, ita occupandum ut quaestum suppeditaret. Qua de re quamquam apertis verbis inita conventio non sit, adeo tamen certa et efficax a pactione manat, quae mercatores inter et Vannutellium intercessit, ut nihil supra desiderari valeat. De censu
2 enim agebatur ad foeminae principis vitam duraturo, cui egregia vis scutatorum nummum duorum millium in singulos annos erat solvenda. Quamobrem fieri nequaquam potest ut conspicuum pecuniae caput, ex quo ingens illa pensio quotannis, Burghesia vivente, praestanda erat, tam Vannutellius, quam Arcierius et Baldinius otiosum in arca tenere vellent, ut si deinde Burghesia adhuc aetate florens septimum et dimidiatum tantummodo annum attigisset, nullum, pecunia in arca manente, quaestum, non exiguam alioquin jacturam si paucos praeterea annos, immanem vero facerent si plurimos vitam duxisset. Ne itaque mercatores et Vannutellius, qui negotium in commune lucri faciendi caussa contraxerant, detrimentum caperent, quod facillimum erat et gravissimum esse poterat, ita necessario pecuniam occupare debebant ut talem quaestum ex ea sibi compararent, qui nisi solidam Burghesiae praestandam pensionem, compendium quod haberi posset maximum quidem daret. Hoc profecto animo et Vannutellius pecuniam penes mercatores reliquit, et mercatores receperunt atque retinuerunt.

Quae cum ita sint perperam sive contractus ad Burghesiae vitam duraturi, sive supellectilis, sive etiam pecuniae sterilitas ad fructum quemlibet submovendum objiciebatur. Non enim hunc edere contrahentes voluerunt vel contractum illum, vel supellectilem, quod esset ridiculum, sed neque pecuniam qua pecuniam in arca reconditam; verum pecuniam quidem in negotiatione a mercatoribus collocatam quae sterilis non amplius erat. Sin vero Arcierii, Baldinii et Vannutelli pecuniae in quaestum occupandae fuit certissima voluntas, eaque potissimum de re mercatoribus tradita, quibus fructuosae collocationis facilior occasio, ineluctabile mercatorum praeterea factum accedebat, qui pecuniam in negotiatione reapse collocaverunt. Siquidem, censu Burghesiae morte intercepto, cum dividi caput quindecim millium scutatorum ex pacto deberet, ut dimidiam Vannutellius partem consequeretur, annum ad id faciendum Arcierius et Baldinius postularunt nominatim professi »
3 *questo capitale al presente trovasi in giro di commercio* «. Quapropter si non voluntate solum contrahentium in quaestum occupari pecunia debebat, sed reapse Arcierius et Baldinius mercatores occuparunt, ut annum petere debuerint qua Vannutellio debitam partem rependerent, injuria profecto fructum huic tribuere detrectabant,

quem optimo jure ex pecuuia in negotiatione collocanda promiserant.

Atque incassum contendebant, non recte fructus pecuniae condici, ubi requisita, quae dicimus castrensia, denunciata legittimo mo-
4 do non fuerint. Haec enim locum habere in mutuata pecunia, neque vero in ea quae in quaestu collocata fuit vel erat collocanda, facile quisquam percipit. Siquidem exploratissimi juris sit, ex sola collocandae pecu-
5 niae necessitate praestandorum fruetuum obligationem oriri. Sed Vannutellius nihil dedit mutuae pecuniae Arcierio et Baldinio mercatoribus satis divitibus, qui ipsi affirmabant nullum sibi mutua pecunia opus fuisse. Non enim dimidium capitis scutatorum quindecim millium in Arcierium et Baldinium, proprietate a se alienata, uti in mutuo fit, Vannutellius distraxit: quippe is non magis unius quàm alterius dimidii dominus erat, non aliter profecto ac ipsi Arcierius et Baldinius. Oblivisci siquidem non debetur, in commune contractum ab Arcierio, Baldinio et Vannutellio fuisse negotium, ut commune ex eo lucrum vel detrimentum esset; proptereaque indivisum eos omnino caput voluisse quoad Burghesia viveret, ut solidum singulis aeque pertineret, nec partem sibi quisquam vindicare posset nisi cum dies venisset quo ex pacto dividi deberet. Rem ita gestam, solidumque caput singulorum aeque proprium mercatoribus traditum apertissima pactionis littera ostendit, qua cautum fuit » *Arcieri e Baldini riterrà il capitale che sarà ritratto dalla vendita del Vermeil* »; nominatim vero additum: » *mancando la persona sulla quale è costituita la rendita vitalizia, il capitale costituente la medesima sarà ugualmente diviso per metà per ciascuno in due porzioni uguali da conseguirsi dopo che la stessa rendita vitalizia sarà cessata.* » Sin ab inito cum Burghesia censu singuli partem acquisivissent, perperam pacto constituebatur ut solidum caput mercatores tenerent, atque tum solum divideretur, cum census amplius non consisteret, singulique partem consequerentur; sed potius mercatoribus dimidium suum tum a se repetendum, cum census esset sublatus, credere Vannutellius debebat. Ad hoc insuper accedit quod fructum ipsum dodrantem non in capitis dimidio, sed in solido constituerint contrahentes qui dixerunt » *fissato l' interesse annuo del capitale sociale* ( quod probe animadvertendum ) *alla ragione del nove per cento* ». At si divisum illud ab initio, ut dimidia Arcierio et Baldinio pars, altera Vannutellio quaesita fuisset, quid Vannutellii intererat fructum in aliena parte stabilire? quid ipsorum Arcierii et Baldinii in sua? nonne fatua propemodum fuisset pactio? Cum igitur videamus indivisum caput a contrahentibus relictum, cum solido datum fructum, cur iniquam usurarum conventionem exinde arguire libebit, nec aequissimam potius pactionem, quae a contrahentium voluntate et scripto manifestissime dimanat? quibus nimirum propositum fuit commune scutatorum quindecim millium caput habere quoad census consisteret, illudque solidum in quaestum occupare, ut fructuosum singulis esset.

Sed, munere pecuniae collocandae ad lucrum faciendum alteri ex contrahentibus im-
7 posito, rite recteque certa fructuum ratio constituitur: sic enim alea et aequus hinc inde contractus committitur, quo si qui negotium sibi suscepit majori fructuum praestationi quam ipse percipiat, obnoxius sit, contingere etiam potest ut multo minus
7 det eo quod ipse lucretur. Ex quo facile quidem perspicitur quam perperam Arcierius et Baldinius obtruderent, iniquam fuisse contrahentium conditionem. Siquidem ipsi jacturam facere potuissent, Vannutellius vero lucrum tantummodo, qui improbum illius generis negotium contraxerit, quod » *a capo salvo* » dicitur. Namque tum solum in iniquam disparitatem contractus vergere potuisset, cum, negotio in commune contracto, caput scutatorum quindecim millium in arca reconditum Arcierius et Baldinius tenere debuissent. Sed cum e contrario in quaestum illud occupare deberent, et re quidem vera occupaverint, quaelibet plane iniquitas et usuraria pravitas exulat, non aliter profecto ac abest ab obliquo collybi contractu, et ab imperfecto illo pecuniae deposito, quod cum argentariis in dies perficitur.

Haec Patres expendebant ut Vannutellii actionem in eo probarent, quod dodrantem, censu consistente, fructum respiceret, quibus ne nimius quidem videbatur, quippe a negotiatioribus ultro promissus, qui haud difficiliter majus sibi compendium comparare potuissent; eo vel magis quia fiscalium reddituum emptione, uti Vannutellio propositum erat, collocari caput comodissime poterat, qui longe grandiorem quaestum suppeditabant. Sed nullum contra fructum a Josepho post obitum Burghesiae condici posse censebant, quamquam Arcierius et Baldinius, syngrapha octavo kalendas sextiles anno 1825 scripta, illum in usura semisse polliciti sunt. Etenim cum ex primaeva conventione, censu per mortem foeminae principis, intercepto, caput dividere deberent, ut dimidiam partem Vannutellio darent, cumque id in praesentia non possent, quod pecuniam in negotiationibus colloeatam haberent, ut annum ad dimidiam illam partem Josepho praestandam postulaverint, semissem illam usuram interea se daturos promittentes; manifeste patebat in praemium dilatae solutionis ad rependendum fructum hunc mercatores sese obligasse. Quod adeo verum est ut voluerint etiam ante praestitutum annum, si commodum esset, pluribus solutionibus debitam pecuniam Vannutellio numerare. Sed usurarum ex simplici dilationis causa pactionem semper jura nostra reprobarunt: quippe sit nimis charitati contraria, quae humanae societatis fundamentum constituit. Neque reponendum erat, pecuniam a mercatoribus teneri, qui fructuosam negotiationibus illam efficiunt. Etenim, censu amplius non consistente, cum dimidiam capitis partem Vannutellio tradere, adeoque a negotiationibus distrahere cogerentur; ratio tum subito deerat pecuniae in quaestum occupatae, ex qua tantummodo fructum praestare tenebantur. Quin immo nec ostendere prodesset aliquid lucri Arcierium et Baldinium capere potuisse » non enim id sufficeret procul a legitimo fructus constituendi modo, quem ab illa anni 1825 syngrapha prorsus abesse constabat.

Quod si haec urgebant ut eo, quem ad solutionem petierant, anno vertente, nullum Arcierius et Baldinius fructuum rependerent, ne postea quidem praestare ex mora tenebantur, quae sola fructus gignere non valet.

Et ita etc. utraque etc.

### R. P. D. BOFONDI

PISAUREN. RESCISSIONIS SOCIETATIS

*Lunae* 15 *aprilis* 1829

ARGUMENTUM

Societas rescinditur deficiente conditione sub qua inita fuit, vel cessante ejus causa finali.

*SUMMARIUM*

1. *Ex commerciali lege competit semper appellatio ab arbitrorum judicatis, nisi ei nunncium missum fuerit.*
2. *Societas sub conditione inita penitus rescinditur si conditio non existat.*
3. *Eoque magis si deficiat causa finalis qua duntaxat contrahentes ad eam coeundam excitati fuerunt.*
4. *In societate utilitas nunquam datur nisi impensis detractis universis.*

## Decisio XXXV.

Societatem super opificio vitrorum jam prius coitam inter Josephum Piave et Guerinum Guerini, hoc inde a contractu recedente, septembri mense 1826 cum ipso Piavio coiverunt fratres Scacciani, cuncta acquirentes quae in eo opificio extabant. De contractu convenit duraturo ad novem annos, utque deberet Piavius » *essere il direttore di detta fabbrica* », dum interim pecuniae omnes ad manutentionem, exercitiumque illius fabricationis necessariae deberent » *senza aggravio alcuno del signor Piave* » a fratribus Scaccianiis rependi. Convenitque itidem ut lucra, vel damna in tres partes dividerentur, quarum duae ad Scaccianios, tertia ad Piavium spectaret. Ut autem calculatum fuerat » *che la lavorazione delle casse vetri costar debba al più alto prezzo scudi otto alla cassa, tutto compreso* » inter socios quoque art. 10 convenit ut, *ogni qualvolta il costo delle medesime nella nuova lavorazione ecce-*

*desse questo limite, sarebbe provata l'identica perdita, per cui resterà sciolta la società perchè mancante di speculazione vantaggiosa* ». Unde pro praecipuo pacto fuit *art.* 11 adjectum » *che ogni qual volta l'esperimento della nuova fabricazione non portasse l'identica utilità, ma all'opposto della perdita, in tal caso resta in libertà a qualunque delle parti di recedere da questa società, e di lasciar libera la fabrica col rinfranco sempre della porzione dei danni avuti non che delle levate già estratte.* Fuit demum conventio aliis superioribus adjuncta, obligari Piavium » *d'istruire li signori fratelli Scacciani e compagni nel fare le composizioni di lastre ordinarie, cannoni e cristalli, e dimostrata ad evidenza la utilità del fare la composizione per li cannoni e cristalli, li sudetti gli faranno regalo proporzionato alla utilità dell'operazione* ». Quarum quidem conventionum executionem expresse promiserunt contrahentes » *sottomettendosi in caso di discordia alla decisione di due arbitri amici, ed, occorrendo ancora, di ricorrere al terzo per la ultimazione di ogni pendenza.*

Rebus sic constabilitis, conventum factum est experimentum, infausto tamen omine, quum impensa ascendisset ad summam valde majorem » *di scudi otto alla cassa* ». Sed negotio semper in deterius abeunte, quaerelae adversus Piavium insurrexerunt sociorum, fuitque tunc is non leviter excitatus ut diversam adoptaret fabricationis methodum. Ast ipsemet renuente ejusmodi amplecti consilium, rumores evenerunt ac dissidia unde non bene fortassis idem animum intendens in promissa, abscessit ab opificio ad fratres Scaccianios remittens claves. Posterius coram Pisaurensi tribunale commerciali Scaccianios vocavit in jus, ut manutentio sibi concederetur in opificii possessione, quam tamen et tribunal illud et sacrum Auditorium denegavit utpote nullimode constabat de possessione subversa. Eodem vero in commerciali Pisauri tribunali fratres Scaccianii instruxerunt judicium pro societatis rescissione, ad quam instantiam ii, judices, juxta dispositum codicis commercialis, et juxta pactum adjectum, arbitros destinavit unum unicuique qui quaestionem definirent »*salvo l'appello*». Discordes arbitri fuerunt in judicando reperti, dum alter declaravit societatem rescissam: atque alter non admissibilem pronunciavit petitionem rescissionis, declarans tamen scut. 560 debitorem Josephum Piavium erga Scaccianios fratres.

In istiusmodi discrepantia electus fuit tertius *arbitro ed arbitratore* advocatus Maximinus Morosi, qui societatem confirmavit resolutam. Atque tunc, diligenter perquisitis codicibus Scaccianorum accurateque dispunctis partitis experimentum respicientibus, Morosius ipse reperiit quod » *le cento ventuna cassa di lastre fabricate nell'esperimento portano il costo di ciascuna a scudi* 10. 98. 11 ½, *e così scudi* 2. 98. 11 ½ *oltre li scudi* 8 ». Declaravit autem, renunciavitque Piavium favore fratrum Scaccianii in octingentis duobus nummis debitorem, ac executorium redditum est laudum istud praefati sententia tribunalis Pisauri. Institit exinde Piavius, petiitque a sacro Auditorio laudi circumscriptionem una eum sententia adnexa, sin minus judicati revocationem, atque declarationem quod continuaret utique contractus societatis, utpote minime rescissus. E converso Scaccianii postularunt moderationem appellationis intendentes non modo non subdi circumscriptioni judicatum praedictum, sed nec appellationis quidem interpositioni locum dari. Proposita fuit caussa in comitiis diei 8 superioris aprilis, prodiitque rescriptum: » *Nihil de circumscriptione, in reliquis videatur particulariter, coadiuvatis probationibus, et expediatur* ». Noviter hodie autem subfuit caussa discussioni, quoad *sententiam arbitramentalem*, quaesitumque per me fuit a Patribus, num rescissa societas inter Scaccianios et Piavium esset, nec ne censenda, a quibus accepi responsum: » *Esse locum rescissioni, reservato jure Josepho pro executione articulorum* 11 *et* 12 *apocae, et extendatur decisio.*

Non erat quippe amplius disceptandum de nullitate et circumscriptione *arbitramentalis sententiae*, quum haec exceptio jam prius fuisset plene rejecta et amandata: ut et pariter non amplius disceptandum de appellatione ab eadem sententia non admittenda,

eo quod Morosius judicavit tamquam *arbitrator* ; quum appellatio ab arbitrorum judicatis , nisi renunciatio interfuisset , sicut reapse in proposito non interfuit , competat semper cuiquam juxta codicem commercii. Missis itaque hisce omnibus , inspiciendum dumtaxat ad praesens proponebatur de societatis vitrorum continuatione , vel rescissione , de qua pronunciaverat arbiter judex, atque jure optimo eamdem rescindendam esse Patres censuerunt, reservato jure Josepho Piavio pro executione articulorum 11 e 12 apocae. Congruum namque dignoscebatur rationi justitiae , resolutam dici initam ejusmodi societatem, semel ac cessabat *substantialis* ejusdem basis et scopus. Reque vera edocti Scaccianii ab exitu societatis coitae inter Piavium et Guerrinium , nedum a fabricatione peracta Piavii disciplina ac directione mense aprilis 1826 cautos sese reddere voluerunt in apoca societatis constitutae die 17 successivi mensis septembris, et idcirco convenerunt ut quoties in societate utilitas deesset et comperiretur jactura , quod utique declaratum fuit eventurum » *ogni qual volta il costo delle casse nella nuova lavorazione eccedesse il prezzo di scudi* 8 *alla cassa, tutto compreso* » remaneret eo casu societas rescissa , tamquam sperato destituta compendio » *resterà sciolta la società , perchè mancante di speculazione vantaggiosa* » meliusque stabilitum *artic.* 11 » *per base sostanziale del contratto si stabilisce fra le parti che, ogni qual volta l'esperimento della nuova fabricazione non portasse l' identica utilità , ma all' opposto della perdita, in tal caso resta in libertà a qualunque delle parti di recedere da questa società , e di lasciar libera la fabrica.*

Ergo non poterat in themate non esse locum societatis rescissioni, dum aberat omnino contemplatus in contractu quaestus, quum hic esset scopus , conditio , causa finalis et basis substantialis contractae societatis, quumque societas inita sub conditione rescindatur penitus si conditio non existat, habeaturque contractus ipse aeque ac si non extitisset
2 unquam *text. in leg.* 14 *ff. pro socio* , *Vinn. comm. ad instit. tit. de verb. obligat.* § 4 *num.* 5, *Mant. de tacit. et amb. lib.* 6 *tit.* 23 *num.* 39, *Rota coram Caprara decis.* 651 *num.* 18 *et in Urbevetana locationis* 6 *maii* 1803 § 3 *coram eminentissimo Bussi.* Eo vero magis argumentum rescissionis crescebat in specie quia hic non agebatur de simplicis defectu conditionis , sed de defectu causae finalis, qua scilicet unice fuerunt contrahentes excitati ad societatem coeundam, expresse significantes eam causam per ipsos habitam tamquam *base sostanziale del contratto* » , quod
3 videlicet deficiente quolibet lucro , atque damno eveniente , liberum statim esset cuique socio dissolvere societatem coitam » *perchè mancante di speculazione vantaggiosa* » *Rota coram Ansaldo decis.* 415 *num.* 3 *in recen. decis.* 23 *num.* 17 *part.* 15, *decis.* 138 *num.* 7 *part.* 18, *decis.* 87 *num.* 12 *part.* 19 *et decis.* 142 *num.* 21 *ead. part.* 19.

Satis autem perspectum esse Patres censuerunt , factum experimentum adversum evenisse expectationi votisque sociorum. Laminiae quippe vitrae repertae sane non fuerunt melioris qualitatis , atque de hoc fidem perhibebant non ambiguam querimoniae negotiatorum , quibus eae fuerunt divenditae, itidemque testes non pauci idem deponentes , atque discessus ipsiusmet Piavii ab opificio, profluens adamussim ab offensionibus et jurgiis exortis inter socios , quia res et negotia exitum propositum non haberent. Monstrabatque hoc manifeste computum expensarum expletarum pro absoluto experimento. A sententia porro arbitratoris Morosi claro apparebat expensas ipsas multum excessisse pretium praestabilitum ut maximum cuilibet laminarum capsae. Evexit ipse equidem cujuslibet capsae valorem ad scutata 10. 98. 11½, dum in apoca sociali expressum legebatur » *che la lavorazione delle casse vetri costar debba al più alto prezzo scudi* 8 *alla cassa, tutto compreso , ed ogni qual volta il costo delle medesime eccedesse questo limite, sarebbe provata l' identifica perdita , per cui resterà sciolta la società.* ». Inaniterque adducebantur a Piavio nonnullae exceptiones adversus computum exhibitum a fratribus Scaccianiis. Quando quippe in comitiis diei 8 aprilis nuper effluxi discussa fuit

causa, admittebat Piavius sumptus pro experimento peractos assurgere ad scuta 907: 98: 9: 2; hodie autem eos restringit ad sola scutata 891: 78. Porro in utroque casu non deerat ingens summa, ut perveniretur ad superandum valorem capsae cujuslibet praeter illum praefinitum in octo scutatis. Centum viginti unae capsae erant laminarum constructarum tempore experientiae proindeque expensae praetergredi nunquam debuissent summam scutorum 968. Discrimen tamen istud facile evanescebat, si considerentur partitae a Piavio detractae ab expensis debite adscriptis experimento. Et sane tentabatur ab experimento excludere expensas » *di primo impianto della fabbrica* », cui tamen opponebatur explicita conventio; quum sociali in apoca legeretur fabricationem vitrorum » *costar debba al più alto prezzo scudi otto alla cassa, tutto compreso* ».

Atque ratione ipsi naturali maxime cohaerebat quod in experimento adamussim instituto ut cognosceretur num utilis, vel non utilis esset societatis continuatio, ratio habenda esset omnium impensarum speciei cujuslibet explendarum » *per l' andamento ed impianto* » fabricationis ipsius, utpote quia utilitas unquam non datur, nisi impensis detractis universis. Illud vero erat ulterius in specie ponderandum quod, cum a Piavio nil aliud in societatem immitteretur praeter propriam industriam, magis magisque censendum erat socios calculare voluisse omne genus impensarum ad experimenti cognoscendam utilitatem, cujus si sumptus fuissent » *di scudi otto per ciascuna cassa di lastre* » illis exclusis » *d' impianto della fabrica* » reperta haud fuisset utilitas illa quae unice quaerebatur; quin immo fratres Scacciani speciatim incidissent in jacturam evidentem. Nec subsequentes apocae articuli, quibus Piavius innitebatur ut sustineret imputandos esse suo debito sumptus hosce » *d' impianto* » in generali computo, ullimode excludebant ut iidem calcularentur pro mensura habenda experimenti utilitatis, atque solummodo patefaciebant pro ejusmodi sumptibus nequire, societate durante, molestiis affici peculiariter Piavium, reintegrationem repetendo eorumdem sumptuum modo diverso ac qui conventus statutusque fuerat respectu generalis computi.

Praeter haec excludebat et Piavius in integritate a Scaccianiis calculata, atque a Morosio arbitratore admissa, tres partitas respicientes » *il vetro, la fritta e saldume, e la legna* » quae genera pro fabricatione fuerant in experimento consumpta; fulcro unico innixus quod genera eadem calculata in fabricatione praecedenti fuerant minori in valore, quam qui in actuali computo conspicitur exhibitus. Verum ratio isthaec Patribus dominis visa est non gravis et attendenda, sed immo frivola non parum et levis. Pretium quippe rerum non semper servatur idem, nec mirum habetur genera praedicta pretio majori acquiri debuisse, quam quo empta fuerunt anterius. Aliunde vero emergunt a libris Scaccianiorum generum pretia ista, quin existimari valeant adulterata, cum de rebus ageretur acquisitis quando Piavius fabricationi praesidebat, eratque proinde bene instructus, ac consentiebat emptionibus quae fiebant pro eodemmet opificio. Et quoad quantitatem » *della legna* » consumptam durante experimento moveri haud potuerunt Patres ex Piavii assertione ad fullo pacto immutandum quod Scaccianii probaverant coram arbitris judicibus. Asserebat utique Piavius juxta generalem regulam consumptionem lignorum ad illud opus nequire esse, nisi » *di pasa 43 e tre quarti* », dum e converso fratres Scaccianii et arbitrator Morosius quantitatem ipsam praefinierunt *in pasa* 57 e *tre quarti*. Ast sacrum Tribunal ratum non est regulam generalem a Piavio assertam posse mereri multam fidem, eo magis quia in praesenti casu fabricatio expleta a Piavio non quadrat generalibus regulis, ut ipsemet sustinere intendit. Diversis modis fiunt vitrorum fabricationes, atque Piavio placuisset invehere ex illis in ditionem ponticiam unum penitus novum. Ergo non valebat ipse desumere probationem solidam et gravem a regulis generalibus depromptis ex fabricationibus a sua penitus diversis. Consumptionem vero lignorum in experimento, de

quo agebatur, majorem ordinaria fuisse evincebat unisona depositio omnium operariorum ipsiusmet vitrarii opificii.

Eliminatis hisce omnibus, aut etiam aliqua solummodo ex iis inanibus Piavii rationibus, evidenter constabat majorem sane expensam scutatis octo pro qualibet capsa laminarum fabricarum importare societati praedictam vitrorum fabricationem; unde extitisse vere noscebatur casum et conditionem praevisam in apoca mensis septembris 1826 pro rescissione et dissolutione societatis. Inappositum autem censuit sacrum Tribunal post enucleata rationum momenta innumeras partitas singillatim ad praecisum examen revocare, quas Piavius opinabatur moderari in computa Scaccianiorum, quoniam tametsi eaedem admitterentur ex toto, non perimerent nihilominus eam exuberantiam et excessum, quem comperiebatur importasse in experimento ultra scutata octo pro capsis singulis pretium certe, ad quod ascendere debebant, majus. Istiusmodi siquidem partitae, etsi numero plurimae, non important tamen nisi tenuem summam in earum complexu, atque reapse non deminuerent nisi in parte exigua illum excessum impensarum fabricationis, qui juxta judicium arbitramentale Morosi ad scutata 378: 47 evehitur.

Profecto defensores ipsi Piavii praecipue susceperunt propugnare Scaccianios non valere aliter a societate excludere Piavium, quia in articulo undecimo apocae socialis statutum luculenter fuit quod, quoties experimentum non fuisset utile, atque e contra attulisset « *della perdita, in tal caso resta in libertà a qualunque delle parti di recedere da questa società* »: atque in successivo *art.* 12 stabilitae fuerunt appositae normae, quibus istiusmodi dissolutio deberet expleri. Propugnabant hinc quod, si Scacciani societatem existimabant non utilem, nequibant Piavium expellere, sed solummodo ipsimet abscederent ab ipsa, ut aperte legebatur praefata in apoca. Patres domini tamen rati sunt non esse hic locum istiusmodi quaestionem decidendi, cum ea non sit reapse nisi rescissionis societatis pronum consequens. Reque vera quousque agnitum non esset jacturam subivisse in experimento societatem, locum nequibat sibi vindicare discussio ac definitio ejusdem quaestionis. Atque idcirco, prudenti admodum consilio, quoad hanc partem censuerunt ipsimet Patres integra relinquere et reservare cuilibet ex partibus respectiva jura, rescripto jubenti societatis rescissionem adjicientes » reservato jure Josepho pro executione *articulorum* 11 *et* 12 *apocae.* »

Et ita jus redditum fuit a Patribus hodierna die, valide decertante parte utraque.

**R. P. D. MUZZARELLI**

FERRARIEN.

PECUNIARIA QUOAD SCUTA 3722. 57.

*Veneris* 31 *julii* 1829.

ARGUMENTUM

Revocata superiori decisione XXX, quae vera sit anonymae societatis natura, quidque a lege requiratur ad solemnem ejus publicationem, late discutitur atque firmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Ex jure tres sunt societatum commercialium species, societas nempe* in nome collettivo, *societas* in accomandita, *atque societas* anonyma.
2. *Societas* anonyma *haud instituitur sub nomine quodam sociali, neque sub nomine unius ex sociis.*
3. *Sed distinguitur et in commercium deducitur per notionem depromptam ex ejus fine et destinatione.*
4. *Administratur autem a mandatariis, qui sint temporarii et revocabiles, iidemque socii vel non socii, cum stipendio vel gratuiti.*
5. *Atque ejus caput dispertitur* in azioni.
6. *Distinguitur ex jure inter eam societatem cujus caput est indefinitum, et alteram cujus caput est certis praefinitum limitibus, ita ut in hac quisque socius praeter quantitatem quam habet in sociali capite, non teneatur; secus in illa.*
7. *Quando cuncta confluunt anonymae societatis extrema, et potissimum praefinitio capitis socialis, societas habenda est anonyma etsi socii talem explicitis verbis non declaraverint et* n. 10.
8. *Illud semper jus valuit ut, ubi circumscriptum esset caput societatis, intra illud et non ultra coercerentur obligationes sociorum.*
9. *Quod clarius quoque sanciverunt novissimae commerciales leges.*
10. *Ut anonyma societas vim habeat et effectum, in vulgus mercatorum prodire debet per publicationem.*

11. *Lex in anonymae societatis publicatione requirit in genere « atti pubblici » quin descendat ad speciem, aut mentionem faciat de instrumento notarili.*
12. *Instrumentum a tabellione scriptum et penes ejus acta adservatum altera est actorum publicorum species.*
13. *Ejusdem autem generis species sunt scripturae quae fiant vel a praeside provinciae, vel a decurionibus civitatum, vel a judice.*
14. *Hinc hisce pariter constituitur, et legitime in vulgus editur, societas anonyma.*
15. *Praesertim si accedat supremi principis approbatio.*
16. *Cardinales in ditione pontificia ubi ex Urbe missi ad regendas provincias accedunt, ordinariis facultatibus pollent cunctos per se probandi comunitatum contractus.*
17. *Confirmatio anonymae societatis, quam lex requirit, nulla solemnior et praestantior esse potest ea quae ab ipso supremo imperante proficiscitur.*
18. *Haud verum est legem praescribere ut publicetur, et insinuatio fiat intra quindecim dies a contracta anonyma societate, et post elapsum hunc terminum nefas sit amplius insinuare.*
19. *Etsi vero lex hunc terminum constituisset, ei tamen satis factum videretur, dummodo insinuatio, quamvis post illum elapsum, peracta fuisset ante litis contestationem citra damnum et fraudem.*
20. *Fortius si postea accesserint publicae agnitiones.*
21. *Indoles cujuscumque judicii ab instituta actione desumitur.*
22. *Societatis administratores ex eorum administratione, quoad ejusdem societatis obligationes, nec personaliter, nec solidaliter tenentur.*

## Desisio XXXVI.

Cujusnam speciei esset societas de piscandis mercandisque piscibus et anguillis vallium Comacchi, quae, sumpto initio die prima januarii anni 1824, duratura erat ad novennium, de hoc acris exarsit, et adhuc fervet controversia. Paulum Benz, venetum negotiatorem, inter et Josephum Mariam Petrignani, Leopoldum Pilati, Laurentium Colognesi, generales illius societatis mandatarios seu, uti ajebant, moderatores. Ille, quo expedita sibi suppeteret actio condicendi in solidum a singulis sociis seorsim sumptis pecuniam a se per tres litteras cambiales mutuo societati datam in quantitate scutorum 7486: 85, contendebat societatem fuisse *simplicem*. Ex opposito tres moderatores, ne tenerentur solidali illa actione in se singulos instituta, tuebantur societatem fuisse *anonymam*, et idcirco bona non sociorum, sed societatis solius excutienda esse. Judices mercatorum Ferrariae primum in prima instantia, tum Auditorium nostrum in gradu appellationis concesserant in vota Pauli; illi per mandatum executivum die 22 aprilis 1828 contra singulos tres moderatores, uti obligatos in solidum, expeditum; hoc die 27 aprilis hujus anni 1829, per rescriptum: *Esse locum praefixioni termini, quo elapso, relaxationi mandati personalis et realis pro summa scutorum* 7486: 85 *in solidum contra Leopoldum, Josephum Mariam et Laurentium, una cum damnis et expensis etiam extrajudicialibus; et extendatur decisio.* Verum; hac mane, cum de more nostri Tribunalis edita decisio revocaretur ad trutinam, novis quoque per moderatores productis documentis, visum est societatem fuisse anonymam: neque fas proinde Paulo aliter esse exequendi mandatum sui favore relaxatum a tribunali commerciali Ferrariae pro summa scutorum 3722: 57 de qua agitur in hac decisione, (nam de duabus aliis pecuniae creditae quantitatibus res aeque est in duabus contemporaneis decisionibus), quam, posthabitis bonis sociorum propriis, contra bona anonymae societatis. Rescriptum namque est: *Recedendum a decisis; et extendatur decisio.*

Mens contrahentium primum fuerat, in capitulis scriptis die 13 aprilis 1823, ut societas esset commercialis. *Essendo l'azienda stabilita sopra basi di società*, haec ipsi scripserant, *la sua amministrazione sarà interamente mercantile, sotto le leggi e regolamenti del codice di commercio.* Ergo, posthabita quavis notione simplicis societatis, opus est ut eam alteram fuisse censeatur ex iis societatibus, quarum species distinguuntur in nostris ordinationibus commercialibus art. 18: *la legge riconosce tre specie di società commerciali: la società in nome collettivo; la società in accomandita; la società anonima. Art.* 46. *oltre le tre specie di società qui sopra enunciate, la legge riconosce le associazioni commerciali in partecipazione.* Atqui in comperto res est, neque negatur ex adverso, societatem de qua

agitur, neque sub nomine collectivo, neque fuisse in accomandita, neque in participatione; cuncta harum omnium societatum decerant extrema. Opus ergo est ut societas fuerit anonyma. Et bene in ea occurrisse videntur ea omnia quae requiruntur in anonyma. Nam neque instituta fuerat sub nomine quodam sociali, neque sub nomine unius ex sociis; atque hoc erat primum indicium societatis anonymae » art. 28: *la società anonima non esiste sotto un nome sociale, e non è indicata sotto il nome di alcuno de' socii.* Tum non aliter distinguebatur, in commercium non aliter deducebatur, quam per notionem depromptam ex ejus fine et destinatione, nempe piscandi mercandique pisces vallium comaclensium, *commissione delle valli di Comacchio.* Et in hoc occurrebat altera qualitas
3 societatis anonymae » art. 29: *viene essa qualificata coll' indicazione dell' oggetto della sua impresa.* Ad hoc, qui tres administrabant societatis negotia, quique erant ex numero sociorum, quorum mandatum et revocabile erat ad mandantium nutum, et praemio cujusdam portionis socialium lucrorum compensabatur, art. 30: *essa è amministrata da mandatari temporarii, revocabili, associati, o non associati, stipendiati, o gratuiti.* Pergit quoque lex, et in
4 articulis 33 et seqq. haec alia praescribit: art. 33. *il capitale della società anonima si divide in azioni, ed anche in porzioni uguali di valore:* art. 34. *ciascun' azione può essere stabilita sotto forma di un titolo al presentatore:* art. 35. *la proprietà delle azioni può essere stabilita per mezzo di un' iscrizione sù i registri della società.* Atque his quoque ordinationibus conformis esse visa est societas comaclensis, in
5 cujus capitulis statutum fuerat in art. secundo: *il fondo di cassa per la conduzione dell' azienda è stabilito in sc. ottantunmila, divisi in 270 azioni, di scudi 300 l' una.*

Haec autem praefinitio capitis socialis, in scutis 81000, erat praecipua tessera societatis anonymae; quia socii, cum in antecessum proponerent fixum determinatumque caput, hoc ipso profitebantur se, quoad obligationes cum tertiis, a societate extraneis contrahendas, nolle teneri ultra caput. Distinctio namque de jure semper valuit inter hanc duplicem diversamque speciem societatis; scilicet inter eam ubi caput illi-
6 mitatum esset et indefinitum; et alteram cujus caput esset finitum et certis limitibus circumscriptum. In illa, cum caput determinatum non esset, pecunia toties in commune conferenda esset a sociis ad aes alienum societatis dimittendum, quoties id pro bono societatis expedire videretur: in hac, cum mens et voluntas sociorum esset illud dumtaxat caput exponendi incerto negotiationis eventui quod semel in societatem immissum esset ab initio, oporteret ut, sicut in hoc casu obligatio sociorum repraehesentaretur sub illo capite sociali, ita eorum obligatio solidalis respectu illorum, qui extra societatem contraherent cum illis, restringeretur intra quantitatem quam quisque socius haberet in dicto capite sociali: *Rot. dec. 402 num. 11 coram Dunozzett.* Neque opus erat ut socii declararent, seu societatem esse anonymam, seu nolle teneri ultra quam importaret caput immissum. Hoc onus explicite nominandi societatem anony-
7 mam a nulla lege videtur eis fuisse impositum. In contractibus autem non tam verba spectanda sunt, quam mens et voluntas contrahentium: et ubi in unum simul confluant cuncta anonymae societatis extrema, et potissimum praefinitio capitis socialis, hoc ipso mens et voluntas sociorum aperte declarat non aliter se contrahere societatem, quam intra limites anonymae. Neque opus erat ut, per verba declararetur id quod declarabatur a re ipsa et a lege. Haec namque semper fuit mens legum nostrarum ut, ubi circumscriptum esset
8 caput societatis, intra illud, et non ultra, coercerentur obligationes sociorum. Valuerat olim id jus, antequam publicarentur novissimae ordinationes commerciales, teste *Casareg. de commerc. et mercat. disc. 114 tom. 3.* Multoque clarius, quam antea, id in his ordinationibus constitutum habetur, ubi in art. 32 lex ait: *i socii non sono soggetti che alla perdita dell' ammontare della loro quota nella società.* Sive ergo explicitis verbis societas declararetur anonyma, sive non, illud semper ultra ver-

ba liquido constabat in facto quod natura societatis erat anonyma, quia natura rerum non ex verbis, sed coalescit ex earumdem elementis. Et elementa societatis, prout demonstratum est, non alii attribui poterant quam anonymae. Quamquam ne explicita quidem nominatio defuisse videtur, cum constet tres moderatores die 13 februarii 1826 ad acta publica mercatorum venisse, et utentes facultatibus per omnes socios in se collatis, data opera declararunt, *a nome degli azionisti loro mandanti, contrarre, siccome contraggono, a mutue stipolazioni ed accettazioni, una società del genere delle anonime; in conformità degli articoli* 28 *al* 36 *del codice di commercio, obligando gli azionisti loro mandanti colle riserve e limiti portati dai citati articoli, e non più oltre.* Neque tamen quis existimet eos per hanc declarationem fecisse societatem anonymam; sed quae antea fuerat anonyma re et facto, eam deinde confirmasse per verba.

Neque verum est quod defensores Pauli ajebant, caput societatis fuisse indefinitum, idque ex eo fuisse agnitum quod ultra scuta 81000 in societatis arcum immissa, socii in articulo 15 capitulorum promiserunt aliud quoque caput scutorum 18000 a se datum iri in bonis immobilibus. Nam hoc alterum caput adsignaverant socii non in favorem societatis, sed ad majorem securitatem communitatis Comacli, a qua valles in conductionem sibi concessas accipiebant non quo illud conferretur in arcam et usum socialem, sed quo hypothecae solum jus super illis immobilibus bonis Comunitati esset ad securitatem scutorum 44000, quae quotannis solvenda ei erant a sociis in conductionis pensionem. Haec autem peculiaris pactio, per quam Comunitas specialem hypothecam sibi comparaverat, nedum excludere, imo alteram videbatur inducere praesumptionem neque societatis caput fuisse indefinitum, neque obstrictos fuisse socios ad sociales obligationes adimplendas etiam in bonis propriis. Nam, si supponeretur quod constitutum fuisset caput indefinitum, in hoc casu vanum Comunitati fuisset quaerere sibi peculiarem hypothecam, cum eam sibi suppetentem haberet non in uno vel altero praedio, sed in omnibus et singulis late undique patentibus bonis sociorum. Cum autem curam ex opposito ei quam maxime fuisse videamus ut per peculiarem illam hypothecam sibi de pensione caveret, dicendum est id eam curasse ex eo, ne exponeret sese periculo quod, post absumptum caput sociale, nihil aliud forte reperiret in societate, quo satis sibi faceret de decurrendis pensionibus. Ac sane Comunitati socii significaverant a principio, in articulo decimo capitulorum, quidquid ei exhiberent in securitatem pensionum, id unum restrictum esse in capite scutorum 81000, *l'intiero fondo di cassa di scudi* 81000 *resterà vincolato a favore della Comunità, e non potrà, finito questo contratto, essere restituito agli azionisti, finchè non resteranno pareggiati i conti della Commune.* Et quia id Comunitas satis sibi non esse arbitrabatur, idcirco in sequenti capite decimoquinto alteram cautionem sibi quaesivit in hypotheca bonorum valoris scutorum 18000. Quod autem Comunitati significatum ab initio fuerat de capite finito, id per analogiam sibi commune esse arbitrari debebant quicumque inituri cum societate essent quemlibet contractum. Par enim erat, atque omnium una eadem ratio, cum hi, aeque ac illa societatis futuri essent creditores. Et cum constaret Comunitatem, cum non satis futurum sibi esse arbitraretur, caput illud finitum, ex pacto comparasse sibi alteram cautionem per specialem hypothecam, id ipsum enitendum sibi esse quicumque alii societatis creditores advertere debebant, scilicet, quo ultra caput finitum fas sibi esset persequendi alia bona sociorum, ad id pacto sibi opus esse, et ubi pactum deesset, in haec alia bona agere nefas esse.

Firmata natura societatis anonymae, hoc alterum superest demonstrandum nihil deinde fuisse omissum quod requirebatur ex lege ad solemnem ejusdem publicationem. Neque enim satis erat societatem esse anonymam in se, nisi simul, uti anonymum, in vulgus mercatorum prodiret per publicationem. Jam vero tanta publicitas fuit in societate, quanta, et forte major, quam requireretur a lege. Nam capitula societatis, in maxima rei celebritate, scripta fuerant ad diem 13 aprilis 1823

hisque interfuerant, et una simul subscripserant, primum Cardinalis praeses provinciae, tum tres ejusdem provinciae consultores, deinde duo provinciae adsessores, ad hoc decuriones comunitatis Comacli, praeterea deputatus seu mandatarius antecedentis societatis, denique secretarius publicus et ratiocinator. Neque quidquam obesse videbatur id, de quo defensores Pauli deinde conquesti sunt, scilicet capitula illa non fuisse scripta a tabellione seu notario publico, neque fuisse tradita per publicum instrumentum. Nam, quae actum publicum in publicatione societatis requirit, ubi ea
12 lege neque ordinatur, neque mentio fit instrumenti publici; *art.* 39: *le società anonime non possono essere formate che per mezzo di atti pubblici.* Usurpatum est genus *atti pubblici*: et ubi permissum est genus, ibi dici nequit ordinationem legis coarctatam fuisse ad speciem. Porro altera
13 ex actibus publicis species est instrumentum, seu quod a notario scribitur, et penes ejus acta adservatur. Sed ejusdem generis species sunt scripturae, quae vel a praeside provinciae fiunt, vel a decurionibus
14 civitatum, vel a judice. Quod si singuli hi magistratus, ubi suam interponerent auctoritatem, actus publicos edere dicerentur; multo major, et fere omnium maxima, habenda erat publicatio capitulorum so-
15 cietatis, quibus interfuerunt et subscripserunt non singuli, sed hi magistratus universi, adstantibus sociorum mandatariis, coram secretario Delegationis. Quod si demandatum deinde sociis per praesidem provinciae fuit, ut capitula societatis redigerentur ad formam instrumenti publici, id ad exuberantiam factum fuisse constat, neque utile per inutile vitiatur.

Tum accessit solemnis approbatio Cardinalis praesidis provinciae, qui, datis patentalibus litteris ad diem 19 augusti 1823, societatem probavit non suo tantum nomine, quod forte satis quoque esse videbatur, sed etiam nomine Principis. *La santità di nostro Signore si è degnata approvare*
16 *definitivamente il contratto per la nuova conduzione sociale delle valli, nel modo e termini stabiliti nei capitoli del 13 aprile* 1823. Neque confirmationem dedit unius contractus locationis conductionis vallium, quemadmodum contendunt defensores Pauli: nam Cardinalis opus ad id non habebat auctoritate Principis: quia, in ditione pontificia, notum est, cardinales, ubi ex urbe missi ad regendas provincias accedunt, ordinariis facultatibus pollere cunctos per se probandi comunitatum contractus. Itaque auctoritas Principis non alia de causa impetrari poterat, quam ad confirmandam societatem anonymam. Et sane in rescripto confirmationis, ultra verbum conductionis, adhibitum quoque fuit verbum societatis, atque hac de re habita relatio est ad capitula socialia diei 13 antecedentis aprilis; quo intelligeretur mentem Principis esse illius contractus in universum confirmandi quem constabat in illis capitulis initum cum summa celebritate fuisse. Atqui supra demonstratum est ibi socios, una cum locatione et conductione, convenisse in societatem anonymam. Ergo, etsi anonymae nomen praetermissum esset, tamen Princeps, cum probaret contractum illum, hoc ipso probare videbatur societatem anonymam. Vana autem et inutilis esset investigatio, quam instituere vellent defensores Pauli, num legittima nec ne adhibita fuerit forma confirmationis. Nam lex ait quidem formam eam esse debere quae traditur in ordinationibus publicae administrationis; *art.* 36: *la società anonima non può esistere, che coll' autorizzazione del Governo e sua approvazione dell' atto che la costituisce. Tale approvazione debb' essere data nella forma stabilita dai regolamenti di pubblica amministrazione.* Sed quae, hac in re, sint publicae administrationis ordi-
18 nationes, ignotum est, et adhuc desiderantur a nobis. Caeterum, quae demum cumque essent illae ordinationes, nulla major et praestantior confirmationis forma haberi posset, quam quae proficiscitur a Principe ipso, sive a Cardinali ejus legato, qui hac de re dixit appositas a se acceptas fuisse Principis litteras.

Neque defuit societatis insinuatio ad acta publica. Hac de causa tres societatis moderatores coegerunt sese in unum die 13 februarii 1826, et postquam declaraverant se, *prevalendosi delle facoltà loro accordate dai signori azionisti interessati nel negozio Valli, dichiarano in nome degli azionisti loro mandanti, contrarre, siccome contraggono a mutue stipo-*

*lazioni ed accettazioni, una società del genere delle anonime*, mandata e Comacchio Ferrariam ad causidicum suum miserunt; qui, hisce pollens mandatis, die 27 ejusdem februarii ad acta publica mercatorum venit, et productis, cum capitulis societatis, tum placito Principis, societatem formiter insinuavit, et a praeside tribunalis commercii insinuationis decretum obtinuit. Neque verum est quod ajunt defensores Pauli, tribus moderatoribus nihil facultatis fuisse coegendi sese in unum, et publicandi societatem anonymam. Nam agebatur de re utili sociorum, scilicet de insinuanda eorum societate, neque hac de re opus iis erat peculiari mandato, in quos generalia mandata a sociis collata fuisse constabat inde ab initio societatis. Neque declarabatur id quod non esset, neque vel novus componebatur contractus, vel contractui jam existenti nova ac diversa videbatur tribui forma. Sed quae jam antea a duobus annis erat anonyma, eam anonymam esse universo mercatorum caetui, et in vulgus die 27 februarii 1826 solemniter nunciabatur.

Verum quidem est quod, per duos illos primos annos, societas, etsi esset anonyma, tamen pro anonyma et a mercatore et a vulgo haberi non poterat; quia defuerat legittima ejus publicatio. Sed ubi publicatio accessit, nullum impedimentum erat quominus a die publicationis anonymae sortiretur effectus. Nam quod defensores Pauli contendebant, opus fuisse ut publicatio et insinuatio fieret intra quindecim dies a contracta societate, et post elapsum illum terminum, nefas fuisse anonymam amplius insinuare, id compertum est prorsus aberrare a veritate. Nam articulus 44 ait: *l' atto del Governo, che autorizza le società anonime, dovrà essere affisso, in un coll' atto di associa-*
19 *zione, pel tempo prescritto dall' art.* 41. Itaque sese refert ad antecedentem articulum 41. Illic autem articulus ita se habet: *l' estratto di società in nome collettivo, ed in accomandita debbe essere rimesso entro quindici giorni dalla data dei medesimi alla cancelleria del tribunale di commercio del circondario, nel quale è stabilita la casa sociale di commercio, per essere trascritto sul registro, ed affisso per tre mesi nella sala delle udienze.* Seu duas continet ordinationes: primum praefixionem termini ad insinuandum intra quindecim dies; tum insinuatae societatis transcriptionem et affixionem. Porro articulus 44 ad secundam ex hisce ordinationibus sese referebat, non ad primam: ergo primae observandae nulla erat obligatio. Caeterum num, intra terminum quindecim dierum, societas insinuata esset, id inspicere oporteret an factum esset ante, vel post contestationem litis. Nam, si factum esset post contestationem, nemini dubium esset quin in irritum cessisse dicendum esset insinuationem: quum sero constaret explicitam fuisse, non solum contra praeceptum legis;
20 sed etiam, et quidem multo magis in fraudem illius qui contestavit litem. At ex opposito nihil horum obesset, si insinuatio facta esset ante contestationem. Neque enim fraus in quemquam illata fuisse dici posset, quia nemo interesse haberet in causa, cum neminem adhuc in judicium venisse constaret, a nemine litem fuisse contestatam. Neque item peccatum fuisse dici posset contra legem, cujus verbis non ita strictim ac rigorose adhaerendum esset, quin legi satisfactum fuisse videretur si extra terminum quidem quindecim dierum, at citra illius damnum, citra fraudem, insinuatio facta esset ante contestationem. Itaque jus, si quod jus esse supponeretur, forte Paulo fuisset reclamandi ante insinuationem, ne quam intra quindecim dies non insinuaverant, eam societatem socii amplius insinuare possent. Sed ubi et Paulus siluit, et, silente Paulo, insinuatio solemnis facta est a sociis, et per tres menses in vulgus prodiit societas anonyma, hoc factum pro infecto haberi non potest.

Cum praesertim publicae et luculentissimae subsecutae fuerint agnitiones. Anonymam esse societatem primus omnium agno-
21 vit Cardinalis provinciae praeses, qui non solum verbis et per publicam declarationem de ea testatus est, sed etiam factis quae semper potentiora sunt verbis. Nam quotquot pro rei opportunitate deinde edidit ordinationes, eae erant ejusmodi ut non alii aptari possent, quam societati anony-

mae. Tum agnoverunt cuncti quotquot rem cum societate habere contigit. Neque ulli consilium unquam venerat in mentem agendi contra bona propria sociorum, praeterquam Paulo, qui primus, et uni atque alteri ex creditoribus qui, secuti exemplum Pauli, et post sententiam propitiam in prima instantia ab eo impetratam, id ipsum quod ille, tentarunt de exercenda in bona propria sociorum solidali actione. Praeterea vel ipse quoque Paulus agnovit, qui semel iterum, tertio, mense septembri annorum 1824, 1825 et 1826, cum munus in se collatum a societate susciperet, de venu per venetam ditionem per singulos illos annos dandis piscibus vallium, hoc pacto contraxerat cum moderatoribus societatis, ut in securitatem obligationum mutuo implendarum ipse in hypothecam daret bona propria; illi vicissim illa tantum bona hypothecarent quae propria essent societatis. Et cum circa finem anni 1826 rumores huc illuc serperent, iique ad aures Pauli pervenissent, rem male cedere societati, et metum subesse ne ob sterilem illius anni piscationis fructum satis ipsa suis faceret obligationibus, recusabat Paulus mutuam dare pecuniam illam de qua praesens haec quaestio est, quia verebatur ne, ut ipse ajebat, capite sociali jam consumpto, nihil aliud ad cautionem suam superesset. Postea vero, dissipato metu, mutuam dedit pecuniam. Ubi vero necessitas statuto tempore venit condicendae sibi ejusdem pecuniae, hoc ex pacto convento Paulus observandum sibi esse censuit ut, posthabitis bonis propriis sociorum, non alia bona persequeretur, quam quae propria tantum essent unius societatis. Atque hisce principiis inhaerens, quod ante hoc judicium et in adsecurationem hujus judicii die 13 januarii 1827 apponendum curavit sequestrum, illud bonis unius societatis apposuit. Rursus cum post injectum sequestrum praesens hoc institueret judicium, hanc proposuit actionem, ut tribus moderatoribus prefigeretur brevis terminus, *entro cui dover fare in modo che la commissione delle valli debba immediatamente pagare all' istante Paolo la somma ec.* Porro indoles cujuscumque judicii ab actione desu-

22 mitur, quia quae sit actoris intentio, circa quam pronunciandum est judicium, nonnisi ex actione palam fit. Atqui mens et voluntas actoris Pauli luculenter significata est in ejus actione persequendi bona unius societatis propria. Ergo contra haec sola bona mandatum erit relaxandum, immunibus ab actione manentibus bonis propriis sociorum. Nam si haec particularia bona per sententiam judicis obnoxia fierent actioni, id forte circumscribendum deinde esset, quia judicium esset ultra petita; quod semper nefas. Neque uti mandatarios Paulo fas est persequi tres moderatores, quia juxta articulum 31 ordinationum commercialium, *gli amministratori non hanno altra responsabilità, che quella dell' esecuzione del mandato che hanno ricevuto; non contraggono per motivo della loro amministrazione, alcun obbligo personale, nè solidale relativamente agl' impegni della società*: neque uti socios, quia in articulo 32 ibi lex ita pergit: *i socii non sono soggetti, che alla perdita dell' ammontare della loro quota nella società.* Post haec autem omnia supervacaneum visum est Ordini nostro instituere disputationem de dolo, quae erat altera pars antecedentis decisionis quae revocatur; num scilicet dolo tres moderatores sese gesserint, cum mutuam a Paulo acciperent pecuniam, quemadmodum Paulus eos redarguere conabatur, seu potius a dolo longe abfuerint, quemadmodum ipsi fuse ac altero libello hac de re separatim distributo dolum excludere nitebantur. Cum enim actio Pauli, nomine quidem tenus contra moderatores, re autem ipsa fuerit contra societatem, scilicet quo haec per illos cogeretur ad pecuniam mutuam restituendam; inutilis visa est disputatio de dolo, cujus actionem, cum sit personalis, in societatem seu socios retorquere nefas esset; sed hoc unum Paulo restat ut, quoniam societas jamdiu abiit in decoctionem, ipse una cum caeteris societatis creditoribus accedat in concursum super illius bonis coactum, de praelatione et ipse quoque cum iis dimicaturus.

Atque ita etc., utraque, etc.

R. P. D. MUZZARELLI

FERRARIEN.

PECUNIARIA QUOAD SCUTA 3791: 91.

*Veneris* 31 *julii* 1829.

Superior Decisio XXXI infirmatur.

DECISIO XXXVII.

Institutiae tres distinctim fuerant actiones a Paulo Benz, negociatore veneto, quia, etsi una et eadem esset natura juris quod ipse habebat, condicendi sibi pecuniam quam mutuo dederat societati vallium comaclensium, tamen ejusdem pecuniae tres distinguebantur diversae quantitates, quas per tres distinctas vices mensibus septembri et octobri anni 1826 societati suppeditaverat. Quam vero sortita est prima ejus actio de condicenda prima pecuniae quantitate, quae est in scutis 3722: 57; eamdem judicii vicissitudinem nacta est altera actio de scutis 2791: 93 de qua agitur hoc loco. Et quemadmodum ex prima contemporanea decisione constat Auditorium nostrum recessisse a decisis die 27 aprilis hujus anni 1829, qua in gradu appellationis confirmaverat sententiam tribunalis commercialis Ferrariae, et decrevisse Paullo jus esse agendi non contra bona propria sociorum, quod dictum fuerat in decisione quae revocatur, sed contra bona societatis anonymae; ita idipsum decrevit quoad hanc secundam quantitatem scutorum 2791: 93 per rescriptum: » *Recedendum a decisis; et extendatur decisio* » ex rationibus iisdem in prima contemporanea decisione explanatis.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. MUZZARELLI

FERRARIEN.

PECUNIARIA QUOAD SCUTA 972: 35.

*Veneris* 31 *julii* 1829.

Revocatoria superioris Decisionis XXXII.

Summario non indiget.

DECISIO XXXVIII.

Judicium idem pro eadem natura crediti cum quoad primam et secundam, tum ab Ordine nostro hac mane latum est quoad tertiam pecuniae quantitatem scutorum 972: 35, quam Paullus Benz, negociator venetus, qui est actor in hoc judicio, probat mutuo a se die 24 septembris 1826 datam fuisse societati vallium comaclensium. Et cum de illis, tum, caussa hac mane iterum proposita, de hac tertia quantitate pecuniae de qua hoc loco agitur, rescriptum est: *Recedendum a decisis*. Hujus autem rescripti vis haec est ut pro revocata habeatur antecedens decisio diei 27 aprilis hujus anni 1829, per quam Auditorium nostrum, confirmata sententia in prima instantia lata per judices mercatorum Ferrariae, decreverat Paullo, quo condiceret sibi pecuniam mutuo datam, jus esse agendi etiam contra bona propria Leopoldi Pilati, Josephi Mariae Patrignani, Laurentii Colognesi, qui fuerant socii simul et societatis mandatarii. Et ut ex rationibus in prima decisione expositis jus ejusdem Paulli ita restringatur ut, posthabitis bonis propriis sociorum, non aliter agere ipse valeat quam contra bona societatis, quae erat anonyma.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA SOCIETATIS SUPER RESERVATIS.

*Veneris* 31 *julii* 1829.

Argumentum habes in superiori Decis. XXXIV, quae confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *In cambiis obliquis qui pecuniam dat pro mandante; qui accipit pro mandatario habetur.*
2. *Mandatarius autem ne, finito mandato, rationes de datis acceptisque lucris ex capite pecuniario reddere debeat, promittit mandanti certam determinatamque fructuum summam titulo cambii et recambii.*
3. *Quod neque a jure reprobatur, neque a consuetudine.*
4. *Quia hujusmodi fructuum promissio est pretium remissae obligationis reddendarum rationum de suscepto mandato, tum quoad lucrorum quantitatem ex negociatione retractorum, tum quoad illud praestandum quod mandantis interesset ob non factum investimentum.*
5. *Usurae non dantur nisi in mutuo vero, vel palliato.*

6. *Neutrum autem concipi potest in capite pecuniario communi inter socios.*
7. *Dodrans fructum ratio uti non enormis probatur.*
8. *Majorem quoque, et jam per contrahentes executioni commissam, toleravit s. Rota etiam quoad homines non mercatores.*
9. *Eo magis toleranda in argentariis, quibus promptior est occasio et pecuniae investiendae, et ex investimento fructus percipiendi dodranti ratione majores.*
10. *In Urbe procul a statutis, ab universitate, ab extrinseca forma, quotquot mercantur trajectitias literas cambii pro argentariis habentur.*
11. *Simplex dilatae solutionis causa nunquam habita est idonea ad gignendos fructus.*

## Decisio XXXIX.

Distinctae duae emptiones et venditiones, uno eodemque actu diei 30 aprilis 1822, factae fuerant per principem faeminam Paulinam Borghese; scilicet et abacus argenteus *gran servizio di vermeil*, ad parandam locupletissimam mensam ex argento inaurato fabrefactus, venditus per eam fuerat Dominico Arcieri et Andreae Baldini, notissimis hic in Urbe negotiatoribus gemmarum; et pretio scutorum quindecim millium quanti abacus ille fuerat aestimatus, emptus fuerat per eamdem census vitalitius scutorum bismillium per negotiatores illos sibi quoad in humanis esset, quotannis solvendorum. Per separatam syngraphan illa eadem die scriptam duo negotiatores censum illum declararunt ita a se fuisse contractum, ut sibi aeque ac Josepho Vannutelli, in hac romana curia advocato, quem sibi adsciverant in socium, communis esset census, et communia forent sive lucra, sive damna, quae ex illius alea aut sperabantur, aut verebantur. Itaque post hanc declarationem media pars scutorum quindecim millium ad duos negotiatores, altera media pars ad Josephum pertinebat. Opus autem hac in re erat ut haec scuta quindecim millia cito converterentur in quaestum, quo per quaestuosa lucra vitalitia pensio scutorum bismillium Paulinae quotannis solveretur. Hanc vero quaestuum quaerendorum curam reservare sibi negotiatores maluerunt quam vel uni committere Josepho, gravioribus forte curis distento, vel cum eo simul in communi retinere, experientia forte edocti, quod, quae communiter administrantur, communiter negliguntur. Post hanc vero in se susceptam procurationem quaestuum, onus sibi ex jure futurum esse sentiebant reddendarum rationum socio Josepho, quos scilicet et quantos quaestus exinde perciperent. Se ne hujus redditionis rationum vel periculo, vel sollicitudine angerentur, promiserunt ex pacto fructus scutorum quindecim millium eo a se solutum iri, quousque vitalitii obligatio maneret, ad fixam determinatamque rationem scutorum novem in singula centum et annos. Atque ex hac dodranti ratione quotannis habebantur scuta 1350, quibus ex aere proprio duo negotiatores, aeque ac Joseph, addebant alia scuta 650; conficiebatur inde summa scutorum bismillium, quae per singulos annos solvebatur in vitalitiam pensionem.

Ubi vero Paullina die nona junii 1825 excessit e vivis, cum resolutio advenerat vitalitii, tum obligatio negotiatoribus erat tradendi Josepho mediam illius capitis partem, nempe scuta 7500. Sed quia totum illud caput adhuc in quaestu implicatum tunc temporis reperiebatur, idcirco, petitione facta, die 25 sequentis julii a Josepho veniam impetrarunt per alterum ultra annum penes se retinendi scuta 7500 ad eum pertinentia, promissis ei fructibus compensativis ad rationem scutorum sex in singula centum. Hisce vero aliisque elapsis induciis, non solum fructus ultra solvere detrectarunt, sed primi ad judicem venerunt die nona maii 1827 efflagitantes ut quidquid a se solutum fuerat in causam fructuum, sive manente vitalitio, sive post vitalitium resolutum, id omne ita imputaretur in sortem ut e capite scutorum 7500 nihil aliud a se deberetur, quam scuta 4627. 67. Antequam vero de hac actione quidquam decerneretur, incidentalis exarsit quaestio de competentia, a quibusnam scilicet proferendum esset judicium, an a judice ordinario, seu potius a judicibus mercatorum. Et ubi post sententias diu lateque scissas tandem aliquando definitum fuit ad hos potius, quam ad illum spectare judicium; tum resumpta actio principalis

ita resoluta fuit, primum die undecima februarii 1828 in prima instantia a judicibus mercatorum Urbis, deinde die prima sequentis decembris in gradu appellationis per Auditorium nostrum, ut Dominicus et Andreas damnarentur pro nunc ad solvenda scuta 4627: 67; et num fas eis nec ne esset solutos fructus imputare in sortem, id ad aliud remitteretur judicium. Haec omnia patent ex decisione per R. P. D. meum Ruspoli evulgata. Cui adeo acquiescere illi visi sunt, ut die 19 aprilis hujus anni 1829, quaestione a se abdicata, fas Josepho esse dixerint habere sibi illa scuta 4627: 67, quae inde a die tertia martii 1828 coacti fuerant de mandato judicis in aede sacra deponere. Post haec omnia, dirimenda supererat altera quaestio, num fas eis esset imputare in sortem fructus illos quos solverunt sive ad rationem dodrantem quousque manserat vitalitium, sive in ratione sextanti post vitalitii dissolutionem. Propositae huic quaestioni, die quinta praeteriti junii, Ordo noster respondit: *Esse locum solutioni fructuum usque ad exitum vitalitii; et extendatur decisio*. Tum hanc a R. P. D. meo Ruspoli editam decisionem confirmavit die sexta sequentis julii per rescriptum: *In decisis, et expediatur.* Et sententiam rotalem desuper expeditam in gradu appellationis hac mane approbavit, et rescripsit. *Sententiam rotalem esse confirmandam, et extendatur decisio, et ad mentem: mens autem est ut calculus ex integro iterum fiat de fractibus ad rationem dodrantem decursis usque ad diem exitus vitalitii.*

Memoria recolere oportet id quod initium fuit rei gestae, quodque procul a controversia per partes contendentes admittitur, nempe societatem ab initio conciliatam fuisse Josephum inter et duos negotiatores. Neque societas illa cohibita solum fuerat ad emptionem venditionem abaci, ad consequendum illius pretium, ad contrahendam obligationem census vitalitii erga Paullinam, id quod extra quaestionem est; sed etiam cum ad damna, tum extendebatur quoque ad lucra inde obventura. Dictum id aperte fuerat in syngrapha societatis: *essendo stato trattato e concluso il contratto vitalizio fatto sotto questo medesimo giorno* (30 *aprilis* 1822), *nell' intelligenza che questa impresa, relativamente al guadagno ed alle perdite, dovesse andare in società fra Arcieri e Baldini da una parte e l' avvocato Vannutelli dall' altra . . . il contratto vitalizio, si dichiara che è stato fatto per l' interesse comune; e che Vannutelli ne debba dividere il guadagno e le perdite che ne potranno risultare.* Ipsa quoque rei natura et necessitas efflagitabat ut societas esset ad quaestum. Cum enim socii obligatione sese obstrinxissent Paulinae, quoad usque in humanis esset, solvendi scuta bismillia in singulos annos; quo huic gravi et continuo imminenti obligationi facerent satis, ad id, quisque videt, quod ridiculum sane fuisset si caput scutorum quindecim millium apud se sterile retinuissent atque otiosum. Fieri namque forte poterat ut, si, per septennium, et paulo supra annos, in humanis ea superfutura esset, quod facile erat in Paulina, quadragesimum tunc temporis aetatis annum agente, integrum caput scutorum quindecim millium absumeretur; itaque jactura post elapsum illud tempus sociis certo obveniret.

Ne ergo huic probabili periculo sese exponerent, et amitterent caput scutorum quindecim millium, et post amissum caput etiam aliquid impenderent ex aere proprio, reliquerunt caput scutorum quindecim millium indivisum, seu in communi. Nam illud divisum fuisse constat tres et amplius annos post contractam societatem nempe die nona junii 1825. Et ne divideretur ante hoc tempus, id convenerant ab initio societatis: *Il capitale costituente la rendita vitalizia sarà egualmente diviso, metà per ciascuno in due porzioni eguali, da conseguirsi dopo che la stessa rendita vitalizia sarà cessata.* Quod si postea fuit divisum, ergo antea fuerat indivisum. Et ne antea divideretur, non alia esse potuerat ratio, nisi, uti supra dictum est, quaestus in commune faciendi causa; quo scilicet per fructus ex negotiatione capitis retrahendos vitalitia pensio, saltem in parte, quotannis solveretur. Posita autem hac mente contrahentium, quam ne

duo quidem negotiatores inficiantur, quaestus scilicet in commune faciendi, illud alterum satagendum sequebatur, quonam modo huic communi quaestui danda esset ab eis opera. Fas quidem erat eis, vel in commune negotiari caput illud, vel hominl a societate extraneo illud negotiandum committere, vel mandare uni ex sociis, ut illud negotiaretur nomine communi. Sed ex hisce modis negotiationis, et aliis quae forte suppetebant, placuit contrahentibus sumere illum per quem uni tantum ex sociis mandaretur quaestuosae negotiationis procuratio. Atque ad hanc rem selecti fuerunt Dominicus et Andreas; forte quia, cum profiterentur mercaturam gemmarum, aliisque negotiationibus vacarent, aptiores procurationi illi multo plus quam Joseph esse viderentur. Itaque illi retinere declararunt apud se, non modo mediam tantum capitis partem quae unius esset Josephi, sed integrum caput scut. quindecimmillium *Arcieri e Baldini riterrà il capitale che sarà ritratto dalla vendita del vermeil sino che dura il contratto vitalizio* quo forte intelligeretur societatem, cum quoad caput, tum etiam quoad capitis quaestum, adhuc continuare, et eam observandam esse usque ad exitum vitalitii. Post hanc vero in se susceptam quaestus procurationem Dominicus et Andreas, duplicem et distinctam quoad Josephum repraehesentabant personam. Scilicet ejus erant socii, cum sociale una cum eo, et indivisum adhuc retinerent caput scutorum quindecimmillium, et obligationem solvendi, cum illius capitis fructibus, annuam vitaliţiam pensionem scutorum bismillium. Insuper ejus erant mandatarii, cum ab eo mandatum accepissent ita in negotiationem deducendi caput scutorum quindecim millium, ut ex eo determinatam fructuum quantitatem quotannis haurirent: atque haec duplicitas personae in sociis passim occurrere solet.

Et quo res clarius explicetur, idem illi mandatum a Josepho acceperunt quod dari quotidie solet in cambiis vulgo dictis obliquis; in quibus qui pecuniam dat pro 1 mandante, qui pecuniam accipit pro mandatario habetur, et quemadmodum in his cambiis obliquis mandatarius ne, finito mandato, de datis acceptisque lucris ex capite pecuniario rationes reddere cogatur, 2 ob id promittere solet se titulo cambii et recambii, uti ajnnt, soluturum esse mandanti certam determinatamque fructuum summam: ita et pari ratione sese gessisse videntur Dominicus et Andreas quibus sane, post mandatum in se susceptum in quaestum deducendi caput scutorum quindecim millium, eadem obligatio imminebat, quae cuilibet mandatario a jure imponitur, scilicet ut Josepho rationem deinde redderet quot et quanta lucra ex quaestuosa illa procuratione percepturus esset. Cum vero eos peculiari pacto cum Josepho convenisse videamus ut, vice incertorum lucrorum quae ex quaestu retracturus esset, certam rependerent determinatamque rationem fructuum, nempe scuta novem in singula centum et annos; haec conventio de fructibus 3 reprobanda non est, neque reprobari a jure, neque a consuetudine constat. Tum eo aequiorem fuisse arbitrandum est, quo pressius aequalitatis jura per eam videntur fuisse servata. Scilicet, quia per illam determinatam dodrantis rationem cui sese subjiciebant, remissam sibi habebant utramque hanc obligationem quae superfutura erat eis post finitum mandatum, vel reddendarum rationum quot et quanta lucra ex negotiatione retraxissent, vel, nisi quaestum seu investimentum fecissent, praestandi id omne quod Josephi interesse posset, investimentum non fuisse factum, remissio 4 utriusque obligationis erat quid pretio valde aestimabile. Et remissionis valor eo potior esse videbatur, quo ampliora lucra Dominicus et Andreas negotiationi jam habituaiiter addicti sperare forte poterant ex quaestu ingentis capitis scutorum quindecim millium. Et cum remissionem illam consequerentur, aequum justumque erat ut eam compensarent per promissionem fructuum ex negotiatione retrahendorum. Itaque promiserunt fructus uti pretium remissionis obligationis reddendarum rationum de suscepto mandato, quemadmodum in cambiis obliquis fit. Non eos promiserunt, quod post invectam hanc litem ex improviso dictitare caeperunt, uti usuras pecuniae, quemadmodum contigit in faenore. Neque natura contractus,

qui erat de societate capitis, de mandato quaerendorum lucrorum ex capite, patiebatur ut contraherentur usurae: quae, uti notum omnibus est, mutuum supponunt seu verum, seu palliatum. At neque verum, neque palliatum mutuum existere in illa negotiatione poterant, ubi et caput vitalitii futurum ex pacto erat commune inter socios, tunc demum dividendum, cum, cessante vita Paulinae, cessaret vitalitium ipsum: et quaestuosa negotiatio ejusdem capitis, quousque vitalitium duraret, curanda erat a duobus ex sociis, non uti mutuatariis, sed, quemadmodum demonstratum est, uti mandatariis.

Neque dici potest rationem dodrantem fructuum adeo fuisse enormem, ut per eam vel irrita facta fuerit eorum promissio, vel saltem reducenda sit ad aequalitatem. Cum constet anteactis temporibus aequalem, et aliquando etiam majorem rationem fructuum jam executioni per contrahentes antea commissam, deinde ab Auditorio nostro fuisse toleratam etiam quoad homines a mercatura alienos *ex. gr. in Roman. nullit. contract.* 30 *aprilis* 1804 *cor. Resta, in Ferentina cambii* 4 *februarii* 1824 *n.* 18 *cor. rmo Pianetti, in Caesenaten pecuniaria* 15 *martii* 1825 *cor. eminent. Marco.* Tolerare autem multo magis eam convenit in Dominico et Andrea, quia promptior erat eis, quam aliis, occasio et investiendae pecuniae et ex investimento uberrimos percipiendi fructus dodranti ratione longe forte superiores. Non enim solam, in qua versantur adhuc, exercebant gemmarum margharitarum negotiationem, et insigne hac in re nomen sibi quaesiverunt in Urbe; verum etiam dicebant se habere apertam hic in Urbe nummulariam mensam sub *ditta Arcieri e Baldini.* Et quamquam neque eorum nomen relatum esset in publicum album argentariorum, neque littaere patentales eis essent; tamen haec omnia nullius impedimenti erant quominus exercerent munus argentarii in hac Urbe, in qua, procul a statutis, ab universitate, ab extrinseca forma, quotquot mercantur trajectitias litteras cambii ex testimonio eorumdem argentariorum pro argentariis habentur. In hac autem trajectitia cambialium mercatura nonnullis ab hinc annis Dominicum et Andream publice fuisse versatos, id compertum factum est cum ex testimonio trium proxenetarum Urbis, qui ajunt sibi ab eis fuisse commissa *ora la compra ora la vendita di cambiali sopra differenti piazze estere* », tum ex confessione eorumdem Dominici et Andreae, qui in altero judicio die 24 martii 1824 acto coram A. C. ex eo creditum quoddam sibi adserebat solvendum a reo convento, quod crediti mentio legeretur in libris suae mensae nummulariae, *Banco di Baldini.* Facile ergo eis erat investire caput, et ex investimento retrahere tantam summam fructuum, quanta non aequasset solum, sed et superaret mensuram dodrantem; quod autem ipsi habebant in potentia, id ipsum dicendum est ab eis deductum fuisse ad actum. Actu enim dixerunt caput illud in negotiatione esse implicatum, idque aperte professi fuerant die 25 julii 1825, post exitum vitalitii. *Essendosi risoluto il contratto vitalizio con la morte della principessa Paolina, così essendosi fatto ogni conto fra noi per questo affare, risultiamo debitori della giusta metà della sorte. Questo capitale trovasi al presente in giro di commercio, per cui chiediamo un largo di un anno al pagamento . . . ne pagheremo i frutti al sei per cento ed anno.* Sed hic semissalis fructus ideo promittebatur, quia dilatio vicissim obtinebatur ad solvendum. Ergo erat in praemium dilationis. Sed haec causa numquam habita est idonea ad gignendos fructus; *Rot. in Recinaten. cambii* 14 *maii* 1821 *et* 1 *februarii* 1822 *cor. Emo Bussi.* Quare quantum probata est eorum obligatio de solvendis fructibus quousque vitalitium duravit; tantum reprobata, et habita est irrita quoad fructus promissos post exitum vitalitii.

Et ita etc., utraque, etc.

## R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA SEU ARIMINEN. SOCIETATIS

*Mercurii* 16 *decembris* 1829.

Argumentum habes ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Oneraria apoca ab navarcho subscripta authenticum praesefert documentum qualitatis et quantitatis mercium in ea descriptarum.*
2. *Id tamen cessat, si navarchus adhibuerit formulam* » dice essere.
3. *Quae formula simplicem exhibet confessionem tradentis merces, et a quavis obligatione recipientem seu navarchum eximit.*
4. *Socius cui in contractu munus erat res sociales vendendi, et in cujus sagacitate et prudentia caeteri socii quiescebant, si vendidit habita fide de pretio, et interim emptor ex insperato decoxit, id non unius vendentis, sed omnium sociorum damno cedere debet.*
5. *Expensa custodis mercium* » sopracarico » *quo utuntur mercatores ut suae indemnitati prospiciant, etsi de eo nihil cautum fuerit in contractu sociali, cum tamen communem utilitatem respiciat, communiter a sociis est substinenda.*

### Decisio XL.

Quo tempore ob insolitam agrorum vitibus consitorum infecunditatem maxima Romae fuit vini penuria, superiori anno 1828 ad diem *nonam* januarii icto faedere, ac privata apocha conscripta, Bartholomaeus Pergami, pisaurensis, et in Urbe negociator Vincentius Spech societatem insimul iniverunt, cujus ope Pergamus in eam immisit tum totam illam vini quantitatem quam Pisauri invenditam retinebat constituto pretio sesquinummi argentei sive *scuti unius* et obulorum *quinquaginta* in singulos cados romanae mensurae, tum aliam quamcumque quam in pisaurensi territorio aliisque proximis colligere, eodemque circiter pretio coemere potuisset. Ita vicissim Spechius in societatem contulit argenteos nummos *mille quingentum*; praetereaque sese curaturum sumptibus omnino communibus, communique lucro, vel damno spopondit receptionem, custodiam, ac venditionem tam vini, quam frumenti, ad quod pariter societatem protendere contrhaentibus placuit, ea adjecta lege ut triticum Romam transvehendum optimae foret conditionis, et non pluris aestimandum quam scutis *septem cum dimidio* in quemlibet modium. Distractis demum mercibus, expunctisque rationibus constitutum fuit ut damnum omne, vel lucrum ex societate forte oriturum inter socios aeque divideretur.

Rebus ita compositis, cum a socio suo recepisset Pergamus conventam summam scutorum *mille quingentum*, Pisaurum profectus est, ibique merces comparavit, ac de nolo convenit transvehendarum mercium cum navarcho quodam Joanne Baptista Damonte, cum quo oneraria scheda ( *poliza di carico* ) conscripta, ei tradidisse declaravit » *numero novantanove fusti vino sani, intieri e pieni a tappo di questa Delegazione, suggellati, numerati e mercati, contenenti some ottocento novantadue di misura del valore di scudi romani* 1784; itemque » *sacchi centocinque grano del valore di scudi* 525 *romani* »; ac tandem *due fusti spirito di vino in peso libbre* 1110 *del valore di scudi* 66: 60. Collecto hinc mercium valore, eique addita doliorum aestimatione, integrum socialium rerum pretium evehi ad scuta 2921: 60 detectum est: illudque adnotatum fuit in ipsa scheda, cui ita navarcus subscripsit, ut verbis omnino fidens illius qui merces tradebat, nullum periculum quoad illarum qualitatem et quantitatem periclitari voluerit ex assueta formula » *affermo per il numero de' colli, e dice essere per la qualità e quantità.* » Ut vero mercium securitati melius prospiceret Pergamus, e re sua ipse censuit onerariae navi custodem et institorem praeficere Dominicum Pezzinium, certa mercede cum eo conventa.

Ineunte majo ejusdem anni 1828 feliciter appulit oneraria navis ad portum majorum navalium Tyberis. Integra quidem inventa fuerunt signa sarcinis apposita ab ariminensibus vectigalium praefectis; sed eductis e navi mercibus, ac in telonium proximum allatis, ubi portorium erat solvendum, ipso praesente Pergamo, qui navarchi adventum ad Urbem praecesserat, inventum est *centum octoginta* cados vini *supra novem* omnino deficere, deterrimamque esse tritici qualitatem. Cuncta nihilominus custodiae causa re-

cepit Specchius, qui venditionem curare debebat ex pacto societatis. Vendidit revera vinum: vendidit etiam, habita fide de pretio, frumentum Joanni Baptistae Beltrami, qui tamen, antequam dies solutionis veniret, creditoribus suis decoxit: denique vinum distillatum. Sed ut primum de expungendis rationibus actum est, lis statim inter socios exarsit, qua ad urbanos commercii triumviros deducta, commissum primo fuit alteri ex judicibus ut rationes a sociis exciperet, deque eis deinde referret. Cum non placuisset inita relatio, ex qua Specchius scutorum circiter *octingentorum* debitor evaserat, examinis prelo obnoxii facti fuerunt testes utrinque adducti. Hinc examine testium absoluto, ipsi judices apposita sententia Specchium absolvendum a propositis petitionibus duxerunt. Cum vero provocationis ope, controversia conscenderit ad sacrum nostrum Ordinem, rescripto quod sequitur, omnis dirempta contentio fuit, scilicet: » *Esse locum solutioni, et ad mentem; et extendatur decisio.*

Non inutile erit ab initio cognoscere nullam a partibus quaestionem excitari, nec quoad repertum vini defectum, nec quoad pravam vini qualitatem, nec quoad expensas pro mercibus coemendis, atque Romae recipiendis, servandis, vendendisque initas, nec quoad quantitatem pretii ex venditione earumdem mercium eliciti, nec demum quoad summas a Specchio, qui socialem retinebat arcam, nomine et jussu Bartholomaei Pergami solutas. His praemissis, quae veluti fundamentum sunt hujusce definitionis, *quinque* erant controversiae capita quae proponebantur dirimenda; et quorum *primum* respicit vini decrementum; *alterum* venditionem frumenti; *tertium* autem naulum navarcho solutum, etiam pro ea vini quantitate quae defecit; *quartum* item jacturam in venditione aquae ardentis factam; *quintum* denique mercedem institori, sive mercium quousque in oneraria navi manserunt, custodi numeratam. Horum omnium nomine creditorem sese Pergamus erigebat egregiae summae argenteorum nummorum *septingentorum viginti octo ac obulorum sexaginta quinque.* Sed Patres, sedulo rem expendentes, probe viderunt neque vini decrementum, neque frumenti pretium damno Specchii adscribi posse. Nam, ut primo de vini decremento sermo sit, quamvis oneraria scheda cui navarchus subscripsit, cadorum 1824 quantitatem exhibeat et quamvis etiam apocae onerariae, tam ex expressa sanctione commercialium nostrarum legum
1 art. 273, quam etiam ex auctoritate doctorum, quos inter *Casareg. de commerc. disc. 4 num 111 et Azzuni jurisprudent. mercat. artic. polizza di carico*, authenticum praeseferant documentum qualitatis et quantitatis mercium in iis descriptarum, id tamen valet quoties oneraria apocha nullam
2 contineat reservationem, prout ea continet de qua agitur, et cui additionem fecit navarchus in haec verba » *affermo per il numero de' colli, e dice esssere per la qualità e quantità* » que sane clausula palam ostendit sese quidem obligasse navarchum quoad numerum sarcinarum, non vero quoad mercium qualitatem et quantitatem.

Porro notissimum est inter mercatores et in jure commerciali, formulam illam » *dice essere* », quam navarchus adhibuit, simplicem exhibere confessionem illius qui mer-
3 ces tradit, et a quavis obligatione recipientem seu navarchum ipsum eximere; veluti explicant *Casareg. de commerc. disc.* 10 *num.* 55, *Azzun. jurisprud. mercat. cit. artic. polizza di carico, et sacer Ordo in Anconitana assecurationum* 12 *februarii* 1776 § 7 *coram Ratto.* Jam vero ex testimonio eorum qui vectigalibus praesunt, quique publicam merentur fidem, probe constat, inita vini mensura, quantitatem longe minorem inventam fuisse, vinique defectum evehi ad cados usque *centum octuagintanovem.* Non est itaque de defectu vini ambigendum, et defectus ipse culpae damnoque vertendus est Bartholomaei Pergami, qui simplicem nullique conditioni alligatam exigere a navarcho apocam onerariam debebat. Sibi ergo debet Pergamus imputare, si, ad portum majorum navalium Urbis cymba perventa, non ea reperta est vini quantitas, quam oneraria apocha exhibebat. Discrimen vero istud cum non leve sit, errori tribuendum non est, in quem forte irrepserint publica-

ni, dum ad exigendum vectigal metiti vinum fuerunt: tum quia nunquam error praesumitur, ac minus etiam in eo qui publico munere fungitur; tum quia revera vini quantitas ea tantummodo esse poterat, quae Romae inventa fuit. Cum enim ariminenses publicani dolia diligentissime numeraverint, descripserint, signisque consignaverint, atque haec dolia Romam pervenerint integris signis, iisdemque statu et numero, facile patet illam tantummodo vini quantitatem Arimini in navim impositam fuisse, quae postea Romae inventa est. Idque praecipue retinendum, quia Pergamus ipse discrimen agnovit, dum de solvendo naulo inter socios actum fuit, nec tamen ullam querelam excitavit, aut errorem caussatus est publicanorum. Non decet igitur contra tacitam confessionem insurgere, sed damnum imo ex vini defectu exortum et uni culpae adscribendum Bartholomaei Pergami, qui cavere debebat ne apocha oneraria ambiguitatem ullam contineret, ab eo ferendum unice est.

Damnum autem aliud quod ex venditione frumenti socii pertulerunt, inter eos ex aequo dividendum est, nec in unum Specchium vertendum, quasi is auctor fuerit quod pretium ejusdem frumenti fuerit amissum. Ambigi quidem nequit quin is triticum distraxerit, habita fide de pretio, pastillorum venditori Joanni Baptistae Beltrami, qui postea decoxit. Sed deterrimae conditionis erat frumentum, ita ut non adeo facile inveniri potuisset qui illud emere voluisset. Necessario igitur aliquid de proprio jure remittendum erat, ne invenditum triticum maneret cum evidenti sociorum detrimento. Quo autem tempore Beltramio divenditum fuit, bona is pollebat existima-
4 tione apud omnes, nec facile prospici poterat futurum ut inde creditoribus decoqueret suis. Demum omnem conficit quaestionem, tum pactum inter socios expressis verbis conventum, ut Specchius res sociales in Urbe reciperet ac venderet, tum et fortius factum Bartholomaei Pergami, qui punctim videns deterrimam frumenti qualitatem, facultates omnes socio suo tribuit verbis absolutis agendi quidquid sibi magis libuisset quoad frumenti venditionem. Quapropter incivile est amissum frumenti pretium nunc socio exprobare, in cujus fide, sagacitate, prudentia Pergamus omnino quiescebat. Quaemadmodum igitur aequum erat ut divideretur inter socios lucrum quodcumque quod, negociatio frumenti, rebus prosperis, secumtulisset; ita dividi debet damnum quod nulla quidem sociorum culpa, sed ex inopinato infortunio, a venditione frumenti obvenit.

Non ita vero de caeteris censendum erat, et praecipuae de *scutis septuaginta quinque*, quae navarchio pro ipsa deficiente vini quantitate soluta ex ea ratione fuerunt quod oneraria apoca cui navarchus innitebatur, majorem vini quantitatem exhibebat, quam quae revera reperta fuit. Aegre ferebat Specchius, praeter justum naulum pro vera vini quantitate reperta et praemium illud quod marittimi negociatores vocant » *cappa* « seu » *primaggio* «, de qua videndus laudatus *Azzun. verb. cappa* § 1, solutam quoque fuisse summam scutorum *septuaginta quinque* pro quantitate deficiente, ideoque detrectabat hujusce summae dimidium repraehesentare. At quidquid juris fuerit, re adhuc integra, postquam tamen, utroque plaudente socio, integrum naulum navarchus accepit, nulla ratio subest cur dividenda inter socios non sit ejus impensa. Ab iis enim testibus a Specchio adductis eruebatur, assensum suum eum praestitisse ut integrum naulum navarcho solveretur. Quod igitur, assensu adhuc non praestito, voluntatis erat, ex qua jure obsistere Specchius potuisset quominus naulum pro deficiente vini quantitate navarcho rependeretur, aut de eo ratio in socialibus computis haberetur, necessitatis evasit post praestitum assensum et naulum integre solutum, adeout dubitatio nulla oriri valeat quin totius nauli impensa ex aequo ferenda a sociis sit.

Aeque demum dividenda est inter socios, tum jactura ex negociatione spiritus vini perpessa, tum impensa alia pro mercede navis institori soluta. Utcumque enim negociatio socialis ad vinum et frumentum cohiberetur, ratam tamen habuit Specchius spiritus vini transmissionem, quippe qui illum vendidit, de pretio rationem habuit in socialibus rationibus, et compensationem aliquam

per interpositam personam a Pergamo petiit, ut constat ex epistola quadam tempore non suspecto conscripta. Si voluisset Specchius negociationem istam repudiare, debebat ab initio protestari, nec aleam ludere ut socialem diceret negociationem, si datum fuisset ex ea lucrum eruere; damno autem obvento, contenderet negociationem non fuisse socialem. Cum igitur damnum fuerit in scutis 28: 54 (aqua enim ardens valuit scutis 83 et obul. 54 nempe scut., 66: 60 pro emptionis pretio et scut 16. 94 pro vectigali et expensis vendita autem fuit pretio scutorum *quinquaginta quinque*); hinc hujusce damni dimidia pars in scutis 14: 27 ad Specchium tamquam socium pertinet. Idem quoque dicendum de mercede institori soluta, quem vulgo dicunt » *sopraccarico* ». Nihil quidem de mercium custode cautum fuerat in apocha sociali; sed haec expensa institoris, quo saepe utuntur mercatores ut indemnitati suae prospiciant, communem respexit utilitatem, et ipsi quoque Specchio, ut deponebant testes, arrisit post conscriptam apocham; nam ei assentitus fuit, et scutata *decem* navarcho restituit, quot hic custodi de suo persolverat. Non poterat igitur Specchius hanc impensam amplius recusare. Quocirca, deductis vini et frumenti *partitis*, quae summam conficiunt scutorum *sexcentum viginti duo et obulorum decem*, quaeque uni Pergamo adscribendae sunt, reliquae tres, quae summam attingunt scutorum 81 et obul. 77, medietatem exhibent a Specchio ferendam juxta mentem sacri Tribunalis, quae in eo versatur ut vini ac frumenti jactura uni cedat Pergamo, reliquae vero impensae ex aequo inter socios dividantur. Initis proinde calculis, facile patebit debitorem superesse Specchium in scutis 81: 77, quam punctim summam conflant tres partitae, altera scutorum 37 et obul. 50 dimidium nauli deficientis vini, altera scutor 14: 27 dimidia pars jacturae in negociatione aquae ardentis factae, tertia tandem scutorum *triginta* pro institoris mercede.

Et ita etc., utraque, etc.

R. P. D. MUZZARELLI

BONONIEN. MERCEDIS

*Veneris* 8 *januarii* 1830.

ARGUMENTUM

Conducta pure et simpliciter ad certum tempus artificis opera, negatur ante praefiniti temporis exitum conductionis rescissio ob praetensam ejusdem artificis imperitiam, tum quia, experimentis antea factis et silentio post incaeptum contractum, probata jam et perspecta conductori praesumitur ejus peritia, tum quia haec demonstratur ex testimonio hominum in eadem arte peritorum atque ex judicialibus experimentis deinde peractis.

*SUMMARIUM*

1. *Qui ad certum tempus pure et simpliciter artificis operam conduxit, frustra queritur de ejus imperitia et conductionem rescindere praesumit: suae culpae enim adscribere debet si absque aliena fraude ac dolo, dum libera ei undique erat electio, imperitum potius quam peritum hominem elegit.*
2. *Etiam in locationibus conductionibus juris principium valet, quod semel placuit amplius displicere non posse.*
3. *Qui navus et solers conduxit operam artificis, praesertim alienigenae, et longinqua e regione accersiti, praesumitur perspectam probatamque jam antea habuisse ejus in arte peritiam.*
4. *Fortius si post incaeptum contractum conductor siluit.*
5. *Debilitas et inaequalitas colorum in pannis non semper ex imperitia tinctoris, sed ex aliis causis plerumque provenit.*
6. *Qui acriter instetit ut fieret judiciale experimentum, illud initum necessariis cauthelis et sedulitate acceptum habere debet, et acquiescere.*

## Decisio XLI.

Locatio conductio operarum intercesserat, die prima octobris 1825, Emmanuelem Mettez Michault inter et socios, qui Bononiae pannos lanosos elaborandi vendendique gratia simul convenerant, sub sociali nomine *ditta Luigi Pasquini e compagni*. Locaverat ille operam suam, seu a se coloratum iri quotquot, per novem annos, occurrerent pannos in lanificio sociorum: *dirigere e sorvegliare tutto il lavoro della tintura, come pure il lavaggio delle lane nella fabbrica de' panni.*

Conduxerant hi, promissis in mercedem operis scutis octingentum, solvendis per singulos annos; insuper domo ad habitandum juxta officinam; lignis ad usum foci; oleo ad usum luminis; et restitutis ei sumptibus quos impenderat in iter ex Abbevilla in Galliis, ex qua eum, data opera, socii Bononiam acciverant. Primus et alter effluxerant conductionis anni, et tertius quoque ad finem vergebat, quin quemquam ex sociis de ejus opera conquestum fuisse constaret, sive in judicio, sive etiam extra judicium. Cum ex improvviso socii, die quarta septembris 1828, venerunt ad bononienses judices mercatorum, efflagitantes ut, rescissa locatione conductione operarum, Emmanuel ex officina repelleretur. Duabus potissimum de causis ad id se motos fuisse dictitabant: primum, quia longe plus pecuniae in colorandis pannis insumpserat, quam spoponderat ab initio; deinde, quia multos esse constabat qui sese prohibebant quominus emerent pannos sociorum ex defectu coloris, quem imperfectum, inaequalem, inconstantem esse dicebant. At judices nihil sibi investigandum esse duxerunt de prima causa, quam oppido falsam esse patebat. Neque enim in littera contractus ulla mentio exciderat de sumptu, intra quem, et non ultra, panni colorandi essent. Significaverat quidem in antecessum Emmanuel quantonam sumptu opus circiter futurum esset, quo comparare rentur medicamenta ad datam quamdam tingendam quantitatem pannorum; sed id, ab initio, demonstrationis non obligationis gratia scripserat: tum in computum sumptuum neque mercedem suam induxerat, neque salaria quatuor ministrorum operae, neque pensionem quae quotannis solvebatur pro conducto officinae aedificio; quae omnia deinde per socios ingesta fuerunt in computum, ad creandam in eum invidiam. Ergo falsa undique erat prima causa. Superat altera, deprompta ex imperitia Emmanuelis in arte sua: quae vera, nec ne esset, id judices, per interlocutorium decretum, trium in arte peritorum sententia dijudicandum esse reservarunt: a quibus ubi fuit deinde relatum, et perfectos a se inventos fuisse colores trium pannorum quos socii produxerant, contendentes eos, ante motam litem, male per Emmanuelem fuisse coloratos: et vivaces, acres, aequales item a se fuisse repertos colores trium aliorum pannorum quos de novo tingendos socii dederant, et, judiciali experimento coram peritis inito, Emmanuel singulos tres illos pannos singulis tribus diversis bene infecit coloribus: tunc judices nihil sibi ultra cunctandum esse putarunt in hoc judicio, quod, cum, uti pragmatici ajunt, privilegiatum sit, quia est de mercede, non patitur moras; et die prima septembris 1829 unanimiter decreverunt sociorum actionem de resolutione locationis conductionis operarum esse rejiciendam, et solvendas ab eis Emmanueli esse menstruas sive decursas, sive usque ad exitum novennii ratatim decurrendas pensiones. Eadem fuit sententia sacri nostri Ordinis, qui, in gradu appellationis per socios interpositae, hac mane rescripsit: *Non esse locum resolutioni contractus; et extendatur decisio.*

Nonnulli ex testibus exadverso inductis dixerunt Emmanuelem, procedente locationis tempore, ab illa tinctoriae artis peritia descivisse, in qua se excellere ab initio probaverat: quod cum dicerent, hoc ipso peritum artis saltem ab initio fuisse fatebantur. Etiamsi vero supponeretur semper eum fuisse imperitum, tamen quod socii, quibus libera undique erat electio, illum sibi potius elegerint, quam alterum hominem in arte strenuum, id suae dumtaxat
1 culpae adscribere, cum de aliena fraude vel dolo nihil quidquam constet, id sibi imputare tenerentur, qui, cum possent vel vitia hominis detegere, vel, vitiis detectis, ab illo sese prohibere, tamen eum, e longinquis regionibus accitum, comiter exceperunt. Neque fas modo eis est a data fide, diu ante exitum novennii, recedere; quia conventio quam cum eo iniverunt, fuit pura et simplex, de conducenda ejus opera, et, semel conducta, per novennium retinenda. In hujusmodi vero conventionibus notum omnibus est illud juris principium semper va-
2 lere: quod semel placuit amplius displicere non posse. At est oppido falsum quod socii, in exordio hujus litis, et non antea, dictitare caeperunt, eum esse in arte impe-

ritum. Luculentissima ex opposito prostant testimonia nostratum simul et exterorum, sive tinctorum, sive mercatorum, sive sartorum, de eximia ejusdem peritia. Et nonnulli ex eis, praesertim tinctores Abbevillae, quidquid ab eo fuit colore suffectum, artificis semper, ajunt, prae se tulisse praestantiam: alii testantur eum in vera ac plena versari possessione artis: et dignae mentione potissimum videntur laudes, quibus, qui in Gallia artibus praesunt et mechanicis operibus, praeclaram ejus in arte solertiam semel iterum solemni forma comprobarunt.

Hanc vero eximiam et publice commendatam hominis idoneitatem cum cuncti exploratam habebant quotquot eum noverant, tum praesumendum est, sociis maxime fuisse antea compertam, quam ejus conducerent operas. Namque eos quammaxime intererat singulas hominis in propatulo habere qualitates. Neque credibile est quod socii, multi numero, mercatoriam artem
3 profitentes, et idcirco navi et solertes, caecis quodammodo oculis, alienigenam accersire vellent; et promissa ampla mercede, fortasse majori, quam quae, hisce nostris regionibus, tinctoriae artis peritis dari consuevit, tum solutis sumptibus in longum iter ex Abbevilla, quae urbs est in Piccardia, usque Bononiam, eum ejusque familiam apud officinam pannorum exciperent. Ex altera quoque parte, num in homine peritia nec ne esset, id facile erat cognitu, cum de re ageretur sub sensu cadenti, quaeque, post inita experimenta, multo magis post eadem repetita, in omnium oculos cito insiliret. Neque sola valere debet praesumptio, sed pro certo tenendum est artificis peritiam sociis apprime fuisse compertam; idque suadent sive quae locationem conductionem antecesserunt, sive concomitantia, sive quae eam subsecuta sunt. Et primo quidem advertere oportet quod socii tunc demum contractus tabulis diei primae octobris 1825 sese subscripserunt, cum antea, per quadraginta circiter dies, scilicet inde a die vigesima secunda antecedentis Augusti, per Emmanuelem inchoata essent operarum experimenta. Namque ab illa die, deinde in tabulis contractus, dixerunt sumptum fuisse novennii exordium. Et quotquot, per illud quadraginta dierum spatium, in officina contigerunt diversae pannorum colorationes, eas pro certo habendum est bene cessisse juxta vota sociorum, statim ac eos deinde, per posteriorem syngraphum, in conductionem convenisse videmus. Neque solum consenserunt, sed hanc quoque sibi reservationem fecerunt, ne Emmanuel, quamdiu per novennium eorum lanificio praeberet operam, tamdiu aliis extra lanificium mercatoribus eamdem operam praestare posset. Adeo solliciti, adeo anxii erant de ejus opera, ut prohiberent ei ne simul aliis eam locaret. Praeterea in syngrapha contractus hoc alterum, ad majorem securitatem uberioremque cauthelam sibi reservarunt, nempe ut locationis conductionis hinc inde ratihabitio in suspenso maneret, eaque produceretur usque ad diem primam januarii sequentis anni 1826. Quae dies ubi adventaret, fas sibi futurum esset a contractu resillire, si id sua referret. At prioribus quae contractum praecesserant, paria fuerunt haec altera, quae deinde subsecuta sunt, experimenta; eaque bene cessisse dicendum est, quia, ubi, post tres primos conductionis menses, prima dies venit sequentis januarii, socii contractum ratum acceptumque iterum habuerunt.

Deinde siluerunt. Sed hoc silentium Ordini nostro alterum visum est ratihabitionis
4 argumentum, ex notissimo juris adagio, quod in hisce circumstantiis valere debet: qui tacet, consentire videtur. Neque solum in judicio, sed etiam extra judicium quaevis semper deesse visa fuit, sociorum querela. Eaque sociorum acquiescentia per tres primos stetit conductionis annos. Qua in re, notandum est illos quoque, per tres primos annos, acquievisse qui cum sociis rem mercatoriam habebant, et *corrispondenti* communiter dicuntur. Quod si nonnulli ex his, et forte qui intimiori cum sociis utebantur familiaritate, silentio ex improviso abrupto, unanimiter, missis ad socios epistolis, conqueri caeperunt de hominis imperitia, de colorum inaequalitate et debilitate, nulla de his eorum questibus habenda ratio est. Primo enim, sicut nemo repente fit pessimus, ita, qui antea excellens in arte habitus fuerat,

cito haberi non poterat totus mutatus ab illo. Tum illorum epistolae circa illud tempus conscriptae in universum esse conspiciuntur, qua prima eruperat contentio sociorum de dissolvendo contractu. Quare apertam collusionis et fraudis ingerunt suspicionem: eo vel magis quia, si unus et alter occurrebat pannus colore male infectus, non continuo sequebatur artificem esse imperitum. Cum saepe contingat, idque homines in arte periti testentur, quod debilitas, inaequalitas colorum in pannis, non semper ex imperitia tinctoris, sed ex aliis causis plerumque proveniant, ex. gr. ex aere, ex igne, ex lacu colorum, ex eorum qualitate et quantitate, et potissimum ex varia pannorum specie. Et nonnulli adsunt testes qui, in officina sociorum, sub Emmanuelis imperio, et ipsi operabantur, quique ajunt haud bonos a sociis suppeditatos ei fuisse colores; et saepe eum questum fuisse pannos qui dabantur ei colore inficiendi, esse humidos, succidos, et idcirco impares acri attrahendo colori.

Certitudini quae, post argumenta hucusque exposita, invaluerat de peritia hominis, fastigium quodammodo imponere visum est judiciale experimentum per bononienses judices demandatum. Rigorosum fuit hoc, non tam unum, quam duplex, experimentum, quod et ad tres pannos jam ab Emmanuele tinctos ante motam litem, et ad tres alios illatum fuit de novo tingendos. Et quoad tres primos jam tinctos, animadversum quidem fuit a peritis, primi et secundi ex eis colores, alterum subnigrum » *bleu* », alterum » *color bronzo fino* » diversos esse a colore tesserae, *campione*, quam exhibuerant socii; sed simul adnotatum fuit hanc diversitatem, non ex culpa artificis, sed repetendam esse ex defectu, per socios quoque haud negato, quod in officina unus dumtaxat esset colorum lacus, *tina*; et unum lacum satis non esse dixerunt, quo firmiter in pannis ii praesertim superducerentur colores qui caeteris sunt acriores. Nihilominus periti declararunt » *che quella pezza* ( primum pannum *bleu* ) *è di color perfetto a preferenza di quello della mostra* ». Alterum » , *color bronzo fino, se non in tutto, almeno nella maggior parte simile alla mostra, e per ogni rapporto sempre esitabile.* » Tertii vero panni ( *verde drago,* ) *il colore di questo è superiore di grado a quello del campione, e porta un fondo più forte e più perfetto.* » Quos vero de novo Emmanuel tinxit pannos coram peritis de illis hanc primum in genere periti pandiderant sententiam: » *Presa a scrupoloso esame ciascuna delle tre pezze dal Mettez tinta, da capo a fine, ed attentamente consideratane la qualità, vivacità, robustezza ed uguaglianza dei singoli colori, questi estremi tutti si verificano in esse.* » Deinde haec singula de singulis pannis addiderunt: de primo, cujus color erat verde da bigliardo, adverterunt, » *che, dalla parte della coda, per l'estensione di un braccio ed un quarto, vi si riscontra una qualche alterazione di colore. Non ostante questa circostanza il lavoro è perfetto, e di lievissimo pregiudizio al proprietario del drappo, in ordine al solo braccio ed un quarto, esitabile anche in questa piccola parte, e niente dannoso al corpo della pezza totalmente perfetto.* De altero, *verde drago, giudichiamo, essere, per ogni rapporto, perfetto, e non soggetto ad alcuna osservazione.* » De tertio, *bleu*, » *è riuscito questo pure perfetto in ogni sua parte, meno in quella, che il Mettez previdde, prima di passare alla tintura, siccome convenimmo noi pure, e che si è col fatto verificato nella coda o finire della pezza, nel quantitativo di mezzo braccio, abbiamo trovato una piccola differenza di colore in meno, la quale non porta, come nella prima, verun pregiudizio.* » Atque eo gravior sociis nunc inest obligatio acquiescendi et ratam acceptamque
6 habendi peritiam judicialem; quia, quo sollicidiori cura Emmanuel curaverat ne judiciali subjiceretur experimento, verens fortasse ne qua fraus in experimento irreperet in perniciem sui, hominis alienigenae; eo ardentiori conatu socii semper ei obstiterunt, efflagitantes ut fieret judiciale periculum: atque ita faciendum esse judices bononienses iterum iterumque decreverunt, concedentes in vota sociorum. In officina

sociorum initum fuit experimentum, loco sane haud eis suspecto: medicamenta et colores, non aliunde quesita, sed ab eis fuerunt subministrata. Eorum libero arbitrio remissa fuit pannorum electio, sive quae jam tincta dicebantur ante motam litem, sive quae fuerunt de novo tingenda. Insuper ipsi selegerunt tres diversos colores, quibus tres novi panni fuerunt infecti. Nefas ergo eis est judiciali experimento, judiciali refragari peritiae, tanta sedulitate, tot tantisque cautelis confectae, quantas ne socii quidem ultra poterant desiderare.

Atque ita ec., utraque ec.

R. P. D. DE CURSIIS

FERRARIEN. PECUNIARIA

*Lunae* 15 *februarii* 1830.

ARGUMENTUM

Ex dilatione concessa ad solvendum, atque ex pactis quae respiciant vel majorem creditoris indemnitatem vel minus debitoris incommodum non inducitur novatio. Post interpositam appellationem nullus amplius locus extraordinario nullitatis et circumscriptionis remedio.

*SUMMARIUM*

1. *Pacta quae majorem dumtaxat creditoris indemnitatem et minus debitoris incommodum spectant, originem et causam prioris obligationis haud innovant.*
2. *Non aliter novatio inducitur quam si expressis verbis priori contractui derogatum fuerit, vel novae stipulationi adjecta pacta, quae prioribus adversentur.*
3. *Dilatio ad solvendum concessa novationem non inducit.*
4. *Contrahentes abhorruisse a novatione evidenter constat ex eo quod, in casu commissae stipulationis, voluerunt ut executioni committeretur sententia lata super priori obligatione.*
5. *In quonis dubio aspera et odii plena circumscriptionis querela est rejicienda.*
6. *Ex consensu partium prorogatur judicis, alioquin incompetentis, jurisdictio.*
7. *Post interpositam absque ulla reservatione appellationem non est amplius integrum circumscriptionis querelam proponere.*
8. *In iis quae per modum et poenam conventa fuerunt, obtinet semper purgandae moras beneficium.*

DECISIO XLII.

Sententia judicum, qui de commercii et mercatorum negociis Ferrariae jus dicunt, damnati cum fuissent Franciscus, Maurus ac Bartholomaeus fratres Benazzi ad vim nummorum argenteorum *septingentum undecim* vindelicae monetae reprachesentandam Josepho Fioravanti, biennales inducias ab eo postularunt, et facile per apocham obtinuerunt, cui data fuit opera ineunte martio anni 1828. Sed hac lege dilatio concessa fuit ut scilicet firma maneret solidalis debitorum obligatio; ut nomen ipsum augeretur, fructuum et expensarum caussa, usque ad nummos vindelicos *septingentum sexaginta quatuor*; ut rursus de hac summa tenerentur debitores, ex prolatione requisitorum Pauli de Castro a creditore interim facta, interusuria *bessalia* persolvere: ut pariter, praeter generalem bonorum obligationem, cogerentur ipsi debitores intra trimestre tempus nominatim praedium aliquod liberum praefinire quod speciali hypotheca mancipari posset ad majorem indemnitatem creditori parandam; ut demum, praedio non exhibito, a beneficio dilationis deciderent debitores, simulque creditori, nulla monitione praeeunte, judicii acta persequi liceret. Termino autem perperam effluxo, rediit creditor ad judices commercii Ferrariae, et executioni committi petit sententiam ab eis editam ad diem *tertiam* supra *decimam* julii 1827. Strenuam ope procuratoris defensionem pararunt rei conventi; nihil tamen aliud potuerunt impetrare, nisi ut novus eis terminus unius mensis praestitueretur ad fundum assignandum, qui foret inscriptioni hypothecae specialis idoneus; termino dein inutiliter emenso, executionem demandarunt praedicti judices prioris sententiae, ac ipsos praeterea reos conventos ad solutionem argenteorum nummorum Bavariae *octoginta trium* in argumentum capitis et fructuum causam damnarunt, una cum refectione damnorum et expensarum. Appellarunt primo ab hac sententia germani fratres Benazzi: mox de nullitate quoque hujus judicii questi sunt, transmissa coram sacro nostro Ordine *speciali* citatione, quae ho-

die dimissa est rescripto: » *Nihil de circumscriptione ; esse locum praefixioni termini unius mensis; et extendatur decisio.*

Nullum siquidem occurrebat ex notissimis illis vitiis *citationis, jurisdictionis et mandati*, quae ad jubendam actorum circumscriptionem necessaria sunt. De citationis et mandati defectu ne verbum quidem proferebant fratres Benazzi, qui unice sese recipiebant in jurisdictionis vitio, qua caruisse dicebant judices commercii ferrarienses, dum secundam pronunciarunt sententiam, quasi bis in idem inciderint, aut jus dixerint de negocio non commerciali, sed prorsus civili. Utrumque tamen objectum facili negotio diluebatur. Non unum enim idemque controversiae subjectum, de quo disceptatum fuerat in priori sententia, anno 1827 ad diem *decimam tertiam* julii lata, in disquisitionem venit in sententia posteriori ejusdem mensis julii superioris anni, quam uti irritam Benatii traducunt. Querebatur primo in judicio de solutione nummorum argenteorum Bavariae *septingentum undecim*, quae a Benatiis condicebantur ex negotio commerciali, quaeque illico persolvi prior sententia jussit. In altero autem judicio, post initam transactionem instituto, disputatum fuit utrum lapsi Benatii fuissent a beneficio concessae ad solvendum dilationis ob non exhibitum, intra praefinitum terminum, praedium aliquod speciali hypotheca in securitatem creditoris devinciendum; id quod altera sententia negavit, dum novum terminum ad implendam pactorum fidem reis conventis indulsit.

Negociorum igitur et controversiarum discrimen efficiebat ut judices commercii ferrarienses, absque ullo periculo bis in idem incidendi, tuto possent de nova controversia ex apocha transactionis exorta judicare, quae aeque subjiciebatur jurisdictioni tribunalis commercii Ferrariae, quemadmodum obnoxia fuerat quaestio antecedens, de qua, edita sententia, concordiam inire litigantibus placuit. Ex transactione namque, quae anno 1818 celebrata fuit ineunte martio, nihil novatum est atque remissum de priori obligatione, quae imo ex concordia novum robur accepit. Cautum utique in concordia fuit ut in caussam biennalium induciarum, quas a creditore impetraverant, Benatii tenerentur liberum fundum exhibere speciali hypotheca mancipandum, fructusque octunces deinde rependere in vim requisitorum castrensium, quae interim creditor interpellavit. Sed haec pacta, quae majorem dumtaxat creditoris indemnitatem spectarunt et modum solvendi debitoribus minus incommodum, nec caussam prioris obligationis innovarunt, quibus 1 sarctis tectisque manentibus, merito praesumendum est plus moderari et corrigere, quam a priori contractu recedere, contrahentes voluisse; *Salgad. labyr. credit. part.* 3 *cap.* 11 *numer.* 99, *Gratian. discept. forens. cap.* 273 *numer.* 24, *Rota decis.* 7 *numer.* 14 *tit. de fidejussor. coram Falconerio.* Novatio siquidem non aliter censetur inducta, quam si expressis verbis priori contractui fuerit derogatum, aut novae stipulationi hujusmodi fuerint adjectae 2 pactiones, quae prioribus prorsus adversentur; *leg. novationum* 8 *cod. de novat.*

Jam vero cum certum sit pactiones in concordia interpositae haud pugnare cum aliis quas prior obligatio continebat; tum vero illud exploratum est, ex dilatione ad solvendum concessa, nullo modo novari praece- 3 dentem obligationem; *Rot. in rec. decis.* 645 *numer.* 3 *par.* 18, *in Romana cambii super reductione* 8 *januarii* 1801 § 7 *coram Malvasia, in Fulginaten. reductionis* 17 *junii* 1803 § 6 *coram Bardaxi et in Romana seu Æsina reductionis* 4 *julii* 1803 § 6 *coram Tassoni.* Et quippe, modo quo non potest idem simul esse et non esse, ita pariter repugnat ut deleatur obligatio, et simul prorogetur tempus ad eam implendam. Adeo vero incolumem contrahentes voluerunt priorem obligationem, ut non aliam sententiam, nisi illam, quae super 4 priore obligatione prodierat, non exhibito intra statutum terminum praedio, executioni committi cautum fuerit, et debitum praeterea suum professi fuerint Bonatii coram ipso tribunalis commercii Ferrariae tabellione, ea conscripta syngrapha quae fundamentum alterius sententiae constituit. Rejicienda est igitur, alioquin aspera odiique plena, circumscriptionis querela, quae tunc tantum probari debet, quum absoluta 5 proferantur nullitatis argumenta quae praesumptionem ex jure ipso manantem pro va-

liditate actorum elidant; *Constantin. vot. decis.* 186 *numer.* 14 *tom.* 1, *Rot. in Faventina circumscriptionis* 11 *maii* 1795 § 2 *cor. de Bayane.*

Certius quia, etiamsi minus competens fuisset tribunal commercii Ferrariae, omne tamen jurisdictionis vitium sanarunt Benatii, quippe qui non fori *declinatoriam* implorarunt, sed oblatum vadimonium obire satius duxerunt, ibique strenuam defensionem pararunt. At vero compertum in ju-
6 re est ex consensu partium prorogari judicis, alioquin incompetentis, jurisdictionem; *leg.* 1 *cod. de judic.*, *Carleval. de judic. lib.* 5 *tit.* 1 *disput.* 2 *quaest.* 8 *numer.* 990, *Constantin. vot. decis.* 77 *num.* 45, *Rot. in rec. decis.* 306 *num.* 12 *part.* 7, *decis.* 96 *num.* 16 *cor. Ansaldo et in Romana recognitionis in dominum super circumscriptione* 5 *julii* 1819 § 5 *cor. emo Marco.* Deterior autem est circumscriptionis querela, provocatione inspecta, quam simpliciter et absque ulla reservatione experiundae nullitatis rei conventi interposuerunt. Eo ipso siquidem, quod ad ordinarium remedium, cujusmodi est appellatio, ipsi confugerunt,
7 nuncium misisse visi sunt extraordinario remedio nullitatis et circumscriptionis. Quapropter, post injectam absque ulla reservationem, provocationem, non erat amplius integrum Benatiis querelam circumscriptionis experiri, etsi fulcro aliquo inniteretur.

Denegata igitur circumscriptione, probanda erat sententia altera, quam judices commercii ferrarienses in subjecta specie pronunciarunt. Non enim petitioni actoris prorsus adhaesit qui decidisse Benatios contendebat a jure ac beneficio dilationis; sed canonicam aequitatem sequuta veniam Benatiis concessit purgandae morae, ex qua novum terminum unius mensis eis praestituit ad fundum liberum exhibendum, super quo specialis inscribi valeat hypotheca. Nam quod objiciebatur in concordia constitutum fuisse ut creditori liceret, non exhibito intra terminum fundo, executioni mandare absque ulla monitione sententiam die 13 julii anni 1827 editam, id quidem non per conditionem et pactum expressum cautum fuit, sed per modum et poenam; ideoque debitorem non privat beneficio purgandae morae, ut
8 saepe definitum est, et praesertim *cor. Olivatio decis.* 145 *num.* 6 *et sequen.*, *et in Romana donationis* 20 *februarii* 1750 § 8 *cor. Elephantutio.*

Et ita, utraque, etc.

R. P. D. RUSPOLI

ROMANA SOCIETATIS

*Veneris* 12 *martii* 1830.

ARGUMENTUM

Quid lex postulet ad demonstrandam societatem quam vocant » *di partecipazione* », disseritur. Socii decocti creditores, quum ipsum repraesentent, non plus juris in rebus societatis habent, nec plus ex ea repetere valent, quam quod decoctus in societatem contulerat vel reliquerat.

*SUMMARIUM*

1. *Societas* » di partecipazione » *recte demonstratur ex accepti et expensi codicibus mercatorum, in quibus inscripta sit pecunia ab socio data rem emendi vendendi causa, itemque emptiones venditiones sociali nomine positas.*
2. *Codices mercatorem, etsi minus accurati, fidem tamen mereri possunt, nisi fraude vel fraudis suspicione arguantur.*
3. *Creditores decocti patrimonii contra tertium agentes ex aliquo exteriori vitio respuere nequeunt illos ipsos codices quibus usi sunt ad propria nomina constituenda.*
4. *Collusio et fraus praesumi nequit sine maximis gravissimisque probationibus et argumentis.*
5. *Lex mercatoria ad rationalia decocti patrimonii conficienda suppeditat testimonium hominum, qui in ipsius decocti debitoris ministerio fuissent.*
6. *Quando constat rem aliquam pecunia socii comparatam fuisse et in societatem immissam, nihil refert ad societatem ipsam excludendam emptam non fuisse ejusdem socii nomine.*
7. *Quod factum est tempore haud decoctioni proximo, in fraudem creditorum perpatratum haberi nequit.*
8. *Sociales res et pecuniae in singulorum sociorum dominio manent, nec alteri ex eis acquiruntur, qui societatem administret aut instituat.*
9. *Dominus ad pretium rei venditae consequendum recte utitur actione vindicatoria ex dominio proficiscente.*
10. *Socius non plus juris in rebus societatis habet, nec plus ex ea repetere valet quam quod in societatem contulit vel reliquit.*

11. *Itemque ejus creditores qui eum reprachesentant, si interim decoxit.*

## Decisio XLIII.

Cum anno superiori, mense majo exeunte, Marianus Scultheis, non infimus in Urbe argentarius, foro cesserit, compertum est liburnenses quosdam negociatores frumenti pecuniaeque vim Mariani nomine retinere, a quo cum frumentum accepissent commercii ineundi causa, partem jam vendiderant, ideoque partem frumenti et partem habebant pecuniae. Advocatus Joseph Vannutelli hanc et reliquum pretium quod a reliqui frumenti venditione redigeretur, sibi vindicabat. Haec enim ajebat conditionem Patrimonii Scultheis subire non debere: siquidem ad se unum pertinerent qui egregiam quindecim millium scutatorum summam Scultheio in frumenti negociationem erogandam suppeditaverat, ita in re contracta societate ut Scultheius dimidium lucri consequeretur. Decocti patrimonii creditores resistebant; quapropter Joseph petitionem detulit suam apud judices qui de rebus ad commercium spectantibus jus ex prioribus actionibus in Urbe dicunt. Curandum imprimis visum est ut, jam universo frumento a liburnensibus negociatoribus maxima quidem cum jactura divendito, pecunia ab iis exigeretur, quo in tuto collocaretur. Creditoribus itaque assentientibus, mercatorii judices interlocutionis decretum tulerunt, quo mandatum Josepho dabant ut a liburnensibus negociatoribus pecuniam exigeret, jubebantque illam apud se depositi loco retinere usque dum caussa super frumenti pecuniaeve dominio dijudicata esset. Mox, altero ex creditoribus qui ad judicium non venerat, urgente, mutatum est a judicibus illud provisionis decretum, aliudque latum quo Vannutellius jussus fundi cujuslibet oneris immunis hypothecam praestare ut pecunia a liburnensibus mercatoribus exigenda cautior esset. Quamobrem is ad nostrum Ordinem provocavit, ad quem proinde quaestio etiam praecipua delata est. Cum utramque rem Patribus cognoscendam decimoquarto kalendas martias proposuissem, servandam voluerunt provisionem quam priore decreto mercatorium tribunal mandaverat, creditorum autem rogatu principis causae judicium distulerunt. Sed hodie actoris petitione instaurata, rescribendum censuerunt: » *Esse locum consignationi, et extendatur decisio.*

Pecuniam ex frumento redactam sibi Vannutellius vindicabat, siquidem quindecim millia scutatorum nummum Mariano Scultheis dedisset in emptionem frumenti erogandam, quod hic ipse negotiaretur, lucrique dimidium parteciparet, ea nimirum societate inita quam *di partecipazione* nostrates dicunt. Sed ita rem Vannutellium inter et Scultheium compositam fuisse plurima probabant, et ea quidem quae lex nostra mercatoria articulo 48 ad hujus generis societatem demonstrandam postulat. Accepti et
1 expensi codices primum occurrebant, quorum alter *saldaconti*, *alter entrata di cassa* summam a Vannutellio emendi vendendique frumenti causa datam inscriptam usque ab incunte januario anni 1829 perspicua notatione exhibebant: » *avvocato Giuseppe Vannutelli recò contanti per impiegarli in acquisto grani sc.* 15000 «. Sub ipsius autem Josephi nomine positas frumenti emtiones, quas cemtumcellenses mercatores mensibus januario et februario fecerant, referebant, ipsi Josepho debito tributa vi nummorum 15333. Accedebant literae, quibus mercatores illi de frumento comparato, de sumptibus pro illius custodia, exportaptione, aliisque hujus generis rebus factis certiorem reddebant Scultheium, et Joseph epistolas proferebat quibus sibi Scultheius earum litterarum et rationum a centumcellensibus mercatoribus trasmissarum copiam faciebat, quidque agendum rogabat, praesentes frumentarii commercii conditiones subjicendo. Testes denique prodibant, qui pecuniam in re collocatam, qui frumentariam negociationem in mensae codices Vannutellii nomine relatam, qui rationes a centumcellensibus mercatoribus datas ad Vannutellium literis Mariani mandato scriptis transmissas affirmabant.

Quod si codices minus accurati reperti
2 sint, non tamen fraude, vel fraudis suspicione accusabantur, ut nullam facere fidem valeant. Coeterum erat maxime animadvertendum, creditores decocti patrimonii, qui li-

tem hanc adversus Vannutellium agunt, codicibus ipsis usos fuisse ad rationaria con-
3 ficienda, ad credita sua comprobanda (privata enim, quam a Mariano habebant, syngrapha in discrimen revocari facile potuisset,) ad compositionem denique ineundam quam pro singulorum nominum portione facere deliberaverant. Ne itaque dispar sit judicandi ratio inter quos eadem juris ratio occurrat, ex aliquo exteriore vitio codices reprobari profecto nequibant. Quia vero Mariani ad Vannutellium literae in adversaria, sive *copia-lettere*, relatae non fuissent, non ideo fidem plane amittebant; si non aliunde dolosa aut suspiciosa res esse videretur. Sed ne testes quidem erant rejiciendi societatem affirmantes, quippe Scultheio addicti essent. Praeter enim quam quod unus alterque non deerat ab eo prorsus alienus, coeteri homines integri erant, insuperque nullum amplius cum Scultheio negotium habebant cum testimonium pro veritate dixerunt. Ex ore autem illius societatem nequaquam affirmabant, nec jejunis verbis ipsam objiciebant, sed ea quidem in medium afferebant quae societatem omnino constituunt et probant, rem nimirum in codicibus a se inscriptam, literas et rationes de ea ad Vannutellium datas. Porro ad haec omnia pro nihilo habenda turpissimas collusionis fraudisque machinationes pluribus impingere
4 prorsus oporteret, quod sine maximis gravissimisque probationibus et argumentis sane non licet. Ceterum ipsa est lex mercatoria, quae articulo 467 ad rationaria patri-
5 monii decocti conficienda testimonium hominum suppeditat qui in decocti ipsius debitoris ministerio fuissent.

Sic vero societate undique probata, perperam objiciebatur ex syngrapha depositae pecuniae Vannutellium agere, ex qua creditor tantum est: quippe pecuniam libere apud argentarium deposuerit, isque aliquot mensibus post frumentum nomine suo comparaverit. Etenim Joseph ea singrapha imprimis non utitur ut ope ipsius agat, pecuniamque ex frumento redactam pro sua vindicet; sed eam profert, ut ampliorem exhibeat probationem se dedisse pecuniam.
6 Parum autem refert Mariani potius quam Josephi nomine emptum fuisse frumentum, dum liquido constat pecunia socii comparatum, atque in societatem immissum. Cumque alioquin Scultheius, qui omnia ad negociationem faciendam gerere debebat, mercatoribus centumcellensibus rem demandasset; profecto non alius quam ipsius nomine res ipsa perfici poterat. Quod si Vannutellius pecuniam libere primum tradiderat Scultheio, non inde consequitur pacisci postea non potuisse ut frumentarium ex ea commercium iniretur, quod lucri dimidium Scultheio rei gestori tribueret. Cum enim factum hoc fuerit tempore, quod uti
7 proximum decoctioni Scultheii neutiquam haberi potest (siquidem hic foro cessit mense maio exeunte, anteactis vero mensibus januarii, februarii et martii pecuniam ineundae negociationi addictam, frumentum comparatum, literasque Mariani ad Vannutellium de re datas apparet) id in fraudem creditorum patratum existimari plane non potest. Namque sicuti Vannutellius pecuniam suam repetere jure valuisset, ita nulla caussa subest quare in certam negociationem atque societatem convertere illam non posset.

Sed ubi liquido constat et societatem initam et pecuniam a Vannutellio in rem versam, dubitari plane non potest quin ipse frumenti pecunia sua comparati dominium nactus fuerit. Societatis enim pactione constituta, Scultheius nihil aliud fuit, quam procurator sive gestor ex mandato, adeoque pecuniae in frumentaria negociatione collocandae dominium Vannutellius retinuit, sibique procuratoris opera frumentum pecuniae suffectum acquisivit. Quamobrem aliena erat lex 20 *cod. de pactis* quam creditores opponebant. Vannutellius enim traditione et usucapione non egebat ad rei dominium quod habebat, adipiscendum. Sociales enim res et pecuniae in singulorum
8 dominio manent sociorum, neque vero alteri ex iis acquiruntur, qui societatem administret instituatque. Sicuti autem dominus rei ad pretium divenditi frumenti conse-
9 quendum actione *vindicatoria* ex dominio plane proficiscente recte utebatur. Nec ullum jus in eo creditores ex decoctione Scultheii sibi arrogare poterant. Etenim cum socius non plus juris in rebus societatis ha-

beat, nec plus ex ea repetere valeat, quam quod in societatem contulit reliquitve; profecto sequitur ut, sicuti Scultheius, cui ex societate nihil aliud quam lucri dimidium debebatur, nihil ex non utili sed damnosa frumenti venditione percipere potuisset; ita nec quidquam creditores ejus, bona ipsius possidentes, exigere aut sibi arrogare valeant; *quippe jus omne suum metientes ex capite socii foro cedentis, eumque repraehesentantes*: quemadmodum ad rem optime animadvertit *Voet. in Pandect. lib.* 17 *tit. pro socio* § 22.

Et ita etc., utraque, etc.

R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA PRAEMII

*Lunae* 19 *aprilis* 1830.

ARGUMENTUM

Duorum theatrorum redemptoribus inter se contendentibus de praemio concesso ab summo imperante, quod publicorum spectaculorum curatores solemni ritu declaverant se illi daturos qui meruisset, praemium ipsum ex declaratione tribuitur illius theatri redemptori qui plausum populi et publicam approbationem ex feliciori successu sibi comparavit.

*SUMMARIUM*

1. *Victoribus praemia proponuntur ad excitandam aemulationem.*
2. *Praemio autem semper victores, nunquam victi donantur.*

## Decisio XLIV.

Imminentibus superioris anni bacchanalibus, cum nemo esset qui theatrum regium redimere vellet, s. m. pontifex Leo XII, ne scenicis hisce ludis urbs Roma careret, prudentissime jussit ut ei qui opus aggrederetur, jus privilegiarium publicas exercendi choreas et amplius argenteorum nummorum *bismillia* concederentur hostimenti causa. Sed propter temporis angustiam, simulque difficultatem strenuos conducendi cantores et saltatores, non alii prodierunt, nisi parte ex una heredes Aniceti Pistoni, qui theatro quod a veteribus forte dominis *a Valle* caepit nuncupari, jocosam musicen, una cum fabulis et comicis repraehesentationibus, in alio vero *Turris Argentinae* serium melodramma cum minoribus choreis intermediis exhibituros sese fore polliciti sunt: parte autem ex altera socii quidam et institores, Paternus, Moglia et de Dominicis, sub quorum nomine latebat ipse dux recens defunctus Joannes Torlonius, serii dumtaxat melodrammatis spectaculum sese in theatro *Apollinis* edituros spoponderunt. Quocirca, probe videntes publicorum spectaculorum curatores regium theatrum, quod spectaculum exigit, semel saltem, scenicis pergentibus ludis, immutandum, serii melodrammatis, duplicisque generis majorum minorumque chorearum, a nemine praeberi, ita interpretati sunt supremam jussionem ut neutris praemium addixerint, sed eis solum promiserint qui ex feliciori ludorum exitu prae caeteris praemium ipsum promereri viderentur.

Praenuntiatis hinc publice spectaculis, eorum initium redemptores *Turris Argentinae* fecerunt die 7 januarii; susceptores autem theatri *Apollinis* multo serius ludos scenicos inchoarunt, die *prima* scilicet insequentis februarii. At ex improviso, primum intermissa ad diem *nonam* ejusdem mensis februarii, mox interdicta fuerunt spectacula omnia ob interitum summi pontificis Leonis XII. Cum igitur acta res esset de jure privilegiario publicas exercendi choreas, disputare inter sese redemptores utriusque theatri *Apollinis et Turris Argentinae* caeperunt de praemio argenteorum nummorum *bismillium* consequendo, quod sibi unis addicendum ex eo contendebant redemptores theatri *Apollinis*, quod regio theatro exercendo operam dedissent. Secus tamen existimarunt equites spectatissimi publicis spectaculis praepositi, quorum est controversias in prima actione dirimere, si quae inter mimos, saltatores, cantores et theatrum redemptores oriantur. Sed ab illorum decreto, ex quo praemio donarunt redemptores theatri *Turris Argentinae* quod meliorem habuerat successum, provocarunt redemptores theatri *Apollinis*, ac ex decreto praesulis qui vice sacra fungitur, obtinuerunt ut rei cognitio s. Ordini nostro committe-

retur cum clausula *de causis sine praejudicio rei judicatae*, in quam de more transierat decretum a publicorum spectaculorum curatoribus prolatum. In irritum vero hodie cesserunt vota redemptorum theatri Apollinis, quippe qui s. Ordinem audierunt propositae quaestioni merito respondentem: » *Non esse locum repetitioni praemii, et extendatur decisio.* »

Quidquid placuerit, in id maxime laborante Urbis praeside, s. m. Leoni XII decernere quoad praemium argenteorum nummorum *bismillium* ei unice tribuendum qui theatrum regium feriis genialibus superioris anni redemisset, hoc utique certum est, re infecta, cum nemo esset qui opus hujusmodi susciperet, ad aemulationem excitandam consilium arripuisse publicorum spectaculorum curatores et supremae sanctionis interpretes praemium redemptoribus illis concedendi qui praeferendus ex feliciore exitu videretur. » *La Deputazione ha fatto intendere* ( ita in scriptis declararunt curatores ) *che non può negare tali permessi* ( exercendi theatra ) *nella sudetta stagione, e solo si è astenuta di assicurare a veruno di detti impresarj il conseguimento del premio in denaro accordato dal Governo nella somma di scudi duemila, come anche l'introito dei festini, riservandosi di accordarlo o in tutto, o in parte a quella impresa che per la sua buona riuscita potrà meritarlo.* » Cum itaque haec lex dicta fuerit theatrorum redemptoribus, iique sponte eidem legi sese subjecerint, cum eaque unica contraxerint, nemo profecto non intelligit non amplius spectandum esse quid in jussione pontificia contineretur, quaeque ejus fuerit vis et sensus, sed judicium esse ferendum ad tramites declarationis cui subscripserunt spectaculorum curatores, quaeque ita habenda est perinde ac si contractum numeris omnibus absolutum redemptores inter ac curatores exhiberet. Uno verbo inspiciendum non est quis operam dederit regio theatro, sed quis imo plausum populi et publicam approbationem ex feliciori successu sibi comparaverit.

Huc vero re perducta, facillimum est statuere praemium pecuniarium redemptores *Turris Argentinae* unice meruisse, nedum ex ore eorum qui a partibus erant redemptorum theatri *Apollinis*, quique pluries coram curatoribus spectaculorum voce et scripto professi sunt feliciorem exitum habuisse theatrum aliud *Turris Argentinae*, sed quia etiam ita constat ex facto quod deleri non potest. Votum enim publicum publicamque approbationem sibi conciliarunt postremi hujusce theatri redemptores, sive tempus prae oculis habeatur quo caepta scut scenica spectacula, sive famam et celebritatem spectaculorum et cantorum et saltatorum, sive vestium, scenarum, machinarum decus et ornamentum, sive demum sumptuum quantitatem inspicias. Reque vera initium scenicorum ludorum fecerunt *Turris Argentinae* redemptores a die *septima* januarii; dum e converso theatri *Apollinis* redemptores ferme post mensem, die *prima* nimirum februarii, auspicati spectacula fuerint, ut vix *sex* in totum dederint. Fuerint aeque celeberrima, si ita lubet, melodrammata seria, ac haeroicae et comicae choreae, quas utrique redemptores ediderunt. Non unum tamen melodramma, neque unum tantum chorearum spectaculum, prout accidit de redemptoribus theatri *Apollinis*, exhibuerunt redemptores alii *Turris Argentinae*, sed duo imo melodrammata celebratissima, praeter aliud jam destinatum et praeparatum, quod ex supervento infortunio edi non potuit, ac bina praeterea chorearum spectacula, quorum unum quidem semiserium, aliud tamen solemnissimum et laudatissimum, quod multam populi frequentiam et plausum excitavit.

In maxima item temporis angustia, non alios actores et saltatores conquirere potuerunt theatri *Apollini* redemptores, nisi eos qui, aut propter aetatem jam rude fuerant donati, aut propter imperitiam sibilis et irrisionibus a spectatoribus salutari meruerunt. Contra vero redemptores theatri *Turris Argentinae* cantores et saltatores in medium protulerunt summae celebritatis, qui plura ingenii et peritiae suae testimonia, tum in primioribus Italiae et Europae theatris, tum Romae praecipue jam dederant. Nec dicendum, ereptos eximios hos cantores fuisse ab alio theatro *Valle*, et ita fraudatos quodam-

modo eos fuisse, qui in praedicto theatro cuneos et cellulas theatrales antea conduxerant. Postquam enim eorum opera coempta fuerat, poterant redemptores opera ipsa uti prout magis libuisset, et cantores ipsos mercede conductos ad extera theatra majori pretio mittere, ut lucrum facerent. Tantum autem abest ludificatos sese dolere potuisse conductores cuneorum theatri *Valle*, ut ad eorum notitiam, antequam conductiones cellularum inirentur, deductum fuerit, praenuntiatis spectaculis, quos cantores, mimos, saltatores in theatro *Valle*, quos vero in alio theatro *Turris Argentinae*, theatrorum redemptores forent exhibituri.

Meliora pariter fuisse ornamenta theatralia, vestes nempe, machinae, scenae, fidicines, quibus usi fuerunt redemptores theatri *Turris Argentinae*, quam adhibuerint alii redemptores theatri *Apollinis*, judicium probat quod inter germanos fratres Torlonios et Joannem Paternum exarsit, et postea deductum fuit ad sacrum Auditorium de pretio vestium, cujus nomine patebat hic scuta circiter *termillia*, illi vero non alia de causa, transactione inita, longe minorem summam persolverunt, nisi quia vestes ipsae attritae, consumptae, dissutae repertae fuerunt. Majores demum fuerunt sumptus quos impenderunt redemptores theatri *Turris Argentinae*, quam alii impenderint qui theatrum Apollinis exercuerunt. Primi siquidem rationariis suis ostendebant, ne satis quidem fuisse ad instruendum theatrum argenteos nummos *undecim mille*; alii vero vix impensa probabant scuta *septem millia* quae multum decrescunt si id tantum in calculo habeatur quod pro pretio indumentorum vere solutum Joanni Paterno ex transactione fuit. Tantum porro adest discrimen inter sumptus a redemptoribus *Turris Argentinae* initos, ab alijs quos fecerunt redemptores theatri *Apollinis*, ut hi quidem indemnitati suae consuluerint ex pensionibus cellularum, quarum dimidium solvi a conductoribus necessario debuit; illi vero in damno versentur utcumque praemio donati.

At vero, nedum efficere debebant haec omnia, sed effecerunt revera ut feliciorem habuerit successum theatrum *Turris Argentinae*, quam aliud *Apollinis*. Ergo ex litera ipsa declarationis, quam publicorum spectaculorum curatores evulgarunt, sequitur ut redemptoribus theatri *Turris Argentinae* praemium scutorum *bismillium* tribuendum sit. Exceptionem autem de jure tertii sapiebat quidquid objiciebatur ut evinceretur in facultate curatorum publicorum spectaculorum non fuisse praemium illud, quod ex intentione summi Pontificis ei erat tribuendum qui regium theatrum redemisset, in alium usum convertere, ac in eos conferre qui pontificia jussa non impleverant. Atqui hujus generis exceptiones, si nunquam recipiendae sunt, multo minus proponi possunt adversus reum conventum, cui satis est vincere per non jus actoris. Illud praeterea animadvertendum est, publicorum spectaculorum curatores quacumque facultate praeditos fuisse supremam sanctionem interpretandi et ad excitandam aemulationem et ad comparanda civibus spectacula scenica, si non optima, saltem tolèranda, rite potuisse praemium, pro redemptione theatri regii quod amplius haberi non poterat, destinatum, eis promittere qui melodramma aliquod et choreas exhibuisset, quae majorem spectatorum plausum, frequentiam, approbationem excitasset.

Accedit, declarationi illi ac legi quam spectaculorum curatores redemptoribus theatrorum dixerunt, praemium nempe tribuendi » *a quella impresa che per la sua buona riuscita potrà meritarlo* », ipsum subscripsisse Urbis praesidem, qui cuncta ex officio Pontifici summo retulisse, et supremum placitum impetrasse praesumendus est. Non est igitur vituperandum curatorum judicium, qui pro bono publico et ad excitandam aemulationem, ita supremam sanctionem interpretati fuerunt ut ei esset praemium pecuniarium addicendum qui ex feliciori exitu magis dignus prae caeteris fuisset ut illud consequeretur. Redemptorum theatri *Apollinis* propositum excitavit forte aemulationem aliorum redemptorum, qui praemium meriti sunt. At nemo ignorat victori-
1 bus praemia proponi ad promovendam aemulationem. At praemio semper victores, non
2 victi, donantur. Quamvis igitur factum redemptorum theatri *Apollinis* aemulationem aliorum redemptorum excitaverit, cum tamen multo in scenicis ludis exhibendis hi primis

praestiterint, nemini dubium quin ipsi solum consequi promissum praemium debuerint.

Et ita, utraque, etc.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA SOLUTIONIS

*Lunae 17 maji 1830.*

ARGUMENTUM

Ubi ex pacto dies certus praefinitus fuit, non est locus purgationis moraе beneficio. Si dari poterat res pro pecunia ante contestationem litis, id non amplius licet post institutam actionem qua petita fuerat pecunia.

*SUMMARIUM*

1. *Beneficium est, ut loco pecuniae numeratae, quam quis receperat, et quae pretiosior semper habetur, rem restituat.*
2. *Suspectus testis ei, pro quo deponit, affinitate conjunctus.*
3. *Nulla fide dignus testis rem dicens quam constat esse falsam.*
4. *Ubi deest causa simulandi, et ipsa deest simulatio.*
5. *Non est locus beneficio purgationis moraе, si ex pacto praefinitus fuerat dies certus, qui tunc dicitur interpellare pro homine.*
6. *Itemque non est locus si ei renunciatum fuerit.*
7. *Si res dari poterat ante litis contestationem, id amplius non licet postquam, instituta actione, petita fuit pecunia.*
8. *Quod postea evenit inopinato casu rescindere non potest quod antea ex pacto conventum fuerat.*

## Decisio XLV.

Agitur, in hac causa, de solutione duarum litterarum, uti ajunt, cambialium, quas scripserant, die decima sexta aprilis 1828, Liborius Marignoli et Petrus Cartoni, et in earum altera professi fuerant, mutua se accepisse scuta 2283: 29 a Joanne Thoma Silvestrelli, in altera scuta 1000, eaque promiserant ei a se restitutum iri ad diem decimam quintam sequentis junii. Quonam vero modo restitutio seu solutio haec exequenda esset, scire ad id praestat Gregorium Celestini, inde ab anno 1826, sese obligasse ex pacto vendendi et huc in Urbe usque ad oram fluminis, *le Marmorate* nuncupatam, transferendi a se caesas grandes arbores, dictas *di costruzione*, pretio obulorum 53 ½ in singulas mensuras, *piedi cubici*: deinde huic obligationi in parte tantum se satisfecisse; et ex mensuris, *piedi* 11839, quas se vendere promiserant ab initio, postea transtulisse mensuras 5205: ob moram reliquarum mensurarum 6135, tractos idcirco fuisse in judicium: si in mora illa ultra obdurescerent, hoc in casu, sive a judicibus commercii in prima instantia, die 21 septembris 1827, sive a sacro Auditorio in gradu appellationis, fuisse condemnatos ad indemnem Joannem Thomam faciendum de omnibus damnis ex mora illa seu obventis, seu obveniendis in posterum. Ne autem in poenam incurrerent praestandae refectionis damnorum, rem deinde, ex bono et aequo, composuisse cum Joanne Thoma; et, eo annuente, imposuisse Petro ac Liborio obligationem vendendi, et huc in Urbem transferendi reliquas mensuras 9135. Post hanc rei compositionem non amplius cum Gregorio rem Joannes Thomas habebat, sed cum Petro ac Liborio: quibus, qua die 16 aprilis 1828 subscriptae fuerunt duae litterae cambiales, eadem die, in scriptis promisit eis, quidquid lignorum translatum foret ab eis ad supradictam oram Tyberis, et sibi traditum ad diem 15 sequentis junii, ejus pretium, ad rationem obulorum 53½ in singulas mensuras, compensaturum fore cum pecunia cambialium cujus solutio ad illam eamdem diem ventura erat. Venit autem illa dies: qua cum recognitum esset coram notario et testibus mensuras 2054 translatas fuisse ab eis, Joannes Thomas ab illo exinde tempore professus fuit, ex pecunia cambialium restituta sibi fuisse scuta 1099: 96, quanti pretium illorum lignorum aestimabatur ex pacto. Neque hac de re controversia ulla est.

Sed praesens quaestio in hoc versatur tantummodo, in solutionem cambialium imputandum nec ne sit pretium illorum quoque lignorum, quae ad dictam oram allata et deposita fuerant per sequentes quindecim dies, nempe usque ad diem trigesimam ejusdem junii. Petrus et Liborius urgebant pro imputatione, illi innixi juris adagio in mo-

ra modici temporis leve damnum inesse censeri, cum praesertim probare niterentur, non sibi brevem illam moram esse tribuendam, sed tempestati et inclementiae coeli. Joannes Thomas vero imputationem acriter negabat ex pacto. In hoc partium contendentium conflictu, duae hucusque prodierunt difformes sententiae: prima, in prima instantia, a judicibus commercii die 27 aprilis 1829; et imputatio admissa est, ac decretum *faciendam esse imputationem pretii lignaminis, adsportati ad locum nuncupatum* la Marmorata, *usque ad totam diem trigesimam junii* 1828 *inclusive, ad formam contractus, pro intranti quantitate binarum cambialium conflantium summam scutorum* 3283: 29; *et quatenus pretium dictorum lignaminum summam supradictam non attingat, Petrum et Liborium teneri ad solutionem residui in summa liquidanda.* Altera, in gradu appellationis, a sacro Auditorio, et imputatio hac mane rejecta est, per rescriptum: *Esse locum solutioni litterarum cambialium, una cum expensis etiam extrajudicialibus; et extendatur decisio.*

Agitur, uti ab exordio hujus decisionis dictum est, de solutione litterarum cambialium, seu de credito claro et liquido. Jus quidem Petro et Liborio erat ex pacto, loco et pecuniae numeratae, tradendi grandes arbores a se caesas in cambialium solutionem. Fatetur id Joannes Thomas, cui liberum erat dare eis facultatem illam, vel non dare. Sed simul obtestatur et in suorum dictorum probationem affert litteram a se scriptam seu antapocham, in qua declaraverat aperte, si quid e cambialibus, post diem decimam quintam junii, adhuc solvendum superesset, id nefas eis ultra esset, sive in totum sive in partem solvere per traditionem lignorum; sed solvendum omnino esse in pecunia numerata. *Serva il presente per assicurarvi*, ( ita scribebat eis Joannes Thomas, die 16 aprilis 1828 ), *della esistenza nelle macchie di Orte, Bassano e Gallese della quantità di piedi cubi francesi* 6137, *legname da costruzione, spettante a Gregorio Celestini. Che però quante volte Celestini ve lo abbia ceduto, e che vogliate a tutte vostre spese, niuna eccettuata, trasportarlo all'imposto di Marmorata, qui in Roma, non più tardi però del dì* 15 *di giugno prossimo futuro, mi obbligo di riceverlo sempre però entro detto termine; e valutarvelo in ragione di baj.* 58 ½ *il piede; e questa valuta abbuonarvela tanto sulla cambiale di scudi* 2233: 29, *quanto sul buono di scudi* 1000. Beneficium hoc erat ut, loco pecuniae numeratae, quam acceperant et quae semper pretiosior est, Petrus et Liborius restituerent arbores. Nefas autem esse debebat, vel abuti beneficio, vel illud protrahere ultra et contra voluntatem concedentis: eo vel magis, quia in antapocha scriptum fuerat eos renunciare cuicumque purgationi morae; simulque additum, quatenus se obtinuisse beneficium, quatenus et sub conditione quod, post diem decimam quintam junii, beneficium idem omnino cessaret. *Passato poi il termine sopra stabilito del dì* 15 *giugno, non sarà più luogo alla consegna del legname, nè in tutto, nè in parte, che ne fosse rimasta, ma bensì al pagamento della cambiale per la somma intiera e per la residuale, senza eccezzione alcuna, e senza che abbia luogo alcuna purgazione di mora a vostro favore, come voi stesso mi avete solennemente assicurato di rinunziarvi.* Et quam insignis esset Joannis Thomae liberalitas cum concederet beneficium, id cognosci ex eo facile potest quod etsi jus haberet cito exigendi scuta 2284: 29, a se jam antea mutuo data et exequendi mandata a judicibus commercii jam relaxata; tamen non solum abdicavit a se jus illud, non solum loco et vice Gregorii Celestini, qui illius pecuniae debitor erat, acceptam ratamque habuit delegationem Liborii et Petri; sed etiam his et alia scuta mille mutuo dedit, et facultatem renovavit ut tam hanc pecuniam novam, quam illam veterem, vice ejusdem pecuniae, solverent pretio lignorum, dummodo traditio eorum fieret ad totam diem decimam quintam junii. Ubi autem his omnibus beneficiis ejus ingrati contendunt facultatem illam protrahendam fuisse ad integrum mensem junium, nemo sane est qui contentiones hujusmodi omnino profligandas esse non arbitretur.

Petrus et Liborius dicebant limitationem facultatis tradendi arbores loco pecuniae simulatam fuisse ad hunc finem, quo magis, quoad fieri posset, excitaretur socordia Celestini ad asportandas huc in Urbem et tradendas arbores: re autem ipsa mentem voluntatemque contrahentium fuisse, ut facultas perduraret per totum junium. Atque ad id probandum afferebant tres testes in judicio formiter examinatos. Sed ex hisce testibus unus magis excludere, quam admittere visus est simulationem illam. Duo-
2 rum vero aliorum testium fides valde in suspicionem adducitur, sive ex persona, quia alter est gener Petri, habet enim filiam ejus in matrimonio; alter est gestor
3 ejus negotiorum: sive ex re quam dicunt, quam constat esse oppido falsam. Dicunt enim causam simulationis fuisse, quo excitaretur socordia Celestini: cum ex opposito palam sit Celestinum extorrem ab omni negotio factum fuisse per delegationem Liberii et Petri: et ubi deest causa simulandi, compertum omnibus est et ipsam
4 quoque deesse simulationem. Ad incitas redacti Petrus et Liborius hoc urgebant, ne sibi negaretur productio facultatis usque ad totum junium, si non ex pacto, saltem ex beneficio purgationis morae. Sed animadversum est nullum huic beneficio esse potuisse locum in causa in qua praefinitus fuerat dies certus et determinatus, qui, ubi,
5 ex pacto fuerit adjectus, interpellare dicitur pro homine. Insuper cuicumque beneficio morae, in antapocha scriptum fuerat, a Petro et Liborio fuisse solemniter 96 renunciatum. Praeterea triduo post elapsum terminum, scilicet die 18 junii, Joannes-Thomas venit in judicium, et efflagitavit ut non amplius ligna sibi traderentur, sed quidquid reliquum esset ex cambialibus, id omne in pecunia numerata solveretur. Post hanc vero institutam actionem, valere debet lex 57 ff. de solution. cujus haec est sententia: *Si quis stipula-*
7 *tus fuerit decem in melle, solvi quidem mel potest, antequam ex stipulatu agatur: sed si semel actum sit, et petita decem fuerint, amplius mel solvi non potest.* Itaque poterant quidem dari ligna pro pecunia, ante institutionem actionis; sed, postquam ex lege petita fuerat pecunia, ligna amplius dari non poterant: et hujus rei rationem clariorem, quam lex ipsa significat, aperiunt sive Glossa ibidem, quia *contestatio litis tollit facultatem solvendi circa rem adjectam ad solutionem*: sive Dionys. Gothofred. ibid. quia *litis contestatione, stipulator et sibi petendi et debitori solvendi tollit electionem.*

Neque verum est quod Petrus et Liborius ajebant, nihil damni in Joannem Thomam redundasse ex eo quod terminus ad tradenda ligna protraheretur ad totum junium. Primum investigatio haec, num damna obvenirent, num obvenire possent, inutilis et supervacanea est in hac causa in qua demonstratum est nullum fuisse locum purgationi morae seu ex pacto, seu ex lege. Deinde damna revera obvenire potuisse id palam fit, ubi advertatur quod, quae ligna a Petro et Liborio empturus erat, eadem successive Joannes Thomas promiserat a se venditum iri Dominico di Pietro et Paulo Carnevali, in societatem conjunctis, ad ligna haec ex Urbe tolonensem in portum in Galliam transmittendi. Porro distinguendae sunt duae lignorum classes, duo diversi contractus: neque, hoc loco, de primo contractu illo res est in quo Joannes Thomas cum Dominico et Paulo convenerat, lignorum transvectionem huc ad Urbem et traductionem delatum iri usque ad mensem septembrem aut octobrem. Sed de altero contractu agitur, et de illis lignis quae, cum statuto tempore per Celestinum huc in Urbem transvecta non essent, Paulus et Dominicus, die 27 maii 1823, scriptis monuerant Joannem Thomam a se, post effluxum terminum, recipi amplius non posse: quod si flexit deinde Paulus in vota Joannis Thomae, et si haec ligna accepturum fore promiserat idem Paulus, ceu ejus filius testatus est, id a se, hac sub conditione, fuisse promissum, dummodo transvectio et traditio fieret usque ad diem decimam quintam junii. Atque id ipsum quoque dicunt in mandatis dedisse eorum ratiocinatori. Et non modo juxta, verum etiam necessaria erat haec praefinitio termini, quia, adventante tempore aestivo, sive insalubritas aeris in inferiori parte flu-

minis, sive aquae copia in Tiberi minor, illo tempore quam quae ad substinendas onerarias naves requireretur, impedimento erant quominus alienigenarum naves huc seu ad Urbem a *Ripagrande*, seu ad fauces Tyberis a *Fiumicino* appulerent naves alienigenae, queis ex Urbe ligna transvehenda erant in Galliam. Atque id non solum testantur multi marittimae negotiationi addicti, et hac de re instructissimi; sed etiam omnium fere annorum comprobavit experientia. Quod si contra communem omnium expectationem anno 1828, etiam post mensem junium, appulerunt huc duae naves hetruscae, per quas deinde Tolonem mitti potuit prima illa lignorum quantitas, quae per Petrum et Liborium tradita fuerat usque ad diem decimam quintam junii, omnes mirati sunt hunc inopinatum et rarissimum casum, qui humano consilio praevideri non poterat. Quod autem inopinato postea evenit ex casu, id rescindere
8 non potuit quidquid antea conventum fuerat ex pacto.

Atque ita etc., utraque, etc.

**R. P. D. CELESTINI**

FANEN.

AVOCATIONIS CAUSAE QUOAD SCUTA 150. 80.

*Lunae 17 maii 1830.*

Argumentum habes ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Ex juris dispositione causae affines inter se atque connexae ab uno eademque judice sive tribunali sunt definiendae.*
2. *Alias oriri posset sententia contra sententiam.*
3. *Hinc supremis magistratibus data jurisdictio et auctoritas committendi causas uni vel judici vel tribunali definiendas pro earum connexione.*
4. *Lex quae pro diversis provinciis commercialia tribunalia appellationum constituit, nil cavit de causis quae amandari debeant ad illud tribunal in quo connexae aliae reperiuntur.*
5. *Hinc res mansit sub juris regula, qua causarum continentia scindi nequit, totumque negotium ab uno judice definiri debet.*
6. *Causarum unitas atque connexio haud excluditur ab exceptionibus quae inter se dissitae sint atque etiam pugnantes.*

DECISIO XLVI.

Socialibus diu negociis cum Antonio Bianconio, fanensi, incubuerat Sanctes Vampa, anconitanus, priusquam iret ad plures. Pecuniam ad expedienda negocia expromebat Sanctes; operam impendebat Antonius, cui pro suis necessitatibus nummos non raro Sanctes mutuabatur. Inde autem suarum uterque rationum asservabat commentarium, ut harum recte fieri pro more utrinque enucleatio posset. Sed ab ea refugerunt heredes Vampa. Supererant quippe extinctae nondum plures collybisticae, quarum extinctio humeris Antonii imponebatur. Earum quatuor, quas ab sociali redemptione reparationis viarum Fani manasse ferebatur, complexa dein una fuerat collybistica ad argentea 2202, assesque 70. Pecunia autem Antonio minutatim a Sancte mutuata, conflabat quatuor alias collybisticas. Harum omnium collybisticarum solutionem gradatim assequuturi heredes Vampa ad anconitanum commercii tribunal Antonium pertraxere. Facile fuit totidem subripere sententias, Antonio semper contumace. Ut illato vulneri mederetur ipse primam omnium detulit specialem citationem quoad argenteorum 2202, obulorumque 70 collybisticam, de eademque ablegata quaestio protinus per appellationem fuerat ad s. Rotam.

Prodierat interea temporis a viro vere eminentissimo ab arcanis status lex, qua jubebatur ut e designatis pontificiis Delegationibus tum marittimae, tum commerciales causae quae vim attingebant argenteorum 825 ante ad s. Rotam per appellationem devolutae, ab ea judicarentur: aliae vero omnes avocandae ad mercatorium Anconae tribunal nuper ad appellatarum commercialium causarum definitiones constitutum. Lex hujusmodi Fanum complectebatur, in quo obsignatae ab Antonio collybisticae; sed non afficiebat collybisticam ad argenteos nummos 2202, assesque 70; quippe quae ad s. Rotam ablegata ante promulgationem legis: at quae alia ex argenteorum nummorum 150, obulorumque 80 collybistica exarserat, causa ad s. Tribunal ob connexionem cum causa in argenteis 2202 obulisque 70, quae a rotali jurisdictione avelli nequibat, ablegata, en protinus in

medio heredes Vampa, connexionem causarum impugnantes; perfractam inclamantes, editam vix, violatamque fuisse legem prudentissimam, cui assiduus egregius Purpuratus, acri quo praeminet ingenio, navaverat, summo studio providentiaque maxima. Ne res non bene fortasse cognita absolveretur, appensa rursus ad lancem, datis hinc inde allegationibus; sed supprimi haudquaquam potuit causarum connexio nitidissima.

Confidentius itaque, alio decreto, confirmata commissio causae sacro Ordini fuit, quae nimirum causa, a connexione procul, haud evasisset imperium novissimae legis; eademque connexionis urgente ratione, amandatae ad s. Tribunal tres et aliae fuerunt causae. Fasces at vere haud submisere pessimo prorsus exemplo confidentiaque vere singulari heredes Vampa. De contestationum omnium connexione cum causa quam promulgatio legis exceperat, postularunt ut jus diceretur a s. Rota pro auctoritate quam habet tribunalis Signaturae Justitiae in hisce causis. Voti compotes facti, postulationem tamen avocationis ad novissimum commercialium appellatarum causarum anconitanum tribunal abjudicatam audire, vel inviti, debuerunt hodiernis in comitiis respondo: » *Nihil; et extendatur decisio* » quemadmodum et quoad caeteras collybisticas, jubente semper connexionis ratione, jussum. De collybistica ad argentea 150, assesque 80 agit decisio haec, de aliis dicent separatae decisiones meae.

Admonet dispositio juris, docent notissima elementa praxeos, causas videlicet affines sese inter atque connexas ab uno eodemque sive judice, sive tribunali esse
1 definiendas. Audi quid *imperator Constantinus ad Severum praefectum Urbis leg. 10 cod. de judiciis* » *Nulli prorsus audientia praebeatur qui causae continentiam dividat, et ex beneficii praerogativa id quod in uno eodemque judicio poterat terminari, apud diversos judices voluerit ventilare; poena ex officio judicis imminente ei qui contra hanc supplicaverit sanctionem, atque alium super possessione, alium super principali quaestione judicem postulaverit* » *Voet in pand. lib. 11 tit. 3 num. 5, Gothofred. et Cujacius ad d. leg. 10 c. de judiciis* » et pragmatici passim, quos inter » *Calcagnin. observ. pract. legal. observ. 13 § 14 et 24, Card. de Luca de judiciis disc. 3 cap. 1 num. 111 et 113, Mysinger. observ. 4 num. 3 cent. 1 et observ. 93 cent. 1, Rota decis. 443 num. 2 et decis. 475 num. 3 cor. Cavalerio, decis. 415 num. 1, decis. 944 num. 1 et seq. cor. Buratto.* » Periculosum quippe, si de causis cognatione propemodum sese inter conjunctis,
2 jus a pluribus dicatur judicibus: quum enim quot capita, tot sententiae, facilius nihil quam ut pronunciationem oppugnatura pronunciatio sit. Supremis idcirco sane tributa magistratibus apposite jurisdictio et au-
3 ctoritas fuit ut definiendas uni sive judici, sive tribunali causas committant; quum ita earum connexio postulet.

Dixi, quae nuper venerat in medium lex ab eminentissimo a secretis status. At haud vetat lex ista sane, ne ullo unquam in casu, ullaque nec omnino imperante ratione a suo ipsius desciscatur imperio. Quid vero si ratio, eademque vehementissima connexionis nimirum urgeat, quamobrem ad illud amandari tribunal debeant causae, in quo connexae aliae reperiuntur? nihil de hoc
4 cautum a novissima lege. Res ergo intacta mansit sub juris praxeosque regulis, quibus nec tyrunculi ignorant causarum vi-
5 delicet continentiam scindi, gravi utique earum detrimento, nequire: totumque propterea negocium ab uno eodemque sive judice, sive tribunali definiendum » *ad textum in d. leg. 7 ff. quibus de causis ad eumd. judicem eat. leg. 14 cod. de sententiis, leg. 10 cod. de judiciis., cit. Voet. in pand. lib. 11 tit. 3 num. 5, Calcagnin. loc. cit. num. 24 et Rota decis. 225 n. 5 et sequen. cor. Ludovisio.* »

At enim contestationum, quibus Antonium conflictantur heredes Vampa, ea profecto indoles atque natura est, ut singulae assurgant a dati acceptique rationibus enucleandis utrinque; quare una sine altera excuti contestatio nequit, sed conjunctim omnes uno eodemque judicio accersendae ad examen sunt. Si enim non id in multiplici implexoque negocio fiat, difficilius profecto

inspici, calculari, conferrique invicem rationes poterunt a quibus totidem exarserunt contestationes. Harum sed enim unaquaeque partem efformat collybistici debiti, quod Antonio imponitur ab heredibus Vampa. Falsitate sed tamen coinquinatam inquit Antonius collybisticam, unde exorta contestatio ad argenteos nummos 2202 assesque 70; alias autem aut extinctas, aut cum suis creditis compensandas. Sic autem excipiente Antonio ad omne quod ei imponitur, prosternendum collybisticum debitum, urget necessitas utique ut totae conjunctim veniant ad trutinam contestationes a collybisticis enatae, quamobrem statui tuto possit quantum tandem reapse sit Antonii sive creditum, sive debitum.

Novit id porro, dum vivus Sanctes ipse: probaverat idcirco rationum hinc inde excutiendarum indicem exaratum ab Antonio, eumdemque sibi lubenter habuerat, haud tamen unquam judicio Antonium persequutus, etsi eum persequi per sex et ultra annorum intervallum potuisset ad extinguendas collybisticas. Eo nimirum in indice declarabat Antonius, quod in sui exonerationem extinctae a Sancte collybisticae » *saranno da me abbuonate* » addens tamen » *io tengo un conto di mia professione* ( caementarius quippe faber Antonius ) *quale mi dovrà essere abbonato* »; nec vero negabat ipse a se tribui pro solutis a Sancte collybisticis debere » *un compenso, essendo egli commerciante* »; pro pecuniis autem sibi a Sancte mutuatis ei dedisse ajebat » *le mie accettazioni analoghe* »: praetereaque quum et alias extinxisset Sanctes » *mie accettazioni* ( inquiebat Antonius ) *fui contento che le ritenesse anco queste presso di se per sua garanzia* »: Haud obscurum est itaque voluisse Sanctem ut quae videlicet dandi debendique rationes intercesserant cum Antonio; socialis videlicet viarum Fani instauratio, a qua collybistica eruperat argenteorum 2202 obulorumque 70; pecuniaque Antonio mutuata, ex qua quatuor aliae conflatae collybisticae, nec non ipsius mutuatae pecuniae praemium, una eademque amica calculatione, absolverentur. Et fecisset id oppido Antonius, si praepropere haud ereptus ab humanis Sanctes, fecissetque sponte etiam cum ejus heredibus, qui rationum hinc inde expendendarum indicem retinebant; eumdemque ipsi protulerunt nunc in medium, nisi Antonium improviso ad Anconitanos commercii judices pertraxissent, omnium, uno judicio, solutionem collybisticarum postulaturi.

Adhibita autem a Sancte agendi ratio quid sibi vult, quid praesefert, nisi ut novisset ipse, qui rationes bene multas habuerat cum Antonio, non eas expungi quidem, nisi longa rationum omnium calculatione posse, quemadmodum socialibus aliis in negociis fieri necessario debuerat: unam vero alteramque, et singulas omnino collybisticas de quibus index confectus ab Antonio, ad rationes attinere utrinque dispungendas. Idcirco autem acceperat Sanctes ab Antonio, seseque penes retinuerat » *le accettazioni analoghe per sua garanzia* ». Eccur ergo quod non sejungendum singularum collybisticarum examen vidit pro honestate sua Sanctes, disjungi temere nunc, uno heredum Vampa incivili conatu, debebit? Quin hic loci addam quod, si pecuniae quam exhibent quatuor collybisticae, quas ad novum Anconitanum appellationum tribunal attinere ajunt heredes Vampa, supputatio instituatur, succurret vis argenteorum 199 obulorumque 83, longe ultra rotalem summam in scutatis 825: quare, hoc praeterea nomine, obtinere s. Ordinis quoad illas collybisticas jurisdictio debet.

At dum alterius collybisticae falsitatem, aliarumque extinctionem obtrudit Antonius, ad dissitas sese inter diversasque confugit exceptiones. Quorsum dissitas? quorsum adversas? immo vero quid aptum magis et ad rem, quam quod, si de pecunia postulatus, falsam debendi causam obtrudam? Sive extinctam, aut compensandam cum meis creditis propugnem? Sint tamen dissitae sese inter, adversaeque etiam exceptiones illae. Quid inde rogo? Idcirco ne contestationum unitas atque connexio profligabitur? ineptum! manebit ea semper. Non enim a jure vetitum ne, ad avertendam litium vexationem, afferri quaecumque pro lubitu exceptiones possint. Partes enim judicis erunt eas seponere quas extraneas a quaestione censet: quae tamen ab Antonio ad

prosternendam tot contestationum falangem allatae, haud despiciendae quidem, sed sedulo conjunctim perpendendae, siquidem singulas feriunt collybisticas, enatasque et ab iis contestationes: quas autem omnes ratio videlicet una informat a mutua nimirum rationum assurgens dispunctione. Quum vero non mirum certe, si unamquamque conterere contestationem per exceptiones suas valeat Antonius, submota videlicet ob falsitatem collybistica scutatorum nummorum 2202 obulorumque 70, caeterarum vero exceptionum auxilio quatuor aliis profligatis collybisticis: singulae itaque subire insimul censoriam virgam debent exceptiones. Nam si non una simul veniant omnes ad examen, ibit fortasse in auras una alteraque collybistica, manebunt tamen aliae, donec de reliquis exceptionibus cognitio definiatur. Quorsum autem vitiosa ratio isthaec, qua hodie ab Antonio pecuniam repetant heredes Vampa, cras autem, singulis exhaustis exceptionibus, reddant Antonio? Haud bene sonat in jure circulus iste, si non malitiosus, male tamen excogitatus, quum per simultaneum singularum exceptionum examen praecidi uno ictu, unoque peremptorio judicio collybisticae singulae, cum iisdemque et contestationes singulae possint. Summatim itaque. Generalis socialium cum Antonio rationum omnium amica dispunctio, collatioque et calculatio pro more, haud recusata quidem ab Sancte; caedenaque dati acceptique rationes, quum omnes percutiant collybisticas contestationesque ab iis exortas, fastidiosas prorsus et implexas, jubent, imperant, ne praejudicialis earum sejunctio fiat, sed ut uno simul, eodemque judicio atque ab uno eodemque tribunali definiantur.

Et ita etc., utraque, etc., me etiam suffragante.

R. P. D. CELESTINI

FANEN.

AVOCATIONIS CAUSAE QUOAD SCUTA 100.

*Lunae* 17 *maji* 1830.

Argumento et summario non indiget.

DECISIO XLVII.

Causa haec etiam, quae excepit argenteorum 100 collybisticam, ut ad novissimum appellationum quoad commerciales causas constitutum Anconae tribunal avocaretur, negarunt hodie mane Patres eamet responso dato: » *Nihil; et extendatur decisio* ». Quae autem in coaeva decisione mea quoad causam ab scutorum 150 obulorumque 70 collybistica exortam abunde enucleavi, cum perlegi eamet in decisione commode possint, haud ego non necessaria nunc eorum repetitione utar.

Et ita etc., utraque etc., me etiam suffragante.

R. P. D. CELESTINI

FANEN.

AVOCATIONIS CAUSAE QUOAD SCUTA 161. 43.

*Lunae* 17 *maji* 1830.

Non indiget argumento neque summario.

DECISIO XLVIII.

Hujusce etiam collybisticae argenteorum 161 obulorumque 43 solutionem ab Antonio Bianconio postularant in anconitano commerciali tribunali heredes Vampa. Quaesitum nunc, an quae ab collybistica ista prodiit causa, connexionem praeseferat cum causa quae orta est ex collybistica in argenteis 2202 obulisque 80, quaeque causa sedet jam ante legis promulgationem in s. Rota, connexionem impugnantibus heredibus Vampa, avocationemque postulantibus ad novissimum commerciale anconitanum tribunal, rejecta hac mane a Patribus postulatio fuit pari responso: » *Nihil; et extendatur decisio.* » Quae in coeva decisione mea enucleantur rationes quoad causam enatam ex collybistica argenteorum 150 obulorumque 70 conveniunt huic etiam causae ad ejus connexionem evincendam, avocationemque abjudicandam. Ne ergo actum agere inconsulto videar, ad eam me refero decisionem.

Et ita etc., utraque etc., me etiam suffragante.

R. P. D. CELESTINI

FANEN.

AVOCATIONIS CAUSAE QUOAD SCUTA 1480. 70.

*Lunae*, 17 *maji* 1830.

Argumento et summario non indiget.

DECISIO XLIX.

Postrema haec est causa, quae profluit ab argenteorum 1480 obulorumque 70 collybistica, cujus etiam solutionem Antonio Bianconio imponunt heredes Vampa. Frustra pugnarunt ii de avocatione ad novissimum appellatarum commercialium causarum tribunal Anconae constitutum. Abjudicata quippe hac mane avocatio fuit eodem s. Ordinis responso: *Nihil; et extendatur decisio* ». Porro quae multa enucleat memorata pluries decisio mea ne causa, quam exhibet collybistica scutorum 150 obulorumque 70, quum huic etiam causae aptari recte possint, quamobrem neganda avocatio sit, otium mihi dicendi faciunt, ne eamdem videar crambem, ut ajunt, recoquere.

Et ita ec., utraque etc., me quoque ferente suffragium.

R. P. D. DE CURSIIS

FULGINATEN. SOCIETATIS

*Veneris* 4 *junii* 1830.

Argumentum habes in decisione XI. quae confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Nullitate laborant actus gesti coram eo judice a quo jam antea causa avulsa fuerat et ad superiorem judicem delata.*
2. *Eoque magis si coram hoc superiori judice caeptum est agere de causae meritis.*
3. *Citatio introductiva judicii sub nullitatis paena ad reum conventum transmitti debet, ibique, explicatis per summa capita rationum momentis quibus actor innititur, triduum eidem reo convento ad vadimonium obeundum praestitui debet.*
4. *Tribunal appellationis, circumducto judicato, potest questionem in merito definire.*
5. *Pacto convento ut societas, nulla facta in praefinito termino denunciatione, intelligeretur prorogata ad idem tempus ad quod initio inita fuit, si terminus elabitur quin denunciatio interponatur, hoc ipso societas prorogata censetur.*
6. *In societate, ut in caeteris contractibus nominatis, ex magis recepta sententia, una suppetit actio ad implementum et quanti interest, et nunquam ob violata pacta fit locus rescissioni.*
7. *Nec socius potest expelli nisi post causam a judice cognitam, et quidem si id fuerit expressim conventum, et pacta dolo et fraude violata demonstrentur.*
8. *Socius administrator, qui librum accepti et impensi seu* « di cassa « *novissima commerciali lege invectum non habuit, minime ob id arguendus, dum societati nomen dedit antequam lex illa prodiret.*
9. *Objici nequit uni socio methodus in conscribendis libris adhibita, quam socius alter semel adhibuit, nec unquam per integrum societatis tempus repudiavit, aut de ea quaestus fuit.*
10. *Fortius si ex iis ita conscriptis commode reddendarum rationum elementa erui possunt.*
11. *Quoties non cum societatis creditoribus, sed quaestio est inter socios, haud repugnat ut rationes quandoque distrahantur per libros etiam rudes et alias notulas ab uno socio, altero non dissentiente, conscriptas.*
12. *Plerumque socius pauperior opera supplet quantum ei per comparationem patrimonii deest.*

DECISIO L.

Conscripta apoca ad exitum aprilis 1820 his pactis et conditionibus Angelus Trasciatti in socium et institorem officinae cereariae ac mercatoriae aromatum aliarumque rerum venalium tabernae, quam Fulginiae retinet instructam, Claudium Grampinium ad quinquennium accivit ut ipse, nimirum Trasciattus, argenteos nummos *quindecim mille* in societatem immitteret, praetereaque » *la firma* » ac capsae socialis custodiam haberet, ita ut » *in ogni settimana sarà depositato nella cassa del signor Trasciatti tutto l' introito del negozio, di cui dovrà rilasciar nota al signor Grampini*; » hic vero, Grampinius scilicet, operam ac industriam conferret » *con tenere esatta scrittura e corrispondenza, e fare tutt' altro che sarà necessario.* » De quaestibus vero lucrisque socialibus conventum ita inter socios fuit, ut quidquid (deductis antea *dextantibus* fructibus in singula centum uni Trasciatto tribuendis, expunctoque pariter stipendio annuorum scutorum *centum quadraginta*, quod Grampinio concessum est) reliquum

esset, ex aequo foret diribendum. Cautum denique ut ad aliud quinquennium prorogata societas intelligeretur, nisi ante sex postremos menses voluntas a socio prorogationem respuente patefieret a societate resiliendi. Rebus hoc modo compositis, paullo post facultatem quoque subscribendi, idest » *la firma* », Grampinio dedit Trasciattus, ac in bona, quam fortasse fuerat expertus, ipsius fide conquiescens, potestatem ei fecit amplissimo procurationis mandato negocia cuncta societatis tractandi et absolvendi.

Auspiciis adeo bonis incepit, ac progressa societas fuit, ut ad exitum prioris anni, summa rationum subducta, lucrum ingens extiterit in scutis 3854, quorum quotam ex inita divisione sibi obventam una cum alia pecunia et mercibus ad summam usque scutorum in totum *quinque millium*, Trasciattus in societatis caput immisit, ut illud ampliaret et majora lucra consequeretur. Quam ampliationem deinceps ad scuta usque *tresdecim millia* evexit, ita ut caput ab ipso in societatem immissum adscendit ad scuta *viginti octo millia*. Sed ob commercii difficultates, ac praesertim ob praedictam capitis ampliationem, minus lucrum exhibuerunt rationes annorum subsequentium. Desiit nihilominus quinquennium, quin neuter ex sociis voluntatem suam a societate recedendi manifestasset. Actum vero eos inter fuit de capite sociali iterum augendo et de novis legibus et conditionibus constituendis, quin Trasciattus ex sua oscitantia de recessu a societate indicendo, si hi tractactus male cederent, cogitaret. Re tamen infecta, ortisque, ut solet, dissidiis, improviso Trasciattus judicio sistit, sociumque suum die sexta augusti piacularis anni 1825 provocavit apud judices, qui de mercatorum et commercii negocii Fulginei cognoscunt, duplici proposito libello, quorum primo petiit ut Grampinius libros sociales proferret, gestionisque suae redderet rationes; altero vero postulavit ut repraehesentare cogeretur, ac in socialem arcam conferre nummos *quingentum quinquaginta tres*, ac obulos *sex* supra *viginti*, quot injuria sibi ipsum addixisse contendebat. Ad arbitros quaestionibus hisce ex legis praescripto delatis, insurrexit Grampinius, ac ab iisdem commercii judicibus, ne quid res sua detrimenti caperet, statim imploravit ut tabernae et promptuariis duae claves apponerentur, non ab uno duntaxat Trasciatto, prout antea evenerat, sed ab utroque socio retinendae. Judices attamen commercii tabernae ac officinae cerearie praeponendum administratorem existimarunt. aestimatione mercium earumque descriptione praeeuntibus.

Tunc vero Trasciattus ad eosdem judices rediit, novoque die 11 augusti praedicti proposito libello, nedum levari petiit ab onere praestandi Grampinio salarium, sed revocari quoque generale procurationis mandatum quod ad agenda negocia socialia ipsi tribuerat. Utrique petitioni annuit, sententia lata die 16 ejusdem augusti, mercatorium Fulginiae tribunal; a qua perculsus Grampinius a taberna recessit, reique detulit cognitionem ad sacrum Ordinem, excitatis quoque de actorum nullitate querelis. Sic factum est ut in comitiis habitis anno 1826 ad diem *nonam* supra *decimam* junii rescriptum prodierit in haec verba: » *Circumscripta citatione diei* 16 *augusti* 1825 *per viam nullitatis, esse locum continuationi societatis et emendationi damnorum in summa liquidanda, et ad dominum Ponentem pro deputatione periti mercatoris; et extendatur decisio* » veluti etiam constat ex Decisione evulgata ab emerito collega R. P. D. Pianetti nunc episcopo viterbiensi, quam sacrum Auditorium die 2 augusti ejusdem anni probavit, ac deinde sententia rotali excepit. Ab hoc judicio cum Trasciattus appellasset, in caussa is fuit ut controversia mihi committeretur, qui eam denuo dirimendam sacro Ordini proposui in audientia diei 15 insequentis decembris, in qua peritus ratiocinator deputatus fuit » *a' effectum referendi super legalitate librorum socialium, ac super rationibus accepti et impensi ab instituta societate* ». Id munus decreto meo datum est Vincentio Titoli, cujus relatione in lucem edita, revocata ad trutinam hodie mane fuit sacri Auditorii sententia, et digna comperta est quae rescripto confirmaretur, quod sequitur: » *Sententiam rotalem esse confirmandam juxta modum; et extendatur decisio.*

Tria constituit sacri Ordinis sententia, quae novam modo trutinam experitur: circumscriptionis gladio delendum primo esse libellum, quem Trasciattus ad diem 21 augusti 1825 judicibus commercii Fulginiae proposuit: prorogandam rursus esse societatem ad aliud quinquennium; reficienda denique Grampinio esse damna et quidquid ejus interest ab administratione tabernae et jure societatis perperam fuisse exturbatum. Quod autem de nullitate libelli definitum tunc fuit, non poterat in praesens non confirmari, si extrinsecus consideretur controversiae summa, sive etiam intrinsecus. Extrinsecus quidem, quia planum est non amplius licere nullitatem in discriminis aleam revocare, postquam sacrum Tribunal servari mandavit assuetas litteras a R. P. D. Pianetti subscriptas, quarum ope, avulsa quaestione a judicibus Fulginiae, eidem sacro Tri-
1 bunali delata fuit ut ibi de objecta nullitate ac de jure actoris in sede provocationis institueretur disquisitio, postquam item de controversiae meritis judicium latum est,
2 de quo Trasciattus querelas multas excitavit, sepositoque extraordinario remedio circumscriptionis, ordinariam arripuit viam appellationis, ac judiciarium obtinuit eligi cognitorem, qui libros et codices sociales expenderet; postquam demum ex juribus ab utroque litigatore exhibitis judiciarius logographus relationem suam evulgavit.

Efficiunt haec omnia ut prohibitum sit, quominus haereri amplius debeat quoad nullitatem propositi illius libelli, utcumque sustineri quoquo modo posset quidquid ipso libello Trasciattus postulavit, et judices Fulginiae ea de re decrevérunt. Nullitas vero actorum, re intrinsecus animadversa, in oculos prope insilit, semelac constat pragmaticorum et forensium instituta impune fuisse posthabita. Si enim actio a Trasciatto instituta contendebat ut Grampinio interdiceretur contrectatio mercium et munus institoris, eique jus adimeretur depactum assequendi salarium, sive id petitum fuerit per protestationis speciem, sive per modum actionis, nil aliud redolebat, nisi agentis vel protestationis propositum de rescindenda societate. Hujusmodi itaque non erat judicium ut concipi citatio posset in unam diem et procuratori inscribi, quemadmodum ex *art.* 55 judiciariae praxis fit de citationibus in judicii progressu mittendis; sed omnino oportebat rei conventi personam la-
3 cessere, eique triduum praestituere ad vadimonium obeundum, explicatis per summa capita rationum momentis quibus innititur actoris intentio, veluti sub poena nullitatis incurrendae de citationibus et libellis initio judicii adhibendis art. 64 ejusdem praxis judiciariae praescriptum extat.

Idque certius, inspecta parte altera libelli, in qua verbis absolutis petiit praeterea Trasciattus revocari procurationis mandatum post menses aliquot ab instituta societate Grampinio datum ad litteras collybisticas et acceptilationes charactere suo firmandas, et contractus omnes, socio prorsus inconsulto, celebrandos. Tanto minus hinc recedere ne latum quidem unguem Trasciatto fas erat a methodo in praedicto *art.* 64 disciplinae judiciariae praestituta et in judiciis instruendis observanda. Nec erat quasi in recriminationem objiciendum falcem extra sementem posuisse sacrum Ordinem, dum non obliteravit dumtaxat citationem diei 11 augusti anni 1825 cum omnibus inde sequutis, sed de controversiae meritis quoque judicavit, demandata continuatione societatis ac refectione damnorum. Fecit enim id, ac jure fecit quoad societatis continuationem, ex auctoritate legis pro rebus mercatoriis
4 dictae, ubi art. 24 sancitum legitur in haec verba: » *Annullando il giudicato può il tribunale di appello pronunziare sul merito, se lo trovi in istato di decisione.* » Non negabat porro Trasciattus hac facultate pollere judices appellationis; eam tamen coercebat ad casum quo circumductum simul fuerit judicatum. Cum igitur sacer Ordo circumduxerit citationem diei 11 augusti 1825 cum omnibus inde sequutis; ex confessis necessario sequitur potuisse etiam merita quaestionis expendere, nec ultra petita progressam fuisse sententiam sacri Auditorii continuationem societatis decernentem.

Jure autem merito sacer Ordo imperavit continuationem societatis ad aliud quinquennium. Pacto siquidem conventum fuit ut prorogata ad praedictum tempus intelligeretur societas, nisi per sex menses ante, quam

primum elaberetur quinquennium, voluntas a
5 socio continuationem renuente patefieret de societate dissolvenda. Si igitur tempus praefinitum ex oscitantia Trasciatti praeteriit, quin ulla denunciatio interponeretur, natura ipsa et indoles initae stipulationis ferebat ut societas ad aliud quinquennium prorogata censeatur; *Zanch. de societate part.* 1 *cap.* 12 *numer.* 44, *Rot. coram Emerix sen. decis.* 16 *numer.* 1 *in Romana societatis nundinarum* 18 *februarii* 1754 §. 5 *cor. Elephantutio, et in Praenestina affictus* 22 *junii* 1821 §. 2 *coram eminentissimo Isoard.* Excusare propriam culpam et fidei non bonae Grampinium insimulare satagebat Trasciattus, quod jactet omissam fuisse denunciationem et ex illius defectu prorogatam contendebat societatem, de qua caeteroquin dissolvenda socii laborabant eo ipso tempore, quo fuisset explenda denunciatio. Sed querelae istae nullius pensi visae sunt, statim ac compertum erat de dissolvenda societate contrahentes non cogitasse, cum ipsi tantum eam moderari, variare, et ei novas conditiones constituere sibi proposuerint. Huc spectabant nova capitula, quibus ad societatis incrementum dabat operam Grampinius ut obsecundaret Trasciatto, quem dolebat lucra societatis insperato fuisse imminuta, utut sociale caput augendum et novas aggrediendas negociationes curasset.

Si itaque, re adhuc integra, non rescindere et destruere societatem, sed eam sub novis legibus et conditionibus instaurare animo suo socii volutabant, tanto magis opus erat Trasciatto, die faciendae denunciationis adventa, paenitentiam prodere suam ut socius alter posset interim indemnitati propriae consulere. At si scienter prudens tempus elabi sivit ad denunciationem transmittendam, non debet ejus inconsiderantia Grampinio nocere qui in fide bona versabatur, et jure suo nunc utitur si ex stipulatu prorogationem urget societatis. At rumpitur (sic inquiebant oratores Angeli Trasciatti) sociale faedus, si aliter ex sociis violaverit pacta societatis, quemadmodum omnino violavit ac pessumdedit Grampinius; quippe qui libros et codices sociales incuriose admodum conscripsit, quamvis onere premeretur conficiendi » *una esatta scrittura* « Nec in jure tamen, nec in facto consistit objectum. Non in jure quia in societate, quemadmodum in caeteris contractibus nominatis (quid-
6 quid putent *Ansaldus de commerc. et mercat. disc.* 53 *numer.* 20, *Duardus de societ. lib.* 1 *cap.* 2 *quaest.* 2 *num.* 7 *et Zanch. de societate part.* 4 *cap.* 6 *num.* 33, quo tamen loci de socio loquitur rixoso) ex magis recepta sententia una suppetit actio ad implementum et quanti interest, et nunquam ob violata pacta fit locus rescis-
7 sioni, nec socius potest expelli, nisi post causam a judice cognitam id nominatim fuerit conventum, aut illius dolus et fraus probetur qui pacta violavit; *Menoch. de adipisc. posses. remed.* 5 *num* 47, *Gratian. discept. forens. cap.* 633 *num* 1, *Rot. decis.* 15 *num.* 5 *coram Celso, decis.* 329 *num.* 3 *coram Coccino, decis.* 782 *num.* 20 *coram Ansaldo, decis.* 643 *num.* 8 *coram Molines, in Verulana societatis* 6 *maii* 1785 § 4 *coram Soderini in Spoletana redditionis rationis* 13 *januarii* 1817 § 3 *coram Serlupi, in Romana pecuniaria* 4 *junii* 1821 § 6 *coram Zinnanni et in Bononien. participationis utilium* 15 *junii* 1824 § 5 *coram Reverendissimo P. D. Tiberi.*

Uti exulat conventio de rescindenda societate, si ejus pacta pessumdata fuissent, ita dolus exulat, quo uno probato, judicis auctoritas implorari potuisset ut a jure societatis Grampinius extruderetur. Quamvis enim cognitor judiciarius, codicibus socialibus inspectis, agnoverit, ex legis praescripto non fuisse confectos, et praecipue deficere librum accepti et impensi, seu » *di cassa* «, quae in usum invexit recens edictum de commerciis rebus evulgatum; hanc tamen legis censuram prae oculis habere Grampinius non poterat, qui nomen contractui dedit sub priscis institutis, ex quibus librum hujusmodi retinere et conscribere minime necessum erat, duo praeterea accedunt quae prorsus inciviles ostendunt querelas de libris oscitanter a Grampinio conscriptis. Primum est, methodum codicum ita conscribendorum, antequam in socium arcessere Grampinium cogitaret, ipsum Trasciattum retinuisse, qui praeterea silentio non solum et conniventia sua, sed factis praeterea quae

potentiora sunt verbis, codices ipsos saepe probavit. Is namque in taberna non infre-
9 quens erat, annisque singulis accepti et expensi tabulas recipiebat, et quandoque etiam in codicibus quamplurima nomina manu sua adnotabat. Non licet igitur uni socio improbare methodum in libris conscribendis adhibitam, quam socius alter semel adhibuit nec unquam per integrum societatis tempus repudiavit, aut de ea questus fuit; *Felic. de societ. cap.* 38 *num.* 19, *Escobarr. de ratiocin. administr. cap.* 12 *numer.* 1, *Genua de script. priv. lib.* 4 *tit. de fid. et probat lib. ration. societ. numer.* 1, *Rot. in Tyburtina societatis et redditionis rationum* 5 *junii* 1752 § 11 *coram Canilliac.* Alterum est quod, nedum Trasciatto sciente et consentiente, methodum illam Grampinius servavit, sed ex judiciarii cognitoris relatione constat, reddendarum rationum elementa commode erui posse ex com-
10 pendiariis quibusdam notulis a Grampinio redactis, qui caeteroquin nullius doli fraudisque redargui potest. Si quae autem abrasiones, liturae, lacerationes, superinductiones in libris socialibus apparent, quis reapse fuerit earum auctor haud probatur. Postquam imo Grampinius a taberna recessit, aut ab ea fuit expulsus, libros, codices, chartasque omnes ex judicum imperio invisit perlustravitque administrator, et nihil invenit de quo culpandum Grampinium censeret. Idipsum egit rationarius Caporrius a Trasciatto arcessitus suis sumptibus Fulgineum, ut libros sociales ponderaret, in quibus tamen nil ipse vidit quod foret Grampinii vitio vertendum.

Quod si cujuslibet doli et fraudis expers est Grampinius; si ex methodo conficiendi, conscribendique libros sociales, utut non legali, nullum nihilominus damnum pertulit Trasciattus; si ipse potissimum probavit hanc sociales libros exarandi methodum; perperam Trasciattus suo praetextu codicum socialium non bene conscriptorum rescissionem petit societatis. Si res cum debitoribus, aut
11 creditoribus societatis foret, tunc alicujus pensi esset exceptio librorum non diligenter excriptorum. Atqui quaestio est inter socios, quos inter cum unam bonam fidem societas exigat et jus fraternitatis contineat, non repugnat ut rationes quandoque distrahantur per libros etiam rudes et alias notulas ab uno socio, alio non dissentiente, conscriptas; *Zanch. de societ. part.* 4 *cap.* 9 *num.* 104 *et sequ. Rot. in nuperrim. dec.* 125 *num.* 5 *tom.* 7, *et in cit. Tyburtina societatis et redditionis rationis* 5 *junii* 1752 § *fin. coram Canilliac.* Deterius imo contra Grampinium rescissio postulatur, cujus opera, honestas, industria adeo utilis Trasciatto fuit ut ingens et forte etiam non speratum ad exitum quinquennii ex societate lucrum redierit scutorum *quindecim millium*, ut ipse agnovit administrator Pizzonius, dum ex judicum mandato mercium descriptionem et aestimationem confe-
12 cit. *Plerumque* » enim » *socius pauperior, opera supplet, quantum ei per comparationem patrimonii deest*, ut ait *Ulpianus in leg. societas* 5 § *societas autem ff. pro socio.*

Nunc esset quaerendum de emendatione damnorum, quae Grampinio pariter tribuit sententia sacri Ordinis. Cum vero haec disputatio contineri in hoc judicio non possit, quod ad tramites prioris libelli et litterarum rotalium ad nullitatem et ipsam societatis continuationem unice cohibetur; idcirco Patres Domini una mecum suffragantes, ne limites propriae jurisdictionis excederent, adjecto *modo* voluerunt ut in peculiari et separato judicio de emendatione damnorum agatur.

Et ita etc., utraque, etc.

**R. P. D. DE CURSIIS**

**BONONIEN. EXEQUUTIONIS CONCORDIAE**

*Veneris* 9 *januarii* 1830.

ARGUMENTUM

Ex novissimis commercii legibus creditores nullam rite possunt cum decocto debitore inire concordiam nisi coram patrimonii syndacis sint in unum coacti; et omnia adhibeantur solemnia ab legibus ipsis requisita. Ex veteri autem romano jure oportet pariter ut creditores sint certo loco congregati, atque tribus dumtaxat casibus major eorum pars minorem dissentientem obligare potest, quando scilicet heres adire hereditatem recusat, nisi pars debiti remittatur; quando debitor sit fugitivus, et ejus personam aut bona capi nequeant; demum quando debitor propter egestatem paratus sit ce-

dere bona si inducíae ad solutionem non concedantur.

*SUMMARIUM*

1. *Quaestio inter mercatores post editas commercii leges cum iisdem legibus definiri debet.*
2. *Ex iis autem creditores sub nullitatis poena non aliter cum debitore concordiam inire possunt, quam si coram patrimonii syndacis sint in unum coacti.*
   *Et omnia adhibeantur solemnia ab ipsis legibus requisita.*
   *Inter quae illud est ut intra certum tempus confirmari debeat quidquid cum debitore conventum est.*
3. *Ex conventionis nullitate sequitur ut dissentientes creditores cogi nequeant ad illud servandum quod caeteris et plerisque eorum placuit.*
4. *Lex congruo analogiae argumento recte ad alios casus similes traduci potest.*
5. *Ex veteri romano jure quoad concordiam creditorum cum debitore plures sunt doctorum opiniones, et diversa traditur interpretatio* leg. et suum heredem 7 ff. de pact.
6. *At ex magis recepta sententia tribus duntaxat in casibus minor pars creditorum a majore trahitur et obligatur.*
   *Primus est quando heres adire hereditatem recusat, nisi pars debiti remittatur.*
   *Secundus, quando debitor sit fugitivus, et ejus persona vel bona capi nequeant.*
   *Tertius, quando debitor propter egestatem paratus sit cedere bona, si inducíae ad solutionem non concedantur.*
7. *Semper autem ad hoc opus est ut omnes creditores certo loco sint congregati, et moraliter corpus efficiant.*
8. *Qui premitur aere alieno, quod caput excedat negociationis et patrimonii sui, etsi a solutionibus non adhuc destiterit, necessario in posterum eas intercipere cogitur.*
9. *Et si quis non adhuc sit decoctus, semelac aequitatem creditorum imploravit, et ab plerisque ex iis obtinuit, non aliter majoris partis factum afficere potest creditores renuentes, nisi omnia peracta sint, quae leges in hujusmodi concordiis praescribunt.*

DECISIO LI.

Rationibus suae negociationis dispunctis, probe novit Joachim Lambertinius pannorum holosericorum, aliarumque vestium, ornatuumque muliebrium non ultimi nominis Bononiae mercator, ad vim usque scutorum 19954: 05 evehi aes alienum quo premebatur; caput vero negociationis vix summam attingere scut. 18474: 47. Cum prope hinc esset ut creditoribus decoqueret suis, extremum fortunarum excidium cupiens propellere, plures ex creditoribus in re trepida multis precibus unum post alterum singulatim adhoriens, induxit ut concordiae apocae subscriberent anno superiore ad exitum augusti, in qua nummos argenteos *quadraginta* in singula centum recipere, debitorique acceptam scripto facere pecuniam, sese paratos exhibuere. Ut primum voti compos evasit, creditores dissentientes traduxit penes judices, qui de mercatorum ac commercii negociis jus Bononiae reddunt, praestitoque a cunctis creditoribus, qui ejus postulationi adhaeserant, juramento de veritate nominum, facile obtinuit ut concordia cum plerisque creditoribus de bono et aequo inita caeteros quoque dissentientes afficeret. Secus tamen sacro Ordini visum est, ad quem provocasse juvit mercatoriam Rationem Hermann ex oppido *Glauchau* in Saxonia. Re enim expensa, rescriptum hodie editum est: » *Non esse locum executioni concordiae contra dissentientes; et extendatur decisio.* »

Non aliis legibus esse dirimendam hanc quae nos exercet, controversiam, nisi iis quae pro bono commercii et mercatorum utilitate anno 1821 recolendae memoriae pontifex Pius VII evulgavit, planum est, tum ex eo, quod tam Lambertinius, quam mercatoria Ratio Hermann inter mercatores recensentur; tum ex facto potissimum ejusdem Lambertinii, qui non ad alios judices confugit ut dissentientes creditores cogeret ad consensum concordiae praestandum, nisi ad tribunal commercii Bononiae. Quapropter nihil magis juri congruit, quam ut quaestio inter mercatores exorta post editas commercii leges cum iisdem legibus commercii definiatur. Jam vero, uti erat jure Gallico invectum, de quo fidem perhibent *Baldassaroni dizionar. ragion. di giurisprud. maritt. art. accordo* § 4 *et seq.*; *Delvincourt. instit. di dritt. commerc. Francs. lib.* 3 *tit.* 1 *del fallim. in generale num.* 78; *Sirey cod. di commerc. annot. tit. de' fallimenti sez.* 2 *dello accordo*; *Marrè corso di diritto commerc. tom.* 3 *cap.* 4 § 21 *del concordato*, ita etiam nostris legibus ad removendas fraudes, quae facile

admodum irripere solent hisce in rebus, prudentissime, indicta poena nullitatis, cautum est ut non aliter valeant credito-res assensum concordiae ulli praebere, nisi sint in unum coacti coram patrimonii syn-dicis, et caetera omnia adhibeantur solemnia quae praescribit provisoria lex commercii *art.* 508 *ad* 520, ubi illud etiam jubetur ut intra certum tempus confirmari et ratum haberi debeat quidquid cum debitore con-ventum est.

Has omnes sanctiones manifeste violavit Lambertinius dum, non probata juramenti ope nominum existentia, non demonstrata domesticorum librorum aliorumque codicum existentia, non ullo praestito a creditoribus juramento, non creditoribus in unum coa-ctis, non ulla ratihabitione accedente, clan-culum pellicere plerosque creditores conatus est; separatim cum eis egit; ab eis deni-que concordiae apocham extorsit, non sub-scribentibus modo, sed caeteris etiam con-sensum suum negantibus, adeo detrimentosam ut qui poterant aut *dodrantem*, aut certe *semissem* suorum nominum condicere, sese contentos exhibuerint summa scutorum *qua-draginta* tantum in singula centena. Quo-
3 circa, si conventionis et concordiae nullitas in oculos propemodum insilit, necessario sequitur nullum jus ex eadem conventione Lambertinio quaesitum fuisse ad dissentien-creditores cogendos, ut id observent et giose custodiant quod caeteris et ple-isque eorum arrisit. Opponebat quidem Lam-bertinius praefatam commercii legem de do-losis loqui decoctionibus ac de cessione bonorum. Sed praeterquam congruo analo-giae argumento recte ad alios casus similes
4 traduci potest ex *leg. non possunt ff. de legibus*, non melior nihilominus fieret con-ditio debitoris, etiamsi hodierna quaestio, repudiatis commercii legibus, juxta jus ve-tus Romanorum judicetur. Plures hac in re,
5 diversae sunt doctorum opiniones et diversa traditur interpretatio *legis et suum haere-dem 7 ff. de pact.*, prout videre est pe-nes *Salgad. labyr. credit. part.* 2 *cap.* 2 *num.* 73, *Gratian. discept. forens.* 222 *num.* 9, *Stracch. de decoct. part.* 6 *nu-mer.* 21, *Pacific. de Salvian. interdict. inspect.* 3 *cap.* 2 *num.* 418, *Rocca de decoct. mercat. not.* 62, *Ansald. de com-merc. disc.* 11 *numer.* 2, *Constantin. ad stat. urb. annot.* 50 *art.* 2 *numer.* 111, *Azzuni dizion. della giurisprudenza mer-cant. verb. accordo* § 1, *Rota decis.* 2 *numer.* 1 *et seq. coram Ratto et in An-conitana reductionis debiti et dilationis* 2 *junii* 1786 § 3 *coram Malvasia.*

Attamen magis recepta sententia est tri-
6 plici tantum in casu minorem creditorum partem trahi a majore, et teneri servare fa-ctum majoris. Primus eorum est quando heres defuncti adire hereditatem recusat, ni-si pars debiti remittatur. Alter est si de-bitor sit fugitivus, nec valeant creditores aut personam aut ejus facultates habere. Postremus est cum debitor propter egesta-tem paratus sit cessionem facere bonorum, si induciae ad solutionem ineundam non conce-dantur. Porro cum his tribus in casibus ir-rationabilis fiat dissensus et consensus a ple-risque creditoribus concordiae praestitus cae-teris etiam, utcumque dissentientibus, opi-tuletur; hinc plane in jure permittitur ut pars minor a majore numero creditorum obligetur; *leg. solum* § *meum ff. de rei vindicat.*, *leg. si quis obligatus ff. de reg. juris*, *Marchesan. de commiss. su-per dilat. part.* 3 *numer.* 80, *Afflict. de-cis.* 288 *numer.* 3 *et* 4, *Consil. Rotal. in Romana pecuniaria* 19 *septembris* 1800 *coram Corpina*, *Rota in Romana pecu-niaria* 4 *februarii* 1801 § 4 *coram Gar-doqui.* Caeterum, ut major numerus credi-torum minorem valeat obligare, semper o-portet etiam juxta civiles leges et constan-tem doctorum opinionem, ut omnes credi-tores sint in certo loco congregati et mo-raliter corpus efficiant, ne secus nimis lata fraudibus et machinationibus semita pateat. Exinde enim oriri posse videtur ratio illa communis utilitatis, ex qua caeteri dissen-tientes obligari queant ad consentiendum et partem crediti debitori remittendam; *Salgad. labyr. credit. part.* 1 *cap.* 2 *num.* 14, *Cardin. de Luca de credit. disc.* 152 *nu-mer.* 7, *Ansald. de commerc. disc.* 11 *nu-*
7 *mer.* 6, *Casareg. de commerc. tom.* 2 *di-scurs.* 172 *numer.* 2, *Constant. vot. de-cis.* 570 *numer.* 32 *et ad stat. urb. tom.* 2 *annot.* 50 *art.* 1 *numer.* 29, *Rota in*

*Romana super admissione ad beneficium Authen. hoc nisi 1 decembris 1817 § 8 coram eminentissimo Odescalchi et in confirmat. 5 februarii 1821 § 4 coram cl. me. Serlupi*

Cum igitur non fuerit dispositio civilis juris servata, corruit aeque concordia, etiamsi in subjecta specie res foret ad tramites juris civilis dirimenda. Et perperam Lambertinium dolebat, sese uti decoctum et civiliter mortuum habendum esse, quamvis nec a solutionibus peragendis unquam destiterit, nec quidquam egerit quod ejus secumferret decoctionem. Sat enim est quod aes alienum quo premitur, caput excedat
8 negociationis et patrimonii sui, ut solutiones intercipere, etsi ab eis adhuc non destiterit, in posterum necessario cogatur. Utcumque se res habeat, semelac aequitatem creditorum imploravit Lambertinius, ejusque precibus plerique creditores obsecundarunt, non aliter majoris partis factum afficere renuentes potest, quam si ad legis
9 praescriptum cuncta peracta sint, quae concordiam, transactionem, remissionem debiti respiciunt. Hoc enim modo et non aliter, ex demonstratis, dissentientes obligantur. Atqui ad tramites sive neotericae, sive priscae legis inita non fuit concordia de qua agitur, et ex qua obligari dissentientes contenditur: ergo quidquid inter Lambertinium et plerosque ejus creditores gestum est, ita haberi debet, quoad mercatoriam rationem Hermann, perinde ac si in rerum natura nunquam extitisset.

Et ita etc., me quoque suffragante, judicatum est, utraque etc.

**R. P. D. MUZZARELLI**

ROMANA RERUM AMOTARUM

*Veneris 9 julii* 1830.

ARGUMENTUM

Actio spolii ad res immobiles, non ad mobiles pertinet: atque exulat omnino, ubi ob non solutum pretium ejusque amittendi periculum venditor merces venditas ab emptore sibi retraxit sine vi et impetu, ejusdemque emptoris institore consensum earumdem restitutioni praebente.

SUMMARIUM

1. *Actio spolii pertinet ad res immobiles.*
2. *Quando autem quis queratur res mobiles sibi per vim injuriamque ablatas, actione uti debet vel rerum amotarum, vel bonorum vi raptorum, vel ad exhibendum.*
3. *Privilegium ripale a Paulo V ripalibus mercatoribus concessum quid sit.*
4. *Obtinet praesertim ubi rumor proximae decoctionis ingravescat.*
5. *Et requirit probationes haud quaquam rigorosas ad venditionem et pertinentiam mercium, pretio non soluto, revincendam.*
6. *Verum qui eo utitur, summarium libellum judici offerre ejusque auctoritatem sibi impetrare debet antequam merces suas sibi vindicet.*
7. *Actio spolii exulet necesse est, ubi venditor ob non receptum pretium ejusque amittendi periculum venditas merces ab emptoris taberna sibi retrahit sine vi et impetu, sed earum restitutioni consensum praebente ejusdem venditoris latitantis institore.*

Decisio LII.

Ne re simul et pretio ultra careret, mora pertaesus quam incassum illucusque toleraverat, Vincentius Tanlongo, mercator ripalis, in exordio mensis aprilis hujus anni venit ad duas salsamentarias, alteram in *via la Palombella*, alteram *in via del Paradiso*, quoniam consequi pretium illucusque non potuerat, repetitam a Rosa, uxore Ludovici Colletti, retraxit ad se quantitatem quamdam asellorum salitorum, quos dicunt *baccalà*, quam antea vendiderat. Absens ex Urbe tunc temporis erat Ludovicus; qui, ubi paulo postea rediit, et asellos illos in duabus tabernis suis deesse vidit, venit ad judices commercii, perinde clamitans ac si rapinam passus esset; et hanc contra Vincentium proposuit actionem: *purgari rigorose spolium, indebite, violenter et injuste commissum per ablationem mercium: restitui dictas res ablatas, nec non damnari ad omnia et singula damna.* Judices, die duodecima sequentis maii, hoc actioni illi dederunt responsum: *unanimiter absolvimus Vincentium ab observantia praesentis judicii.* Et bene per judices illos judicatum fuisse sacrum Auditorium, in gradu appellationis, hac mane decrevit; namque rescripsit: *Non esse locum purgationi spolii; et extendatur decisio.*

Principio supervacaneum est demonstrare, extraneam ab hac causa esse actionem de spolio, seu interdictum unde vi, quod locum habet, ubi quis dejectus per vim
1 fuerit a pacifica possessione rei suae immobilis. Ex opposito agitur, in hac causa, de rebus mobilibus, seu de mercibus; quas si quis sibi, per vim et per injuriam, ablatas esse queratur, proponi hoc casu
2 deberet actio aut rerum amotarum, aut vi bonorum raptorum, aut ad exhibendum. Supervacaneum, inquam est, haec omnia inquirere; quia quae demum cumque proponeretur actio, eam omnino excludendam esse, constaret. Non quidem ob primam exceptionem a Vincentio propositam et depromptam ex privilegio ripali; sed ob alteram exceptionem ductam ex consensu Rosae, uxoris Ludovici. Namque sacrum Auditorium ani-
3 madvertit privilegium ripale, quod scilicet negociator aut mediator ripalis *si reperiat aliquando, vel in aliquo loco bona quae sua esse praetendat, illa ad se pertinere et sua esse intelligatur plene et sufficienter probasse, si per testes docuerit, aut per proxenetam, medio juramento ejusdem proxenetae, et alium idoneum testem aut alias legitime probaverit, juxta consuetudinem Ripae, et Ripettae, mercatoresque praefuti in mercibus, sic venditis, penes debitores existentibus etiam a quibusvis detentis, quibuscumque aliis creditoribus, etiam expressam et anteriorem hypothecam habentibus, et aliis quibusvis, cujuscumque gradus vel conditionis, praeferantur.* Privilegium hoc quantum esse verum in genere et in praesentiarum vigere, quia numquam constat fuisse revocatas constitutiones seu san. mem. Pauli V, seu aliorum summorum Pontificum qui in favorem commercii Urbis, multa mercatoribus illis privilegia identidem concesserunt, tantum vires suas exerere non posse in
4 hac causa; quia utcumque summarie, ex privilegio illo, agi potest, ubi praesertim rumor ingravescat proximae decoctionis, utcumque satis sint probationes haud quaquam
5 rigorosae, ad venditionem, ad pertinentiam mercium, pretio non soluto, revincendam; tamen nefas esse omnino negligere officium judicis: et opus idcirco Vincentio erat summarium libellum judici offerre, et auctoritatem ejus antea sibi impetrare, quam mer-
6 ces suas sibi vindicaret. Quae omnia cum omissa ab eo fuerint, nefas ei esse patrocinium sibi praestolari ex privilegio ripali. At Rosa, uxor Ludovici, acquievit et restitutioni mercium praebuit consensum.

Atque hac in re, in antecessum, notandum est rem in facto semper fuisse certam et exploratam, cum merces venditas fuisse a Vincentio, tum earum pretium numquam ei fuisse solutum. Notanda quoque sunt multa rei adjuncta: Ludovicus ingenti premebatur mole aeris alieni. Nonnulli ex ejus creditoribus, loco pretii, in eo erant, ut vindicarent sibi ab eo merces suas. Ipse excesserat ex Urbe. Rumor inter mercatores increbuerat, eum arripuisse fugam, et in latebris tunc temporis esse, hac sola de causa ne qui impetum facere minabantur creditores, ad eorum instantiam detruderetur in carcerem. Atque in hac re trepida veram, justam, rationabilem quisque videt Vincentio fuisse causam accedendi ad duas ejus tabernas, et merces inde sibi retrahendi. Obstiterat quidem ei ab initio Rosa; verum non quo merces a se, loco pretii, restituendas esse negaret, sed quo non nihil induciarum captaret. Atque hac de causa acciverat mercatorem amicum, et ipsum quoque tabernam pannorum in vicinia habentem, et eum rogaverat ut se quodammodo vadem Vincentio exhiberet. Sed ubi et ab hoc amico quoque retulerat repulsam, sunt testes de visu, de auditu, de facto proprio deponentes, qui ajunt eam demum consensisse; imo manus quodammodo praebuisse adjutrices, quo e duabus illis tabernis Vincentius ad promptuarium suum merces adsporta-
7 ret. Procul ergo ab adsportatione fuit vis et impetus: et haec ubi absint, actio quoque spolii exulet necesse est. Atque id clarius, quam antea, palam fuit ex actibus qui deinde subsecuti fuerunt. Neque enim Rosa reclamavit, neque querelae quidquam excitavit, per varios illos dies quibus tabernis sola praefuit. Quum vero vir ejus, rediens in Urbem, excitavit contentionem, et in hac causa iterum proposuit, nempe nullam Rosae facultatem fuisse, consentiendi repetitioni mercium, ea longe a vero abesse visa est, neque

permittendum infelices creditores, per eam, esse diutius divexandos. Profugus namque ipse erat ex Urbe, latitabat, apertae nihilominus duae ejus tabernae adhuc patebant; uxor ejus continuo eis praecrat; atque iisdem, ac vir, facultatibus se pollere, ipsa factis quae semper sunt potentiora verbis, fatebatur, cum ea omnia gereret quae vir gessisset, si praesens fuisset. Neque quidquam facultatis deesse sibi unquam dictitavit. Et cum merces, loco pretii adhuc insoluti, restitueret, non tam quid vel arbitrii gerere, vel damni in virum inferre, visa fuit, quam id agere a quo gerendo neque ipsa, neque vir, sine aperta injustitia, poterant abstinere. Nefas enim erat ut rem simul et pretium adhuc retinerent, post tantam creditorum longanimitatem, in eorumdem damnum, quibus, cum ex jure, tum pressius ex privilegio ripali, jus erat, in locum sibi denegati pretii, merces suas sibi vindicare. Neque sane spolium patrasse Vincentius dici potest, qui non invadebat res alienas, sed suas recuperabat ab uxore Ludovici: quae, utcumque legittima persona non haberetur in se, tamen custodiebat res, et publice habebatur uti praeposita tabernis maritalibus.

Atque ita etc, utraque, etc,

B. P. D. MUZZARELLI

RAVENNATEN APPELLATIONIS

*Lunae* 2 *augusti* 1830.

Argumento non indiget.

*SUMMARIUM*

1. *Regula quod ex transactione exceptio oritur litis finitae, de jure cessat quando agitur de usuris, quae humanis divinisque legibus prohibentur, nuls loque praetextu vel colore sanantur.*

## Decisio LIII.

Decretum fuerat die vigesima secunda martii 1824 per judices, qui jus Ravennae dicebant in prima instantia sive in civilibus, sive in rebus commercialibus, ut a Michaele Bellanzoni, qui erat reus conventus, solverentur Aloysio Tibaldi, qui erat actor, tum scuta 2203 prodeuntia ex quatuor literis, quas vocant cambiales, tum scuta 10: 76 ob expensas protestationum » *protesti* » de infectis illis solutionibus. Ab illa sententia Michael interposuerat appellationem Fas nec ne ei sit prosequi appellationem illam, id modo venit in judicium. Michael id sibi fas esse contendit. Aloysius efflagitabat ex opposito se absolvendum esse ab observantia judicii. Sacrum Auditorium hac mane rescripsit: *Non esse locum absolutioni ab observantia judicii; et extendatur decisio.*

Ex eo Aloysius ajebat absolvendum se esse ab observantia judicii, seu appellationem a Michaele interpositam contra sententiam judicum Ravennae habendam esse pro deserta, neque fas amplius esse eam prosequi quia unus et alter post sententiam illam intercesserant actus seu contractus dierum 30 septembris 1827 et 18 octobris 1828, in quibus Michael cesserat Aloysio aedes quasdam Ravennae positas, insuper nonnulla praedia rustica, ad hoc jura quaedam creditorum; atque per hos contractus Aloysius subjungebat Michaelem quodammodo transegisse, agnovisse suam debendi obligationem, et ratam acceptamque habuisse sententiam in se latam ab judicibus Ravennae. Sed haec omnia nihili valere visa sunt. Primo quia contractus illi nullam praeseferunt transactionis speciem: neque enim vel super re dubia fuerunt, vel quid secum tulere hinc inde datum vel remissum, sed id sponte dedit quod, ubi non dedisset, dare cogebatur de judicum mandato. Secundo, quia etiamsi transactionis naturam habuisse dicerentur, tamen quae ex transactione oritur exceptio litis finitae, eam omnes norunt tunc de jure cessare cum de usuris agatur, quae omni jure prohibentur sive humano, sive divino, neque ullo vel praetextu, vel colore sanantur. Porro hac de causa Michael ait infirmandam esse sententiam judicum Ravennae, quia cujus solutio per eam demandata fuit, illud debitum specie quidem tenus resultabat ex quatuor literis cambialibus, re autem vera ex usuris, aliis super alias coacervatis. Id ergo verum nec ne sit, accurate investigandum est, et idcirco Aloysius absolvendus non est ab observantia judicii.

Atque ita etc., utraque, etc.

## R. P. D. DE CURSIIS

BONONIEN. SEU VINDOBONEN.
EXEQUUTIONIS CONCORDIAE.

*Veneris 3 septembris 1830.*

ARGUMENTUM

Tum ex commerciali, tum ex civili jure vetitum est decoctori doloso cum suis creditoribus pacisci. Quae praescribantur ab utroque jure, ut a creditoribus cum debitore decocto concordia rite possit iniri, atque major eorum pars ad se trahere et obligare valeat minorem, late disseritur.

*SUMMARIUM*

1. *Ex mercatorio codice irrita est quaevis inita decoctorem inter et creditores concordia, si dolosae decoctionis adsit praesumptio.*
2. *Quae praesumptio optime eruitur ex librorum commercialium omissione, ex criminali inquisitione in decoctore instituta, atque ex imperata illius in carcere publico custodia.*
3. *Decoctori doloso sicuti per se non licet, ita nec per interpositam personam cum suis creditoribus pacisci.*
   *Eoque minus si haec interposita persona sit ejus uxor.*
4. *Quidquid mulier emit de bonis viri aut quantum dimisit ex ejus aere alieno, commercialis legis sanctione praesumitur emisse et dimisisse cum pecunia mariti.*
5. *Mulier nihil habere praesumitur praeter dotem.*
6. *Mulierum genus avarissimum:*
   *Adeoque dici nequit mulierem voluisse jactare suum.*
7. *Nulla iniri potest inter creditores et decoctum debitorem concordia nisi sollemniis impletis, quae ab mercatorio codice praescribuntur sub nullitatis paena.*
8. *Ad hanc concordiam ineundam concurrere debet dodrans creditorum numerus.*
9. *Qui numerus pro modo debiti, non pro quantitate personarum constituitur.*
10. *Si concordia est radicitus irrita, nihil interest si creditores dissentientes omiserunt intra octo dies eorum repugnantiam et contumaciam denunciare.*
11. *Dodrans creditorum a lege requisitus ad probandam concordiam deduci debet ex numero eorum qui, coactis hac de re comitiis, interfuerint, et concordiae subscripsere, itaut nullo in calculo habeantur qui postea ei jam initae sese accommodarunt.*
12. *Jure civili vetitum est decoctori doloso ne cum creditoribus suis pacisci valeat.*
13. *Plures doctores tenuerunt triplici dumtaxat in casu minorem creditorum partem ex facto et conventione majoris obligari.*
    *Si heres nolit defuncti hereditatem adire nisi a parte aliqua aeris alieni liberetur.*
    *Si debitor sit fugitivus, et nihil habeat in bonis.*
    *Si debitor ad incitas redactus paratus sit bonis cedere, nisi inducias ad solvendum obtineat.*
14. *Quam sententiam ut magis receptam tenuit s. Rota.*
15. *Est autem extra omnem dubitationem, non aliter majoris partis factum nocere minori quam si creditores, certis loco, die et hora in unum coacti, et morale corpus constituentes, de re communi deliberaverint.*
16. *Quod evincunt tum verba, tum ratio et spiritus legis 8. ff. de pactis.*
17. *Quae lex conciliatur cum leg. ult. cod. qui bonis cedere possint.*

### DECISIO LIV.

Conturbatas rationes mercatoriae pannorum tabernae quam Bononiae non sine nominis celebritate exercebat, seque obrutum animadvertens aere alieno quod longe patrimonii sui vires excedebat, anno superiore exeunte, illius civitatis praetorem adiit Philippus Pannius, sibique veniam fieri bonis suis absque ignominia cedendi postulavit. Moniti per judiciarias dicas ea de re creditores implorato restiterunt cessionis bonorum beneficio, ac fraudem petentis incusantes, qui non vitio fortunae, nec commercii vicibus, sed ob pravam agendi rationem erat facultatibus lapsus, et clanculum tabernam improvidis mercium venditionibus expilaverat, a cardinali Bononiae Legato judicibus stilitibus mercatorum dirimendis ibi praepositis deferri rei cognitionem obtinuerunt. Quarto hinc idus novembris ejusdem anni sententia edita est, qua renunciata fuit debitoris decoctio, simulque jussa ejus traditio in custodiam publicam, qui tamen interim aufugerat, seque in extera ditione receperat. Cum autem, electis de more syndicis decoctionis, desiderari constiterit libros et kalendaria mercatoria, ac patrimonii aestimationem ab aere alieno superari in nummis argenteis plus quadraginta quinque millibus tum statim inquiri in decoctum criminaliter coepit, missisque ex intimo supremi Principis consilio litteris ad exterarum nationum apud sanctam Sedem oratores, multis rationibus provisum est ne amplius decoctus latitaret, deque jurisdictione ambigeretur tribunalis commercii, a quo refu-

giens Pannius servari acta coram praetore Bononiae gesta perperam procuratoris ope contendit apud judices Signaturae suffragatores, qui petitionem omnino rejeceruut.

Re igitur infecta, in medium venit Arcangela Brunelli, decoctoris uxor, quippe quae renuentem votis suis experta cum foisset jurisperitum in judicio protopraxiae a creditoribus constitutum, ad Cardinalem Bononiae omine meliori confugit, seque promptam certis sub conditionibus exhibuit privilegiariis et hypothecariis omnino satisfacere; chirographariis vero creditoribus scuta quadraginta in singula centena persolvere, dummodo datum viro foret sese in libertatem vindicare et molestiis creditorum liberari. Vadatis iis quorum intererat, faeminae preces arbitrio judicum commercii remisit cardinalis Bononiae Legatus. Quapropter, indictis creditorum comitiis, plures ex iis in unum convenere, et propositae assentiti fuere concordiae, quam deinde juridicus commercii caetus sententia sua recens elapso mense quinctili evulgata probavit, jussitque ut concordia ipsa dissentientes quoque creditores afficeret, qui intra praestitutum a lege terminum concordiam impugnare praetermiserant. Sed quidam ex creditoribus dissentientibus, ac mercatoriae praesertim societates sub nomine Martin Thyss, et Caroli Kolb florentes, actione nullitatis exercendae reservata, ab ea sententia provocarunt, ac in causa fuerunt ut sacer Ordo exortam concordiae controversiam ad trutinam hodie revocaret, eamque rescripto dirimeret ita concepto: » *Nihil de circumscriptione: non esse locum exequutioni concordiae; et extendatur decisio.*

Utut immerito quererentur creditores dissentientes de defectu citationis, quia revera constabat per ephemerides et epistolia monitos, quam ad valvas, prout moris est adversus absentes et exteros, fuisse vocatos, non injuria tamen injustam recriminabantur sententiam tribunalis commercii Bononiae, quae concordiam, omnino rejiciendam, voluit exequutioni committi. Sive enim cum neotericis legibus, quas pro commercii et mercatorum bono kalendis junii anni 1821 publici juris fecit recolendae memoriae pontifex Pius septimus, sive ad tramites civilium legum placeat quaestionem expendere, continuo erit manifestum dignam prorsus fuisse, quae a creditoribus omnibus rejiceretur, concordiam ab uxore decoctoris propositam, eamque non absque justitiae dispendio a judicibus commercii Bononiae fuisse probatam. Spectandas porro esse in subjecta specie commercii leges, tum revincit ipsum, de quo agitur, conciliationis negocium et litigantium conditio, quiad unum omnes in mercatura versantur; tum imperat praeterea supremi Signaturae tribunalis rescriptum, ex quo, posthabita jurisdictione praetoris bononiensis, implicite confirmatum est rei cognitionem ad judices commercii spectare, quos tamen nec in hodierno jurium periculo, nec unquam alias uxor decoctoris visa est repudiare.

Atqui patula est *art.* 515 mercatorii codicis dispositio, ubi ita cavetur: *Se l'esame degli atti, libri e carte del fallito presenta qualche presunzione di bancarotta, non potrà essere fatto alcun trattato tra il fallito e i creditori, sotto pena di nullità.* Praesumptio autem fraudolentae ac dolosae decoctionis eruitur ex librorum commercialium omissione, ex criminali inquisitione in decoctorem instituta, ex imperata illius in carcere publico custodia, ex litteris Cardinalis ab arcanis pontificiis: quae sane omnia probant non ob passa commercii infortunia, sed pravo fraudandorum creditorum consilio creditoribus ipsis Pannium decoxisse, cui propterca nefas erat concordiam ullam proponere, et multo minus inire. Nec interest, non Pannium sed ejus uxorem cum creditoribus pepigisse. Instituta enim legesque commercii, quae strictim interpretandae sunt, ne nimirum, dum debitori favemus, commercio detrimentum inferamus, de uno debitore, atque decocto loquuntur, eique uni, qui tamen fortuito, non fraudolenter, in decoctionis calamitatem inciderit, cum creditoribus transigere permittunt. Contra vero si doloso decoctori liceret per interpositam personam, amicum, dicis caussa, fratrem, uxorem, concordiae tractatum creditoribus exhibere, jam lata et pene consularis aperiretur fraudibus semita, et ipse eluderetur spiritus legis, quae aerumnoso dumtaxat decoctori

voluit prospicere, neque aliter alienis conventionibus obligari dissentientes patitur, quam si causa urgeat communis utilitatis, ita ut ratione careat quorumdam creditorum dissensus.

Caeterum omnia rei adjuncta suadent, Pannium ipsum per interpositam uxoris personam rem omnem componere tentasse. Pugnat enim primo contra mulierem censura juris ex *art.* 540 et 541 codicis mercatorii deprompta, ex quibus quidquid mulier emit de bonis viri, aut quantum aeris alieni dimisit ejusdem patrimonio inhaerentis, emisse et dimisisse cum pecunia mariti praesumitur. *E' presunzione legale* (sic cit. art. 540) *che i beni acquistati dalla moglie del fallito sieno pagati co' suoi denari, e debbano essere riuniti alla massa dello stato attivo, salvo alla moglie il diritto di addurre la prova concludente contraria. In caso che la moglie* (ita alter, qui sequitur, art. 541) *abbia pagato dei debiti per suo marito, la presunzione legale è che lo abbia fatto coi denari di suo marito, salvo il diritto della prova concludente in contrario, come si è detto nell' articolo precedente.* Mulier praeterea ipsa, quae aliunde, ad vitandam turpis questus suspicionem, nihil
5 habere praesumitur praeter dotem ex famigerata *leg. Quintus Mutius ff. de donat. inter vir. et uxor. leg. etiam* 6 *cod. eod. tit. et leg. Pomponius Philadelphus ff. de famil. hercisc.*, nunquam comprobavit, unde pecuniam argenteorum nummorum triginta millium acceperit, quae se erogaturam in aes alienum luendum pollicebatur. Quo magis imo, ut scriptum extat *in leg. sed si ego ff. ad s. c. Vellejan.* et tradit quoque *gloss. in leg. Nesennius verb. e contrario ff. de neg. gest.*, certum est avarissimum esse genus foeminarum;
6 tanto minus dicendum suum voluisse mulierem jactare, et expromissorem invenire potuisse qui de implemento susceptae a muliere obligationis sponderet.

Ex condicto itaque et conjunctis uxorem inter ac virum studiis concludi debet haec omnia parata fuisse ad alliciendos creditores, eorumque consensum extorquendum. Huc accedit, pessumdata prorsus fuisse quae longa articulorum serie praescribit codex mercatorius *ab art.* 495 *ad art.* 512 praecipue de nominibus comprobandis deque eorum veritate jurejurando interposito a creditoribus affirmanda. Jam vero insequenti *art.* 513 praecipitur neminem ex creditoribus assentiri posse concordiae, nisi sollemniis impletis quae supra praescribuntur: *non potrà acconsentirsi ad alcun trattato frà creditori deliberanti ed il debitore fallito, se non dopo il compimento delle formalità qui soprascritte.* Cum igitur dubitari nequeat solemnia ista impune fuisse violata, necessario sequitur de proposita accepto habenda concordia ne cogitari quidem potuisse. Quin imo probari concordia non poterat, utcumque servata ad unguem solemnia probarentur. Non enim dodrans creditorum, qui de existentia no-
8 minum eorumque veritate docuissent, concordiae plausum fecit, uti oportebat ex sanctione praefati *art.* 513 mercatorii codicis, ubi praescriptum extat in haec verba: *Questo trattatta non si stabilirà, che col concorso di un numero di creditori formante la maggiorità, e rappresentante inoltre i tre quarti della totalità delle somme dovute secondo lo stato dei crediti verificati e registrati: il tutto sotto pena di nullità.*

Quapropter si constat aes alienum eve hi ad summam usque scutorum sexaginta millium, necessum omnino erat ut tot creditores concordiae consentirent, quot quantitatem nominum conficerent usque ad quadraginta millia argenteorum. Numerus e contra creditorum qui in unum convenerunt, et conciliationi adstipulati sunt, vix ad triginta septem millia scutorum as-
9 surgit. Deficiebat ergo legitimus creditorum numerus ad probandam concordiam a lege praescriptus, ac pro modo debiti, non pro quantitate personarum, constituendus. Quibus positis, nihili faciendum est si creditores dissentientes omiserunt intra octo dies eorum
10 repugnantiam et contumaciam tum syndicis decoctionis, tum decoctori ipsi denunciare. Supervacaneum siquidem id erat, quoties agebatur de conventione radicitus irrita. Nec in calculo habendi sunt creditores illi, quibus post initam concordiam arrisit, ei sese accommoda-

re. Dodrans enim creditorum deducendus est
11 ex numero eorum qui, coactis hac de re comitiis, interfuerunt et propositae concordiae subscripsere. Crescit igitur ex his omnibus argumenti vis ad vitianda ea cuncta quae in perniciem creditorum, qui concordiae refragantur, coram judicibus commerciii Bononiae gesta fuere, et ad revocandam illorum sententiam ex qua dolose fabrefactam conciliationis machinam approbarunt.

Diversum vero judicium ferendum non esset, etiamsi, sepositis commercii legibus, ex jure nostro civili dirimenda res foret. In jure quoque civili vetitum est decoctori
12 doloso ne cum creditoribus suis pacisci valeat, quia leges non sinunt hujusmodi homines humanae societati et commerciorum incremento adeo noxios ullo auxilio juvari, ut ad rem expendit sacer Ordo *in Recineten.* 22 *junii* 1807 § 3 *coram eminentissimo Isoard.* Plures praeterea jurisperiti censuerunt, triplici tantum
13 in casu minorem creditorum partem ex facto et conventione majoris obligari; si nimirum heres nolit defuncti hereditatem adire, nisi a parte aliqua aeris alieni liberetur: si rursus de debitore agatur fugitivo, qui nihil habet in bonis: si denique debitor ad incitas redactus cessionem bonorum exponere paratus sit, nisi induciae ad solvendum concedantur. Opinionem istam, quia magis bonae fidei contractibus convenire videtur, amplexus quandoque est sacer Ordo, eamque recens sequutus fuit uti magis in foro receptam in quaestione
14 persimili, de qua agit alia mea decisio inter mercatores evulgata, cui titulus *Bononien. exequutionis concordiae* 9 *julii hujus anni* § 3 *et* 4. Quidquid autem sit, an triplici illo in casu dumtaxat, an in caeteris etiam aliis, plerique creditores possint reliquos secum trahere, eosque cogere ad conventionem probandam a se cum debitore initam, hoc utique extra controversiam est, non aliter majoris creditorum partis factum minori nocere, quam si creditores ipsi in unum certo loco, certaque die et hora coacti, et morale corpus, caetum et collegium constituentes, de re communi deliberaverint, veluti arguit praedicta mea *decis. loc. cit.*, cui addi potest *Rot. decis.* 215 *num. ultim. coram Malvasia* cum aliis ibi adductis.

Necessum porro esse ut creditores cum debitore paciscentes simul debeant congregari, tum verba *legis et suum heredem* 8 § *hodie tamen ff. de pactis* revincunt: *si convenerint in unum*: quae profecto nei
16 cessitatem ostendunt ut unum in locum se creditores conferant, quia secus verba alia et *communi consensu declaraverint*: prorsus inutilia forent; tum multo magis suadet ratio et spiritus legis. Nam contra notissimum juris principium, quod vetat alii per alium iniquam conditionem inferri, fieri non posset ut minor creditorum pars nonnihil de suo jure remittere cogatur, nisi caussa communis utilitatis creditores impelleret ad aliquid de communi debitore communiter decernendum. Hinc ut deliberatio creditores percellat etiam renuentes, oportet sane ut conventio, cunctis auditis et consilia communicantibus, vel saltem interpellatis, inita sit. Quod si omnes creditores singulariter consensum suum, vel praestarent, vel recusarent, non solum innumeris fraudibus aditus patefieret; sed ne cognosceretur quidem quid revera placuerit plerisque creditoribus: quum praecipue res diverso sub aspectu, ac variatis etiam conditionibus possit unicuique repraehesentari.

Nec rem turbat, quod *cit. leg.* 8 *ff. de pactis* sancitum sit ut decreto suo praetor majoris partis voluntatem sequatur: quod
17 sane inutile esset si de deliberationibus a corpore morali susceptis ageretur, quae vim obligandi dissentientes habent, seposita etiam qualibet judicis auctoritate, ut eruitur *ex leg. ult. cod. qui bonis cedere possint.* Utique postquam creditores omnes in unum convenerint certo loco, die et hora, et ita morale corpus constitutum sit, necessum non est implorare judicis officium ut deliberatio, quae plerisque creditoribus arrisit, etiam reluctantes afficiat. At si, sollemniis omissis, nec convocato creditorum caetu, quid fuerit a nonnullis de re communi statutum, merito cavetur ut praetor agnoscat, num rei status, ac uniuscujusque creditoris conditio hujusmodi sint ut de eodem corpore censeri debeant, et quae plerique approbaverint, ab omnibus observan-

da sint. Hoc modo utriusque legis dispositio componitur, et quaelibet tollitur inter unam et alteram antinomia. Cum autem qua die creditorum indicta comitia fuerunt, non omnes creditores sui praesentiam fecerint, sed plures ex iis qui majorem consentientium efficit partem, post jam initam concordiam consensum praestiterint suum; nunquam propterea dici potest rite in unum convenisse creditores, et ita de re communi deliberare potuisse, ut obligati ex eorum facto renuentes extiterint.

Et ita etc., me quoque suffragium ferente, decisum est, utraque, etc.

**R. P. D. RUSPOLI**

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris 1 octobris 1830.*

ARGUMENTUM

Ex fide publici pensitatoris, aliisque rerum adjunctis perfecta mercis emptio venditio demonstratur.

*SUMMARIUM*

1. *Venditor actionem habet ex vendito ad pretium vel pretii reliquum obtinendum.*
2. *Non levis est perfectae emptionis venditionis probatio, quod ea relata fuerit in peculiari negociatoris codice quem vocant diarium.*
3. *Tessera, quam, post expensam mercem, eamque emptori traditam dare solet utrique contrahenti publicus pensitator, gravissimum est perfectae emptionis venditionis monumentum.*
4. *Publicus minister in rebus ad munus suum pertinentibus plenam meretur fidem.*
5. *Nec sine validissimis argumentis et probationibus licet eum suspicari doli fraudisque reum in proprii ministerii exercitio.*
6. *Tesserae a publico pensitatore traditae veritatem plenissime probant adnotationum, quae ipse in dies describit in suo codice datis schedis respondentes.*
7. *Mercis identitas ex eo resultat, quod eadem quantitas in maxima temporis brevitate simul invenitur in contractu emptionis venditionis, atque in facultate libere exportandae mercis scripto tradita a publicanis vectori.*
8. *Quin tamen in multis ponderum millibus identitatem istam excludat unius vel alterius ponderis discrimen.*
9. *Sub vocabulo « semigrezzo « continetur, quasi species, ferrum illud quod vocant « tondino «*
10. *Ad veritatem probandam negociorum quae privatim aguntur, amicis etiam et familiaribus fides habetur.*

DECISIO LV.

Apud judices qui de rebus ad commercium spectantibus jus in Urbe primum dicunt, Vincentius Rigacci, plurimae negociationis exercitor, in Antonium Tesauri fabrum aerarium egit ut scutatos nummos 209 et obulos 48 consequeretur, reliquum pretium librarum 8154 ferri quod dicunt *tondino*, quodque decimoquarto kalendas majas anno superiori Antonio se vendidisse affirmabat pretio scutatorum quadraginta quinque in singula librarum millia praefinito. Negavit faber aerarius perfectam fuisse propter pretii discrimen quae proposita fuerat emptio venditio. Jusserunt judices, testes audiri quos uterque producebat, iisque sciscitatis, Vincentii petitionem probarunt. Ex provocatione sacrum hoc mane Ordinem ad assueta munia solemni se ritu revocantem de sententia rogavi, habuique responsum: » *Esse locum solutioni scut.* 209 *et obul.* 48; *et extendatur decisio.*

Ad pretium vel pretii reliquum obtinendum actionem ex vendito venditorem habere notissimum est in jure: *text. in l. Julianus* 13 § 19 *ff. de act. empt. et vendit.*; *l.* 2 *cod. tit. eod. et l.* 7 *cod. eod.* Ut expeditissimam actionem hanc Antonius excluderet, totis iterum viribus contendebat absolutam non fuisse ferri emptionem venditionem, de qua ineunda cum Vincentio, pretium aliquanto gravius expetente, egerat. Sed non ita Patribus visum. Enim vero viri ratiocinatoris testimonio apparebat in primis hanc, de qua controversia est, emptionem venditionem in peculiarem Vincentii codicem relatam, qui ex quotidianis adnotationibus Diarii nomen habens, continua 2 qua perficitur scriptura, non levem rei probationem exhibet. Hoc autem maxime urgebat quod minister ponderibus publica auctoritate faciendis praefectus affirmabat 3 ab emptore et venditore se rogatum decimo quarto halendas majas anno superiori ferrum appendisse, tesseramque profitebatur utri-

que contrahenti de more dedisse, ex qua ferri libras 8154 divenditas constabat. Gravissimum quidem hoc erat perfecti contractus monumentum: etenim cum publicum pensitatorem ad mercem expendendam arcessere mercatores non soleant, uti plurimi quidem mercatores pro testimonio dicebant, nisi mercis emptione venditione constituta, et pensitator alioquin schedam illam dare non consuescat, nisi venditae mercis traditione emptori facta, in dubitationem revocari non posse Patribus videbatur et emptionis venditionis perfectio et mercis etiam traditio.

Publici pensitatoris fidem in discrimen adducere Antonius frustra conabatur, qui schedam a Rigaccio exhibitam dolo nudius tertius confectam ajebat. Praeter enim quamquod, validissimis argumentis et probationibus deficientibus, publicum ministrum, qui in rebus ad munus suum pertinentibus plenam meretur fidem, *Brunemann. ad l.* 2 *cod. de ponderatoribus*, *Peret. in cod. tit. de pond. n.* 4, *Rota in recent. dec.* 547 *num.* 5 *part.* 5 *et dec.* 130 *n.* 12 *part.* 17, fraudis dolique in proprii ministerii exercitio reum suspicari non licet, facti veritatem adversaria vindicabant, in quibus vulgari vocabulo *Vacchette* nuncupatis publicus pensitator adnotationes in dies describit schedis respondentes, quas ipse contrahentibus tradere consuescit. Etenim vectigalis ponderibus publice faciendis infixi redemptor testabatur, adnotationes iis in adversariis reperiri cum scheda, de qua quaestio est, plane congruentem.

Ne quid autem desiderandum supersit ad emptionis perfectionem arguendam accedit quod, biduo post quam initus dicitur contractus, Joannes Lucentini vector facultatem scripto traditam a publicanorum hac officina sibi comparavit, qua ab urbe Roma ferri libras 8150 nominatim uti ab Antonio Tesauri acquisitas exportare libere posset. Porro cum ex hac congruentia, quae inter ferri vim a publicanorum scheda exhibitam, alteramque quam Antonium emisse contenditur, atque ex maxima temporis brevitate quae a die controversi contractus ad diem intercessit quo Lucentinius facultatem ferri exportandi sibi quaesivit, validissimum argumentum oriatur de una eademque ferri vi, sive de mercis, ut ajunt, *identitate* rem esse, quemadmodum animadvertunt *Casarcg. de commerc. discurs.* 176 *n.* 17, *Gratian. discept. for. cap.* 847 *per tot. Rota coram Cerro decis.* 17 *n.* 7 *et in Rec. dec.* 146 *n.* 10 *part.* 10, profecto ex hoc sequitur quod, nisi Antonius ferrum comparasset ac recepisset, illud ab Urbe exportari alioque mitti nequivisset. Nec tanti fieri potest exiguum quatuor librarum discrimen, quod inter publicanorum schedam et ferri copiam quam a se venditam Vincentius ait, interesse videtur, ut ferri *identitatem* illam in dubitationem adducere liceat: parvi enim vel nullius prope momenti differentia in grandi plurium millium librarum vi levi cuidam vel publicanorum vel vectoris Lucentini incuriae facillime tribui potest. Sed aeque perperam ex hoc quod publicani ferrum a Lucentinio vehendum in scheda sua *semigrezzo* dixerint, qui causam pro Antonio orabant inferre, satagebant non illud esse ferrum potuisse, quod peculiari vocabulo *tondino* designatum emere Antonius a Rigaccio voluerat: etenim constabat hanc etiam ferri speciem praeter plures alias aptiori eo quasi generis nomine contineri.

Si quae hactenus exposita sunt omnimodam contractus perfectionem ostendere valent, alia praeterea argumenta Patrum animis obversabantur. Causidicus quidam referebat, sibi ab Antonio Tesauri factum fuisse sermonem de hac ferri emptione venditione cum Rigaccio inita. Antonius ipse, dum mense junio superioris anni aberat ab Urbe, uxori literas dabat, quibus ipsi proponebat curare ut ferrum quod Lucentinii opera ad pagum s. Eraclii prope Fulgineum miserat, tamquam ipsius Lucentinii ad creditores fraudandos haberetur. Accedit quod, Antonio adhuc absente, cum ejus uxor de solutione reliqui praetii a Rigaccio rogata fuisset, non modo nullum in discrimen contractum revocavit, sed contra sollicitam se maxime praestitit ut rem cum Rigaccio plane componeret, cui metalli cujusdam vim in partem pretii vendidit, obtulitque pignus ut, quod erat adhuc reliquum, ejus creditum cautum foret. Hujus porro generis factum plurimum valere patebat: quippe mulier omnia

viri negocia nosceret, cum eoque negociationi vacaret. Testes denique plurimi solemni ritu formaque a judice sciscitati contractus perfectionem confirmabant, quorum non nulli ferrum appensum, et ad cauponam apud quam Lucentinius divertebat, devectum ajebant. Nec erant quidem rejiciendi quia nonnulli familiariter uterentur Vincentio, vel hujus etiam servitio addicti essent: ad veritatem enim hujus generis negociorum probandam, quae privatim aguntur, amicis etiam atque familiaribus fides habenda est, ut s. Ordo monet *in dec.* 138 *recent. num.* 2 *part.* 4 *tom.* 1 *et dec.* 10 *num.* 14 *part.* 4 *tom.* 2. Contra parvi erant habendi testes quos Antonius emptionem venditionem confectam propter pretii discrimen negantes afferebat; etenim, seposito etiam ab iis mentiendi proposito, fieri facile potest ut in errore ex eo versati sint quod, cum Antonius pluries de contractu acturus ad Rigaccium accessisset, tum non affuerint cum emptio venditio denique constituta.

Haec omnia tanti momenti esse videbantur ut ad Vincentii actionem probandam Patres adducerentur, putarentque solutionem scutatorum centum ab Antonio factam Rigaccio huic, de quo quaestio est, contractui tribuendam esse: frustra enim Antonius laborabat ut ipsam in alteram caussam conferret, qui nullam de re validam probationem afferebat. Quamobrem cum solidum ferri pretium scutatis nummis 366 obulisque 93 constaret, de hac summa scutatis illis centum subductis, aliisque 57 obulisque 45, quanti metalli vis ab Antonii uxore in solutum data Rigaccio aestimata fuit; perspicuum erat, reliquum actoris creditum superesse in scutatis nummis 209 obulisque octo supra quadraginta.

Et ita etc., utraque, etc.

**R. P. D. BOFONDI**

ROMANA EMENDATIONIS DAMNORUM

*Veneris* 11 *martii* 1813.

ARGUMENTUM

Perspicuis solidisque deficientibus probationibus damnorum actio rejicitur.

*SUMMARIUM*

1. *In dubiis quod minimum est, sequimur.*
2. *Et pro reo convento respondendum est.*
3. *In actione damnorum utpote invisa et odii plena mitior semper et benignior ferenda est sententia.*
4. *Quae actio semper repulsatur si perspicuae deficiant solidaeque probationes.*
5. *Publici proxenetae maximam prae caeteris in jure et foro sibi vindicant fidem.*
6. *Carbo ex lignis confectus, quae vocant* » Forteto » *melior est, aliisque omnibus praefertur etiam apud exteras nationes.*

DECISIO LVI

Praetereunte anno 1828 Octavianus Panunzi tamquam conductor sylvarum caedendarum pro conficiendo carbone » *di Castel Giuliano e Sasso* » ad praenobilem familiam Patritiam spectantium venumdedit Antonio Neri caesionem *per carbone nel quarto di Monte Lungo ed annessi* » pro sarcinis saltem sexdecim millibus, ut Nerius optaverat. Ejusmodi caesionem ad tramites contractus Nerio suscipiente, insurrexit contentio inter ipsum et Mazzettium cui prius a Panuntio sarcinae duodecim mille, quod Nerius idem non ignorabat, fuerant divenditae. Hinc ad dirimendum quodvis jurgium, inter Nerium Panuntiumque conventum est ut, loco *di Monte Lungo*, subrogaretur *Grottebarca e Mezzagne, oltre la doganella.* Quod si ex his quantitas sexdecimmille Sarcinarum haud fuisset completa, contentus Nerius fuit de complemento habendo » *negli altri quarti contigui e più vicini a portata della Capitale* ». Ast qua Nerius consequi, ut asserit, id nequivit, vel quia » *i quarti sostituiti non erano contigui a portata della Capitale* » vel quia caedenda illa ligna caesionem jam a Panuntio subiverant, instituit praefatus Nerius actionem damnorum pro non obtento complemento.

Tribunal tunc commercii jussit de more designationem viri periti specialibus datis in id facultatibus; sed, appellationem ab hoc decreto Panuntio interponente, sacrum Tribunal, ponente R. P. D. Rivadeneyra, censuit pariter peritum virum esse eligendum sub ea tamen lege et conditione ut primo referret num lignamen existeret aptum pro

conficiendo carbone juxta terminos contractus » *nei quarti ceduti della tenuta di Castel Giuliano, compresi anche Monte Marino e Monte Stradello* » ac in quantitate existeret » *in ciascun quarto, avuto riguardo alla passata stagione* » deindeque referret super contiguitate seu proximitate » *dei quarti a Monte Longo , e sulla loro situazione a portata della Capitale* » . Prior electus quum Panuntio non arrisisset, super viro perito *Benedicto Tranquillio* nova electio cecidit. Bis hic in faciem loci accessit , binasque relationes emisit inter se discrepantes in specifica quantitate lignorum pro carbone comburendorum et generatim Panuntio adversantes. Proposita post haec quum esset causa, sacrum Tribunal rejecit instantiam promotam , rescriptum edens: » *Non esse locum emendationi damnorum; et expediatur* ».Provocans autem istiusmodi ab sententia Nerius, novum hodie experimentum est factum , atque interrogati a me Patres num cofirmanda esset sententia edita, responsum habui: » *Sententiam rotalem esse confirmandam; et extendatur decisio.*

Ex his profecto quae proponebantur hinc inde, implexior quidem ac minus plana reddebatur, quam esse dignosceretur reapse, excitata ad decidendum contentio. Etenim in-
1 concussum ac pervulgatum hic semper urget axioma ut in dubiis *quod minimum*
2 *est* quisquam constanter sequatur , ac pro reo convenuto , ut favore magis digno , sit
3 protinus in proposito respondendum. Eoque magis ubi res est de re invisa odioque plena, damnorum videlicet reficiendorum actione et judicio. Contra namque illam et illud sententia mitior ac benignior feratur necessum est ; *text. in leg. quoties* § *qui dolo ff. de probat., leg. merito* 61 *ff. pro socio , s. Rota in Ravennaten. refectionis damnorum* 6 *aprilis* 1753 § 5 *cor. Elephantutio , in Anconitana* 4 *julii* 1704 § 8 *cor. Acciajuoli , in Civitatis Castellanae juris redimendi* 25 *novembris* 1803 § *final. cor. Resta, in Viterbien., seu Centumcellarum refectionis damnorum* 1 *aprilis* 1805 § 3 *cor. Guardoqui, in Bononien. damnorum et expensarum* 14 *junii* 1819 § 15 *cor. emo Marco et in Lauretana crediti* 18 *martii* 1825 § 8 *cor. eodem* ».
Nisi ergo perspicuae solidaeque probationes afferantur, damnorum actio debet pro-
4 pulsari omninoque rejici. Reque vera in themate non demonstrabatur , ut par erat, Panuntii culpam damnis quae Nerium pertulisse affirmabat , locum dedisse , quum Nerius ipse ex nemore *di Monte Stradello* ligna ad carbonem conficiendum commode appareret potuisse sumi. Nam licet Panuntius de caessione partiali silvae istiusmodi erga Camillum Mazzettium disposuisset , tamen priusquam caessioni manus admoverentur , *iteratis protestationibus* Nerium admonuit , qui caeteroquin incuriosum ea de re se praebuit.

Jam vero ex indubiis documentis elicitur ex hac sylva extrahi etiam *nunc* posse sarcinas 4500. Illud itidem animadvertendum occurrit , Tranquillium suo muneri non satisfecisse , utpote quia sacrum Tribunal injunxerat ut de sylvis omnibus quae existerent, referret; is praetermisit prorsus tum quartum quod *Grottebarca* adjacebat , tum etiam quartum aliud *Monte Stradello.* Et sane omissio *di Monte Stradello* non est excusanda ullo modo: etsi enim fuisset » *tutto forteto* » ille nihilominus debuisset referre. In primis quidem non videtur fuisse » *tutto forteto* » quum esset nimirum sylva *Monte Stradello* constituta tum lignis ad conficiendum carbonem optimum , tum etiam parte lignorum *forteto* denominata quae non potest denegari melioris qualitatis existere. Panuntius itaque, postquam Nerium interpellavit *per quinque protestationes*, dedit operam incisioni , atque incidit reapse lignaminum partem ( altera ad incisionem apta et carbonem conficiendum relicta ) ; quod nempe contigit postquam Panuntius interpellaverat Nerium, et Nerius renuerat.

Deinde tametsi fuissent ligna illa » *tutto forteto* » Nerius tamen debuisset caedere. Illi namque deficiebant ex promissis sarcinis *sexdecim millibus* sarcinae tantum 3768. Non erat autem maximi ponderis habere in enunciatis sarcinis sexdecim millibus sarcinas solummodo 3768 *forteti.* Tandem impense retinendum est ex testimonio publicorum cen-
5 tumcellensium proxenetarum ( qui maximam prae caeteris in jure et foro sibi vindicant

fidem ) confirmari concorditer qualitatem carbonis *ex forteto* erutam meliorem esse , aliisque omnibus praeferri etiam apud exteras nationes *coll' aumento di prezzo di cinque , ed anche di dieci bajocchi per ogni soma* , unde nullam exceptionem proponi posse contra istiusmodi qualitatem carbonis , quam optimam *e preferibile a tutte*
6 *le altre* dicendam esse nequit in dubium revocari, certissimo constitit. Atque hic semper firmiter recolendum juxta ab initio enucleata theoremata, damnorum actionem, quae suapte indole odio affluit et execratione , non concedi nisi probetur damna revera extare , ac evenisse ex culpa illius contra quem actio poscitur. Ut vero in casu damnorum existentia posset evinci, probandum foret quod adeo arboribus et lignis fundi de quibus agitur, carerent ut Nerio etiam volenti impossibile esset quantitatem invenire quae par esset ad sarcinarum quinque millium circiter , de qua initio judicii querebatur , supplendam deficientiam. At vero hujusmodi probatio desideratur; immo contrarium resultat. Juvat etenim animadvertere peritum virum tam in prima, quam in secunda relatione dixisse ligna existere sive jam caesa, sive caedenda tum in sylvarum parte quae *doganella* appellatur , tum *Monte Stradello* , tum *di Castel Giuliano*, tum etiam *Grottebarca etc.*

Nec de quantitate lignorum, quae par esset ad conficiendum carbonem, satis clare se explicaverat unquam: quin immo anceps sylvarum , ac praesertim quoad *Monte Stradello*, cujus arbores aptas ad carbonem conficiendum haud esse censuit , utpote erant *forteto* , contra contractus tabulas reique patulam veritatem. Quibus addendum est probari ex testimonio quamplurium revera satis lignorum quantitatem extare in sylvis ad supplendam quantitatem a Nerio requisitam , quamque ille etiam non dubitaverat recusare. Atque insuper certum est ab ipsius Nerii facto lignaminum existentiam excludi. Constat enim , quo tempore querebatur de damnis , Nerium ipsum in uno nemore *di Grottebarca* carbonis sarcinas 2740 retraxisse, aliaque superesse adhuc ligna, ex quibus carbonem optimum conficere is poterat, ut eam quantitatem haberet quam exoptaverat. Nec prodcrat peritum virum in secunda peritia in pluribus locis quantitatem non invenisse lignorum , quae secata jam fuerant ab Octaviano Panunzi. Animadvertendum namque est quod res est sane dirimenda uti erat die, quo Nerius damnorum refectionem petiit; ideoque in probatis cum sit Nerium eo tempore potuisse arbores secare et carbonem conficere , de cujus deficientia conqueritur , id quidem ad damnorum actionem rejiciendam debet protinus esse satis. Sibi etenim debet imputare, si quantitatem lignorum , quae exoptare fassus est ad carbonem conficiendum, in posterum secare nequivit. Sat est quod secare potuisset tempore, quo ille debuisset idipsum peragere. Quibus positis, quum extrema non adsint necessaria ad concedendam refectionem damnorum , planum erat justam agnosci sententiam recensitam , quam idcirco confirmandam omnino esse rectissime dijudicarunt Patres Domini acciti ad rem definiendam.

Et ita in valida partium dimicatione, meo quoque suffragio adjuncto , jus cuique reddere libuit.

**R. P. D. DE CURSIIS**

ROMANA CONTRACTUS

*Lunae 16 januarii 1832.*

ARGUMENTUM

Expensis tum emptionis venditionis, tum permutationis contractus extremis, non permutationem, sed emptionem venditionem perfectam fuisse definitur ex certo constituto pretio , etsi conventum fuerit ut pro modo solutionis venditor in locum pretii speciem aestimatam recipere deberet. In venditione autem aliisque contractibus nominatis sicuti locus est non rescissioni, sed dumtaxat actioni ad implementum , ita contractu ab altero ex contrahentibus in partem saltem impleto , alter damnandus est non solum ad implendum , sed etiam ad quanti interfuit impletum ab eo contractum ipsum non fuisse.

*SUMMARIUM*

1. *Ex jure commercii litterae mercatoriae plene probant initam perfectamque inter absentes mercatores emptionem venditionem.*
2. *Emptio venditio perfecta dicitur cum tria confluunt scilicet consensus, res et pretium.*

3. *Ex quibus eruitur non simplicem tractactum sed verum intercessisse perfectumque contractum.*
4. *Ex jure quantitas rei loco pretii tradendae a pretii rei venditae quantitate recte conjicitur.*
5. *Incertum a legibus dicitur quod nulla ratione definiri potest.*
6. *Adeoque si norma in contractu statuta sit, qua certitudo contingi valeat, nunquam dici potest incertum pretium.*
7. *Praesertim si agatur de mercatoribus, inter quos despectis juris apicibus, omnia de plano et aequo sunt definienda.*
8. *Tunc perficitur innominatus permutationis contractus, cum certae rerum species cum speciebus commutantur.*
9. *Una aestimatio rei quae traditur, suapte natura emptionem venditionem facit.*
10. *Adeoque permutationem excludit.*
11. *Non res, sed pecunia in contractu adfuisse censetur, quando pro modo tantum solutionis de aestimata specie in locum pretii recipienda venditor convenit.*
12. *Leges, quae rerum numero, pondere et mensura constantium emptiones venditiones non aliter perfectas dicunt, quam si res ipsae admensae, adpensae adnumerataeque sint, de ea contractus perfectione loquuntur quae dominium transferat in emptorem, ut eidem deperitio vel periculum incumbat.*
13. *Neque idcirco traducendae sunt ad arbitrium improbandi contractum.*
14. *Etsi degustatio et mensura passim in istis legibus cumulentur, tamen quoad contractus perfectionem illud inter utramque discrimen interest ut ante degustationem contractum improbare liceat, non autem ante mensuram, quae est dumtaxat argumentum venditionis contractae, a qua recedi non potest.*
15. *In venditione aliisque contractibus nominatis non est locus rescissioni, sed actio dumtaxat competit ad implementun.*
16. *Qui de uno partis dicto testimonium profert, eamdem in judicio fidem meretur, ac si pars ipsa in causam testimonium diceret.*
17. *Contractu ab altero ex contrahentibus in parte saltem impleto, alter damnandus est non solum ad implendum, sed etiam ad quanti interfuit impletum ab eo contractum ipsum non fuisse.*

## Decisio LVII.

Sericas vittas vulgo » *nastri* » quas in Urbe fabrefacit honestus mercator, Blasius Savaresi, emere jam pridem et negociari assueverat marchio Joseph Nannerinius, qui in civitate Firmi sumptuosam sericae mercis negotiationem exercet. Verum, cum contineuti pretii solutione ad annum 1830 expletae fuerint vittarum emptiones venditiones, utilius hoc anno Nannerinio visum fuit contractum cum Saverio inire, ex quo ipse certam quantitatem serici illi venderet, tantamque quantitatem vittarum earumdem reciperet, quanta serici pretium impleret. Res omnis, mercatoriis hinc inde epistolis datis, amice composita fuit. Savaresius enim die 4 mai 1830 Nannerinio scripsit: » *quante volte potete rilasciare le sete che sarete per cavare di filo romano, per il prezzo di pavoli* 23 *la libbra in cambio di tante fettuccie di mia fabbrica, ne potete cavare libbre* 400 » cui epistolae Nannerinius rescripsit sub die 7 ejusdem mensis: » *In replica alla favorita vostra 4 detto sarò a rilasciarvi la seta filo romano per il prezzo di scudi* 2: 30 *per ogni libbra di peso romano, ed in cambio riceverò tanta fettuccia della vostra fabbrica agli ultimi prezzi mi avete praticati* ». Ad hujus vero contractus tramites pro celeri vittarum transmissione instetit, adjiciens quod, licet Savaresius non ante diem 15 junii anni 1830 sericis vittis tradendis manum posset admovere, quasdam saltem praemitteret juxta notulam epistolae adnexam, quibus ipse indigebat.

Factum hinc est ut non de perficiendo amplius, sed de implendo contractu ageretur. *Septuaginta septem* enim vittarum volumina in serici pretii partem absque mora Savaresio mittuntur; quae licet majori in parte rejecta a Nannarinio fuissent, uti quae nec coloris specie, nec opere illarum designationi in praedicta notula respondere existimavit, haud tamen contenditur ad numerum usque *undeviginti* recepta a Nannerinio fuisse. Ratus hinc Savaresius impletam a se fidem contractus, conventi serici traditionem urgere caepit. Sed, renuente Nannerinio a quocumque contractus implemento de quo componendo actum solummodo contendebat, oportuit Savaresio, post emissam damnorum protestationem, quae ex protelato contractus implemento obventura erant, coram judicibus agere, qui in Urbe de commerciali re jus reddebant, ut Nannerinius ad tradendum sericum damnaretur, nec non id omne reficeret, quod sui in-

terfuerit rem ad formam contractus haud traditam fuisse. Unanimiter in actoris partem judices venerunt, declarata contractus perfectione, sed reservato eidem jure agendi pro congrua damnorum sarcitione. Nec Nannerinio profuit appellationis gradum coram s. Ordine experiri. Patres enim confirmarunt hodie tribunalis commercii sententiam, et de reservata damnorum actione judicium ferentes, haec quoque Savaresio reficienda constituerunt, edito rescripto: » *Constare de validate contractus emptionis venditionis: esse locum emendationi damnorum in summa liquidanda; et extendatur decisio.*

Quidquid a jure notissimo exigitur ad constituendam contractus emptionis venditionis validitatem haud dubie in casu concurrere PP. tenuerunt. Constat de mutuo partium consensu: constat de re certa quae venit in contractum, deque pretio quo empta et vendita fuit. Partes enim in idem convenisse literae mercatoriae liquido ostendunt quibus contractus inter absentes initus
1 fuit, et quae, jure commercii, tantam auctoritatem hac de re sibi vindicant ut altera et absolutissima ex rationibus habeantur quibus emptio venditio inter mercatores perficitur, ceu egregie tradit *Marreius diritto commerciale part. 1 tit. 7 num.* 204. Mutuo contrahentium consensui accedit rei certitudo. Sericum quippe in contractum venit, quod Nannerinius ad libras usque *quatuorcentum* petenti Savaresio tradere promisit. Nec defuit certi et determinati pretii conventio, cum ex contrahentium epistolis vel evidenter constet in *juliis viginti tribus* pro unaquaque serici libra fuisse constitutum. Cum igitur tria illa
2 manifesto confluant, quibus emptio perficitur, incivile omnino est contractus validitatem vel perfectionem in discrimen revocare; *Instit. lib. 3 tit. 4 de empt. vend., ibique Vinnius instit. lib. 3 tit. 24 numer. 2, Corrad. de jur. praelat. quaest.* 20 *numer.* 24, *Rot. coram Cerro decis.* 834 *numer.* 2, *coram Falconerio de empt., dec. 1 numer. 4, coram Riminaldo decis.* 85 *num. 1 et in Maceraten. pecuniaria 5 julii 1829 num. 2 cor. rmo. Rivadeneyra.*

Haec, quae juris elementaris sunt, cum probe noscerent qui causam pro Nannerinio dicebant, toti in eo erant ut eorumdem requisitorum concursum inficiarentur. Mutuum siquidem contrahentium consensum denegabant, ex quo numquam simplicis tractatus fines praetergressi sint, et rei incertitudinem ac pretii usque deficientiam exagerabant, quia non in numerata pecunia, sed in certa specie constitutum fuisset. Sed nihil ex hisce, vel in facto, vel in jure, consistere visum est. Non enim simplicem futurae emptionis tractatnm, sed verum perfectumque
3 contractum mercatorias literas hinc, inde datas praeseferre, ita ex literis ipsis demonstratur ut nulla indigeat probatione. Exulat vero quaelibet rei incertitudo si vel unus ad contrahentium epistolas oculus convertatur: nam ajebat Nannerinius Savaresio scribens » *potrò darvi tanta seta cavata nella mia filanda . . . necessita però che voi mi precisiate quante centinaja di libre di seta ne desiderate* ». Respondit Savaresius » *quante volte potete rilasciare le sete che sarete per cavare di filo romano, per il prezzo di paoli ventitrè la libra in cambio di tanta fettuccia di mia fabrica, ne potete cavare libre quattrocento.* » Tandem replicavit Nannerinius » *sarò a rilasciarvi la seta a filo romano per il prezzo di scudi due e bajocchi trenta per ogni libra, ed in cambio riceverò tanta fettuccia della vostra fabrica agli ultimi prezzi mi avete praticati* ». Sed et certa pretii quantitas ex hisce contrahentium verbis exurgit luculentissime: patet namque utriusque placito in scutatis nummis duobus obulisque triginta pro qualibet serici libra fuisse constitutum. Hinc patet profecto cuilibet veram absolutamque emptionem venditionem ex novissima Nannerinii epistola perfectam fuisse, qua non leges tantum a Savaresio positas accepto habuit, sed praedictarum vittarum traditionem properavit, id est initi perfectique contractus implementum.

Deterius est pretium serici, quod in contractum venit, incertum arguere ex eo quod nulla vittarum sericarum quantitas designata sit, quae vice pretii tradenda esset, nullumque eis pretium constitutum fuerit. Literalis quippe quantitatis praefixio in epistolis desideratur, sed expresse statutum

quod eadem vittarum pretia servarentur, quae conventa in antecessum fuerant » *alli medesimi prezzi secondo il solito* ». Non incerta igitur, sed determinata et tutissima vittarum quantitas assurgit, quam Nannerinius serici venditor, in hujus statuti pretii caussam, recipere convenerat. Tot enim volumina pro serici pretio venerunt in contractum quot, juxta pretia in antecessum conventa, vim implerent pecuniae pro eo pretio debitae. Haud enim dissonum a jure est quantitatem rei, loco pretii tradendae, a pretii rei quae vendi-
4 ta fuit, quantitate conjicere: et cum incertum a legibus dicatur quod nulla ra-
5 tione definiri potest, ex traditis per *Donnell. comment. jur. civ. lib.* 8 *cap.* 14 § 6, *Rota coram Priolo dec.* 50 *numer.* 1 *et seqq. et in Romana legitimae* 29 *februarii num.* 7 *coram R. P. D. meo Bofondi*; haud equidem incerta sericarum vit-
6 tarum quantitas existimari debet, cum tutissima in contractu ipso statuta sit norma qua ad certitudinem adduci valeat, ut est textus expressus in *lege haec venditio* § 1 *ff. de contr. empt.* Fortius cum res inter mercatores homines acta, legum et civilium subtilitatum ignaros, haud quaerere de api-
7 cibus juris, sed omnia de plano et aequo definire conveniat.

Quod vero pretium in contractu defecerit, et res cum re permutata fuerit, ut ad instar magis innominati contractus permutationis, quam emptionis venditionis ferendum esset judicium, probari a Patribus nullimode potuit. Innominatus enim permutationis contractus, qui tunc locum sibi vindicat, cum
8 species rerum certae cum speciebus commutantur, *lege* 1 *ff. de rer. permut.*, *lege emptionem* 7 *cod. eod. tit.* extraneus toto caelo habendus erat a casu quo sericum ab Nannerinio venditum, nonnisi sub certa pretii aestimatione et *taxata quantitate*, nempe in scutis *duobus* et obulis *triginta* in singulas libras, deductum in contractum fuit; nec Savaresius convenit ut vittarum species cum serico permutaretur, sed quod illae in contractu, uti empti serici pretium pecuniae numeratae loco, venirent » *colli medesimi prezzi secondo il solito* ». Una siquidem aestimatio rei quae traditur, cum
9 suapte natura emptionem venditionem faciat ceu post textum in *lege quoties et in lege dotem cod. de jure dotium*, communiter docent *Corn. cons.* 16 *numer.* 3 *lib.* 2, *Ruin. cons.* 134 *numer.* 2 *vers. quia uti lib.* 4, *Covar. in pract. quaest. cap.* 28 *numer.* 1, ea hinc sufficit ad permutationis
10 contractum eliminandum; *lege* 1 *cod. de rer. permut.*, *lege* 1 § 1 *ff. de praescript. verb.* Nec res, sed pecunia in contractu adfuisse censeri debet, semelac *pro modo* tantum *solutionis* de aestimata specie in locum pretii recipienda venditor convenit, ad
11 ea quae Rota plenissime expendit *in Romana dotis et fructuum* 15 *maii* 1801 *numer.* 6 *coram Guardoqui*, *in Romana transactionis* 4 *martii* 1803 *numer.* 4 *coram Resta et in Romana seu Albanen. pecuniaria* 14 *junii* 1830 *numer.* 5 *coram reverendissimo Spada.*

Posito autem emptionis venditionis contractu, extraneum omnino est ad textum confugere in *lege quod saepe* 35 § *si res vendita ff. de contr. empt.* et aliis, quae passim habentur in *tot. tit. ff. et cod. de peric. et commod. rei vendit.* Animadversum oppido est quod, dum rerum emptiones venditiones, quae numero constant, pondere ac mensura, non aliter ex iis legibus per-
12 fectae dicantur, quam si admensa adnumeratave sint ea quae in contractum deducta fuere, de una illa contractus perfectione agatur, quae dominium rei transferat in emptorem, ut eidem quaecumque rei deperitio vel periculum incumbat. Quae igitur de rei emptae periculo sancita sunt, inciviliter ad arbitrium improbandi contra-
13 ctum transferebantur. Insuper, quod gravius in re est, licet degustatio ac mensura passim in legibus iis cumulentur, gravissima tamen interest inter utramque juris differentia ad arguendam contractus perfectionem » *Gustus enim ad hoc proficit ut improbare liceat: mensura vero non*
14 *eo proficit ut aut plus aut minus veneat, sed ut appareat quantum ematur* » ut ad rem monet *Paulus in lege si in emptione* 34 § *alia causa ff. de contr. empt.* Uti licet exinde ante rei mensuram non obtinet, cum *argumentum* solummodo haec sit *venditionis contractae*, *a qua recedi*

*non potest*, ceu recte concludit *Vessembecius in pandectis lib.* 18 *tit.* 1 § *alia tamen est caussa.* »

Nec a contractu semel perfecto recedere Nannerinio licet ex re vice pretii sibi haud tradita illius qualitatis, quae venerat in contractu, ita ut vix *undeviginti* vittarum volumina recipere adactus fuerit ex *septuaginta septem* illis, quae Savaresius misit in pretii partem. In venditione enim aliisque contractibus nominatis ita jus obtinet ut, si alteruter ea non impleat ad quae se
15 obstrinxit, contractus tamen ob eam causam nequeat rescindi; sed actio tantummodo competat ad implementum, ad textum in *lege incivile* 12 *cod. de re judic.*, *Rocc. disput. jur. select. cap.* 105 *num.* 3, *Rot. decis.* 640 *num.* 13 *coram Buratt. decis.* 568 *numer.* 4 *coram Olivat. et in Romana, seu Perusina consuccessionis* 8 *julii* 1827 *numer.* 10 *coram rmo. P. D. meo Spada.* Nec, qui ex jure corruit resolutionis casus, validus adstruebatur *ex pacto*, perinde ac si Nannerinius non alias de conventa serici quantitate tradenda convenerit, nisi vittis illius qualitatis et speciei pretii loco receptis, quae datis sibi pridem exemplaribus responderent. Nulla enim resolutivae hujus conditionis mentio in mercatoriis literis occurrit, et quibus inita et perfecta emptio venditio fuit. Nec audiendi erant duo testes firmani, qui tamquam si arbitri in contractu adfuissent initio inter absentes, conditionis existentiam
16 confidenter proponunt. De uno siquidem Nannerinii dicto referre possunt, et fidem eamdem in judicio promerentur, ac si Nannerinius in sui causam testimonium proferret.

Ex hisce igitur profluebat quod, cum inciviliter Nannerinius, perfecto semel contractu et ab alterutro ex contrahentibus pro parte saltem impleto, serici traditionem recusaverit, non ad servandam solummodo
17 contractus fidem damnaretur, sed id quoque praestaret quod Savaresii interfuerit rem venditam traditam haud fuisse, ut planum ex jure est *lege* 1 *ff. de act. empt. vend.* Nec profuit Nannerinio objicere nullo jure agere Savaresium ad refectionem damnorum, quia ab eo transmissa ad ipsum Nannerinium haud fuit integra vittarum quantitas in caussam pretii serici tradenda. Id enim uni Nannerinio tribuendum est, qui eas ex initis conventionibus poscere debebat: ac nulla in culpa est Savaresius, qui spe recipiendi sericum frustratus, a vittarum transmissione sese abstinuit, ac dein judiciali ritu protestationem emisit, qua sese ad earum transmissionem paratum exhibuit, statim ac ei Nannerinius sericum ad contractus tramites traderet. Cum vero liquido de damnis hisce in specie haud constaret, rescripserunt hinc PP. quod locus esset emendationi in summa liquidanda.

Et ita etc., me quoque suffragium ferente, decisum fuit, utraque, etc.

**R. P. D. DE RETZ**

ANCONITANA PECUNIARIA

*Veneris* 10 *februarii* 1832

ARGUMENTUM

De natura, consuetudine et effectibus opistographi » vulgo *girata in bianco* » in literis cambialibus late disseritur. Collybisticam literam acceptans ipso jure liberationem assequitur, si exhibitori solvens literam ipsam recipit, eoque magis, si haec munita fuerit creditoris opistographo » *in bianco* », atque, dum fit solutio, in interjecto spatio adjiciatur verbum » *estinta.*

*SUMMARIUM*

1. *Bona fides non patitur ut bis idem exigatur.*
2. *Omnis enim obligatio tollitur solutione ejus quod debetur.*
3. *Cambialis litera ejus exhibitori, ubi primum cessi solutionis dies, omnino solvenda est.*
4. *Solutio demonstratur ex quo debitor penes se habeat cambialem literam, in eaque adsit liberationis formula* » estinta: » *et* n. 8.
5. *Improbus ille est qui velit iterum consequi quod accepit.*
6. *Literae cambialis amissio fortuito casu excluditur ex quo creditor solitus fuerit arcte et accurate collibisticas literas penes se custodire.*
7. *Itemque ex adjecta ab ipso creditore* gyrata, *quae fit ad literam ipsam in alienam potestatem transferendam.*
8. *Quando agitur de literae* acceptante, *ad liberationem assequendam satis est pro eo vel ipsam literam absque creditoris opistographo recipere.*

9. *Eoque magis si eadem litera expressam praeseferat soluti debiti declarationem.*
10. *Quaestio an ex forma gyratae* alienatarius *sit potius mandatarius quam proprietarius, fit cum* alienatario *ipso, numquam autem cum debitore qui, cuicumque solverit, liberatur.*
11. *Fortius quia quaestio illa non contra debitorem ut bis solvat, sed ab hoc uno potest proponi, ut iisdem exceptionibus quae creditori nocuissent, aeque adversus exhibitorem, uti ejus mandatarium, uti valeat.*
12. *Decisiones* Forosempronien. literarum cambialium 5 junii coram Odescalchi et 16 maji 1823 coram Isoard *declarantur.*
13. *Usu receptum est in anconitano emporio, ut literae cambiales etiam ad veram alienationem transferantur per giratam* » in bianco »*, ibique, dum fit solutio, in interjecto spatio adjiciatur verbum* » estinta.
14. *Quod idem inter negociatores ubique locorum obtinet.*
15. *Quae metodus* » della girata in bianco » *congruit mercatorum consuetudini et commercii celeritati.*
16. *Et pro lege retinenda est, etsi juris rigori non omnino cohaerere dici vellit.*
17. *Hinc gyrans* » in bianco » *approbasse censetur quidquid ibidem scribi poterat ex consuetudine, atque implicite assentitur obligationi quae exinde prodiit.*
18. *Etsi collybi literae tradi soleant quandoque in titulum mandati, id non excludit eas tradi etiam solere in caussam verae alienationis.*
19. *Cum in gyrata* in bianco *exhibitor possit formulam quam vult magis in interjecto spatio exarare, id satis est, quamobrem ipse pro vero literae domino habeatur, et debitor legitime ei solvat.*
20. *Familiaritatis exceptio, quae merito testibus objicitur, per examen formale minime deletur.*
21. *Ad suspendendam literae cambialis solutionem opus est inhibitione judiciali debitori indicta.*
22. *Qua deficiente, debitor legittime solvit exhibitori.*
23. *Exhibitor literae cambialis praesumitur proprietarius, eique solvendum est.*
24. *Pro commercii bono et celeritate ad solventis indemnitatem sufficit si, omissa etiam cognitione exhibitoris ejusque chirographi cognitam ipse habeat* trahentis *manum propriamque acceptationem.*

## Decisio LVIII.

Quintili mense anni 1829 multam cerae flavae ( *cera grezza* ) vim Michaeli Mercatili vendidit Thomas Rassovich, origine graecus. Pretium argenteorum 1542: 85 solvere spopondit emptor, emissa obligatione per collybi litteram, quae Anconae, ubi degebat uterque, erat solvenda sub die 20 novembris ejusdem anni, idest quatuor circiter post menses. Moritur interea temporis Rassovichius apoplesi repentina die 17 septembris; cumque ejus nepos, ac in mercatoria ratione successor, Alexander Rassovich cambialem quaereret, nec reperiret in theca nummaria, sive » *nel portafoglio* », in quo aliae hujusmodi schedae servabantur, suspicatus est eam a Thoma fuisse deperditam. Hinc non multo post adiit debitorem, rogavitque ejus filium ( pater quippe tunc forte aberat Ancona ), ne pecuniam, se inscio, repraehesentaret. Annuit adolescens, promisitque solutionem se non facturum, dummodo tamen littera exhiberetur haud legitimo opistographo munita. Sed revera cum, die ad solvendum praestituta, cambialis fuerit exhibita praeseferens in tergo creditoris Thomae chirographum, novit Mercatilius se pensionem ex commercii legibus detrectare non posse; indeque pecuniam sistenti continuo numeravit, retulitque acceptilationem per verbum » *estinta* » in opistographi spatio conscriptum.

Misit postridie Rassovichius administrum suum, pecuniam litterae, quam putabat amissam, petiturum. Huic litteram cum Thomae opistographo ostendit Mercatilius, monstravitque iterum aliquot post dies vel ipsi Rassovichio ac proxenetae Petro Pelosi, quibus omnibus, cum de manu defuncti Thomae dubitatio non excitaretur, perspectum fuit, ex ea formula » *estinta* » jam pecuniam Mercatilium repraehesentasse. Peractae solutioni principio quiescere visus est Rassovichius. Sed repente, mutato consilio, Mercatilium ipsum in jus rapuit coram judicibus mercatoriis Anconae, petiitque » *il pagamento della stessa lettera* » ac propterea » *condannarsi il citato nella pretesa somma di scudi* 1542 : 82 ». Cum res non satis ex facto constaret, censuit magistratus ille testes explorandae veritatis gratia judiciali examini subiicere; id quod postmodum et Ordo noster sancivit in audientia diei 19 aprilis 1830. Quo experimento post plures ambages absoluto, placuit hodie tandem litigatoribus, qui pluries mutuo placito judicium distulerant, quaestionem rur-

sus expendi ; decrevitque sacr. Tribunal: » *Non esse locum solutioni literae cambialis , praestito tamen juramento per Michaelem super integra solutione scutor.* 1542: 85 » , demandata contextim praesentis *decisionis extensione.*

*Bona fides non patitur ut bis idem*
1 *exigatur* » , scriptum est *in leg.* 57 *ff de div. reg. juris* ; atque ratio juris non permittit ut obligatio denuo impleatur: » *tollitur quippe omnis obligatio solutione ejus*
2 *quod debetur* », ceu tradit *Imperator princ. instit. quibus mod. toll. obligat.* Equidem Mercatilius collybisticam emisit schedam ad praefatam usque vim argenteorum 1542: 85 erga demortuum Thomam Rassovichium, cujus solutionem distulit ad quatuor menses , ad diem nempe 20 novembris 1829. At summam hac exigere profecto Thomas debuit tum quando schedam ipsam in alienam transtulit potestatem , quia illam opistographo suo munivit , sive ut vulgo dicitur » *colla girata in bianco* » . At Mercatilius tantundem pariter pecuniae repraehesentare certe adactus est schedae *exhibitori*, ubi primum
3 cessit solutionis dies , tum quia » *la lettera di cambio deve essere irremisibilmente pagata alla sua scadenza* » ad monitum genuensis jurisconsulti *Marrè corso di diritto commerciale part.* 1 § 319 , tum quia schedam ipsam ille habet penes se, in eaque adest liberationis formula » *estinta* ».
4 Dum igitur Thomae nepos urgebat » *il pagamento della stessa lettera* » , nil minus inhiabat quam bis eamdem summam exigere , atque Mercatilium compellere ad jam peremptae obligationi rursus satisfaciendum. Sed haec a legibus vetantur omnino , et adeo intollerabilia semper visa sunt , ut Paulus putaverit , » *improbum esse eum*
5 *qui velit iterum consequi quod accepit* », veluti habetur ex *leg. si quis* 51 *ff de rejudicata.*

Enim vero Thomas collybum non percepit , quia collybi litera » *è stata perduta*, indeque solutio quam allegat Mercatilius , *commentitia* est ac *simulata*; et si credi ea vera posset , fuit certe *illegitima*, nec apta debiti extinctioni pariendae: ita Rassovichius in sua oratione. Sed perperam. *Formale* namque testium *examen* jactatam amissionem penitus excludit , immo monstrat apprime Mercatilium , constituta ad solvendum die , numerasse pecuniam exhibitori ejusdem literae opistographum Thomae Rassovich praeseferentis. Excludit amissionem, quia vel ipsi testes ab Alexandro adducti ,
6 suoque servitio addicti , confirmant aperte collybisticas literas tam arcte accurateque a defuncto custodiri , ut armarii clavem unus ipse semper habuerit , ab eoque mortis momento nepos receperit: » *il portafoglio rimaneva sempre presso il fu Tommaso gelosamente custodito sotto chiave in un cassetto del di lui scrittorio. Ivi esistevano tutti gli effetti in cambiali ed altri recapiti , e nessuno estraneo al negozio , meno il signor Tommaso , anche per qualsivoglia accidentalità, ha potuto vedere, esaminare e trovare gli effetti del portafoglio suddetto* » . Nullus ergo casus probabilis videtur quamobrem controversam literam Thomas amitteret: non aliqua forum astutia , non latronum violentia proponitur, quibus alioqui in casibus opportunas querelas haud excitare desiisset.

Objectae autem amissioni resistit ipsius Thomae opistographum. Nemo enim in literis collybi a se possessis proprium chirographum scribit in illarum tergo, nisi cum de
7 literis ipsis disponit, aliisque voluntarie tradit vel in solutum, vel ad aliquam negociationem ineundam. Opistographum ergo est vehementissimum alienatae literae argumentum. Revera si ita res non esset , quonam pacto Thomas suum nomen inscripsisset in littera? Ad veritatem debiti Mercatilii ostendendam profecto necessarium non erat; ad illius exactionem peragendam inutile prorsus tribus antea mensibus quam solutionis dies adventaret. De existentia vero opistographi dubitari non licet , cum de eo testimonium perhibuerit in suo formali examine vel ipsi Rassovichii administer *Marinellius*, cui Thomae manus erat notissima. » *Conosco benissimo* (sic locutus est coram judice ) *il carattere del fu Tommaso Rassovich, e posso sempre riconoscerlo* » ; ac paulo post » *vidi questa cambiale in mano del signor Luigi Mercatili il giorno 21 novembre 1829, trovandovi a tergo della medesima la firma del fu Tommaso Rassovich, che*

*io bene osservai, e mi parve di pugno di esso fu Tommaso* » . Cum igitur in syngrapha adsit opistographum, haud ipsa fortuito casu deperdita fuit , sed in alienam potestatem translata per Thomam antequam moreretur.

Quod si collybi litera penes tertium possessorem reperiebatur qua die dissolvenda erat, inutiliter omnino tot ciebantur turbae, vel quoad *veritatem*, vel quoad *legittimitatem* solutionis. Ad primum enim quod attinet, occurrit subito testimonium alterius ex Mercatilii ministris, qui postea *dictum* plenissime confirmavit in formali examine » *nella mattina del giorno 20 novembre 1829 mi furono dal signor Luigi Mercatili consegnate due sacchette di denaro per portarsi al suo scrittorio , e mi disse che questo servir dovea per pagare nello stesso giorno la cambiale di Rassovich, che, tornato a casa, mi disse di averla pagata* ». Occurrit
8 pariter existentia literae penes debitorem , qui postridie ejus diei , quo pensio peracta fuit , illam ostendit Marinellio, sicuti refert idem testis » *il signor Mercatili prese il mazzo delle cambiali già estinte, ed avendo ritrovata quella del Rassovich , gliela mostrò all' istante. Il Marinelli l' osservò, e disse di riferirlo al signor Rassovich* » cui consonat ipse Marinellius, qui pro Rassovichio rem gerebat » *entrammo nello scrittorio, ed egli mi presentò la cambiale tacitata, come dissi ne' miei attestati*». Occurrit demum creditoris acceptilatio, sive liberationis formula » *estinta* » , quae in collybi litera inscripta fuit. Vere igitur Mercatilius cambiale nomen dimisit , pecuniamque repraehesentavit litterae exhibitori.

Nec ex quo opistographum non omnia praeferret *in art.* 131 neotericae mercatoriae legis demandata , atque scriptum esset » *in bianco* » , inferri licebat minus legitime Mercatilium solutionem peregisse. Haud enim praesenti actione expendenda veniebat formula *gyratae* , ut exinde statueretur utrum procurator , vel emptor dici deberet qui literam exhibuit ; sed alia prorsus et oppido lenior proponebatur quaestio , utrum nempe bene jureque Mercatilius solverit exhibitori literae praeseferentis in tergo primaevi creditoris Rassovichii chirographum et super hoc solidationis verbum » *estinta* » . Porro hoc in themate certum ex jure est quod , quando agitur de literae *acceptante* , satis
9 pro eo sit ad liberationem assequendam vel ipsam literam absque creditoris opistographo recipere , ceu monet *text. in leg. creditricem 7 cod. de remiss. pign., leg. 2 § 1 ff de pactis , leg. 59 ff. de legat. 3 , et leg. 3 § 1 ff de libert. leg. , Gothofredus ad d. leg. 7 cod. de remiss. pignor. et Marrè in opere citat.* § 397. Atqui si ad legitimam obtinendam liberationem , satis debitori Mercatilio erat in pecuniae numeratione suam *cautionem*, idest controversam literam recipere; multo sane magis pro
10 eo valere debebat recepisse literam eamdem cum expressa soluti debiti declaratione.

Profecto si cum *alienatario* res fuisset, qui se literam comparasse propugnaret, tunc forsan utiliter proposita quaestio , an is ex
11 gyratae forma *mandatarius* potius , quam *proprietarius* renunciandus esset ; sed cum debitore qui , cuicumque solverit, ipso jure semper consequitur liberationem, supervacaneum omnino erat id ipsum in disceptationem revocare. Fortius quia quaestio illa , utrum litterae cessio ad mandati potius , quam ad venditionis titulum sit referenda, non contra debitorem ut debitam pecuniam
12 bis solvat, sed ab hoc uno potest proponi ut iisdem exceptionibus quae creditori nocuissent , aeque adversus exhibitorem qua ejus mandatarium, uti valeat, quemadmodum est species *in decisionibus Forosempronien. literarum cambialium 5 junii coram eminentissimo Odescalchi , et in ejus confirmatoria diei 16 maii 1823 coram eminentissimo Isoard*, quas Rassovichius allegavit.
13 Ibi enim cum per fraudem criminali subinde judicio damnatam, hebraei quidam schedas extorsissent *ab comite Tenaglia* ad libras 64000 , eaque postea in alios mercatores transtulissent, Tenagliae heredes schedarum vitium exhibitoribus objiciebant, arguebantique inter alia, eos pro mandatariis hebreorum esse accipiendos, ac proinde omni actione destitutos manere: quod Ordo noster in illis decisionibus comprobavit, prout patet *ex posteriori coram eminentissimo Isoard* § *fin.*

Quae eo libentius retinenda , quo certius

in Anconitano emporio usu receptum esse penes trapezitas et mercatores, quod collybisticae literae transferantur etiam in casu
14 verae alienationis per opistographum » *in bianco* », ibique ipso solutionis momento, in interjecto spatio, verbum adjiciatur » *estinta* ». De hujusmodi consuetudine amplissimum reddunt testimonium negociatores quamplurimi illius civitatis, inquientes » *è uso e consuetudine da molto tempo introdotta in questa piazza, che il possessore di una cambiale, il quale voglia venderla, e come suol dirsi scontarla prima della sua scadenza, ovvero debba esigerla alla scadenza stessa, appone la sua firma a tergo della cambiale stessa lasciando uno spazio in bianco, sia perchè l'acquirente vi scriva a suo modo la girata, sia perchè chi l'estingue, vi soprapponga la parola* » estinta », *dimodochè spesso avviene che una cambiale ceduta ad altri colla firma a tergo del primo possessore cedente venga estinta dal debitore in mano del cessionario, il quale senza avervi scritto la girata a suo favore la retrocede al debitore stesso, perchè soprapponga la parola* » estinta » *alla firma del primo possessore sudetto.* » Quam quidem consuetudinem, non Anconae
5 tantum, sed ubique locorum inter negociatores servari compertissimum est.

Atqui methodus ista » *della girata in bianco* » congruit quam maxime et ipsi mercatorum consuetudini et commercii ce-
6 leritati. Frequenter namque usuvenit ut qui literam aliquam vel directe, vel per proxenetas negociatur, serviens ignoti cessionarii commodo adjiciat in ejusdem literae tergo chirographum » *in bianco* », quo is valeat aut pecuniam ab ipso debitore recipere, aut si lubeat, literam alio rursus vendere, sic ut primo casu satis sit addere verbum » *estinta* », altero autem casu *gyratae* formula exprimatur. Si quoties cambialis litera in novum adquirentem transfertur, toties in opistographo inscribenda esset alienationis dies, nomen emptoris et quanam ratione hic pretium rependerit, negocia quam multa, aut admodum remorarentur, aut penitus infecta manerent. Quamvis igitur non omnimodo juris rigori cohae-
17 rere methodus haec dici vellet, ea tamen consuetudine quam recte consisteret, ac pro lege foret retinenda, ad monitum *Casareg. de commerc. disc.* 144 *n.* 18. Potissimum quia » *il rigore dei principj è mitigato dall' interesse mercantile, il quale non soffre che le negoziazioni dei mercanti sieno inceppate* », sicut advertit *Marrè in laud. oper.* § 293.

Hinc satis erat in praesenti specie ejusmodi opistographa » *in bianco* » tradi solere a girante, quo giratarius literis tamquam propriis uti valeret, et clausulam quam
18 vellet adjicere. Ille namque approbasse censetur quidquid ex consuetudine scribi poterat ibidem; atque ideo implicite assentitus est obligationi quae exinde prodiit; *Caball. cons.* 11 *num.* 7 *lib.* 1, *Cor. Cons.* 175 *num.* 45 *lib.* 2, *Card. De Luca de judiciis disc.* 29 *num.* 27 *et de credit. disc.* 81 *num.* 6, *et Rota in Recentior. part.* 12 *decis.* 306 *num.* 5. Quod si quandoque tradi solent literae collybi in titulum *mandati*, id non excludit
19 eas etiam tradi posse, et quam saepissime solere, in titulum translati dominii et in caussam verae alienationis. Incredibile autem est Rassovichium, qui plures penes se retinebat administros, meram istius crediti exactionem committere externo voluisse, et tanto ante literam ob id tradere. Caeterum quisquis casus fingi lubeat, cum in potestate exhibitoris esset formulam quam mallet, in interjecto spatio exarare, satis hoc unum quamobrem exhibitor pro vero literae domino foret censendus, impediuntur-
20 que Rassovichii heredes proprietatem controversae literae vindicare, vel quod idem est, Mercatilium ad iteratam adigere solutionem. Videsis gallicum jurisconsultum *Merlin in repertorio jurisprudentiae sub verbo* » *Firma in bianco* »; *Pardessus del contratto e delle lettere di cambio* § 115 *et seq.*, *Baldasseroni dizionario ragionato, verbo* » *girata* § 17, *et Locrè spirito del codice di commercio art.* 138 *et* 145 *quaest.* 2 *num.* 2.

Quin rem mutaret quod Mercatilii filius promiserit se literam non soluturum exhibitori, nisi monito Rassovichio. In primis, quatenus vera promissio, pater promittere

debuisset, non filius, qui nullam quoad hoc acceperat a parente facultatem. Deinde etsi reapse filius ejusmodi facultate fuisset munitus, tantam adhuc promissionem facere nequivisset, nisi tam is fatuus censeatur ut obviam ire vellet damnis et expensis *protestationis*, quam pleno jure ob denegatam solutionem conficere statim valuisset literae exhibitor. Sed in facto non subsistit generica isthaec et indefinita promissio. Etenim debitoris filius spopondit unice pensionem retinere, si collybi litera absque Thomae opistographo, sive » *senza la girata in regola* » proferretur. Et testibus a Rassovichio adductis, effraenatam promissionem narrantibus, non plena fides habenda videbatur, cum ipsius servitio sint addicti. Siquidem vulgati juris est *familiaritatis*
21 exceptionem, quae merito testibus objicitur, nequaquam deleri per *examen formale*; sed semper eidem vitio testes ipsos obnoxios censeri ad tradita per *Soccin. sen. cons.* 118 *numero* 7 *lib.* 1, *Felin. in cap. quia verisimile num.* 4 *de praesumpt.*, *et Rotam coram Falconer. de falsit. decis.* 2 *numero* 16, *cor. Rezzonico decis.* 100 *numero* 4, *coram Ansaldo decis.* 727 *numer.* 19 *et coram Riminaldo decis.* 698 *n.* 6, *et decis.* 773 *n.* 16.

Itaque si reapse et efficaciter obtinere voluisset Alexander ut solutio suspenderetur, judicialem inhibitionem, sive *seque-*
22 *strationem* ad praescriptum *art.* 143 codicis mercatorii indicere Mercatilio debuisset. Hac non intercedente, litera quotiescumque exhibebatur, solvenda erat, et de-
23 bitor suam assequebatur liberationem: quippe » *quegli che paga una lettera di cambio alla sua scadenza, e senza opposizione, si presume validamente liberato* », scriptum est in *art.* 139 ejusdem codicis. Igitur Michael dum solvit exhibitori literae pretium, rite recteque solvit; nec hodie ad iterandam illius pensionem adigendus erat, ea dumtaxat de causa quod ignoto homini solverit. Nam » *il portatore di una lettera di cambio ne è il proprietario presunto, ed a lui deve pagarsi* », ceu ait *Marrè loc. cit.* § 318; et jurisperiti
24 in re commerciali conveniunt apprime pro commercii bono; ac ne superflua circumstantiarum investigatione celeritas negociationum retardetur, satis esse ad *solventis* indemnitatem si, omissa etiam cognitione *exhibitoris* ejusque chirographi, cognitam
25 habeat *trahentis* manum propriamque acceptationem, veluti ex recepta in omnibus emporiis consuetudine monet idem *Marrè ibid.* § 308 *et* 309. Quod cum religiose servaverit Mercatilius, non poterat rursus urgeri pro ejusdem debiti solutione.

Huc usque dicta eo ipso quod et veritatem et legitimitatem pensionis luculenter demonstrabant, excludebant omnino collybisticae litterae amissionem. Ne quid attamen ambiguitatis in re non levioris momenti superesset, praecipue cum ex libris mercatoriis nihil hauriri potuerit, quia » *il fu Tommaso Rissovich non teneva libri regolari, e diceva sempre che non doveva rendere conto ad alcuno delle sue operazioni* », rati sunt Patres ut Mercatilius sacramenti religione confirmare deberet se integre praestitisse literae possessori scutatos nummos 1542: 85.

Et ita etc., utraque, etc.

**R. P. D. DE CURSIIS**

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 24 *februarii* 1832.

ARGUMENTUM

Inter mercatores simplex syngrapha seu *viglietto all' ordine* uti mercatoria litera habetur, adversus quam ad paratam ejus executionem retardandam turbidae exceptiones proponi nequeunt, multoque minus usurariae pravitatis, quae altiorem requirit indaginem.

*SUMMARIUM*

1. *Qui, cessa solutionis die, cambialem literam sui favore traditam exhibet, ad solutionem consequendam expeditissimam habet actionem.*
2. *Inter mercatores simplex syngrapha seu* viglietto all' ordine *uti mercatoria litera habetur.*
3. *Adeoque commercii judicum jurisdictioni subest, omniaque habet commercialium legum privilegia.*
4. *Exceptiones turbidae vel ambiguae vel altioris indaginis contra actionem claram et expeditam non admittuntur.*

5. *Adeoque nec exceptio illiciti fœnoris, quae altiorem requirit indaginem, discretamque judicii sedem.*
6. *Formula* « per valuta avuta in contanti « *cambialibus literis adjecta exceptionem non numeratae pecuniae excludit omnino.*
7. *In executivo judicio per exceptionem proferri nequeunt quae per actionem in ordinario intentata sunt.*

## Decisio LIX.

Sixtus, Aloysius et Dominicus Antonius, fratres Frezzolini, quibus bonorum communio est, mercaturam in Urbe publice faciunt. Numerata hi pecunia indigebant, exeunte anno 1830, quam haud difficile eis fuit mutuam a Joanne Danicle Bronner recipere, cum quo vel familiaritate, vel negotiandi consuetudine, conjunguntur. Cambiali itaque literae, die *prima* januarii anni 1831, subscribunt, qua solutoros in solidum profitentur » *per li* 30 *giugno prossimo all' ordine S. P. del signor Giovanni Daniele Bronner scudi* 3800 *moneta effettiva ec. valuta avuta in contanti di nostra soddisfazione* » Nec ulla ex mercatoriis clausulis defuit, quibus vel tutior, vel magis expeditus debendi titulus evaderet. Verum nil minus animo debitores fratres volvebant, quam scriptam fidem servare. Vix enim venerat dies solutionis, cum de impugnando nomine cambiali agunt coram A. C. Pentini, asperam usurarum exceptionem proponentes; adhoc ut nomen ipsum, ex argenteis nummis 3800, pro quibus in litera erat scriptum, ad futilem *quatuordecim* ferme scutorum vim officio judicis reduceretur. Atque, ut obiectam faenoris pravitatem cognosceret, et testes in judicio inductos solemni ritu rogari et alia judex mandaverat, quae ad rectam proferendam sententiam conducerent; cum, novo judiciorum ordine invecto, singularis illius jurisdictio ad alterum ex civilibus A. C. Collegiis devolvitur, coram quo resumpta actio fuit et lis contestata.

Dies itaque cum venerit ad collibysticum nomen dissolvendum statuta, et solutionem Frezzoliniis detrectantibus, e re sua creditor duxit expeditum nomen ad commercii judices deferre. Ex quo, vel exceptionis cujuscumque defectu, vel severa commercii disciplina constricti, eam naufragii tabulam Frezzolinii arripuere ut mercatoriam jurisdictionem inficiarentur, coram Signaturae tribunali petentes quod ablegaretur judicium ad eosdem A. C. triumviros penes quos praeventiva usurarum actio cognoscebatur. Verum petitio prosus absurda, ea, qua par erat, indignatione, rejecta fuit. Rescriptum quippe est *pro moderatione citationis specialis*; denegata usque Frezzoliniis, etsi contumacibus, venia de redeundo. Firmata exinde mercatorii tribunalis jurisdictione, haud dubio, vel diuturno periculo certatum est. Protinus enim mandatum Bronnerio concessum, ex unanimi judicum voto, tum pro summa scutorum 3800 quae in litera continebatur, tum pro expensis, vel judicialibus, vel extrajudicialibus, ad formam pacti conventi. Nec debitoribus profuit ab consultissima sententia ad s. nostrum Ordinem provocare. Cum enim hoc mane Patres rogaverim de editi illius judicati validitate, vel justitia, responsum protinus fuit: » *Esse locum solutioni scutor.* 3800; *et extendatur decisio.*

Nihill de mercatoriae sententiae *validitate* disserere attinet, cum Frezzolinii vel ipsi nuncium miserint nullitatis exceptioni, et ultro commercialem jurisdictionem agnoscant. Justitia vero compertissima est ex litera cambii, qua Frezzolini solidaliter soluturos se promiserunt » *per li* 30 *giugno prossimo per questa nostra e sola di cambio all'ordine S. P. del signor Giovanni Daniele Bronner scudi* 4800 »: Nam, si dies venit solutionis, si litera ab eodem exhibetur cujus favore tradita fuit, nullum esse dubium potest quin expeditissima huic actio competat ut promissam solutionem assequatur. *Mans. consult.* 179 *numer.* 2, *Ansald. de commerc. disc.* 1 *numer.* 3, *Casareg. eod. tract. disc* 48 *in addit. numer.* 28, *Rota in Romana schedulae* 6 *maii* 1748 *numer.* 2 *coram Caprara et in confirmatoria* 2 *decembris ejusdem anni coram eodem.* Quin expeditum cambialis literae titulum ex eo liceat inficiari quod *trajectitia* non sit, aliisque numeris polleat, qui in vera collybi syngrapha ab mercatorio jure exiguntur. Quum enim constet in facto, tum Frezzolinios qui literae subscripserunt,
2 tum Bronnerum cujus favore fuit tradita, mercatoriam publice facere, simplex jam

syngrapha, seu *viglietto all'ordine*, perinde ac mercatoria litera haberi debet, de qua commercii judices cognoscunt, et omnia ob-
3 tinent juris privilegia quae mercatoriis actibus adsunt; ceu expresse *commercii codex* praescribit *articulo 601 et sequentibus.*

Ad effectus itaque executivi et expeditissimi judicii coercendos, non aliae afferendae erant exceptiones, nisi clarae et quaqua versus indubiae. Juris quippe explorati est
4 exceptiones, vel turbidas, vel ambiguas, vel altioris indaginis, contra actionem claram atque expeditam non admitti; *lex actor cod. de probation. et passim Doctores.* Notissimo autem juri Frezzolinii fratres obsistebant, dum de usuris excipiebant adversus literam mercatoriam. Uti enim illicita foenoris perceptio redit in crimen, uti probationis omnino difficilis usurae esse dicuntur; ita, ex perpetua fori doctrina, inter exceptiones recensentur quae altiorem omnino
5 indaginem discretamque judicii sedem exquirunt; nullatenus in medium proferendae, ad coercendam vim actionis paratae et executivi judicii. *Ridolphin. in prax. part. 1 cap. 8 n. 169, Peregrin. de fideicom. artic. 48 n. 29 et seq., Rota cor. Rezzonico dec. 97 n. 1, cor. Olivatio dec. 345 n. 2, in Narnien. immissionis 21 aprilis 1750 n. 3 cor. Canilliac., in Nullius, seu Farfen. solutionis affictuum 2 mdji 1803 n. 3 cor. Emo Bussi et in Lauretana pecuniaria 7 martii 1828 n. 6 cor. R. P. D. meo Bofondi.* Fortius cum tradita Bronnero litera sit » *per valuta avuta in contan-*
6 *ti* «, quae sane formula, ex communi mercatorum usu, ita certam facit solutionem pretii, ut adversus eam confessionem nulla admittatur exceptio non numeratae pecuniae, prout docent *Rocca disput. jur. cap. 93 n. 13., Casareg. de comm. disc. 48 n. 7, Ansald. de commerc. et merc. disc. 41 n. 17, Rota cor. Ansaldo decis. 80 n. 67, in Romana seu Mediolanen. literarum cambii 28 aprilis 1755 n. 4 cor. Caprara et plenissime in dec. 71 n. 6 et seqq. cor. Malvasia tit. de contract.*

Ceterum inane ferme est de hisce disserere, quum Frezzolinii ipsi imparem exceptionem suam agnoverint, quae in executivo judicio proponeretur. Semel ac enim in altero distincto atque ordinario judicio usurarum actionem cognoscendam curarunt et de his viriliter agunt coram altero ex civilibus A. C. collegiis, planum utique faciunt nec claram, nec probatu facilem exceptionem fovere, et facto suo ipso prohibent quominus in hoc judicio de foeneratitia pravi-
7 tate inquiri possit. Indubii quippe juris est quod nequeant per exceptionem, in executivo judicio, proferri quae per actionem in ordinario intentata sunt. *Rota in Forolivien cambii quoad fructus 14 junii 1782 n. 5 cor. Azedo, in Anconitana transactionis super executione 25 junii 1817 cor. emo Bussio, et in Romana associationis 4 julii ejusdem anni n. 3 cor. emo Tiberi.* Nec absque insigni aequitate hoc forense adagium prevaluit. Duplex alias judicium de re eadem daretur, et aditus sententiarum collisioni pateret; quod non dissonum quidem ab fori disciplina, sed et incongruens omnino et plenum absurditatis.

Extrinsecae hae rationes ab ipsa judicii, quod agitur, indole aliisque facti adjunctis extractae, non sufficere quidem, sed exuperare Patribus visae sunt, ut commercii sententia probaretur. Quod si pravitas foeneratitia, in qua toti sunt Frezzolinii, intimus expenderetur, rigidae probationis oneri quo ipsi premuntur, haud satis huc usque fecisse, imo ne probationem quidem imperfectam minusque plenam adduxisse, quae suppleri possit per juramentum civile, A. C. Collegium declaravit, coram quo de pravitate ipsa usuraria fratres accerrime agunt. Verum haec nonnisi quam obiter monenda erant; incumbit enim, quod integrum maneat utrique parti demonstrare, ac congruis judicibus decernere quid juris hac de re sit.

Et ita, me quoque suffragium ferente decisum fuit, utraque, etc.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA MERCEDIS

*Lunae 27 februarii 1832.*

ARGUMENTUM

**Publicorum spectaculorum prohibitio, ut ut ab supremo imperante lata, haberi nequit uti *factum principis*, adeoque inter casus fortuitos recenseri ad hoc ut qui operas suas eorumdem redemptori locavit, conventam mercedem aut indemnitatem consequi nequeat, quoties prohibitio ipsa vel culpae vel negligentiae ejusdem redemptoris sit imputanda.**

*SUMMARIUM*

1. *Non est sine culpa qui rei quae ad se non pertinet, se immiscet.*
2. *Unius est supremi imperantis vetare ne contra morem spectacula edantur, idque cognoscere et ordinare.*
3. *Hinc spectaculorum redemptor in culpa est, si loco indifferentem sese habendi, petendique de more licentiam, subdolis captiosisque precibus prohibitionem e contra suadet, subripitque a supremo imperante.*

DECISIO LX.

Contractus locationis conductionis operarum intercesserat inter Joannem Paterni, redemptorem spectaculorum in Urbe, ex una parte, et Romualdum Mascherpa, ducem theatralium operarum, ex altera: atque hic illi promiserat, Parma, ubi habet domicilium, huc in Urbem se fore venturum, editurum, veris tempestate anni 1831, spectacula mimica in hoc theatro *Valle* nuncupato. Cum hisce implendis promissis, atque Urbem versus itineri sese, cum minorum turba, Romualdus pararet, nuncium per epistolam a Joanne accepit ne amplius veniret, quia die duodecima martii praedicti anni 1831, jussum fuerat a supremo principe ne, ex maerore in quo Urbs versabatur ob seditionem in nonnullis pontificiae ditionis provinciis nuper excitatam, ludi in theatro, tempestate verna, agerentur. Hoc accepto nuncio, Romualdus haesit: dubitabat enim utrum prohibitio spectaculorum adeo putandum esset uti *factum principis*, ut inter casus fortuitos recenseretur; seu potius causam ei Joannes dedisset. Atque in primo ex hisce duobus casibus profecto videbat, neque ex jure, neque ex pacto, quidquam juris sibi amplius esse ad executionem contractus: in altero autem casu, nisi contractus executioni daretur, jus sibi esse ob id quod sua intererat. In hoc dubio, in ignorantia rerum in qua, longe ab Urbe absens, versabatur, fecit id quod diligens quisque pater familias facere debebat: primum apud acta publica Parmae die prima aprilis protestatus fuit, mentem sibi consiliumque esse servandi sibi integra jura ad consequendum id quod sua intererat, contractum non fuisse executum; deinde quo victum sibi suaeque turbae quaeritaret, huc illuc, per diversas Italiae civitates vagatus est, ad fabulas agendas, Casalem Majorem, Cremonam, Ferrariam, Faventiam, Florentiam Ubi vero, huc in Urbem iterum advenit, spectacula editurus autumnali et insuper hoc bacchanaliorum hujus anni 1832 tempore, et ubi rebus omnibus exploratis cognovit non tam fortuitam fuisse theatri prohibitionem, verno tempore superioris anni, quam provenisse ex negligentia et forte etiam ex Joannis culpa, tunc recursum habuit ad judices jus de rebus commercii hic in Urbe dicentes, et petit, loco damnorum, solutionem mercedis. Pactus fuerat cum Joanne mercedem scutorum triummillium pro vernis ludis de quibus hic agitur. Verum dicebat, ex spectaculis a se actis per diversas Italiae civitates, retraxisse scuta 2364: 18. Ergo, ad complendam summam scutorum triummillium, reliqua esse, ajebat, scuta 635: 82, quorum idcirco solutionem a Joanne efflagitabat. Judices commercii, die 13 januarii hujus anni, rejecerunt ejus instantiam. Re in gradu appellationis delata ad sacrum Auditorium, rescriptum est hac mane: » *Esse locum solutioni in summa liquidanda; et extendatur decisio.*

Itaque universa quaestio in hoc sita est, imputanda nec ne sit vel culpae, vel negligentiae Joannis prohibitio spectaculorum.

1 Traditam habemus regulam 19 *de reg. jur. in* 6 *non esse sine culpa qui rei, quae ad se non pertinet, se immiscet.* Vetare ne

contra morem spectacula ederentur, id et
2 cognoscere et ordinare unius erat supremi principis. Et cum omnium subditorum, qui expectare debent jussa principis iisque parere, tum maxime Joannis erat, antequam jussa principis ederentur in vulgus, indifferentem omnino sese ferre. Immo conferre, adventante vere, se se debebat ad eos qui praesunt spectaculis publicis, licentiam de more petitum aperiendi theatri. In his sane rei personaeque adjunctis, quid quid a principe prohiberetur, id inter casus fortuitos, eo quod praevideri non poterat, fuisset recensendum. At longe res se se aliter habuit. Non indifferentem se se
3 praebuit Joannes: neque enim motu proprio constat principem prohibuisse spectacula; sed rescribendo ad ejus preces. Atque hae sane preces probare visae sunt ejus subdolam captiosamque agendi rationem, et idcirco manifestam culpam. Vice enim et loco petendi, de more, uti dictum est, spectaculorum licentiam, quemadmodum in arte sua quisque facere teneretur, et multo magis facere tenebatur Joannes quia erat publicus spectaculorum redemptor; eo punctim temporis momento quo in precibus fatebatur turmatim confluere quotidie in Urbem qui ex pacto ludos vere erant acturi: *i suoi apocati giungono di giorno in giorno in Roma, in adempimento dei loro contratti* » vice, inquam, petendae licentiae, ex opposito ab ea petenda sese prohiberi dixit: *non osa di azzardare la richiesta dei consueti permessi per il suo teatro. Ma non può dispensarsi di supplicare l' Ema v. rma di essere superiormente diffidato dell' agibilità del teatro in primavera, per poter egli egualmente; e per fatto di principe diffidare i suoi apocati.* Causatus nefas id esse ex maerore quo Urbem tunc temporis squallere dicebat. Neque id satis: ultra procesit, et contendere caepit, si contra vota sua agendorum ludorum venia daretur, in hoc casu indemnitatem sibi fore debitam saltem scutorum quinquemillium » *nel qual caso, il Paterni sarebbe costretto a dimandare un compenso almeno di scudi cinquemila per la sicura perdita a cui si esporrebbe, agendo il teatro in tempo di tanta calamità.* Ad hasce preces Gubernator Urbis, die duodecima martii 1831, ita rescripsit. *Il santo Padre ha ordinato che, attese le attuali luttuose circostanze, nell' imminente stagione di primavera, il teatro Valle non debba agire, sciogliendolo per questa stagione da qualunque impegno, contratto col Governo: ferma rimanendo la privativa di già stipolata per il tratto successivo.*

Culpa vero Joannis clarior quoque fit tum ex iis quae praedictum rescriptum praecesserunt, tum ex iis quae subsecuta sunt. Productae namque sunt ad acta hujus judicii epistolae quas Romualdus Parmae recipiebat, ex Urbe ad se scriptas ante diem 12 martii. Atque in iis Joannes eum monebat ne aggrederetur iter, ne Urbem veniret, praenuncians ei id quod rescriptum fuit die 12 praed. mensis, scilicet copiam futuram non esse theatri. At multo magis ex iis quae subsecuta fuerunt. Ubi enim, completis Paschalibus festis et sacris officiis, tempus, sequenti aprili, iterum venit publica de more habendi spectacula, veniam eorum ab iis qui eis publice praesunt, datam fuisse constat quot quot eam petierunt. Immo tubicinibus et fidicinibus venia die 25 ejusdem aprilis data fuit, ut in ipso quoque theatro Valle cujus redemptor erat Joannes, artis suae publica ibi ederent spectacula. Ergo idpsum quoque dicendum est facile Joanni fuisset impetratu, si, prout ex ejus munere erat, juxta aliorum exempla, petiisset. Saltem id erat ab eo tentandum ne muneri suo defecisse videretur. Idque eo acceptu facilius fuisse videtur quia non aliter fidicinibus illis veniam die 25 aprilis concessam fuisse constat, quam sub hac expressa conditione, rescripto adjecta, *conservando il diritto al teatro Valle.* Neque obstat ab emo Viro qui a secretis status est, die 28 aprilis fuisse rescriptum, ne per veniam fidiciuibus datam, quidquam intelligeretur fuisse derogatum prohibitioni, quae die duodecima martii edita fuerat ne aperiretur theatrum Valle. Nam id, si verum esset, apertam redoleret contradictionem, quod scilicet idem aperiri simul posset et non posset. Et ne praesumatur contradixisse sibi

principem, id quod dicere semper nefas, pro certo habendum est posterius rescriptum diei 28 aprilis vel obreptitium fuisse, vel subreptitium, vel utrumque simul.

Res est judicata, in culpa fuisse Joannem, quod scenica spectacula praetermitterentur in theatro Valle. Altera quae ex pacto, jus habebat, ibi vere, locandi musicam operam suam, recensebatur Æmilia Santi, e Bononia, ea de causa huc in Urbem transvecta: quae ubi sentiit interclusum sibi jus operam, prout pepigerat, locandi, egit ex lege; et cum ab judicibus qui jus dicunt in prima instantia, tum in gradu appellationis a sacro Auditorio obtinuit solvi sibi depactam mercedem a Joanne. Et quod in illa Æmiliae causa decretum fuit ut initium solutionis mercedis nonnisi quam a die 25 aprilis sumeretur; id ipsum aptari non posset quoad Romualdum, quia illa pepigerat ut merx sibi solveretur ratatim de die in diem: ergo obligatio solvendae mercedis exordiri debebat a die qua primum venia data fuerat aperiendi theatri. At cum hoc pactum fuerat de mercede solvenda per modum unius. Constituto hucusque jure Romualdi in genere, nunc statuendum esset quid ei quantumque, titulo dammorum, solvendum esset in specie. Hac in re constare clare deberet quid quantumque, deductis impensis, ipse perceperit ex fabulis, vere, huc illuc actis per diversas Jtaliae civitates: quia quidquid, eo deducto, deesset ad complenda scuta triamillia, id ei esset solvendum. At quae, his de rebus, producta ab eo sunt documenta, visa sunt non esse adeo clara et certa ut rem ponerent in propatulo. Quare pro nunc relaxandum erit mandatum pro summa liquidanda: idque conforme est protestationi quam emisit Parmae apud acta publica; ubi id quod sua interesset petit in summa liquidanda. Joannes, ultimo loco, instabat ut sacrum Auditorium animadverteret quod, si acta fuissent spectacula, non integram Romualdus sibi suaeque turbae habuisset mercedem scut. triummillium; sed opus ei fuisset ex ea detrahere quiquid requireretur sumptus, quod ejus oneri futurum erat ex pacto, sive in itinere huc in Urbem, sive in paranda ornamenta, quibus in scena ageret personatum. Et idcirco petebat ut haec omnia in pretio haberentur ubi merx liquidanda esset. Id autem quantum visum est aequum esse in genere, cum ex littera contractus aperte resultet; tantum nefas nunc esse determinare in specie, cum modo sit prorsus illiquidum: quare reservatum est ei jus de hac re agendi ubi merx liquidanda erit in specie.

Atque ita etc., utraque, etc.

**R. P. D. SPADA**

ROMANA SOCIETATIS

*Veneris* 1 *junii* 1832.

ARGUMENTUM

Tacita societatis rescissio praesumi nequit deficientibus validissimis argumentis, aut factis cum ejus exequutione prorsus incompatibilibus. Societas, super rebus futuris pure inita, ex re ipsa dilationem capit, nec extinguitur ex quo ea defecerint quae ad ejus exequutionem demonstrative tantum dicta fuerunt. Regula de nulla in aeternum coeunda societate quomodo accipi debeat. Societas super conductione vectigalium transit ad heredes.

*SUMMARIUM*

1. *Pacta religiose sunt servanda.*
2. *In societate, quae est contractus nominatus, qui pactis defecit, vel obligationem implere vel quanti interest praestare tenetur.*
3. *Tacita societatis renunciatio nunquam praesumitur validis deficientibus argumentis aut factis, quae cum ejus exequutione sint prorsus incompatibilia.*
4. *Bona fides aequitatem summam desiderat.*
5. *Societas tamdiu durat quamdiu partium consensus integer perseverat.*
6. *Fortius accedente pacto expressim convento.*
7. *Societate inita quoad ejus exequutionem super rebus futuris lucri faciendi gratia, pura etiam stipulatio ex re ipsa dilationem capit.*
8. *Hinc ejus perfectio confundi non debet cum exequutione demonstrative non conditionaliter contemplata et num.* 10.
9. *Pura obligatio confundenda non est cum actione quae incipit esse, existente mixta conditione partim fortuita, partim arbitraria, sub qua stipulatio in specie facta est, ut ex ea jam commissa agi possit.*
10. *Juris principio, quod nulla societatis coitio est, is tantum summovetur qui, socio invito, contendit in societate perseverare.*

12. *Alias id pugnaret cum alia juris regula, qua societas coiri potest vel in perpetuum, id est dum vivunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione.*
13. *Qui societatis resolutioni nec diem praescripsit nec tempus, nec modum certum, societatem coire videtur sub hac tacita juris conditione, dummodo nempe praecedente tempore ab ea non resiliatur per renunciationem, cujus vi societas ipsa ex jure solvitur.*
14. *Contractus socialis leges indefinitae referri et cohiberi nequeunt ad unum potius quam ad alterum tempus et casum.*
15. *In sociali contractu ea semper subintelligitur constitutio, ut consistere ipse debeat rebus dumtaxat in eodem statu manentibus.*
16. *Quae accidentalia sunt, non substantialia, si unquam mutentur, contractum mutare, turbare, aut infirmare nequeunt.*
17. *Monumenta publica testibus sunt potiora.*
18. *Morte socii ita dirimitur societas, ut nec ab initio pacisci possit ut heres succedat societati.*
18. *Quod tamen juris principium non obtinet in sociali conductione vectigalium, quae, si pactum ita fuerit, transit ad defuncti socii heredes.*

## Decisio LXI.

Publicum vectigal » *de' sali e tabacchi* » sub Pio VIII, sanctae recordationis pontifice optimo maximo, redimere secum animo ac re volvere coeperant tum Aloysius Polidori, romanus, usu exercitatus, tum Camillus Pizzardi bononiensis. Arcana inter conata seorsim suscepta animis rebusque invicem nudatis, quemadmodum fieri frequenter solet, ut alius alium nequiret aemulari, nihilque mutuae inesset offensionis quae rem posset exturbare, simulque minus quaestuosam facere, uterque eam ob causam fuit non solum sollicitus » *di non mettersi in collisione e gara* » verum etiam » » *di associarsi insieme in questa impresa* ». Magna itaque re in consilio tractata, variis articulis distinctas de inito foedere leges dixerunt » *inviolabilmente* » servandas, quarum potissima, quae coitae societatis, nullo tempore circumscriptae, fundamentum jecit. Ita *art.* 1 se habet » *i signori Pizzardi e Polidori sono socii per intraprendere l' appalto, amministrazione cointerressata, od altro contratto, che riescirà loro di combinare col Governo per la regìa de' sali e tabacchi dello Stato Pontificio* ». Ut autem oportebat conditiones fisco proponere, aliaque ob id sociorum votis congrua providere, sic fuit *art.* 2 declaratum » *colla massima buona fede* » ut modo ac tempore quolibet publicum vectigal esset impetratum, firma semper consistere et procedere societas deberet secundum rationem circa lucra, damna et onera praescriptam inter socios etiam ads cititios exequutioni committenda » *sia che riesca al signor Polidori, sia in fine che riesca ad ambedue insieme, o nè loro nomi, o sotto altri nomi, di ottenere questa impresa* ». Hisce aliisque congruis legibus die 24 augusti 1829 composita societate, per varias conditiones propositas eminentissimo Cardinali qui ab arcanis consiliis tunc temporis erat, non defuerunt socii pertentare negocii fortunam, sed quoad Pio VIII s. romana Ecclesia laetata est, omnia conata male cessere. Brevi tamen rediit animus publicanis, qui in novam spem venerunt vectigalis redimendi.

Nec spes extitit falsa. Nam divinae Providentiae consilio paulo post cum fuerit in pontificatum feliciter evectus sanctissimus dominus noster Gregorius XVI, vix represso tumultu quem provinciis nefarie praebuerat genus hominum exitio publico repertum, percrebuit rumor in Urbe ducem Marinum Torlonia et Camillum Pizzardi ad diem 15 junii 1831 jam publicum sibi quaesivisse vectigal, seu » *l' amministrazione cointeressata de' sali e tabacchi.* » Adsciti vero biduo post cum essent in hanc rem alii fratres Torlonia, viri longe ditissimi eques Alexander et commendatarius Carolus atque Dominicus Benucci, id pactum praesertim ex privata syngrapha habetur, ut summa societatis esset » *in otto voci* » seu partes distributa, quarum tres pertinerent ad Carolum et Alexandrum Torlonia, aliae quinque ad alios socios, duae nempe ad ducem Marinum, totidem ad Benuccium, una et ultima ad Camillum Pizzardi. Hac re improvisa perculsus Aloysius Polidori, qui, cum in fide socii Pizzardi quiesceret, nullo pacto fuerat in stipulata redemptione contemplatus, die 6 julii 1831 nedum apocham suae societatis cum Pizzardio superiori tempore

initae fratribus Torlonia denuntiavit, sed in jus etiam apud commercii tribunal socium illico rapuit, instetitque » *praefigi citato Camillo Pizzardi terminum ad exequendum contractum societatis, quo elapso vel declarari quintam partem vulgo* » *carato* » *integrae cointeressatae administrationis regaliae* » *de' sali e tabacchi* » *vel d. Pizzardi damnari ad quanti interest in decursu duodecim annorum pro summa liquidanda etc.*

Ejusmodi actionem a Polidorio institutam rejecerunt commercii viri juridici. Secus tamen existimavit Ordo noster, cui ex appellatione interposita rei cognitio delata est. Proposita enim causa die 27 februarii superioris, prodiit rescriptum: » *Esse locum praefixioni termini pro implemento societatis ad formam apocae diei 4 augusti* 1829, *quo elapso condemnationi ad id quod interest; et expediatur* », quemadmodum sententia ostendit lata a R. P. D. meo De Cuppis. Provocante Pizzardio, fuit mihi quaestio commissa. Sed quia interim ex diro casu mortem inopinanter obiit Aloysius Polidori, ideo oportuit ut Pizzardius in defuncti litigatoris patronum *Petrum Roppoli*, tamquam dominum litis effectum, judicium appellationis legittimo ordine redintegraret. Constituto itaque vadimonio, cum hodie fuerit res iterum perpensa, rescribendum Patres censuerunt: » *Sententiam rotalem esse confirmandam juxta modum* », mandata insimul mihi decisionis extensione.

Pacta conventa, quae humanae congruunt honestati, religiose esse servanda ait praetor, qui naturalem aequitatem et jus omnium gentium sapienter secutus est, *ad text. in leg.* 7 § *ait praetor ff. de pact.* Hoc sane perpetuae justitiae fundamento posito, secundum ea quae in facto manent firmissima, ambigendum neutiquam est quin judicium redditum censeri debeat aequissimum. Est enim incontroversum puram et absolutam a Pizzardo ac Polidorio coitam fuisse societatem, semel atque ipsi ut legitime foederati publicum vectigal sine emulatione redimerent, inter se his verbis stipulati sunt: » *i signori Pizzardi e Polidori sono socii per intraprendere l' appalto, amministrazione cointeressata, od altro contratto che riescirà loro combinare col Governo per la regìa de' sali e tabacchi dello Stato Pontificio*, ea quidem lege eloquentissima proxime adjecta ut immota isthaec societas usque stare deberet » *sia che riesca al signor Polidori, sia che riesca al signor Pizzardi, sia in fine che riesca ad ambedue insieme, o ne' loro nomi, o sotto altri nomi, di ottener questa impresa etc.* » Quare si compertum exinde habitum est, ducem Torlonia et Camillum Pizzardi potissimum optati vectigalis redemptionem a pontificio fisco obtinuisse nomine communi, aliis imo quam Polidorio in socios participes adscitis, suapte natura consequitur quantum pertinet ad Pizzardium, qui promissa non solvit, jam commissam illico esse stipulationem erga socium Polidori in suscepta *cointeressatae regaliae* administratione penitus neglectum: quam ob causam nata cum sit actio pro socio, merito Polidorius lege egit in Pizzardium, petiitque contractus exequutionem. Cum enim res sit de societate, quae recensetur ex jure inter
2 contractus nominatos, is quem pactis constat defecisse, vel obligationem implere, vel quanti interest praestare tenetur, eeu post *text. in lege ea conditione* 14 *cod. de rescindenda venditione*, statuit *Rot. cor. Emerix decis.* 730 *numer.* 5 *et in Bononien.* 25 *junii* 1824 § 5 *cor. emo Tiberi.*

Neque utiliter ad vim contractus declinandam objiciebatur, controversam societatem extitisse resolutam, quasi renunciatio intercesserit. Si enim nullum legittimum allatum est monumentum, unde valeat deprehendi alterutrum voluisse a societate recedere, id sane persequi videtur nimis otiosum, cum ea deficiat renunciatio ex jure necessaria, quae nedum expressa, aut tacita non probatur, sed ne est quidem praesumenda, simul ut valida desiderantur
3 argumenta quae apertum vehementer ostendant recessum, ac facta exequendae societatis exclusiva et cum re ipsa, ut ajunt, incompatibilia, *Rot. in nuper. decis.* 116 *num.* 14 *tom.* 5 *part.* 1 *cor. Tanara decis.* 124 *num.* 25 *et in Tyburtina divisionis* 9 *junii* 1823 § *fin. cor. me.* Quod

autem in themate praecipua et manifesta esset opus renunciandae societatis voluntate, res ipsa luculenter demonstrat. Agitur siquidem non solum ex jure, sed etiam ex stipulatu, de bonae fidei contractu, cujus ratio non patitur ut societas, quae nullo tempore erat circumscripta, debeat intelligi ambiguo conjecturarum praejudicio renun-
4 ciata. Idque probat solemnis inter socios obligatio servandae societatis » *colla massima buonafede* » quae, si aequitatem summam desiderat, *ad leg. bona fides* 31 *ff. depositi vel contra*, neque dari, neque concipi valet, ubi societas ipsa, jure fraternitatis etiam induta, per subtilitates et argumenta reputari dissoluta, sine legittima ulla renunciatione quae debet praeire, ne in
5 suo socio, qui in judicio bonae fidei quiescit, liceat alteri ab instituta conjunctione resilire contra monitum imperatorium *in leg.* 3 *cod. pro socio*, ubi scriptum habetur: » *Tamdiu societas durat quamdiu consensus partium integer perseverat.* » Eoque fortius tenebatur Pizzardius re inte-
6 gra nominatim renunciare societati ut fidem interpositae stipulationis exhiberet, simulque liberaret, quo certius erat, ex lege invicem dicta, ita cautum fuisse: » *nessuna delle due parti non potrà far nulla senza l' intelligenza e consenso dell' altra.* »

Frustraque hinc Pizzardii orator contendebat socialem contractum, etiamsi nulla intercesserit renunciatio, extitisse resolutum ex defectu conditionis in futurum collatae, per verba quarum alia sunt » *che riescirà loro di combinare col Governo* » alia » *tostochè si giungesse ad ottenere l' impresa* » id contendens quod, cum res ita penderet ab uno vel altero casu, quo postea designato erat coercita, evanuerit societas, conditionis casu non existente. Nam si compertum habetur ea quae obiiciuntur futura et conditionalia, nihil posse detrahere substantiae societatis, quam jam puram et absolutam initio constitit fuisse stipulatam, ubi praecise conventum lege potissima » *sono socii*, ex facti ac juris dispositione consequitur quidquid fuerit exinde collatum in futurum eventum circa propositiones seu » *progetti* quae fieri vectigalis redimendi causa deberent a sociis, aliisve » *sia in nome commune*, *sia in nome del solo Pizzardi*, *sia in nome del solo Polidori*, *sia in nome di altra persona* » id pertinere solummodo ad exequutionem, numquam vero ad substantiam contractus, qui perfectus extiterat. No-
7 tum siquidem, societates lucri faciendi gratia plerumque contrahi, quantum eae possunt pertinere ad exequutionem, super rebus futuris, quarum causa consequenter scriptum est in jure, puram etiam stipulationem ex re ipsa dilationem capere, veluti si id quod in utero sit, aut fructus futuros stipulatus sit ad *leg. interdum* 73 *ff de verb. obligat.* Quocirca nec societatis perfectio est confundenda cum exequutione *de-*
8 *monstrative* tantum, non conditionaliter contemplata, *leg.* 17 *et leg.* 32 *ff de condit. et demonstrat*; *Voet in pandect. lib.* 35 *tit.* 1 *num.* 4 *et Rot. in recen. decis.* 488 *num.* 2 *part.* 19 *cor. Falconerio tit. de legat. decis.* 8 *num.* 7 *et in Bononien. participationis* 25 *junii* 1828 § 5 *cor. emo Tiberi*; nec pura obligatio cum actione, quae incipit esse, mixta conditione existente, partim fortuita, partim arbitraria, sub qua stipulatio in spe-
9 cie facta est, ut ex ea jam commissa agi possit, *leg. ita stipulatus* 115 § 1 *et* 2, *et leg. qui Romae* 122 § *Agenus* 4 *ff de verb. obligat.*

Quae cum ita se habeant, leve nimis erat urgere eo ipso societatem periisse, quod inutiles evaserint propositiones designatae ac fisco exhibendae pro futura vectigalis redemptione. Etsi enim constet contemplatas propositiones fuisse rejectas a fisco, non ideo tamen sequitur cessasse illico societatem perinde ac si eae per viam conditionis resolutivae essent adjectae. Atque id retinendum potissimum ex eo quod inverisimile est Polidorium et Pizzardium, qui anxii et solliciti admodum erant de vectigali omnium maximo redimendo, tanti negotii consilium ita voluisse taxative cohibere ad duas, vel tres propositiones fisco exhibendas, ut, semel iis improbatis, cessarent conata, et societas ipsa maneret extincta. Reque vera si conventum patet ex syngrapha societatem firmam consistere debere, sive unius alteriusque socii, sive comuni, sive alieno nomine, fieret redemptio; si leges istae sociales nullo tempore fuerunt determinatae, nul-

lo casu, nulloque modo coitae societatis resolutivo, fatendum necessario est Pizzar-
10 dium et Polidorium re et verbis firmiter convenisse se debere, ex congrua negotii intelligentia, in societate perseverare usquedum res esset in mutua spe, in mutua voluntate; unde quidquid dictum in stipulatione sit de modo obtinendi vectigalis, nulla rerum circumscriptione adjecta, dictum suapte natura debet censeri *demonstrative*, ea quidem mente ac lege ut rei fortuna esset sine fine periclitanda. Nec dicendum nullam societatis in aeternum coitionem esse, ut ait jurisconsultus *Paulus in leg.* 70 *ff pro socio*. Nam hoc juris principio submo-
11 vetur tantummodo is qui, socio invito, contendit perseverare in societate. Haec sane est germana legis interpretatio, ne confligere videatur cum alia regula juris quam posuit jurisconsultus *Ulpianus in leg.* 1 *ff*
12 *eod.*, cujus aurea verba ita se habent: » *Societas coiri potest vel in perpetuum, id est dum vivunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione.*

Eaque propter cum Pizzardio et Polidorio placuerit nec societatis resolutioni praescribere diem, nec tempus, nec modum certum, vel ipsa ostendit, eos primam *Ulpiani* sententiam sequi voluisse, in perpetuum nempe coire societatem sub hac tradita juris conditione, quae subauditur nulla interveniente stipulatione, dummodo procedente
13 tempore alia mens, alia ratio non subsit ab ea resiliendi per renunciationem, cujus vi ad principia naturalis et romani juris componenda, solvitur societas, ut tradit *Modestinus* in leg. 4 ff eodem, et *Ulpianus in leg.* 63 § *ult. ff eod.* Deficientibus itaque juris ac facti fundamentis, quae probent dissolutam extitisse controversam societatem, tralatitium in foro est ut contractus leges indefinitae nequeant unquam re-
14 ferri et cohiberi ad unum potius quam alterum tempus et casum, juxta notissimam Soccini theoricam in *leg. solemus* 9 *ff de condit. et demonstr.*, *de qua Castill. controv. jur. lib.* 5 *cap.* 89 *num.* 31 *et Rot. cor. Cerro decis.* 208 *num.* 17 *et in Romana seu Maceraten. pecuniaria* 2 *aprilis* 1759 § 6 *cor. Elephantutio.* Nec rectius hinc opponebatur societatem periisse temporum ac pactionum subsequuta mutatione in quam tacite collata intelligi solet
15 ea conditio ut socialis conventio, rebus dumtaxat in eodem statu manentibus, debeat consistere. Ad mutatam enim quod pertinet temporum conditionem, animadvertendum sane est, Pizzardium et Polidorium in coita societate redemptionis obtinendae causa haud quidem conata sua, quae erant perficienda, cohibuisse taxative ad pontificatum s. m. Pii VIII, qui tunc divi Petri cathedram regebat, sed sibi indefinite jam socios factos constituisse » *intraprendere l'appalto, amministrazione cointeressata, od altro contratto che riuscirà loro di combinar col Governo per la regìa de' sali e tabacchi dello Stato Pontificio* », simulque hac de ra conditiones proponere » *secondo le viste del Governo.*

Non itaque hac mente fuisse contrahentes ut esse deberet societas ad vitam imperantis pontificis restricta, ex ipsa naturali deprehenditur verborum significatione, quae nec eget interprete, nec subtilitates patitur de foederis initi circumscribenda efficacia; statim atque socii ad certam respexerunt rem vectigalem conducendam » *dello Stato Pontificio . . . . del Governo* » quod suapte natura, utcumque sit ejus forma, in successores integrum transit, perpetuumque stat. Porro sive unus, sive alter pontifex maximus imperasset, sive unus item, sive alter foret ab arcanis consiliis cardinalis eminentissimus, qui summae rerum praeesset, id neutiquam poterat propositum perimere societatis, quae jam coita cum esset necessario super vectigali apud omnes nationes receptissimo, nihil sane erat contrahentibus de objecta temporum mutatione metuendum. Ea namque cum societatis accidentalia, non sub-
16 stantialia respiceret, ejus quidem generis erat, in eumque casum inciderat, ut non modo nequiret perturbare, sed augere imo ac firmare deberet vectigalis redimendi rationem ob eas asperas rei publicae nummarias necessitates, quae ad exitiabilem hominum perditissimorum reditionem in dies gliscentem reprimendam urgere interim jam ceperant, quibusque publice erat quam primum consulendum. Quantum vero spectat ad alteram, quae sequitur, objectam pactorum

mutationem, sit satis animadvertere, ne hanc quidem perimere sociale foedus potuisse, ubi stipulationis expendatur litera amplissima. Quamvis enim syngraphae art. 5 dictum in sociali redemptionis negotio esse occupanda *li capitali dalli scudi duecentomila alli sc. trecentomila se occorreranno per gli oneri* „ socii nihilominus, non sine consilii maturitate, praevidentes augeri per fiscum onera posse, eaque fieri longe graviora, cavere quoque hac de re *art.* 10 voluerunt, simulque convenire » *di spingere il progetto stesso, modificarlo, ampliarlo, ovvero abbandonarlo per dar luogo ad altro progetto.*

Qua sane lege inter socios de obtinenda redemptione admodum sollicitos prudentissime dicta, nulla potest aeque ratio subesse, nullaque contrahentium intelligentia concipi, quare ex conditione aliqua immutata in constituenda redemptione debeat inferri, et mutuum initae societatis jus extitisse resolutum, et socium quemque sibi quaesivisse a stipulata recedendi libertate. Si erat enim expresse conventum ut pro re ac tempore socii valerent oblatam conditionem » *ampliare* », eamque insuper deserere » *per dar luogo ad altro progetto*», res ipsa demonstrat graviorem quoque ac diversam conditionem posse a sociis proponi; et continuari, quin turbata unquam ac resoluta maneret servandae societatis obligatio sic, ut Pizzardius mutuo societatis jure sit usus comunicando, licet eum pateat ad conducendam rem designatam debuisse in varias causas dictam pecuniam triplicare. Quo circa, ut sciebat Polidorius jus suum esse salvum, sive pristina conditio foret in stipulationem deducta, sive ampliata, sive penitus mutata, ita pariter sciebat socium suum Pizzardium, post vectigalis redemptionem aliis exin conditionibus comparatam, eas ipsas usque teneri significare conditiones ut de assumptis oneribus pecuniariis commune factus posset ipse deliberare, utrum nec ne sibi expediret, vel stipulatam servare redemptionem et in societate manere, vel ab omni ejus nexu recedere. Atque haec erat ratio quam adhibere in socium ex bonae fidei judicio tenebatur Pizzardius ad eam aeque servandam inter contrahentes correspectivitatem, de qua abs re contra disseritur, ne actione pro socio exin teneretur erga Polidorium, qui cum non fuerit certior de statu rerum factus, legitimo deficiente recessu, numquam dissociatus potest haberi.

Nec rem turbat urgere stipulatae redemptionis negotium ad controversae societatis jus pertinere neutiquam posse, cum hodie constet, haud quidem a Pizzardio, sed a domino Pancaldio fuisse directe procuratum. Utut enim primum reimagnae fuerit initium, utut successiva tractatio, utut demum se habeat ejusdem Pancaldi testimonium, id nihil potest quidquam pro socio actioni de-
17 trahere, nihilque monumentis publicis, quae cum potiora testibus esse moneat *Jurisconsultus in leg.* 10 *ff. de probat*, non est ambigendum quin pro nihilo debeat haberi quidquid hexterna die Pancaldus dixerit, prout publica ostendunt monumenta gravissima quae gratioso testimonio adversantur. Docent quippe literae potissimum quas die 15 junii 1831 ad pontificii aerarii praefectum dedit ex officio Cardinalis vir eminentissimus qui est a secretis imperii consiliis, sacratissimum Principem probasse » *i capitoli combinati per l' amministrazione cointeressata de' sali e tabacchi coi signori don Marino Torlonia duca di Bracciano e Camillo Pizzardi* ». Quare si ex publicis liquet monumentis, *cointeressatae* administrationis pacta fuisse conciliata » *con li signori don Marino Torlonia duca di Bracciano e Camillo Pizzardi* » necessario fatendum est eos ipsos tractasse et absolvisse reapse negotium. Accedit praeterea Pizzardium nullo modo juvare se umquam posse teste Pancaldio ad contestatam pro socio actionem summovendam, etiamsi, quod ipse narrat, momentum faceret, simulque probaret operam etiam intercessisse suam. Constat enim cautum *art.* 2 *et* 10 in societate coeunda fuisse, ne alium facile posset circumscribere, ut societatis semper locus esse deberet » *sia che riesca, o nei loro nomi, o sotto altri nomi, sia in nome di altra persona, di ottenere questa impresa* ». Manifestum itaque est socium alterum alteri debere conductionem vectigalis communicare, tametsi concludenter constaret eam obtinuisse » *altra persona.*

Et perperam post haec ad constantiam societatis postremo declinandam opponebatur ob mortem Polidorii inopinato casu interim sequutam intercedisse illico societatem, etiamsi per malam hypotesim, ut contra disseritur, ea vellet admitti. Quamquam enim sit
18 juris cognitissimi, adeo morte socii dirimi societatem, ut nec ab initio pacisci possit ut haeres succedat societati, *instit. de societate* § *solvitur*, *leg. cum duobus* 52 §. 9, *leg. adeo morte* 59 *et leg.* 65 § 9 *ff pro socio*, haec tamen quantum privatis congruunt societatibus, tantum aliena recte censentur a sociali vectigalium conductione, in qua nihilominus manet societas et post mortem alicujus, si pars defuncti ad perso-
19 nam heredis adscripta sit, ut heredi quoque conferri oporteat, veluti scriptum est *in cit. leg. adeo morte* 59 *ff pro socio*. Rei propterea judicium a peculiari pendere stipulatu compertissimum est. Atqui si in specie alias inter *cointeressatae* administrationis conditiones cum publicae rei moderatoribus stipulatas, ad casum quod pertinet, legitur » *il contratto è trasferibile negli eredi e successori* », ex hac ipsa conventione cum fisco vectigalis locatore inita colligitur mortui socii Polidori heredem etiam ac successorem fuisse adscitum, ad eumque idcirco transmissum jus societatis et conductionis, cujus ipsemet heres ex transitoria vi constituta particeps factus est, *ad text. in leg. verum* 63 § *in haeredem ff. pro socio*, *Cujac. tom.* 2 *cod.* 480 *lit. B. edit. neapol. Anton. Fab. in cit. leg. adeo morte per tot.*, *et Rot. in recen. decis* 279 *num.* 1 *et* 2 *part.* 1. Fit itaque ex facto ac jure manifestum, vulgarem regulam de solutione societatis per mortem alicujus objectam rei praesenti non posse accomodari, simul ut constat aperte transmissionem ad heredes. in pactum fuisse deductam; quo sane in casu ad eos transire vectigalium societatem, quae morte non solvitur, juris est manifesti.

Haec de societate ejusque perseverantia. Restat de rata rei portione quae Polidorio debet attribui, quaeque aliam subiit in praesenti actione judicii fortunam. Quamvis enim in superiori instantia fuerit sententia rotali judicatum, locum esse debere implemento societatis ad formam apocae, cujus ratio erat ut Pizzardius teneretur socio comunicare quintam partem totius contractus, seu integrae cointeressatae administrationis, veluti a Polidorio postulatum est, hodie tamen PP. Domini, re satius perpensa, censuerunt lato judicio modum imponere. Et reapse, sicut visum est non Pizzardio tantummodo, verum etiam domino Marino Torlonia, duci Bracchiani, vectigalis redemptionem insimul fuisse concessam, sic erat justitiae ac aequitatis decernere ut Polidorius debeat super re quintam partem habere medietatis ad Pizzardium pertinentis, quintam nimirum ex quatuor *vocibus* quibus constare videtur ipsa medietas memoratae *administrationis* » *in otto voci* constitutae, qua sane in re consistit *modus* quem Patres mihi demandarunt in decisione esse exponendum.

Et ita, me quoque suffragium ferente, in strenuo partium certamine, jus redditum est.

**R. P. D. RUSPOLI**

FULGINATEN. SOCIETATIS

*Veneris* 15 *junii* 1832.

**Argumentum habes in decisionibus XI et L. quae confirmantur.**

*SUMMARIUM*

1. *Non nuda protestatio, qua solum curatur, ne quid detrimenti jura nostra capiant, sed vere citatorius libellus habetur actus ille quo quid a judicibus instituta actione petitur.*
2. *Nec rem mutat adhibitum verbum* « protesta «, *cum rebus, non verbis, standum sit.*
3. *Protestationis actus nec diem reo constituit quo vadimonium subeat, nec apud judices proponitur; quippe qui ad cavendum dumtaxat comparatur ut res nostra salva sit.*
4. *Quamvis autem judex decreverit* « di ammettere la protesta come di ragione «, *non ideo hac formula in nudam protestationem convertere potuit actum, qui citatorii libelli indolem et vim praeseferebat.*
5. *Ex pragmaticarum legum sanctione nullus et irritus est quilibet actus gestus contra formas ab eis praestitutas.*
6. *Appellatio, ut ajunt, currum et boves ad se trahit.*

7. *Per appellationem in incidenti, tum nullitatis, tum cujuslibet aliis generis quaestione, interpositam, ad judices secundarum actionum defertur universum negocium, adeoque princeps quoque causa, etiamsi adhuc integra sit.*
8. *Quod obtinet non solum cum provocatum fuerit ab decreto interlocutorio, de quo simplicis demonstrationis gratia loquitur art.* 523 *leonini codicis, sed ab qualibet alia decreti specie.*
9. *Articulas* 24 *mercatorii edicti ita accipiendus est, ut, nullitatis querela ad tribunal appellationis delata, hoc ipso defertur quoque praecipuum negocium, etiamsi de eo judicatum non fuerit.*
10. *Articulus* 25 *ejusdem edicti perspicue cavet ut appellationis tribunal nullitatem decernens, potest «* pronunciare sul merito se lo trovi in istato di decisione *».*
11. *Abrogato libello, omnia intelliguntur abrogata quae gesta exinde fuerunt, adeoque etiam sententia.*
12. *Ex articulo* 13 *mercatorii edicti quaevis nullitas etiam ex substantialibus, dempta incompetentia ratione rei, sanata est si proposita non fuerit «* prima di ogni altra difesa *«.*
13. *Cessat enim extraordinarium circumscriptionis remedium, ordinario appellationis semel adhibito.*
14. *Nec valet simplex adjecta clausula «* sine praejudicio nullitatum *«, quae ad nihilum redit, si circumscriptio petita non fuerit antequam quaevis alia adhibeatur defensio, et* n. 15.
16. *Pacto convento ut societas, nulla facta in praefinito termino denunciatione, intelligeretur prorogata ad idem tempus ad quod initio coita fuit, si terminus absque denunciatione elabitur, hoc ipso prorogata censetur.*
17. *Plurima tractantur quae deinde non perficiuntur.*
18. *Conventa denunciatio «* la disdetta *« fieri etiam potest per aequipollens.*
19. *In societate, ut in caeteris contractibus nominatis, una suppetit actio ad implementum et quanti interest, neque fit locus rescissioni ob violata pacta.*
20. *Contrarium obtinet dumtaxat cum vel mora et interpellatio intercesserit, vel societas pactum resolutivum praeseferat.*
21. *De societate dejectio paenam sapit, nemini unquam sine interpellatione irrogandam.*
22. *Lex* 14 ff. pro socio *de renunciatione cavet, non de rescissione.*
23. *Altera vero longe distat ab altera, quia qui renunciat societati, a se liberat socios suos, se autem ab illis non liberat: e contra cum rescissione tota societas dissolvitur.*
24. *Quae tamen dissolvi nequit nisi ex omnium sociorum voluntate et consensu.*
25. *Item lex* 14 *ff. pro socio loquitur de conditione, non autem de aliqua conventione vel pacto.*
26. *Socius administrator non arguendus, qui libros non confecit methodo ab novissimis commercii legibus praescripta si societas inita fuit antequam leges istae prodirent.*
27. *Sepositis dolo et fraude ab judice cognoscendis, non aliter socius contra socium, qui aliquo ex conventis pactis non satisfecit, agere potest, quam ad id quod sua interest consequendum.*
28. *Culpae et vitio socii, ad hoc ut rescissio societatis decerni valeat, nunquam vertitur quod libros vel non rite confecerit, vel omiserit, si adversaria aliasque notulas confecerit ex quibus dispungi reddique rationes possint, et* n. 29.
30. *Socius socio methodum in conficiendis libris adhibitam objicere nequit, quam et ipse semel adhibuit nec unquam repudiavit, aut de ea quaestus est durante societate.*
31. *Socius qui nunquam injuriosus fuit, damnosus plane non videtur quem ideo pati non expediat.*

## Decisio LXII.

Cercae officinae, quam Angelus Trasciatti Fulginei exercebat, aromatum negociationem adjungere voluit. Sed qui universae rei curationi unus incumbere nequibat, Claudium Grampini, hominem solertem atque industrium, in socium sivi adsciscere constituit. Octavo kalendas majas anni 1820 societatis syngrapha exarata est, cujus pacta conventa haec potissimum fuerunt ut Trasciattus haberet *la cassa e la firma*, et caput immitteret scutatorum nummum quindecimmillium, partim *in droghe*, partimque in *cera lavorata nell' orto e fabbrica da lui eretta in questa città*; Grampinius vicissim industriam atque operam in mercibus vendendis ( quarum pretium singulis hebdomadis Trasciatto traderet ), scribendisque quae ad negocium spectarent, conferret, annuum centum quadraginta scutatorum nummum stipendium haberet, lucrorum autem dimidium, postquam Trasciattus decimam de singulis capitis centenis, annuos centum sexaginta nummos pro horto instrumentisque solvendos, tabernae pensionem et aequam denique pro mensa, stateris instrumentisque aliis compensationem deduxisset. Quae in quinque annos inita fuerat societas, quinque alios conditionibus iisdem duraret, nisi alter ex sociis ante sex ultimos quinquennii menses alteri denunciaret se, quinquennio exacto, in societate non perstiturum, idque obtinere deberet *di quinquennio in quinquennio finchè non sarà fatta la disdetta.*

Sine controversia solidum quinquennium societas stetit. Trasciattus frequentissimus in taberna atque horto versabatur, quo cera conficiebatur; adversaria, codices et libros omnes, quos ante initam societatem a se ipso institutos Grampinio tradiderat, revolvebat investigabatque, in quibus plurima saepissime manu sua adnotabat; merces identidem vendebat, pecunias a socio recipiebat ut in arca immitteret, quam ipse ex pacto tenebat; jubebatque denique faciendum quod in universa re sociali sibi sativs videretur. Ingens erat annuum lucrum, sed qui contra societatis pacta, quibus quindecim millia nummum, nec aliud praeterea, Trasciattus in eam conferre debebat, singulis annis capiti adjiciebat decimales accessiones, sui dimidium quaestus, aliamque insuper numeratae pecuniae grandem quidem vim et quisquilias alias multas, quas plurimi aestimabat, ut decuncem ex his etiam usuram sibi compararet. Ut autem socio Trasciattus blandiretur faceretque fucum, sinebat ut is etiam lucrorum partem suam capiti adjiceret dextantem usuram sibi quaesiturus. Quo factum est ut, etiamsi toto eo quinquennio plus minus quindecim millia scutatorum societas lucrata fuerit, imminui tamen et ad nihilum fere redigi quaestus Trasciatto viderentur. Sed qui paullo minores re ipsa fortasse erant ultimis quinquennii annis, quandoquidem plures alii cerae confectores venditoresque, non modo Fulginei sed pluribus aliis in locis ditionis pontificiae, superaccesserant, oppido constabat caput duplo fere auctum Trasciatti accessionibus non illum sane quaestum pro portione parere posse, quem pristinum caput produxerat; ut si quindecim millia scutata primum in societatem immissa vicesimum puta fructum priori ejusdem societatis anno dedissent, longe minorem singulis deinceps annis edere deberet quod usque ad viginti octo millia scutatorum quarto anno caput excreverat, nihil alioquin commercio adaucto, sed contrariis vicibus potius imminuto.

Praeteriit tamen quinquennium, nec verbum Trasciattus de societate dirimenda fecit, nec quidquam Grampinius locutus, quamquam nihil jam lucri facturus, qui nihil hoc nomine exigere poterat, nisi postea quam Trasciattus decuncem usuram de capite ita praeter modum adauctum demsisset. Alterum itaque quinquennium initium habuit, quod ad quartum usque mensem processerat. Tum primum, anno scilicet 1825 mense sextili ineunte, quia Grampinius modicam quinquagintatrium supra quingenta scutatorum vim ex socialibus lucris sibi addixisset, orta inter socios dissidia: hominem enim Trasciattus illico in jus rapuit postulans ut ad summam illam negocio restituendam adigeretur. Altero dein libello eodem die proposito petiit ut, ad dignoscendum num lucra vel damna intercessissent, codices proferret, gestaeque negociationis rationes redderet, adeoque ratiocinatores etiam, si opus esset, designarentur, qui Tribunalis auctoritate in id incumberent. Quam Trasciattus reposcebat rationem, nullo modo Grampinius detrectavit.

Sed, paucis diebus post, novum consilium Trasciattus capit: tertio enim idus sextiles dicam Grampinii procuratori transmisit, qua Grampinium ipsum in jus vocabat ut sisteret *alla prima udienza dopo un giorno*, significans nolle se amplius illius uti opera in negocii gestione, adeoque nullum amplius eidem salarium ex ipso die procedere debere. Grampinius, qui ad rem suam tuendam provisionis causa pridie petierat, ut duae serae foribus negocii apponerentur, quarum singulas claves uterque socius haberet, nulla mora postulavit ut pro nihilo haberetur, prorsusque deleretur dica novissime a Trasciatto transmissa, qua pragmaticarum legum omnia jussa spreta proculcataque vitiosissime fuerant. Mercatorii judices, apud quos, tam rei, quam personae ratione, haec agebantur, duo ediderunt decreta, quorum uno, provisionis loco quam Grampinius poposcerat, administratorem non integrae famae hominem negocio dederunt, qui omnia statim arbitrio Trasciatti commisit, altero, novissimam istius dicam iterum decimo septimo kalendas septembres propositam rite recteque factam renunciantes, Grampinii petitionem rejecerunt.

Cum autem Trasciattus suas renovasset petitiones de scutatis 553 in capsam negocii referendis, deque libris exhibendis reddendisque rationibus, Grampinius (*reite-*

*rata sempre la protesta di ogni e qualunque nullità dimanante dagli atti* ) professus est velle se in socialis negocii gestione exercenda secundum societatis pacta pergere, postulavitque ut quae rem hanc controversia respiceret, una cum altera ad arbitros delegaretur, quam de restitutione scutatorum 553 Trasciattus aeque instituerat. Mercatorii judices annuerunt, proindeque commiserunt *la cognizione delle cause di cui si tratta, che hanno relazione alla società passata fra le parti litiganti, al giudizio degli arbitri*, idemque alio decreto jusserunt quod ad librorum editionem spectaret, quippe, ipsis profitentibus, de rebus maxime conjunctis ageretur. Utrumque vero uno eodemque die, sexto nimirum kalendas septembres, factum est. Verum perinde ac si nihil ea de re gestum esset, Trasciattus nonis septembribus controversiarum omnium, quaeque nominatim societatis rescissionem respiceret, conjunctionem atque ad arbitros delegationem postulavit. Insolentem esse petitionem, quia utrumque jam demandatum fuisset, adeoque rejiciendam Grampinius reposuit, sed nihil ipsi hoc valuit, quandoquidem judices quarto idus ejusdem septembris secundum actoris intentionem decretum fecerunt.

Interea temporis Trasciattus cum Pizzonio negocii administratore nomen et rem Grampinii male mulctabat, ut petere debuerit tum infidelis administratoris remotionem aliamque provisionem, tum testium inquisitionem. Primum judices negarunt; quod ad alterum autem attinet cognitorem delegarunt qui testes rogaret. Sed cum testium inquisitioni finis impositus deinde fuisset antequam omnes judex percontatus esset quos Grampinius produxerat, querelam hic apud mercatorium Tribunal egit; sed incassum: recte enim inquisitioni finem impositum judicavit. Tum Grampinius probe noscens nihil sibi sperandum fore a fulginatensibus judicibus, partis adversae palam studiosissimis, ad nostrum Ordinem provocavit, qui testes praeteritos rogari, submotoque Pizzonio, aliter Grampinii rei prospiciendum jussit. Multo acrius autem super decreto lis ferbuit, quo judices fulginatenses dicam a Trasciatto die 16 augusti rite recteque propositam definiverunt, qua Grampinium uti socium ex ipso die ecusabat.r Etenim cum hanc nominatim rem appellationis judicio ad nostrum Auditorium Grampinius detulisset, frustraque Trasciattus literas citatorias a reverendissimo Pianetti datas corrigi poposcisset, Grampinius suam deinde ipsi praesuli, tum s. Rotae auditorio petitionem exhibuit, qua illud diei 16 augusti anni 1825 a fulginatensibus judicibus editum decretum revocandum contendebat, simulque agebat ut praecipuum etiam negocium de societatis continuatione s. Ordo ex facultatibus dirimeret, quas judiciarius codex appellationum judicibus tribuit.

Tertio itaque decimo kalendas quintiles anni 1826 proposita fuit quaestio, strenueque Trasciatto contra dimicante, Patres censuerunt, citatorium diei 16 augusti anni 1825 uti prorsus irritum habendum, adeoque infirmandum abrogandumque fulginatensium etiam judicum decretum, qua aliter sancitum fuerat, pariterque duxerunt continuare debere societatem; proptereaque Trasciattum, qui perperam Grampinium ejecerat, facti infectique damni reum esse, quod delegandus cognitor aestimaret. Quippe de re gravi ageretur, reverendissimus Pianetti decisionem conficere jussus. Hac vero edita, et disputatione postridie kalendas sextiles eodem anno 1826 redintegrata, priorem definitionem omnino s. Tribunal confirmans sententiam expediri mandavit. Trasciattus, sterili vix adhibita formula » *sine praejudicio nullitatum* «, ad R. P. D. meum de Cursiis appellavit. Cum vero acta est causa, adeo in Grampinii gestionem invectus est, atque tot et tanta in medium attulit, quibus evinceret multifariam gravissimeque in praecipuo codicum conficiendorum suo munere a Grampinio peccatum, quare ipsius dolo et calliditate lucrosam, quae exitiosissima fuerat, societatem visam, ut religiosissimi Patres judicio supersedendum existimaverint, usque dum logographus referret *super legalitate librorum socialium, ac super rationibus accepti et impensi ab instituta societate.*

Ubi Vincentius-Titoli ratiocinator sibi commissum opus perfecit ediditque, s. Ordinis sententia ad disquisitionem revocata

est pridie nonas junias anni 1830, dignaque comperta fuit quae maxima ex parte confirmaretur. Namque citatorium diei 16 augusti reprobandum, et societatem esse continuandam iterum Patres putarunt, modum autem adjecerunt, quo nullam hoc in judicio damnorum emendationis, alio seorsum proponendae, rationem habendam significabant; quippe hanc rem nec prior libellus, nec rotales literae complexae fuissent. Uti in priori actione, in hac etiam decisionis confectio demandata est; sed postridie kalendas sextiles eodem anno disputatione renovata, nihil Patres haeserunt, quin secundum ipsam decisionem alteram ferendam sententiam rescriberent. Nihil deinde profuit Trasciatto veniam a Signatura justitiae obtinuisse de causis restitutionis in integrum disserendi. Hodie enim mane, universa aula ad suffragandum accita, responsum prodiit: » *constare de re judicata, et extendatur decisio.* »

Ad triplicem disceptationem hodie Patres revocabat Trasciattus, qui contendebat non abrogandum, sive, uti forenses loquuntur, non circumscribendum actum fuisse diei 16 augusti anni 1825; nequivisse s. Tribunal de praecipuo negocio, de continuatione scilicet aut rescissione societatis judicare; injuria denique societatem continuare debere pronunciasse. Sed nullum plausum quae multa dissertaque oratione Angeli defensores disputarunt, mereri potuerunt; adeo firmis solidisque fundamentis res judicata undique nitebatur! Enim vero qui negare non poterant formas omnes posthabitas actu diei 11 sive 16 augusti fuisse, quas pragmatica lex in citatorio libello servari jubet indicta, si aliter factum fuerit, *nullitatis* paena, toti in eo erant ut in Patrum animos inducerent, non citatorium libellum, quo aliquod institueretur judicium, sed nudam protestationem actum illum fuisse, qua nihil agebatur, nihil excipiebatur. Sed facile sermocinationis genus diluebatur ubi actus illius indoles et natura, uti par erat, inspiceretur. Eo porro Trasciattus significavit, nolle se amplius uti opera Grampinii in negocio exercendo, non huic amplius procedere debere salarium, ipsique adimere quod dederat mandatum » *di firmare a suo nome per il negozio.* » Sed cum Claudius Grampini, dum pecuniam et res Trasciattus immiserat, nihil aliud in societatem quam operam et industriam contulisset, qui non ad aliud devocatus fuerat quam ad merces minutatim vendendas, ad scribenda quae susceptam negociationem respicerent, ad negociationem hanc denique curandam gerendamque; oppido liquet de societate dejici a Trasciatto voluisse Grampinium, de societate nimirum rescindenda actum proposito libello fuisse: nulla enim societas manere poterat, de hac sublato quod alter ex duobus sociis contulerat. Non nudam itaque
1 protestationem, qua solum curamus ut ne quid detrimenti jura nostra capiant; sed libellum quidem proposuit, quo quid a judicibus, actione instituta, postulatur, dum nihil minus quam societatis rescissionem Trasciattus petebat.

Quamobrem non verbum captandum *protesta*, quod actu in illo semel iterumque
2 adhibitum fuit: rebus enim, non verbis, standum est. Et sane qui intra fines protestationis actus continetur, non diem reo constituit quo vadimonium obeat, non apud judices proponitur: quippe non aliud
3 ipso comparatur, quam cavere ut res nostra salva sit: *Ias. consil.* 9 *num.* 45 *lib.* 1, *Caes. de Grass. decis.* 3 *num.* 6 *de restit. spoliat.*, *Ubert. de citat. cap.* 6 *num.* 123. Sed cum Trasciattus libello diei 11 augusti vadatus Grampinium fuerit » *a comparire alla prima udienza dopo un giorno, e sentire ricevere ed ammettere la protesta*, » quod non aliud plane significabat, quam » *sentire ed ammettere qualmente l' istante non intende ulteriormente servirsi dell' opera ed assistenza del notificato per la direzione ed andamento del negozio*, » quae sunt libelli ipsissima verba; facile quisquam perspicit longe abesse ut intra nudae protestationis limites libellus ille contineretur, quo non de juribus sibi suis tantummodo cavendum Trasciattus curabat, sed, constituta ad vadimonium obeundum die, ad illud judices provocabat ut decernerent socium non amplius esss Grampinium, qui operam et industriam in societatem amplius conferre non debebat. Quod si fulginatenses judices cen-

suerunt » , *ammettere la protesta come di ragione* » , non ideo in nudam simplicemque protestationem ea formula convertere potuerunt actum , qui citatorii libelli indolem atque vim prorsus exhibebat , quique actionem non primum institutam proponebat.

A veritate prinde plurimum aberrabant Angeli defensores contendentes de *incidente*, de *consectario* decretae a judicibus provisionis Trasciattum egisse , qui cum appositus per illam fuisset administrator , professus fuit nolle se duplex salarium praebere. Etenim si hac de re tantum sollicitus Trasciattus fuisset , ad longe diversam progredi non debebat ut diem Grampinio constitueret , quo a judicibus audiret ipsum non amplius operam negocio exercendo praestare debere , scilicet non amplius socium esse. Caeterum illos intra cancellos conclusa protestatio ineptissima fuisset , siquidem re in judicium deducta , judiciarii administratoris salarium oneri illi fuisset qui victus succubuisset , ut non illud detrectare Trasciattus potuisset si temere , non solvisset si jure litigasset.

Quod si perpendatur Grampinium , posteaquam nullitatis querelam a se propositam fulginatenses judices rejecerant , apud ipsos postulasse ut quae plures erant de negocio sociali controversiae , quaeque nominatim societatis continuationem respicerent , una simul conjungerentur , atque ad arbitros definiendae delegarentur ; judices autem quod petitum fuerat concessisse : fateri profecto oportet actionem de continuanda vel rescindenda societate jam tum institutam deductamque in judicium fuisse , non enim aliarum decernitur causarum conjunctio , nisi institutarum atque pendentium. Sed rescindendae continuandaeve societatis actio non alio institui potuerat libello quam eo , qui diebus 11 et 16 augusti propositus fuit , quippe non alius exhibitus hac de re unquam fuerat. Et perperam quidem Angeli defensores quemdam ad hoc traducere conabantur actum diei 10 septembris ejusdem anni 1825 quo non aliud Trasciattus proposuit , quam conjungendarum atque ad arbitros delegandarum pendentium causarum petitionem , quod jam , rogante Grampinio , tribunal decreverat , quodque ideo praeter necessitatem iterum , Trasciatto postulante , mandavit. Reque vera hujus generis petitionis libellus , quo per modum simplicis narrationis exponebatur , alias esse causas *da esaminarsi* , interque has nominatim recensebatur quae de rescissione sive continuatione societatis ageret , non Grampinio , sed illius procuratori oblatus fuit , non ullam prorsus vadimonii obeundi diem constituebat , nec directam illam , qua opus fuisset, societatis rescindendae petitionem continebat : tantum porro abest ut actus ille diei 10 septembris ad judicium de rescindenda societate instituendum comparatus fuerit.

Cum firmum igitur immotumque maneat actum diei 11 sive 16 augusti non nudam protestationem , sed citatorium libellum fuisse , quo nova instruebatur actio ; jure optimo res judicata constituit abrogandum penitusque delendum esse , quia formae omnes eo pessumdatae fuerint , quas pragmaticae 5 leges servandas jubebant , nullum irritumque actum quemlibet praecipientes qui contra praestitutas formas gestus esset. *Videndae decisiones reverendissimi Pianetti et R. P. D. mei De Cursiis utrobique* §. 5.

Verum ubi sacrum Tribunal dicam illam diei 16 augusti una cum decreto a fulginatensibus judicibus eodem die lato circumscribere censuit , nullo modo suae jurisdictionis fines praeteriit dum simul ad praecipuam de continuatione sive rescissione societatis causam judicium protendit. Tritissimum illud est forensi sermone adagium 6 quod appellatio currum et boves ad se trahat , quo nimirum pragmatici significare solent ad judices secundarum actionum universum per appellationem , quae in incidenti tum *nullitatis* , tum cujuslibet alius generis quaestione interposita fuerit, negocium 7 deferri , adeoque praecipuam quoque causam etiamsi adhuc integra sit. *Vant. de nullit. cap. cor. quo null. prop. numer.* 12, *Scaccia de appellat. quaest.* 19 *remed.* 1 *conclus.* 6 *numer.* 111. Neque ex verbis, quibus judiciarii codicis articulus 523 concipitur , cavillari juvabat tum solum appellationum judicibus praecipui negocii dirimendi potestatem factam esse , cum ab interlo- 8 cutionis decreto provocatum fuerit , cujus

generis Angeli defensores negabant esse decretum diei 16 augusti anni 1825. Etenim ( cujuslibet illud naturae sit ) in re omnium perspectissima atque in diem usuvenire solita intelligi facile poterat , simplicis demonstrationis causa interlocutionis decretum a lege designatum, eoque aliam quamlibet decreti speciem contineri. Minus autem Trasciattii patroni proficiebant ex articulo 24 mercatorii edicti disserentes, cum querela *nullitatis* ad tribunal appellationis rem simul praecipuam deferri modo si de
9 hac judicatum fuerit. Namque cum articulus ipse caveat : » *il gravame per motivo di una nullità , anche delle tre sostanziali , contro un decreto , o una sentenza è portato in appello , e ciò contemporaneamente al gravame sul merito , se si è pronunciato sul medesimo* »; legenti facile patet , non conditionis , sed simplicis demonstrationis gratia, quae objiciebantur verba » *se si è giudicato sul medesimo* » a lege adhibita , ita nimirum ut cum dixisset » *contemporaneamente al gravame, sul merito* » , ad hoc nominatim , quo lex ipsa usa est , vocabulum *gravame* opposita illa verba referri debeant , quippe *gravame sul merito* esse non possit , nisi hac de re judicatum fuerit. Secus porro illud absonum occurreret , quod lex mercatoria , quae in extraordinariis de mercatoriis rebus judiciis quam maximam celeritatem voluit , his ademisset quae in ordinariis quibuslibet conceditur , ut scilicet per provocationem in incidenti aliqua quaestione praecipuum ad judices appellationum negocium deferatur.

Praesto alioquin est ejusdem edicti mercatorii articulus 25 qui, prospiciens fore ut ex *nullitatis* querela apud judices appellationum agatur , ita perspicue cavet : » *an-*
10 *nullando il giudicato può il tribunale d' appello pronunciare sul merito ove lo trovi in istato di decisione* ». Sed cum nostrum Auditorium abrogaverit quae ex libello diei 15 augusti gesta fuerant , jam liquido constat ex ipsa legis sanctione potuisse de re praecipua judicium ferre. Nec recte argumentabantur Angeli defensores , non judicatum , sed citatorium tantummodo libellum ab Ordine nostro irritum factum
11 fuisse: namque sublato et ad nihilum prorsus redacto libello , facile perspicitur omnia abrogata aeque fuisse quae gesta exinde fuerant. Et re quidem vera sententia a rever. Pianetti lata nominatim nullum declarat decretum quod citatorii diei 16 augusti abrogandi petitionem a Grampinio propositam rejecerat. Sed haec quae solide adeo constituta sunt , missa tamen fieri poterant , quippe alia gravissima subeant quae, si vitiosum principio fuisset , sacri Ordinis de continuatione societatis judicium plane confirmassent.

Tertio decimo mercatorii edicti articulo sancitum est : » *qualunque nullità anche*
12 *delle sostanziali, eccettuata l' incompetenza della materia , rimane sanata col non essere opposta prima d' ogni altra difesa.* » Porro quo jure quave ratione Trasciattus rei judicatae abrogationem urgere potest , qui, si forte sacrer Ordo perperam ad rem definiendam de societatis continuatione prolapsus esset , ipse hoc omnino probasset ? Enim vero non aliter quam ex provocatione contra rever. Pianetti sententiam egit, centies judicio deinde stetit cum sive causa praecipua , sive secundariae proponerentur coram R. P. D. meo De Cursiis quaestiones , quae eadem in re semper versabantur, et non modo haud restitit decreto , quo judiciarius cognitor delegabatur qui referret recte an perperam Grampinius codices confecisset , quippe hac in re gravissime Grampinium peccasse objiciebat , ut aequum fuerit societatem rescindere ; sed ratum habuit, cognitoris nominationem curavit , ad eumque deduxit quod sua interesset. Nemo autem nescit , silere prorsus et recedere extraor-
13 dinarium circumscriptionis remedium , semel adhibito appellationis ordinario. Nec regerere juvabat provocasse Trasciattum clausulis usum *sine praejudicio nullitatum ex capite nullitatis et injustitiae* » , vel etiam
14 plurima , cum acta est causa coram R. P. D. meo De Cursiis , disputata fuisse ad evincendum nequivisse sacrum Auditorium societatis continuandae rescindendaeve provinciam ingredi. Namque ex usu forensi, potius quam aliter, clausulae illae adhibitae in nihilum redierunt postquam Trasciattus expressam , uti opus fuisset , circumscriptionis petitionem nunquam proposuit , ut legi fa-

ceret satis praecipienti *nullitatis* querelam proponendam *prima di ogni altra difesa*.

Quamobrem nullius aeque momenti sunt quae oratorie ab Angeli defensoribus de vitio sententiae disserebantur, dum eodem alioquin tempore omnes orationis nervos eo intendebant ut propugnarent, jure merito societatem a Trasciatto rescissam. Sed haud plura
15 hac de re dicere oportet, modo animadvertatur Angelum ipsum in id ab ipso litis apud Ordinem nostrum institutae exordio consensisse ut cum *nullitatis* querela a Grampinio deducta, praecipua simul causa de continuanda rescindendave societate definiretur. Etenim cum Grampinii libellum apud reverendissimum Pianetti exhibuisset, quo petebat ut non solum nullitatis quaestio, sed nominatim *vigore facultatum judici appellationis tributarum a practico codice decidendi etiam meritum causae*, controversia quoque cognosceretur de societate continuanda; non modo Trasciattus nihil hac de re apud sac. Tribunal agenda opposuit, sed copiosam defensionem attulit ut contra Grampinii petitionem societatem rescissam Patres judicarent, veluti probat Decisio reverendissimi Pianetti, quae §§. 6, 7, 8 et 9, fusius argumenta ex Angeli intentione proposita expendit diluitque. Verum, ita se rebus habentibus, vix credibile est ut Trasciattus hiscere audeat ad rei judicatae, *nullitatis* specie, abrogationem postulandam.

Sed his forensium ambagum salebris vepribusque demum extricati, ejusdem judicatae rei justitiam facile Patres vindicabant quod ad societatem in alterum quinquennium prorogandam attinet, quippe omnia quae, sive ex jure, sive ex facto occurrant, sac. Ordinis judicium firmissimis niti fundamentis ostenderent.

Initae societati quinquennium praestitutum fuerat, pactoque inter socios convenerat, eorum alterum qui manere in ipsa post illud tempus recusaret, alteri sex ante menses hoc denunciare debere; secus iisdem conditionibus societatem alterum quinquennium duraturam, » *e così di quinquennio in quinquennio, finchè non sarà fatta la disdetta*«.
16 Sed cum nihil sub exitum prioris quinquennii Grampinio Trasciattus denunciaverit, qui contra quatuor insequentes fere menses in societate sine querela permansit, donec dissidium inter socios primum pervasit, cum Grampinius certam pecuniae vim lucrorum nomine ex arca sociali percepisset; haud pluribus opus est verbis ad evincendum communi contrahentium placito societatem in alterum quinquennium prorogatam fuisse; *Zanch. de societ. par. 1 cap. 12 num. 44 et seq. et par. 4 cap. 4 num. 25, Rota in nuperr. decis. 68 num. 3 tom. 6, in Romana seu Civitatis Plebis affectus 12 feb. 1731 § 5 cor. Aldrovando.*

Frustra vero Trasciattus laborabat ut deficientem denunciationem per aequipollens suppleret, quemdam novae societatis ineundae tractatum Grampinii manu exaratum in medium afferens, quo probare volebat noluisse socios in veteri consistere, qui de nova ineunda pari consensione agebant. Nam-
17 que plurima tractantur quae deinde non perficiuntur, et folium quod objicitur, die et consule caret, ut lateat quo tempore scriptum fuerit. Ipse alioquin Trasciattus hominem producebat affirmantem se, ipsius Trasciatti rogatu, tractatum illum proposuisse atque exarasse ineunte anno 1825, ut facile pateat denunciationis vices tractatum supplere non posse, quae superiori octobri facienda erat. Quod si ante sex ultimos quinquennii menses conscriptum fingere cum Trasciatto liceret, cum tractatum chirographo suo socii non muniverint, hoc probe demonstrat non illum acceptum habere voluisse. Praeterea hujus generis est ut unum alterumque levissimi momenti modum prioribus societatis conditionibus inferendi animus sociis vix fuisse videatur. Quamobrem, cum nihil reapse novaverint, atque in pristina societate, quinquennio exacto, continuaverint, planum est posthabitum fuisse tractatum, veterique societate insistere socios prorsus voluisse. Etenim si alteruter recedere ab ea voluisset, quia novas conditiones alter recusasset, denunciatione socium monere nullo modo omisisset.

Nulla alioquin ratione conciliari cum societatis cessatione potest quod ipse Trasciattus quatuor mensibus post finitum quinquennium egit, qui apud judices mercatorios librorum editionem a Grampinio postulavit *perconoscere l'andamento del negozio*; qui si-

gnificavit nolle se amplius uti ipsius Grampinii opera *per la direzione ed andamento del negozio*, quique denique mandatum revocavit, quod Grampinio dederat *di firmare a suo nome per il negozio*. Si haec quarto, ab exacto quinquennio mense Grampinius, nulla nova inita conventione, gerebat, sique ab ipso Trasciattus codices petebat ut cognosceret quomodo negocium procederet, prior societas profecto staret oportet, quia nulla statuto tempore denunciatio facta fuisset. Sed nulla unquam denunciatione, ne per aequipollens quidem facta, ipsaque post quinquennium societate manente, perperam binae s.
18 Ordinis decisiones coram Olivatio citabantur, quibus constituebatur locationem conductionem quamdam finitam, etiamsi denunciatio, quae ex pacto fieri debebat, haud praecessisset. Namque constabat denunciationem, si minus rectam, satis quidem efficacem intercessisse ut conductor, qui prorogationem tuebatur, facto suo non minus quam locatoris, perque testes et amicorum officia, tempestive cognosceret locationem conductionem non prorogatam iri.

Quod si Grampinius promissis defecisset haud pacta servando quibus adscitus in societatem fuerat, uti in Patrum animos Trasciattus inducere vehementissime studebat; non ad rescindendam subito societatem procurrere poterat, sed judicio interpellare socium debebat ut impleret, atque agere ad id etiam potuisset quod sua interesset.
19 Exploratissimum hoc juris principium, uti in omnibus qui nominati dicuntur, contractibus, ita speciatim in societate quae illius generis est, valere omnes semper jurisconsulti docuerunt; *Ansald. de commerc. et mercat. disc.* 74 *num.* 18 *et disc.* 98 *num.* 28, *Zanch de societ. par.* 3 *cap.* 8 *num.* 18 *et cap.* 12 *num.* 84, *Rota in recen. decis.* 191 *num.* 14, 17 *et seq. par.* 5 *tom.* 1 *decis.* 730 *num.* 5 *coram Emerix*, *in Verulana societatis julii* 1780 § 6 *et seq. coram Sentmanat. in confirmat. diei* 31 *januarii* 1781 § 9 *et seq. coram eodem*. Quae vero contra afferebantur sive scriptorum, sive s. Ordinis doctrinae casum plane respiciebant, quo vel multiplex mora atque interpellatio intervenerat, vel dies reo praestituta nominatim
20 fuerat, quam ante probaret susceptis satis se obligationibus fecisse, quam ante scilicet quae sibi incumberent, adimpleret, vel finita societas fuerat cum pacto, quod dicunt *resolutivum*, quippe nimirum societas tum resolvi deberet cum quis positis conditionibus deesset. Sed cum hujus generis pactum non intercesserit, sicuti de societate dejectio,
21 quae socio quaesitum jus adimit, poenam sapit sine interpellatione nemini unquam irrogandam; ita de societate quempiam dejicere non licet antequam de muneribus suis adimplendis rite monitus fuerit; *Rota in rec. par.* 5 *tom.* 2 *decis.* 172 *num.* 17 *et seq.*, *in Romana societatis* 2 *julii* 1745 § 2 *et seq. coram Caprara*, *in Romana societatis* 26 *junii* 1816 § 8 *et* 9 *coram eminentissimo Odescalchi*.

Ut haec in jure firmissima Angeli defensores labefactarent, perperam objiciebant Ulpiani responsum in l. 14 ff. pro socio, quo Jurisconsultus tradit, » *si ante tempus*
21 *renuncietur*, *potest rationem habere renunciatio*, *nec tenebitur pro socio qui ideo renunciavit*, *quia conditio quaedam*, *qua societas erat coita*, *ei non praestatur*, exinde argumentantes Trasciattum non teneri erga Grampinium, qui pactum, quo coita erat societas *di tenere esatta scrittura*, non praestiterat. Imprimis enim lex de renunciatione cavet, quae longe distat a rescissione, quippe qui renunciaverit societati, a se quidem liberet socios suos, se autem ab illis non liberet, veluti Cassii auctoritate Paulus admonet in *l.* 65 *ff. eod. tit. pro socio*, ut proinde, unius alteriusve socii renunciatione interveniente, societas tamen maneat; dum e contrario, cum rescissione societas tota dissolvatur, oppido perspicuum est dissolvi non posse nisi ex om-
24 nium voluntate et consensu, ita post *cit. l.* 65 § *diximus*, *Zanch. de societ. par.* 4. *cap.* 7 *num.* 11. De conditione deinde Ulpianus loquitur, non de conventione aliqua
25 pactove, adeoque etiamsi id quod Jurisconsultus ea lege tradit, ad rescissionem tum locum habituram quando conditio quaedam qua societas erat coita, non praestatur, trahere liceret, necessario quidem lex intelligere de conditione oporteret vel *resolutiva*, vel hujus generis quae integram amplius rem non reliqueret. Secus

porro firmissimum juris principium everteretur, quo in contractibus omnibus nominatis, inter quos societas est, non datur rescissio, propterea quod pacta contrahentium alter non servaverit; sed agitur ad implementum.

Neque eo Grampinius culpandus, quia tempore, labore sumptuque haud ita quidem exiguo, cognitori opus fuerit ut ad res digerendas, suamque relationem conficiendam perveniret. Quod enim ad tempus attinet, quod multum in suo opere conficiendo insumptum a cognitore ajebant, ipsius Trasciattii culpae tribuendum hoc erat, qui duos fere annos omnimodam librorum editionem a s. Tribunali demandatam, quamquam semel, iterum et saepius Patrum auctoritate lacessitus, retardavit. Sin vero sumptum et laborem etiam sustinere non levem cognitor debuerit, non aliud hoc probare poterat, quam non ita in ordinem redactos fuisse libros, ut maximi negociatores scribere ipsos consuescunt, sed nihil doli culpaeve in Grampinium conferre valebat, qui omnia in iis accuratissime adnotavit. Certum non modo ipse Trasciattus, antequam in societatem Grampinium devocaret, et postquam dolo malo ipsum ejecit, libros pari prorsus modo retinuit, sed non aliter a plurimis non infimae quidem notae mercatoribus in ipsa urbe Roma, alibique passim, retineri constabat.

Verum et illud gravissimum urgebat quod Trasciattus quotidie in taberna versabatur, et non modo codices omnes inspiciebat volvebatque, sed saepissime in ipsis scribebat quae ex occasione occurrerent. Porro cum nullam unquam, toto labente quinquennio, eoque etiam exacto, querelam de libris egerit, exinde fit ut, cum eo sciente Grampinius tali methodo libros retineret, ipso etiam probante et quasi mandante retinuisse conficiendum sit, quippe secus monere et cogere socium non omisisset, nec omittere debuisset ut aliter sese gereret; *Menoch. de arbitr. cas.* 93 *num.* 4, *Felic. de societ. cap.* 38 *num.* 19, *Escobar. de ration. administrat. cap.* 12 *num.* 1, *Genua de script. priv. lit. de fide probat. libri ration. societ. per tot.*, *Zanch. de societ. par.* 2 *cap.* 10 *num.* 35 *et* 36, *Rota in cit. Tyburtina societatis et reddit. ration. 5 junii* 1752 § 11 *coram Canilliac.* Quod si interstitia, lituraе, lacerationes, rasurae in libris, uti objiciebatur, patebant; vel hujus generis haec erant, ut nihil doli fraudisque in Grampinio probarent, vel si quid suspicionis ingerére possent, plurima et gravissima conjectionum argumentorumque copia urgebat, quae objectorum artificem vitiorum (interstitia enim quae unus Grampinius reliquerat, quolibet prorsus dolo carebant) vel ipsum Trasciattum arguebant, qui diu multumque librorum editionem detrectavit, ut s. Ordinis auctoritate hominem ad id cogere oportuerit, vel forte Pizzonium, qui Angeli studiosissimus in suspicionem venit ut ab administrando negocio removeré illum Patres debuerint. *Videnda decisio coram R. P. D. meo de Cursiis* § 9.

Longe autem a veritate aberat, Grampinium susceptae a se obligationi codices et rationes socialis negocii conficiendi defuisse, quod erat denique ex facto animadvertendum ut magis magisque pateret, quanta cum injuria Trasciattus societatis rescissionem voluerit. Illud imprimis meminisse praestat quod Grampinius ex initis pactionibus debebat *tenere esatta scrittura*, non quae ex legibus praescriberetur; quo quidem loco praeterundum non est contractam inter Trasciattum et Grampinium societatem fuisse multo antequam mercatorium edictum prodiret, adeoque nulla ratione exigi posse ut Grampinius secundum hujus edicti jussa libros institueret. Judiciarius utique cognitor negavit esse *esatta la scrittura tenuta dal signor Grampini* quantum ad formam et methodum spectaret, sed amplissimo testimonio professus est ipsum tot codices, adversaria, rationes, notulas chartulasque varias confecisse, in quibus singula quaeque accuratissime scribebat, ut quidquid accepti et impensi, adeoque lucri damnive fuse distincteque pateret, quia librorum copia formam methodumque longe supplevisset. Quamobrem cum causae plane inservierit, quare codices in mercatura conficiuntur, de majori minorive ipsorum diligentia cavillari alienissimum erat.

Dolo alioquin et fraude Grampinius peccasse oporteret ut Trasciattus ad societa-

tis rescissionem procurrere potuisset, quam tamen non propria sed judicis auctoritate obtinere debuisset. Dolo enim et fraude se-
27 posita, non aliter socius contra socium, qui aliquid omiserit quod ex pacto peragere deberet, quam ad id quod sua interest consequendum experiri potest; *Zanch. de societ. par.* 2 *cap.* 7 *num.* 93 *et part.* 3 *cap.* 4 *num.* 15 *et seq.* Reque vera adeo parum in societate, quae bona maxime fide et jure quodam fraternitatis nititur, culpae vitioque vertitur socio quod libros vel non rite recteque confecerit, vel prorsus etiam omiserit, ut pro illo semper contra petentem societatis rescissionem judices steterint, cum socius qui libros conficere tenebatur,
28 adversariis aliisque notulis, ut ex his dispungi reddique rationes possent, suae obligationi satis quomodocumque fecerit. Rursus rei magistrum adducere praestat *Zanch. de societ. part.* 4 *cap.* 9 *num.* 103 *et seq. et Rot. in recen. decis.* 354 *per tot. part.* 13, *in Tyburtina societatis et redditionis rationis* 5 *junii* 1752 § *fin. coram Canilliac.*

Sed Grampinius, cui munus potissimum commissum merces minutatim vendendi, ut judiciarius cognitor profitebatur, laboriosam scripturam conciliari cum eo munere non posse, praeter tamen plurima adversaria in quibus singula quaeque studiosissime adnotabat, diarium sive *un libro giornale* confecit, in quo logographus Caporrius a Trasciatto inductus nomina quaelibet rite re-
29 cteque inscripta affirmavit: satis accurate, cognitoris judiciarii testimonio, confecit principem librum quem dicunt *libro maestro*, aut aliter *salda conti.* Summa cum cura servavit epistolas quae recipiebantur, atque earum exemplaria quae mittebantur, praeterea *le cambiali*, *le polize e bollette doganali*, ut ex tanta hac omnium documentorum, librorum et chartarum copia judiciarius cognitor facere potuerit *un esatto bilancio ed il conto di cassa.*

Sed haec praeter necessitatem disputabantur. Etenim tantum aberat doli culpaeve aliquid Grampinium in libris scribendis socii fraudandi causa commisisse, ut non modo nihil detrimenti Trasciattus ceperit, sed ingens, immane, lucrum e contrario fecerit. Et re sane vera testimonio constabat judiciarii cognitoris Titoli, logographi Caporrii a Trasciatto inducti, et ipsius denique Pizzonii quantum Grampinio infensi, tantum Trasciattii studiosi, opera industriaque sola Grampinii qui omnia late gerebat, fere duplo auctum fuisse quinquennio caput scutatorum quindecimmillium a Trasciatto in societatem primum conlatum. Multo quidem labore, sed prorsus inani, sudavit Trasciattus et alsit ut praeclara testimonia ad nihilum redigeret. Namque praesto erant codices, rationaria et alia hujus generis a judiciario cognitore, et a Pizzonio vel ipso (qui socialis administrationem negocii suscipiens ipsius statum descripsit) confecta, quae extra quamlibet controversiam adducebant quindecim millia scutatorum plus minus reddita a sociali negociatione quinquennio fuisse. Quae cum ita essent aspernabantur merito Patres et pro nihilo relationem quamdam habebant, qua egregios Trasciattus quaestus in jacturam convertere nitebatur. Pro tot enim tantisque monumentis quae fructuosissimam Grampinii gestionem probabant, nihili fieri posse patebat informe, suspiciosissimum et injuriis atque maledictis, quod studium partis apprime monstrabat, refertum scriptum nudius tertius privata conductaque opera fabrefactum, cui alienum appingebatur nomen, quodque non delatum ad acta fuerat, neque parti adversae communicari placebat.

Quod si ad duo millia scutatorum in nominibus exigendis superessent, quae vel difficile, vel plane non exigenda dicebantur; non id (quod satis alioquin non constabat) culpae vitioque Grampinio tribuendum pro babatur. Sed, quidquid hac denique de re esset, manebat longe grandiorem adhuc lucrorum copiam reliquam esse, ut qui non injuriosus unquam fuit, damnosus plane so-
13 cius non videretur Grampinius, quem ideo pati non expediret, ut Jurisconsulti sermone utamur ex supra relata *lege* 14 *ff. pro socio.*

Et ita etc., in acri litigantium certamine, universa suffragante aula.

R. P. D. DE RETZ

MACERATEN. SEU ANCONITANA PECUNIARIA.

*Lunae* 13 *augusti* 1832.

ARGUMENTUM

Deficientibus luculentissimis probationibus, societas universalis excluditur. Rationes semel dispunctas et solemni ritu probatas, cum de errore et fraude non constet, novo examini subjici posse negatur.

*SUMMARIUM*

1. *Generali societas in quavis dubietate excluditur.*
2. *Non licet rationes semel dispunctas novo examini subjicere nisi errores, fraudes et vitia evidenter demonstrentur.*
3. *Multum interest discriminis inter societatem et participationem utilium.*
4. *Verbum* « interessato « *puram putamque significat participationem.*
5. *Qui loquitur scribitque non proprio, sed alterius nomine, institorem se praedicat, adeoque socii qualitatem ab se excludit.*
6. *Qui mercatorias lineras quas vocant* « circolari « *mercatoribus omnibus* « corrispondenti « *scribit suo tantum nomine, nullius socii facta mentione, hoc ipso demonstrat se unum negociationes omnes gerere.*
7. *Idque satis est ad societatem excludendam.*
8. *Excluditur societas universalis ex contractu comparticipationis inito super speciali negociatione* et num. 10.
9. *Cum singrapha profertur non ad ejus exequutionem vindicandam, sed ad rei veritatem ostendendam, nil refert utrum nec ne subscripta fuerit dummodo reapse extiterit.*
10. *Frustra socium se jactat in negociatione qui nullum actum, nullum scriptum, nullum contractum exhibet in quo nomen suum cum praetensi socii nomine conjunctum appareat.*
12. *Haud fidendum testibus dubiae fidei, mercede conductis, et pendente lite expiscatis.*
13. *Nec illis qui nullam perhibent scientiae causam.*
14. *Societas non aliunde probari potest, quam ex actibus univocis, indubiis, et qui citra jus et nomen societatis fieri nequivissent.*
15. *Parentes et liberi invicem adversus se, nec volentes, ad testimonium admittuntur.*
16. *Qui compos sui habitus est ad condendum testamentum, inciviliter excipitur fuisse expers ratione in alio actu paullo ante ab eo gesto; fortius si excipit idem heres ex testamento.*
17. *Doli fraudisque suspicione caret rationum dispunctio et probatio facta summa diligentia, et opera etiam interpositarum personarum adhibita.*
18. *Crimina non praesumuntur, sed evidentissime probanda.*
19. *Mercatores generaliter cujusque fraudis expertos praesumuntur.*
20. *Silentium servatum per longum tempus expunctarum rationum veritatem et justitiam magis magisque demonstrat.*

DECISIO LXIII.

Ut opem ferret generi suo Josepho Montefiori, anconitanus judaeus mercator praedives Jacob Isdrael Tedesco, ineunte anno 1801, nonnullis ex propriis negotiationibus eum praefecit, ipsiusque opera, certo constituto emolumento, usus est » *ad oggetto principalmente di facilitare con ciò la sussistenza della di lui famiglia stante l' affinità che li vincolava* ». Obiit paulo post Jacob Isdrael, sed non inde deterior facta est Josephi conditio; quippe munificentiam parem invenit in cognato Raphaele Vita Tedesco, ab quo imo de aliquibus negotiolis factus est socius, deque lucrorum parte ditatus. Cuncta bene fausteque processerunt ad augustum usque mensem anni 1803, quo scilicet tempore edendae et ponderandae erant rationes, ac peragenda utilium divisio. Verum huic operi impos jam factus erat Montefiorius adversa valetudine conflictatus et hydropis morbo vehementer affectus. Quare munus commisit Donato Nissim Terni, rabbino patruoque suo et Salomoni Moysi Seppilli, cujus necessitudine summopere utebatur, qui rationum dispunctioni et summae diligenter adfuerunt. Ex hac vero dispunctione innotuit Montefiorii creditum in vi nummorum 2069: 10, quorum partem, sive argentea 400 cum antea praesumpsisset, constitit reliquum nomen in scutatis 1669: 10, quod protinus ab Raphaele dimissum est ope cessionis litterarum cambialium tantundem pecuniae praeseferentium. Mox expeditas rationes cessionemque ratam habuit Montefiorius vel ipse; cumque noverit nil amplius quacumque ex causa sibi a Tedesco deberi, haud renuit acceptilationem signare, et omnimodam Raphaelis liberationem stipulari, quam die 29 ejusdem mensis augusti coram tabellione, coram Ternio

et Seppillio, aliisque tribus testibus subscripsit.

Rebus ita compositis, quoad Joseph vixit (vixit autem usque ad diem 13 insequentis septembris) de peracta dispunctione conquestus non est, prout pariter numquam posterius conquesta fuit ejus vidua, filiorumque tutrix, Allegra. Sed post duodecim annorum silentium, cum jam Tedescus suos lares et negotia in venetum regnum transtulisset, improviso erupit ejus nepos Moyses Montefiorius, qui propugnans rationes erroribus esse refertas, seque admodum fuisse laesum, parentis factum improbavit; et acre bellum indixit avunculo Raphaeli. Litem primum movit penes judices mercatores Anconae super librorum ac scripturarum exhibitione; sed sententia repulsus anno 1816 siluit deinde usque ad annum 1826. Tunc temporis iterum pugnam excitavit, atque » *stante che dal conto corrente fra il citato Raffaele Vita Tedesco, ed il fu Joseph Montefiori padre dell' istante, quale gli fu consegnato li* 28 *agosto* 1803, *risulta fino a tal giorno una società di negozio, i cui utili per due terzi appartenevano allo stesso citato, ed un terzo al riferito padre dell' istante* » et insuper » *stantechè l' istante giustificò le male arti, colle quali il citato indebitamente estorse il preteso saldo, e dimandò che tal conto venisse dichiarato nullo, ed enormissimamente lesivo* », petiit declarari » *nullo, e quindi di niun effetto, il saldo riportato dal citato Tedesco nel conto suddetto* », nec non trientem requisivit utilium, eorumque fructus in praegrandi summa argenteorum 19574: 63.

Judices arbitri a tribunali commercii delecti instantiam comprobarunt quoad nullitatem ac laesionem dispunctionis et quoad utilia in vi nummorum 5965: 44. Sed provocavit Tedescus, causaque delata ad nostrum Ordinem, sententia edita ab R. P. D. meo Ruspoli decretum est » *non constitisse neque constare de erroneitate et laesione nec in rationibus redditis atque gestis usque et sub die* 29 *augusti* 1803, *neque in quietantia ejusdem diei; nec esse locum solutioni assertorum utilium, ideoque infirmandam et revocandam fore et esse sententiam arbitramentalem, seu laudum a judicibus compromissariis latum, ac exequutioni commissum a tribunali commercii Anconae; nec non absolvendum fore et esse reum conventum ab indebite per actorem petitis et a pretensa solutione scutorum* 5965: 44 *per judices arbitramentales admissa* ». Discrepantibus sententiis, rursus Montefiorius de suis juribus periculum facere voluit, mihique commisit ut novum exquirerem Patrum consilium; sed omine penitus infausto: quippe in odierno conventu grave audire debuit responsum: » *Sententiam rotalem esse confirmandam; et extendatur decisio* ».

Moyses actoris partes substinebat in judicio, atque salebrosam generalis societatis actionem tuebatur, quae luculentissimas exi-
1 git probationes, quaeque, nisi illae afferantur, in qualibet dubietate excludenda venit ex censura *leg.* 3 §. *cum specialiter ibique Glossa ff. pro socio, Gratian. discept. forens.* 336 *num.* 1 *et seq., Zanch. de societate part.* 4 *cap.* 2 *num.* 63 *et seq.', Rota decis.* 40 *num.* 6 *et sequ. cor. Otthobono, in Romana seu Asculana societatis* 5 *julii* 1805 § 3 *cor. Resta, in confirmat.* 7 *februarii* 1806 § 3 *cor. eodem et in alia confirmatoria* 7 *junii* 1816 § 8 *cor, Piccolomini.* Contendebat pariter solidationem rationum absolutam anno 1803 fuisse injustam, iniquam ac malis artibus ab avunculo extortam, proindeque delendam; dum tamen scitum est rationes semel explanatas novo examini subjicii non licere, nisi errores, fraudes et vi-
2 tia praecedentis supputationis evidenter demonstrentur ad *text. in cap.* 1 *de restit. in integr. et leg. fin. cod. si advers. temp. judic., Rota in Romana seu Aesina reddition. ration. super restitut. in integrum adversus sententiam anni* 1750; 4 *julii* 1770 § 3 *cor. Riminaldo.*

Atqui his omnibus nullatenus ipse satisfecit; imo ex allatis utrinque monumentis constitit apprime, demortuum Josephum Montefiori adscitum minime fuisse tum a Jacobo, tum ab ejus filio Raphaele Tedesco in socium super universa mercium negotiatione, sed qua gestatorem potius et administrum de aliquo statuto praemio et emolu-

mento, atque in una tantum alterave commercii re de certa utilium portione pro viribus capitis in societatem immissi participem fuisse factum. Id innuit prae primis defectus omnis cujuslibet scripturae socialis; id habetur ex permultis epistolis, in quibus ipse Montefiorius se dicit dumtaxat » *interessato* «, atque rescribens amicis et exteris negociatoribus profert solum: » *Vi prometto di farvi appoggiare dal mio suocero Jacob Isdrael Tedesco buona parte delle sue incombenze, essendo io ora interessato con esso* «; rursus: » *Trovandomi ora interessato col negozio del mio suocero Jacob Isdrael Tedesco* «; pariter: » *Essendomi riunito col mio suocero, genierei ch' esso appoggiasse a voi soltanto le di lui incombenze etc.* «; tandem: » *Vi sono tenuto per il piacere che risentite per la mia riunione col suocero etc. sarà mio l' impegno, che per gli affari preferisca voi a qualunque altro etc.* « Equidem si socius potius, quam administer socero fuisset, non se dixisset » *interessato* «, 3 cum multum intercedat discriminis inter societatem et utilium participationem; *Zanch. de societate part.* 1 *cap.* 8 *numer.* 1 *et seq. et numer.* 24, *Casareg. de commerc. disc.* 39 *num.* 30, cumque verbum 4 » *interessato* « puram putamque *participationem* praeseferat; *Rota decis.* 827 *num.* 1 *et seq. et decis.* 871 *num* 5 *cor. Emerix.* Negociatoribus vero scripsisset profecto » *appoggiaremo; nostre incombenze; preferiremo etc.* « Quum autem e contra scripserit » *farvi appoggiare; sue incombenze; di lui incombenze; preferisca etc.* « 5 manifestum est, ipsum se predicasse institorem, proindeque socii qualitatem ab se exclusisse; *Zanchius loc. cit. part.* 4 *cap.* 2 *num.* 60.

Praeterea si generalis extitisset societas, certo certius ratio mercatoria fuisset inscripta sub sociorum nomine, non unius Jacobi Tedesco, praesertim post hujus funus. Hoc imo tempore Raphael, ejus filius, mercatoribus omnibus, quibuscum fuerat literarum negociorumque commercium, vulgo » *corrispondenti* «, confestim nunciavit » *la ditta dell' onorato defonto non sarà cangiata;* «, sed sese quoque in posterum subscripturum » *Jacob Isdrael Tedesco* «; illosque insuper monuit, ne cui alteri, quam isti subscriptioni fidem adhiberent. » *Piacciavi prendere memoria della mia firma vergata a piè di questa, e non prestare fede ad altra* «. In tota qua late patet hac epistola; quam negociatores dicunt » *circolare* «, ne verbum quidem legitur de praeexistenti, aut de nova inita cum Montefiorio societate; et tamen » *per uso inveterato delle principali piazze mercantili, quelli che erigono una società, ne pubblicano circolari, che si dispensano nel proprio paese, e si spediscono all'estero* 6 «; et tamen istius epistolae inscriptiones sive » *la intestazione* « et » *il soprascritto* « propria Josephi Montefiori manu fuerunt exaratae. Ex his aperte colligitur unum Tedescum negociationes omnes gessisse, proprio tantum nomine adhibito et nulla penitus Montefiorii facta mentione: quod satis ad jactatam societatem penitus exclu- 7 dendam, juxta monitum *Zanch. cit. op. part.* 4 *cap.* 2 *num* 26, *Constantin. ad statut. Urb. adnot.* 21 *art.* 1 *num.* 33, *et vot. decis.* 321 *n.* 7 *et Rot. decis.* 142 *num.* 4 *post Urceol. de transact. et in Romana pecuniaria* 21 *aprilis* 1800 § 18 *cor. Cesarei.*

Rursus asserta societas submovetur ex syngrapha peculiaris cujusdam conventionis diei 3 februarii 1803, cui titulus » *Accordo fatto fra li signori Raffaele Vita Tedesco e Joseph Montefiori* «. Perspectum namque ex ea fit Montefiorium ex benignitate leviri participem factum fuisse trientis utilium, quae ex speciali negociatione scutatorum 20000 quaeri potuisset. Nimirum Raphael cognato concessit » *la interessenza della terza parte degli utili, e così viceversa dei danni, sopra la somma di scudi* 20000 «; ipsamque » *interessenza* « tribuit » *per il di lui impiego in detta negoziazione di tenere il carteggio, scritture e tutt' altro occorrente sotto la ditta di Jacob Isdrael Tedesco.* « Colligitur itidem ex illa syngrapha, participationem hanc incipere debere ipsa die 3 februarii 1803 » *principiando da oggi;* « item mense augusto cujusque anni faciendum esse rationum examen, et utilia, si ad-

fuisseat, distribuenda » *farne esatto bilancio ogni anno nel mese di agosto, ciascuno ritirare la sua tangente degli utili* ». Patet similiter jam fuisse » *apparato fra li medesimi ogni conto passato*, » cautumque » *che per altre somme, che il signor Tedesco impiegasse in cambj lunghi, ovvero in mercanzie non sarà tenuto render conto al sopra detto signor Montefiori andando tutto il profitto a suo favore* »; denique convenisse contrahentes quod, pro nummis 1000 ad Montefiorium pertinentibus, quae Tedescus retinebat, rependere hic debuisset annuos fructus in scutatis 120, tametsi » *ne ricevesse maggiore profitto ad impiegarli con altri* »

Neque officit, quod syngrapha isthaec subscripta non fuerit a contrahentibus. Etenim certum est ipsam a vertice ad imos talos exaratam reperiri proprio Josephi charactere, veluti testatur Salomon del Vecchio, qui ab anno 1801 ad totum usque annum 1804 suam navavit operam uti calculator » *allo scrittojo e negozio della ditta Jacob Isdrael Tedesco.* » Illa vero
9 proferebatur non ad ejus executionem vindicandam, sed ad rei veritatem dumtaxat ostendendam, quo in themate nihil refert, utrum nec ne subscripta fuerit, dummodo reapse extiterit, juxta ea quae in similibus censuit s. Ordo *in Romana redditionis rationis quoad partitas liquidas ad totum annum* 1757 § 6 *coram Elephantutio*; *Illerden haereditatis de Gomar super fructibus quoad reservata 4 februari* 1756 § 6 *coram Stadion*, *in Tyburtina immissionis* 15 *Maii* 1774 § *fin. coram Vai et in Auximana lucri dotalis* 13 *maii* 1776 § 6 *cor. Azedo.* Si itaque Montefiorius jam ab anno 1801 socius Tedeschiis fuisset in universa negociatione et in societate ista ad obitum usque permansit, eccur mense februario anni 1803 chirographum illud exaravit? eccur illud insuper tradidit Raphaeli?

Sed nondum satis. Sociali qualitati obstat etiam epistolium ejusdem Raphaelis leviro Josepho conscriptum dum peculiare de aenea moneta negocium susciperet, de quo eum participem cupiebat » *con interessarvi voi* », eidemque assignabat » *l'emolumento di un venti per cento degli utili* ». Haud ergo esse poterat societas universalis, cujus emolumentum coarctatur ad quinquacem utilium, cum omnia ex aequo inter socios dividantur ubi generalis societas revera constituta sit. Aliunde ex separata negociatione vehemens eruitur argumentum pro exclusio-
10 ne ejusmodi societatis, ceu monet *Zanchius loco mox citat. num.* 30. Obstat demum, quod credibile non est, Montefiorium adeo facilem fuisse ut probaret rationum dispunctionem pecuniae vim praeseferentem longe minorem ea quae ex generali societate redire debuisset. Verosimilis deinde non videtur universalis isthaec societas amplissimae negociationis, dum constat, nil aliud praeter argentea 1000 Montefiorium contulisse in soceri tabernam, dum
11 nullus contractus, in quo ejusdem Montefiorii nomen cum Tedescorum nomine conjunctum appareat. Corruit igitur omnino generalis societatis figmentum, quod Moyses excudit ut immerentem avunculum divexaret.

Quin ei praesidium parare possint testium dicta, quos Moyses ipse undique conquisivit. Seposito enim quod plerique sunt dubiae fidei, mercede conducti et pendente
12 lite expiscati, quibus proinde confidere jura non permittunt; *Rota decis.* 44 *num.* 34 *et seq. coram Ansaldo*, *decis.* 894 *num.* 16 *coram Olivatio, alibique passim*, id potissimum animadversione dignum occurrit, quod ipsi de sociali Montefiorii
13 qualitate mentionem obiter faciunt, nulla penitus reddita scientiae causa. Quocirca ex ambiguis et flexiloquis eorum dictis erui nullatenus potest certa illa societatis probatio, quae non aliunde desumenda, quam ex actibus indubiis, univocis et qui citra jus et nomen societatis fieri nequivissent. Apposite *Mantica de tacit. et ambig. convention. lib.* 6 *tit.* 10 *num.* 23, *et Rota decis.* 93 *num.* 8 *et seq. coram Othobono et in Albanen. comunionis universalis* 20 *februarii* 1782 § 5 *cor. Sentmanat.* Multoque magis posthabendum testimonium Allegrae, viduae Montefiori, Moysis matris, quae in causa filii testis idoneus non erat » *Parentes* enim *et liberi invicem adversus se*,
15 *nec volentes*, *ad testimonium admittendi sunt* », scriptum est *in leg.* 5 *cod. de*

*testibus*, ibique *Glossa*, cui consonat *Paulus in leg. 9 ff. eodem.* Quod vel ipsa novit Allegra, probeque se scire professa fuit » *che per la mia qualità di madre e sorella respettiva, le mie dichiarazioni possono essere soggette a qualche eccezione.* »

Quibus ita se habentibus, exclusaque universali societate, rejici omnino debebat Moysis petitio, jureque Raphael quodlibet ejus nomen ex paternis rationibus inficiabatur. Pareus namque finalem solidationem ac omnimodam Raphaelis liberationem emisit in actu seriissimo et praevia diligenti rationum expunctione, cui duo ex Montefiorii affinibus et familiaribus diligentissime incubuerunt; atque per eam conceptis verbis declaravit » *aver avuto e ricevuto dal signor Tedesco il saldo di ogni mio avanzo, tanto per quanto sia la tangente degli utili a me spettante, che per qualunque altro conto ed effetti passati fra noi sino al presente giorno, obligandomi per me e miei non potere in avvenire pretendere, nè far pretendere cosa alcuna dal suddetto Tedesco e suoi sotto qualunque titolo nè colore, avendo ricevuto il mio saldo finale d' ogni avanzo, cessando da oggi in avanti ogni affare d' interesse fra noi, restando ogni comodo ed incomodo di qualsivoglia negoziato maturato e da maturarsi, come pure per quelli negoziati ideati al solo Tedesco, senza essere tenuto doverne più render conto nè a me, nè a' miei, quietando il medesimo Tedesco da qualunque benchè remota pretesa potesse suscitarsi, chiamandomi saldato e soddisfatto di tutto il mio benchè minimo avanzo, avendo ritirato e ricevuto, come sopra, tutto quanto a me apparteneva.* »

Atque inutili conatu propugnabat Montefiorius, haud sui compotem fuisse parentem de tempore initae dispunctionis, vel Raphaelem vi et malis artibus ad illam peragendam eum compulisse. Quod enim capite incolumis fuerit Joseph, inciviliter hujus fi-
16 lius in discrimen adducit, qui heres illius est ex testamento ab patre obsignato die posteriori, quo locum habuit rationum exaequatio de qua agitur. Qui igitur hexterna die compos sui habitus est ad gravissimum effectum condendi elogium extremum, pessime omnino expertem ratione fuisse excipitur die priori, quo solidandis cum Tedesco rationibus incubuit. Praeter id vero dubitari non potest, et scatet etiam ex dictis contrariorum testium, quin vel idem Joseph utut hydropis morbo vexatus, computationem inspexerit, atque consideraverit, quum illam in ejus conspectum adduxerint Ternius et Seppillius ab eo specialiter delecti ad rationalia et scripturas expendendas, ad sua jura vindicanda; quum insuper syngraphum liberationis favore cognati eadem die coram quinque testibus ipse subscripserit; quum denique cuncta in illa syngrapha contenta et expressa coram Tabellione rata postmodum habuerit. Credibile ne est et delegatos, et tabellionem et testes omnes conspirasse, ac pejerasse ad gratum Tedesco faciendum, ad familiam Montefioriam decipiendam?

Deterius etiam obtruduntur fraudes et violentia a Raphaele adhibita. Quandoquidem dispunctio illa inita et expleta fuit rogante atque instante Montefiorio ipso, qui ideo Ternium et Seppillium operi praefuit ut ejus vices gererent. Itaque si rationes
17 expensae non ex Tedeschi voluntate, sed potius Montefiorio postulante et urgente; si ipse Seppillio et Ternio mandavit ut illi pro eo incumberent; si hi reapse commisso muneri satisfecerunt et supputationi operam cum Tedesco contulerunt; si demum calculos et summas Montefiorius inspexit, consideravit, approbavit; ecquid jam ergo Moyses de fraude conqueritur avunculi, qui dispunctioni rogatus accessit, quique leviri procuratoribus adstantibus, inspicientibus, operamque dantibus, singulas partitas adnotavit atque subduxit, et una cum illis computationem peregit ac subsignavit? Veritatem et justitiam hujusce actus probant rationes ipsae quae adhuc consistunt, probant mediatores homines quorum auctori-
18 tate omnia absoluta sunt. Caeterum crimina non praesumuntur, nisi plenissimae concurrant probationes; prout e contra generaliter praesumuntur mercatores cujusque
19 fraudis expertes; *Jorio giurisprudenza del commercio tom. 4 par 1 libr. 7 § fra le presunzioni, Azuni dizionario mercan-*

*tile alla parola frode* § 5, *et Rota post Urceol. de transact. decis.* 66 *num.* 9 *et* 10, *atque in recentior. part.* 14 *decis.* 126 *num.* 17 *et* 18.

Multo autem fortius excludenda veniebat quaevis mentis aegritudo Josephi et dolus fraudesque Raphaelis dum calculos ponerent, quia Montefiorii heredes longo annorum cursu post exaequatas rationes altum servarunt silentium, et quia etiamnum in rationibus iis nullum errorem deprehenderunt. Quidquid enim per Moysem obtrudebatur de emptione monetae aeneae sive *platealis*, cujus amissionem ipse deplorabat, extraneum est a praesenti specie, et nihil commune habet cum negociatione mercium. Redit igitur quod, seposita universali soeietate, dubitari amplius non possit quin acceptilatio amplissima a Josepho Montefiorii emissa favore Raphaelis Tedesco justa, nulloque erroris vel laesionis vitio infecta habeatur. Sin vero suis viribus subsistit apocha a Josepho exarata anno 1803, quemadmodum evanescit quivis praetensi crediti titulus, ita justissime nostri Ordinis sententia actionem Moysis penitus rejecit; quae quidem sententia hodie confirmari promeruit.

Et ita etc., utraque, etc.

**R. P. D. DE CURSIIS**

ROMANA MERCIUM

*Veneris* 31 *augusti* 1832.

ARGUMENTUM

Quae requirantur *ad commissionem* probandam. *Commissionarius*, qui merces emit qualitate et specie diversas ab commissis, suo periculo emit, si *committens* eas recipere recusat.

*SUMMARIUM*

1. *Nihil probant testes ad commodum litis captati, Itemque e faece plebis collecti, Et in dicto inconstantes.*
2. *Praesertim si agitur de re mercatoria.*
3. *Ex jure mercatorio sicuti contractus omnes, qui dietim perficiuntur, ita magis magisque inscribi debet in* Libro giornale *contractus* commissionis *quem interest omni probationum genere evinci.*
4. *Nec valet inscriptio exarata, quando, emptio jam mercibus, res non erat amplius integra.*
5. *Plura enunciantur, quae* commissionis *contractum excludunt.*
6. *Posteriora contrahentium facta et mutua observantia quid inter eos actum sit plene demonstrat.*
7. *Protestatio in actis non emissa vel non reproducta, et a procuratore initio litis sine speciali mandato exhibita, nil probat.*
8. *Post initam emptionem venditionem licet emptori ex redhibitoria contractum rescindere, si merces sint vitiosae, nec qualitati respondeant in contractum deductae.*
9. *Idemque obtinet in mercatorio* commissionis *contractu.*
10. *Peritia judicialis in iis quae facti sunt, pro veritate habetur, nisi de errore plenissime doceatur.*
11. *Cum non amplius constet de identitate mercium, frustra* commissionarius *negat improbam eorum qualitatem, de qua periti judiciales retulerunt.*
12. *Quae inverosimilia sunt, admitti nequeunt in judicio, cum speciem falsitatis exhibeant.*

DECISIO LXIV.

Coesar Hilbratus militiae pontificiis galeris instruendae munus susceperat. Cum ad rem nonnulla corii quantitate indigeret, mense augusto anni 1830 eadem ab Joanne Baptista Aggeno quaesivit, qui multiplicem in urbe mercaturam facit. Haud hic mercem praesentem levissimae illius qualitatis habebat quae ab emptore requirebatur. Ab januensi emporio se se eam expetiturum quam primo adpromisit, et reapse incunctanter recepit, ita ut mense octobris redempta ad ipso Jo. Baptista fuerit, legitima vectigalis solutione. At pessimas oppido merces dederunt januenses negotiatores, quas vix ac vidit Hilbratus, illico, ut sibi inutiles et deterrimae prorsus speciei, reprobavit. Nec questus Aggenus fuit de mercibus ab Caesare rejectis; studia imo simul una conjunxerunt ut alioquis earumdem emptor reperiretur. Nullum tamen reperire datum est ex insigni rei vitio. Desperata exinde venditione, eam naufragii tabulam Aggenus arripuit ut Caesarem ad emptionem invite ineundam compelleret. Qua de re juridicum ei dedit libellum coram mercatorio urbis tribunali petens ut ipse ad mercium receptionem juxta rationes quasdam in actis exhibitas, seu potius ad solvendam vim scutor. 529: 78 condemnaretur. At neutrum obtinuit. Cum etenim Hilbratus, ad

jurgia extirpanda, promptum sese obtulerit ex judiciali protestatione ad comparanda » *cento pezzi di suola di Francia* », quatenus optimae essent qualitatis, necessum judices aestimarunt cognitorem judiciarium eligere qui de mercibus ab Joanne Baptista oblatis referret. Pessimas hic eas reperiit, dum coria omnia » *non concie a perfezione* » aliqua etiam » *troppo sfatte di calce* », omnia nullius prorsus usus agnovit. Post juratum hoc periti judicium, *unanimiter* judices mercatorii injustam Jo. Baptistae actionem rejecerunt. Nec profuit huic appellationis gradum coram nostro sacro Ordine experiri. Cum etenim de viribus mercatoriae sententiae actum in hodiernis sit comitiis, eadem Patres absque haesitatione confirmarunt rescripto » *Non esse locum receptioni et extendatur decisio.*

Dum Aggenus actionem *ad recipiendum* adeo confidenter instituit, ac si tutissime constaret de mercium *commissione*, extrema, uti ajunt, omnia desiderari Patribus visum est, quibus mercatorius contractus probetur. Alterum quippe est quod Caesar certa indigens corii quantitate, hanc ab Aggeno quaesiverit, atque sese recepturum promiserit; alterum quod verum absolutumque iniverit contractum *commissionis*, ita ut Joannes Baptista simplicis mandatarii vestem incunctancter susceperit, nec, nisi quam sumptibus et periculo Hilbratii, ab januensibus mercatoribus comparaverit. Omnis namque actoris probatio in voce erat unius, vel alterius testis,
1 qui, non expiscati tantum ad commodum litis, sed a faece plebis collecti, in dicto egregie inconstantes, famulatus denique aliisque pluribus exceptionibus obnoxii, ex *capite nomine de testibus* et perpetua Sacri Auditorii nostri doctrina, nullum admodum probationis gradum constituere queunt. Eo autem gravius sperni debent in re mercatoria atque in contractu omnium suspiciosissimo, qui innumeris plane fraudibus viam
2 quodammodo sternit, nec exinde debet admitti, nisi graviter et plenissime demonstretur.

Spernendis vero testibus missis, non quaelibet tantum probatio desideratur ad arguendum commissionis contractum, sed innumera urgent ad eumdem penitus excludendum. Haud enim sub mense augusto 1830 ratio habita de hoc fuit in *libro giornale* in quo uti contractus omnes, ex mercatorio jure,
3 sunt accensendi qui dictim perficiuntur, eo gravius inscribi commissio mercium debebat, quam interest ex praemissis omni probationum genere evinci, ne alias ex futuro mercium periculo, vel serotina emptoris poenitentia, atque hujus generis aliis, facillima jurgiis atque inter contrahentes dissidiis pateat occasio. Nec proderat in eodem libro contractum obsignatum excipere sub die 15 octobris, perinde ac si mercatoriae scripturae argumentum nullatenus desideretur. Ir-
4 ridenda namque erat inscriptio eo tempore exarata, quo coria jam Tyberis ripam appulerant, et constiterat invicem de pessima eorumdem qualitate. Re namque amplius non integra, fraudem magis januensis mercatoris serotina ea inscriptio praeseferebat, quam legitimam absoluti contractus probationem.

Accedit autem hisce quod Aggenus suo nonnisi quam nomine merces e telonio redempserit, ne facto quidem verbo mandati.
5 Accedit mercium exemplum tunc tantum Caesari traditum, ut de ineundo vel respuendo contractu deliberaret. Accedunt adhibitae diligentiae ut novus emptor loco Hilbratii reperiretur, qui mercium qualitatem interim objurgaverat, et sese alienum professus erat a perficiendo contractu. Quae omnia, uti concipi nullatenus possent, ac dissolutam Joannis Baptistae agendi methodum praeseferrent, quatenus verus absolutusque commissionis contractus eum inter et Caesarem intercessisset, ita mirifice contractum eumdem excludunt, ac rem ita inter utrumque actam ostendunt, ut non merces nomine et periculo suo emendas Hilbratus commiserit, sed spem unam, vel etiam pollicitationem dederit emptionis futurae, quatenus utiles sibi ab Joanne Baptista merces comparentur. Posteriora namque facta contrahentium et mu-
6 tua observantia quid inter eosdem sit actum evidenter interpretantur; *leg. 1 et 2 cod. plus valere etc., Rot. dec. 26 n. 6 par. 5 tom. 1 recen., dec. 122 n. 19 cor. Riminal., dec. 224 n. 8 cor. Olivatio, in Romana divisionis onerum 16 maii 1828 n. 4 cor. R. P. D. meo Spada decano, et in Maceraten. manutentionis seu reintegratio-*

*nis 4 julii ejusd. anni n. 8 cor. R. P. D. meo de Celestinis.*

Coeterum, etsi protestationi ab Caesare in judicio emissae ad quodlibet discordiae germen praecidendum, ea tribui vellet auctoritas ut, ad instar protestationis ipsius, nequeat de commissione amplius disputari coriorum centum, sive » *di cento pezzi di suola di Francia* »; quae tamen protestatio, utpote in actis minime emissa et re-
7 producta atque a procuratore sine speciali mandato exhibita initio litis, cum facta nondum essent discussa, nondum explicata, nullam fidem commissionis faceret ad notissima jura de quibus sacrum nostrum Auditorium in *decis. Spoletana pecuniaria* 29 *martii* 1805 § 7 *cor. Resta*, *decis.* 8 *et* 143 § 16 *cor. emin. Isoard*; satis tamen erat exploratum mercium vitium et qualitas omnino deterrima; ad hoc ut Caesar immunis constituatur ab contractus observantia. Uti enim post initam quoque emptionem venditionem licet emptori ex redhibitoria contractum rescinde-
8 re, quatenus vitiosae sint merces, nec qualitati respondeant quae venit in contractum, *Casareg. tract. de commercio disc.* 176 *in principio post quem Rota in Romana seu Londinen. Rescissionis contractus* 16 *junii* 1823 *n.* 18 *cor. Me*; jus ita haud dissimile obtinet in mercatorio contractu commissionis, qui imo, cum iisdem, ac mandatum, legibus ordinetur, nulla hinc commis-
9 sario suppetit actio ut committentem ad merces recipiendas compellat, quae extra ejus voluntatem et praeter fines mandati comparatae intelliguntur, semelac illius qualitatis non reperiantur quae in commissione praecepta fuit. In re quidem mercatoria haud ambigitur quod » *se il commissionato, deviando dalle istruzioni ricevute, compra merci di qualità e specie diversa, e il committente le ricusa, egli è obligato a ripigliarsele*; ceu tradit *Marrejus diritto commerciale par.* 1 *tit.* 6 *delle commissioni* § 165, et docet ex jure communi sacrum nostrum Auditorium *in Romana mercium* 23 *junii* 1661 *n.* 1 *cor. Vicecomite et in confirmat.* 6 *martii* 1682 *n.* 1 *cor. Albergato.*

Vix tamen poterat in discrimen adduci hujusmodi merces exhibitas ab Aggeno fuisse, quae pessimae essent qualitatis. Punctum namque omne tulit relatio periti judicialis, qui vitiosas adeo merces cognovit ut declararit » *dopo averle maturamente esaminate, le ho rinvenute come appresso*; cioè *le cinque balle dette tunisine non sono concie a perfezione. Le due dette della Avana non sono concie a perfezione, e sono anche troppo sfatte di calce* ». Gravissimae autem esse auctoritatis peritiam judicialem ad ea quae facti sunt, arguenda nemo non dixerit; ita ut pro veritate ipsa
10 habeatur, nec deceat ab eadem recedere, nisi de errore plenissime doceatur; *Rota cor. Cerro dec.* 302 *n.* 12, *cor. Ratto dec.* 145 *n.* 2, *cor. Olivatio decis.* 215 *n.* 18, *in Faventina laesionis enormissimae* 1 *maii* 1827 *num.* 6 *cor. R. P. D. meo Spada ponente et in Romana exfractationis et damnorum* 6 *julii hujus anni n.* 4 *cor. Me.*

Futile post haec erat diffugium ex eo periti judicium carpere, quod par non fuerit referendo » *se le dette suole siano atte alla formazione dei così detti giaccò militari* » quem ad effectum fuerant merces peculiariter exquisitae. Et re quidem vera, semelac ea coria judicialis peritus agnovit esse » *sfatte di calce, e non concie a perfezione* », vitia hujusmodi arguit quae non merces uni, vel alteri usui impares effisiunt, sed deterrimae prorsus qualitatis, nec operi ulli perficiendo opportunas. Praesertim cum sit exploratum pluribus merces ipsas Aggenum obtulisse pretio etiam vilissimo ut adhiberentur » *per uso di giaccò* » sed reprobatas perpetuo fuisse », *non essendo buone a niente* ». Quae quidem probationes illius ferme generis evaserunt, ut omnem quodammodo respuant probationem contrariam. Cum etenim cautus Aggenus non fuerit de mercium identitate legitime arguenda, omne exinde medium defecit quo pessima
11 ea qualitas valeat in discrimen adduci, quam et cognitor judicialis et innumerae facti probationes in propatulo posuerunt. Potuit namque causa aemulationis coria illis meliora sufficere, quae Caesari obtulit ad emendum, ut exinde constaret de injusto dissensu, atque Hilbratus poenam immerito ferret temerarii litigatoris.

Quae cum ita se habeant, nihili facienda

erat omnino ratihabitationis exceptio, quam Aggenus, ad spem quodammodo ultimam, implorabat. Haec quoque uti commissio, in dicto erat testium nullius sane ponderis. Omnia insuper facti adjuncta continuum constantemque Caesaris dissensum sub evidentia ipsa demonstrant; qui aliunde, ex probato mercium vitio et pessima qualitate, omni juris praesumptione fulcitur. Ab qualibet enim verosimilitudine longissime aberrat, quod eas Hilbratus merces accepto habuerit, quae nullius sibi usus fuissent. Quae autem haud verosimilia cognoscuntur,
12 haud admitti debent in judicio, cum speciem falsitatis exhibeant.

Et ita, me quoque suffragante, decisum fuit, utraque, etc.

**R. P. D DE CURSIIS**

BONONIEN. LITERAE CAMBIALIS

*Lunae* 10 *septembris* 1832

ARGUMENTUM

Cambialis literae ad formam legis exaratae nullas omnino patiuntur exceptiones, paratamque habent exequutionem, praesertim quoad *gyratarios*. Sub generali clausula » *valuta avuta* » contineri etiam potest » *la valuta in contanti*.

*SUMMARIUM*

1. *Literae cambiales ab mercatoriis legibus paratissimam habent actionem pro exequutione.*
2. *Praesertim si res sit cum* gyratarius *oneroso titulo et* num. 12.
3. *Contra quos exceptiones proponi nequeunt quae forsan proponi possent contra primum litterae possessorem.*
4. *Ex quotidiano usu mercatorum in literis satis est formula* » valuta avuta » *quin expresse adjiciantur verba* » in contanti » *quae subintelligi possunt*
5. *Quod congruit dispositioni codicis commercii in art.* 105.
6. *Sub clausula* » per altrettanta valuta avuta » *expresse continetur* valuta in contanti: *verbum enim* altrettanta *demonstrat identitatem cum re cui refertur, scilicet cum pecunia scripta in cambiali littera.*
7. *Censura legis, quae vetat* antidatam *in litteris cambialibus sub paena falsitatis, locum obtinet duntaxat in iis literis quae antidatae fuerunt in alicujus tertii detrimentum ab earum possessore decoctioni proximo.*
8. *Nec extenditur ad eos casus in quibus sine fraude et alicujus tertii damno cambialis litera antidatam praeseferat.*
9. *Testis pro affini suo nulla fidem facit.*
10. *Testis unicus utut dignissimus, nihil probat.*
11. *Rejicienda est petitio pro examine testium ex quorum depositionibus nulla erui posset probatio.*
12. *Quando agitur de cambialibus literis, tum minorum, tum mulierum, tum etiam filiorum familias privilegia cessant.*
13. *Usurarum exceptio, utpote altioris indaginis, proponi nequit ad avertendam expeditissimam actionem quae profluit ex cambialibus literis,*

DECISIO LXV.

Collybi literam pro scutis *mille quadringentis*, sub die 9 decembris anni 1828 Ferrariae scripsit Cajetanus Bassi post triennium, die nempe 9 decembris anni 1830, solvendam Bononiae a Petro Magli » *all' ordine S. P. del signor dottor Camillo Gamberini di Bologna, e ciò per altrettanta ed eguale valuta ricevuta dal medesimo:* » quam litteram, sibi ita directam » *al signor Pietro Magli in via Azzogordino numer.* 1271, ipse Mallius sic statim accepto habuit » *li* 9 *dicembre* 1828 *accetto per detti scudi* 1400 *romani, Pietro Magli.* » Antequam vero hujusce literae solutionis dies advenisset, die scilicet *decima* octobris anni 1831, illius possessor Camillus Gamberini eam oneroso titulo transtulit in Carolum Gamberini » *e per me all' ordine S. P. del signor Carlo Gamberini* » *per valuta avuta* » *Bologna li* 10 *ottobre* 1833, *Camillo Gamberini.* » Venit dies *nona* decembris anni 1831, eaque elapsa absque nummariae illius tesserae solutione, insequenti die Carolus Gamberini eam pro summae sibi debitae solutione obtinenda inutiliter exhibuit haeredibus, interim defuncti Petri Mallii: quare illico legitimo ritu, tam contra hos, quam contra trahentem Bassium et gyrantem Camillum Gamberini protestationem emisit, atque hac in irritum cessa, vadimonium eis omnibus indixit, die 12 ejusdem mensis decembris, coram commerciali tribunali Bononiae ad jus suum assequendum. Plura ad solutionem avertendam objecerunt

rei conventi, Bassius praesertim; nempe collybi literam mutuum praeseferre abnormi infectum usura, illiusque gyratam erga actorem fuisse simulatam: ad quod probandum binos produxerunt testes, Josephum Spaggiarium, Bassii socerum, ac advocatum Philippum Gaudenzj, qui saepe ei patroni operam praestiterat, asserentes eam nummariam tesseram, quae translata apparebat in Carolum Gamberinium sub die 10 octobris illius anni, extitisse apud tractarium Camillum Gamberini die 8 decembris ejusdem anni; hosque testes examini formali subjici postularunt; quod illius tribunalis judices admiserunt decreto lato die 20 februarii hujusce anni 1832. Carolo vero provocante ad bononiense appellationis tribunal, fuit illud decretum ab hoc tribunali infirmatum, ac ideo petitum a Bassio testium examen rejectum, sententia edita die 8 maji nuper elapsi. Hinc caussa venit ad sacrum nostrum Tribunal, tam super eo decreto, quam super merito principe, solutione scilicet nummariae tesserae una cum cambiis, recambiis, damnis et expensis; atque hoc mane rescriptum prodiit: » *Non esse locum examini formali testium, et persolvenda esse scuta* 1400 *una cum cambiis et recambiis et expensis etiam extrajudicialibus, suspenso mandato personali; et extendatur decisio.* »

Perspicua profecto est hujusce rescripti justitia ex tenore collybisticae schedae, qua Bassius injunxit Petro Maglio solutionem scutorum *mille quatuorcentum all' ordine S. P. del signor dottor Camillo Gamberini per altrettanta, ed eguale valuta ricevuta dal medesimo* »; quam solutionem Maglius sese impleturum stata die, 1 nulla adjecta conditione promisit: paratissimam enim ac expeditissimam actionem pro hujusmodi cambialium literarum exequutione earum possessoribus commerciales tribuunt leges; *Ansald. de commercio et mercatura disc.* 3 *numer.* 3, *Baldassaroni in opere, leggi, e costumi del cambio part.* 2 *artic.* 12 *numer.* 1, *Rota passim, ac praesertim in Romana litterarum cambii* 27 *januarii* 1806 § 2 *coram emin. Isoard et in Romana literarum cambii* 24 *aprilis* 1818 § 2 *coram emin. Odescalchi.* Quod firmius tenendum in themate est, in quo collybistica scheda a primo ejus possessore, Camillo Gamberini, cessa fuit erga Carolum Gamberinium » *per valuta avuta* », ideoque oneroso titulo; ex quo nulla via illius debitoribus patet pro- 2 ponendi adversus hunc gyratarium exceptioptiones, quae forsan proponi possent adversus primum literae possessorem, hujus gy- 3 rantem. Secus enim omnis perturbaretur commercii ratio ac publica fides, et latissima aperiretur fraudibus via ad tertios decipiendos, qui bona fide coemunt nummarias tesseras, scriptas » *all' ordine S. P. per valuta avuta* » erga earum primos acquirentes, qui reapse nullam, vel modicam pro his solverint pecuniam; *Mans consult.* 179 *num.* 27, *Card. de Luca de cambiis disc.* 33 *numer.* 2 *Ansald. de commerc. et mercatur. disc.* 2 *num.* 37 *et numer.* 39, *Casareg. de commerc. disc.* 48 *in addit. num.* 6 *et numer.* 48 *et in tractatu* » *Il cambista istruito* » *cap.* 3 *numer.* 68 *et cap.* 4 *numer.* 1, *Baldassaroni in opere superius citat. part. prima artic.* 8 *et art.* 11 *numer.* 9, *Rota in Mantiss. ad Card. de Luca lib.* 5 *de usuris dec.* 13 *n.* 10 *dec.* 19 *n.* 4 *dec.* 20 *numer.* 2 *post. Constantin. ad stat. Urb. decis.* 58 *n.* 4 *et seq. in Romana schedulae* 7 *maji* 1748 §§ 2 *et* 3 *et in confirmatoria* 2 *decembris ejusdem anni* § 2 *et* 5 *coram Caprara, in Pisauren. literarum cambii quoad cambia et recambia et expensas* 9 *decembris* 1785 § 3 *cor. Cesarei, in Senogallien. litterarum cambii* 5 *februarii* 1787 § 2 *et* 3 *coram emin. Roverella, ac perspicue in Romana literarum cambii* 18 *februarii* 1791 §§ 2 *usque ad* 7 *cum pluribus ibi citatis coram Malvasia.*

Hisce firmissime constitutis ad tuendam actionem Caroli Gamberini, nullo prorsus in pretio haberi potest quod, ad declinandam paratissimam solutionem, quam leges indulgent literis collybisticis, obiiciebat Bassius; deesse scilicet in gyrata literae, de qua quaestio erat, explicitam significationem » *della valuta avuta* », quum expressa adjecta non fuerint verba » *in contanti.* » Illud enim primum animadvertebant

Patres satis esse in literis, ex quotidiano, mercatorum et negociatorum usu, quod verbis generalibus » *valuta avuta* » conscribantur; ad tradita *per Casaregg. de commerc. et mercat. disc. 48 numer. 7, Baldassaroni delle leggi e costumi del cambio part. 1 artic. 11 numer. 1 et nostrum sacrum Ordinem in Romana literar. cambii 24 aprilis 1818 § 6 cor. emo. Odescalchio et in altera eadem super non resolutis 5 maji 1820 § 4 cor. eodem.* Quod sane consonat cum artic. 105 codicis commercii, quo statuitur debere literas collybisticas continere » *la valuta data in contanti, in mercanzia, in acconto, o in qualunque altra maniera* »; quoniam generica haec verba » *in qualunque altra maniera* » consulto a legislatore adjecta, indigitant » *la valuta in contanti* », ut pergit praelaudata secunda *decis.* § 5. Quamvis nec opus quidem erat hisce omnibus ad propositam exceptionem reiiciendam, quum ex ipsa litera apertissime pateret in quanam re » *valuta* » accepta fuerit. Bassius siquidem, literae subscriptor, rogabat Maglium ut solveret » *la somma di romani scudi mille quattrocento, e ciò per altrettanta ed uguale valuta avuta dal medesimo.* quae profecto verba » *per altrettanta* » quum demonstrent identitatem cum re cui referuntur, luculentissime evincebant Bassium pro » *valuta avuta* » intellexisse scuta 1400 quot nempe in pecunia numerata receperat. Quae explicita expressio » *della valuta in altrettanti* » adhibita a Bassio in scriptione nummariae schedae, sat superque est ad rectam interpretationem generica dictionis » *valuta avuta* », in gyrata a Camillo Gamberinio erga Carolum Gamberinium expleta, ita ut haec habenda sit uti scripta pro pecunia numerata.

Nec meliori omine Bassius regerebat literam collybisticam infectam fore vitio antidatae, proptereaque eamdem falsam omnino fore renunciandam ex censura codicis commercii, ex quo sub *art.* 135 vetitum est » *di antidatare le girate sotto pena di falsità* ». Hujusce enim legis dispositio ex gallicis legibus deprompta, locum tantum sibi vindicare potest in illis literis collybisticis, quae antidata signatae fuerint in tertii alicujus detrimentum, ab earum possessore decoctioni proximo uti late observant » *Pandette francesi vol. 19 pag. 305 Merlin. repertorio universal. tom. 4 pag. 546 et 686* ». Hujusmodi autem lex, quae ad fraudes praepediendas inducta a legumlatoribus fuit, extendi nequit ad eos casus in quibus, veluti in specie proposita, sine fraude, et quin damnum tertiis illatum fuerit, litera collybistica antidatam praeseferat. Siquidem, si admitteretur extensiva haec legis interpretatio, non utilis profecto mercatoribus lex foret, sed plurima pareret incommoda ac detrimenta, ut sapientes disserit *Baldassaroni dizionar. artic. girata num.* 10.

Huc accedit, quod ad antidatam evincendam invalidae probationes a Bassio adducebantur. Siquidem contendebat ad id demonstrandum, quod Spaggiarius et Gaudentius examini subjicerentur, qui apud judicem fuissent deposituri literam collybisticam, quamvis praeferentem gyratam dici *decimae* octobris, tamen perseverasse in proprietate Camilli Gamberini gyrantis usque ad diem *octavam* insequentis mensis decembris. Ast testium primus Spaggiarius arctissimo affinitatis vinculo cum Bassio conjungitur, quoniam ipsius socer est, proindeque nullam pro illo fidem facere potest in judicio, ut monent *Menoch. de arbitr. cas. 99 num. 7, Mant. decis 253 num. 5, Rot. in recen. decis. 477 num. 4 part. 3 tom. 2 et decis. 291 num. 1 part. 6.* Superesset ergo alter testis Gaudentius, qui nec ipse omni vacat exceptione, dum publice compertum est eumdem operam suam praestare Bassio, ipsiusque causas dicere. Porro unicus hic testis, etsi fide dignissimus, non esset audiendus, nec ullam in judicio fidem, quia unicus, facere posset ad demonstrandam literae collybisticae antidatam. Quae sane omnia apprime evincebant inanem omnino ac supervacaneam fore petitionem Bassii pro testium examine, dum nulla ex eorumdem depositionibus probatio erui potuisset.

Recte igitur in panditam sententiam rogati Patres concesserunt, cum viderent literae collybisticae solutionem adurgeri, non a primo possessore Camillo, sed a Carolo Gamberini, qui tertius est ejusdem literae possessor. Etenim ipse, non veluti Camilli

Gamberini procurator, sed nomine proprio, utpote adeptus literam collybisticam oneroso titulo, in judicio procedit. Proinde nequiret Bassius debitor, ac acceptans Maglius eas contra ipsum proponere exceptiones, quas tantum proferre possent contra Camillum. Atque id eo magis quod propositae exceptiones futiles prorsus compericbantur. Siquidem ad solutionem detrectandam proferebant dispositionem Senatus Consulti Macedoniani, quae applicari debuisset Bassio, veluti filio familias. Ast hujusmodi qualitas in ipso non probabatur ex eo tantum quod Bassii pater in vivis adhuc foret. Nam pater illum forsan emancipaverat et patriae potestatis nexibus ipse solutus erat, dum literae collybisticae subscripsit. Non levis erat hujusce rei conjectura silentium ejusdem Bassii coram judicibus bononiensibus, apud quos nunquam filii familias qualitatem protulit ad inimicas judicii vices deflectendas. Praeterea non quidquam Bassius proficeret, si probaret se fuisse filium familias. Agitur enim in proposita specie de collybistica litera, in quo casu, tum mi-
13 norum, tum mulierum, tum etiam filiorum familias privilegia in irritum cedunt, ut bene notat *Ansald. de commerc. et mercat. disc. gen. num.* 89.

Nullius etiam ponderis erat quod objiciebatur, literam collybisticam usuraria labe infectam fore. Hujusmodi enim exceptio, quae altiorem omnino indaginem desiderat et discretam judicii sedem, nullatenus in medium proferri poterat ad avertendam vim actionis paratae et expeditissimi judicii,
14 quod ex litera collybistica profluit ut sacer noster Ordo docet *in Romana pecuniaria 24 februarii 1832 § 4 cor. Me.* Insuper unicum argumentum, quod ad usurariam pravitatem evincendam adducebatur, erat epistola quaedam a Pizzolio producta, quae scripta dicebatur a Camillo Gamberini, et in qua sermo erat de fructibus ac interusuriis. Verum nullam isthaec epistola fidem sibi comparabat, quia Camillus eamdem fore suam negavit, criminale judicium adversus Pizzolium minitans, si ipse dolosis artibus Bassii obsequens, ea in posterum uteretur; propterea que ex declaratione ejusdem Pizzolii, ac eadem epistola diligentius perpensa, fuit in propatulo Camillo hanc adscribi non posse. Nec hujusce epistolii, quavis in falsissima hypothesi, sensus satis erat ut usurariam labem in collybisticalitera evinceret. In illo enim agitur quidem de usuris persolvendis, sed eo tantum in casu in quo literae collybisticae solutio ad alterum triennium ex Camilli concessione prorogaretur. Quod sane non demonstrabat usuras jamdiu inesse in litera collybistica, super qua disputabatur.

Levissimum porro et inane prorsus videbatur illud quod a Bassii defensoribus proponebatur, improbabile scilicet omnino esse quod tres Bononienses eadem die Ferrariae convenerint pro scribenda, acceptanda et recipienda litera collybistica, et quod triennii terminus fuerit constitutus ad solutionem scutorum 1400. Quod enim ad primum attinet, compertum sane est amplam et celebrem esse viam, quae ex Bononia Ferrariam ducit, eamdem adeo perbrevem, ut quivis possit absque incomodo unius diei spatio ire, atque redire, ita ut mirum profecto esse non possit, quod tres Bononienses eadem die fuerint Ferrariae. Quod vero attinet ad distentum tempus solutionis literae collybisticae ad triennium, nullum exinde validum argumentum deducebatur, dum e contra reponi poterat id etiam ex liberalitate Camilli processisse. Porro hae et allatae omnes exceptiones rejiciendae prorsus erant prout vagae nimium et futiles in praesenti judicio expeditissimo, in quo eae tantum admittuntur, quae rem luculentissime evincant. Hisce omnibus itaque mature perpensis, compertissimum apparebat jus Caroli contra Bassium et Maglii heredes, alterum debitorem, alterum acceptantem nummariae tesserae, ac etiam contra gyrantem Camillum pro consequutione scutorum 1400, ac ideo sacrum Tribunal, justitia duce, decrevit non esse locum examini testium quoad assertam antidatam, et praedictos omnes devinctos teneri erga Carolum pro solutione literae collybisticae una cum cambiis et recambiis, damnis et expensis etiam extrajudicialibus, suspenso interim, ex indulgentia, mandato personali adversus eos.

Et ita, etc., in virili partium certamine, jus redditum est.

FINIS PRIMAE PARTIS.

# DECISIONES
# SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
## IN RE COMMERCIALI
### PARS ALTERA
QUÆ CONTINET DECISIONES AB ANNO 1833 AD ANNUM 1843

**R. P. D. DE RETZ**

**MACERATEN. SEU ANCONITANA PECUNIARIA**

*Veneris* 25 *Januarii* 1833.

ARGUMENTUM

Habes in Decis. LXIII, quae confirmatur

*SUMMARIUM*

1. *Crimina non praesumuntur, et luculenter demonstranda.*
2. *Mercatores generatim non reputantur fallaces.*
3. *Doli fraudisque suspicione caret rationum dispunctio et probatio facta diligenter, et adhibita opera interpositarum personarum.*
4. *Qui compos sui habitus ad condendum testamentum, inciviliter excipitur fuisse expertem ratione in alio actu paullo ante ab eo gesto; fortius si excipit idem heres ex testamento.*
5. *Longi temporis silentium expunctarum rationum veritatem et justitiam magis magisque demonstrat.*
6. *Nulla fides testibus contra proprium factum propriamque confessionem deponentibus.*
7. *Verbum* interessato *puram putamque utilium participationem significat.*
8. *Quae a generali societate admodum distat*
9. *Societas generalis excluditur ex quo quis suo tantum nomine utitur in negociationibus, nomine praetensi socii prorsus posthabito.*
10. *Itemque ex literis circularibus, quas de mercatorum more quis pariter scribit* ai corrispondenti *suo tantum nomine*
11. *Excluditur societas universalis ex contractu comparticipationis inito super speciali negociatione* (et num. 13).
12. *Syngrapha non ad ejus exequutionem vindicandam, sed ad rei veritatem ostendendam exhibita, dummodo reapse extiterit, nil refert quod subscripta non fuerit.*
14. *Testes sanguine conjuncti, et mercede conducti dubiae sunt fidei.*
15. *Et illi itidem qui nullam perhibent scientiae causam.*
16. *Societas non aliunde probari potest, quam actibus univocis indubiis et citra perfectam societatem non absolvendis.*
17. Participatio *est quedam societatis species a vera tamen et perfecta societate generali prorsus diversa.*
18. Participationis *vocabulum pro societate quandoque usurpatur, quin tamen suam exuat naturam et illam induat verae societatis.*
19. *Societas generalis in quavis dubietate excluditur.*
20. *Non licet, rationes semel dispunctas novo examini subjicere, nisi errores, fraudes et vitia evidenter demonstrentur.*

### Decisio I.

Iterum hodie disputatum est inter Raphaelem Vita Tedesco, ejusque nepotem Moysen Montefiori de nullitate ac laesione dispunctionis rationum, quae exaequatae sunt anno 1803 ab eodem Tedesco, una cum Moysis parente, pro sociali negociatione, quasque improbavit sententia judicum mercatorum Anconae, sancito contextim Montefiorii credito in argenteis 5965. Nam ex interposita per Tedescum provocatione res delata fuit ad S. Ordinem, decrevitque R. P. D. meus Ruspoli = *non constitisse neque constare de erroneitate et*

*laesione, nec in rationibus redditis atque gestis usque et sub die 29 Augusti 1803, neque in quietantia ejusdem diei, nec esse locum solutioni assertorum utilium, ideoque infirmandam et revocandam fore et esse sententiam arbitramentalem, seu laudum a judicibus compromissariis latum ac exequutioni commissum a tribunali commercii Anconae, nec non absolvendum fore et esse Reum conventum ab indebite per Actorem petitis, et a praetensa solutione scutorum* 5965. 44, *per judices arbitramentales admissa* = Hujusmodi vero sententia confirmari omnino promeruit in conventu diei 13 Augusti anni dudum elapsi, inutiliter obsistente Montefiorio, veluti patet ex decisione sub ea die per me vulgata, ab qua causae species latius exponitur. Nec secus accidit in praesenti actione, licet multo aestu ille ad pugnam redierit, quippe responsum prodiit = *In decisis, et extendatur decisio.*

In hoc uno totam positam esse contentionem propugnabat Moyses, utrum scilicet probanda nec ne esset postrema rationum dispunctio, quam cum defuncto parente Josepho Montefiori iniit Raphael Tedesco de lucris, quae illi redire debebant ex generali societate negociorum omnium, excepta mensa nummularia, queis operam dederat ab initio anni 1801 ad Augustum mensem 1803; quippe dispunctio eadem, ut ipse ajebat, peracta fuit, quando Joseph morbo jam pene confectus, ac non amplius sui compos vi ac malis artibus Raphaelis facillime decipi potuit. Atqui nil minus probabat, quam quod in ejusmodi rationibus explanandis error ac vitium irrepserit, quam quod solidatio finalis per fraudem et dolum extorta fuerit. Aliunde certum est, crimina non praesumi, nisi
1 luculenter demonstrentur, prout pariter mercatores generatim fallaces non reputa-
2 ri ad monitum *Rotae post Urceol. de Transact. dec.* 66 *num.* 9 *et* 10, *et in Recent. part.* 14 *dec.* 126 *num.* 17 *et* 18, *Jorio Giurisprudenza del Commercio Tom.* 4 *part.* 1 *lib.* 7 § *Fra le presunzioni* = *Azuni Dizionario mercantile alla parola Frode* § 5 *et confirmata dec.* § 13.

Quin imo dubitari non potest de diligenti et accurata rationum dispunctione, cum ei praefuerint duo ex Montefiorii affinibus et familiaribus, nempe *Donatus Nissim Terni* Rabbinus patruusque suus, ac *Salomon Moyses Seppilli*, cujus utebatur necessitudine, qui chartas et mercatorios codices legerunt, omniaque sedulo librarunt; cumque vel ipse Joseph, utut hydropis morbo vexatus calculos et summas inspexerit, consideraveritque, ac, nisi re plenissime expensa, leviri Raphaelis emiserit liberationem, et omnino confirmaverit = *avere avuto e ricevuto dal Sig. Tedesco il saldo di ogni mio avanzo, tanto per quanto sia la tangente degli utili a me spettante, che per qualunque altro conto ed effetti passati fra noi fino al presente giorno, obligandomi per me e miei non potere in avvenire pretendere nè far pretendere cosa alcuna dal suddetto Tedesco e suoi sotto qualunque titolo nè colore, avendo ricevuto il mio saldo finale di ogni avanzo cessando da oggi innanzi qualunque affare d' interesse fra noi, restando ogni commodo ed incommodo di qualsivoglia negoziato maturato e da maturarsi, come pure per quelli negoziati ideati al solo Tedesco senza esser tenuto doverne più render conto nè a me nè a' miei, quietando il medesimo Tedesco da qualunque benchè remota pretesa potesse suscitarsi, chiamandomi saldo e soddisfatto di tutto il mio benchè minimo avanzo, avendo ricevuto e ritirato come sopra tutto quanto a me apparteneva.*

Si itaque, tanta solemnitate rationes dispunctae ac solidatae fuerunt, immerito quidem de illarum errore et injustitia conquerebatur Moyses, injuria se laesum ab avunculo clamabat. Neque facile admittendum Josephum haud amplius capite incolumen fuisse, dum calculos probaret, atque solidationem subscriberet. Principio quippe incivile penitus videbatur, id filium proponere, qui parentis fuit heres ex testamento ab eodem parente condito po-

stridie ejus diei, qua rationes exaequatae
4 sunt. Profecto qui certa die sanae mentis habitus ad gravissimum effectum supremae emittendae voluntatis, rationis expers dici non potest die anteriori, quo negocia universa cum socio composuit. Praeterea vero ambiguum non est, atque satis aperte eruitur ex dictis quoque contrariorum testium, quin Joseph, post omnia scrutata, syngraphamliberationis subscripserit, quinque adstantibus testibus, eaque cuncta in illa expressa postmodum coram tabellione comprobaverit. Tandem Joseph ipse, hisce cunctis absolutis, alios vixit quindecim dies, nec quidquam amplius de rationibus mussitavit, prout nihil unquam dixerunt ejus filii et heredes, qui ad annos multos altum servarunt silentium, nec aliquid ab
5 avunculo petierunt. Credi ne potest, eos tandiu siluisse, si reapse habuissent exploratam aegritudinem paternae mentis, dum calculos iniret, si error aliquis in rationibus iis revera intercessisset?

Quin rem mutet, quod Seppillius ac Ternius nuperrime proprium dictum revocaverint, fassique fuerint, singulas *partitas* in rationalibus codicibus adnotatas se non observasse. Ampliter enim ipsi mentiuntur, dum talia proferunt, postquam rationem subscripserunt, cujus in fronte legitur = *Eccovi il conto corrente passato alla presenza dei vostri commessi signori Donato Nissim Terni vostro zio, e Salomone Moise Seppilli, li quali dai propri libri hanno rilevato le rispettive partite tanto per il vostro avanzo degli utili accordato, che per ogni altro conto pendente* =, postquam itidem subsignarunt acceptilationem a Montefiorio emissam erga Todescum, in qua scriptum fuit = *Essendo venuto sott' oggi alla definizione ed appuramento de' conti ec. colla intervenienza del Signor Donato Nissim Terni mio rispettivo zio e Signor Salomone Moisè Seppilli ambi incombensati da me per tale appuramento di conti, li quali esaminarono tutte le rispettive partite e registri* =. His quidem actibus minime subscriptionem suam apposuisset, nisi rationaria revera inspexissent, et unamquamque *partitam* ibi descriptam sedulo considerassent. Quapropter nullam profecto fidem hodie merentur, cum testimonium reddant
6 contra quamcumque verisimilitudinem, contra proprium factum, propriamque confessionem.

Absonum autem erat a veritate, quod aestimatio mercium descriptarum in dispunctione rationum anni 1803 haud excederet summam scutorum bismillium, indeque erronea sit supputatio. Siquidem in supputatione illa non recensitum est mercium pretium in negociationem immissarum, sed relata dumtaxat fuerunt utilia ex iisdem negociationibus quaesita. Etenim inibi scriptum legitur = *Nota levata dai miei registri come siegue.* = *In botti* 31 *zuccaro d' Inghilterra sc.* 149, *e* 33. *La nostra terza parte scudi* 496 *e* 78½ =. Et sic factum de caeteris lucris, quorum solidum constitit assurgere ad scutata 2438. e 20. Horum autem triens in argenteis 879 e 40 Montefiorio tributum fuit = *sua tangente degli utili, come per esteso qui dietro a partita e genere scudi* 819. 40. Igitur non parum profecto lucrifecit Montefiorius, qui nihil aliud in societatem contulerat praeter operam suam, cum pateat, quod sex mensium interstitio summam illam sit assequutus. Igitur non id quidem omissum in rationibus, quod in Josephi detrimentum rediret, quodque supputationem vitiosam redderet.

Minusque etiam erroris et laesionis deprahendere erat in ea dispunctione, vel ex quo adnotati fuerint nummi 140 pro pretio locationis promptuarii, vel ex quo nullum in illa Montefiorio premium adsignatum sit pro opera praestita in negociatione *monetae platealis*, quamvis id Raphael spopondisset per epistolam mensis Junii anni 1801. Ad primum enim quod attinet, reminisci praestat, quod res erat de promptuario Anconae sito, quo loci neminem latet, conspicuas rependendas esse pensiones pro conductione aedificiorum. Praeterea praedicta summa notata fuit tanquam repensa non modo pro locatione

promptuarii, sed etiam pro aliis expensis = *Si defalca per spese occorse per nolo di magazzeno, lettere etc. scudi* 140 = Alterum vero quod spectat, nonnullos tantum testes adducit Montefiorius ad comprobanda lucra ex negocio aeneae monetae quaesita. Verum ii testes referunt de negociatione ejusdem monetae gesta annis 1801 et 1802. Atqui mense Februario anni 1803 fuerat inter socios = *appurato ogni conto passato* =. Ergo de premio in causam illius negociationis promisso ratio haberi non poterat in dispunctione rationum inita sequenti mense augusto.

Enim vero non solum Moyses non probabat vitiosas et erroneas rationes fuisse sed ne ostendebat quidem *generalem societatem*, ex qua hujusmodi lucrorum computatio originem duxerat, et ex qua propugnabat, longe majoris lucri participem reddi debuisse. Quandoquidem non super universa mercium negociatione socius renunciatus fuit Joseph ejus parens vel a defuncto Jacobo Tedesco, vel ab hujus filio Raphaele, sed qua gestor potius et administer, certo praestituto praemio et emolumento, consideratus ut in aliqua commercii re haberet *participationem*, quam mercatores nuncupant *interessenza*. Quod adeo certum est, ut vel ipse Joseph, dum primum a socero propriis negociis praepositus fuit, multis in epistolis sese dixerit solummodo *interessato*, scripseritque saepe saepius amicis et exteris negociatoribus. = *Vi prometto di farvi appoggiare dal mio socero Jacob Israel Tedesco buona parte delle sue incombenze, essendo io ora interessato con esso* =, et rursus = *Trovandomi ora interessato col negozio del mio socero Jacob Israel Tedesco etc.* = Sed qui socius est, non unum titulum sibi ad-
7 dicit = *interessato* =, quoniam verbum istud puram putamque utilium *participationem* praeseferre, et participationem utilium ad-
8 modum distare a generali societate monet *Zanchius de societate part.* 1 *cap.* 4 *n.* 1 *et seqq. et num.* 24 *Casareg. de commerc. disc.* 39 *num.* 30, *et Rota Decis.* 826 *n.* 1 *et seqq. et decis.* 871 *n.* 5 *cor. Emerix.*

Rursus generalem societatem excludit defectus cujuslibet socialis scripturae, prout pariter inscriptio rationis mercatoriae unius Jacobi Tedesco nomine etiam post hujus
9 decessum. Raphael enim ejus filius, mercatores omnes vulgo = *Corrispondenti*, illico monuit per literas, quas *Circolari* negotiatores vocant, = *La Dita dell' onorato*
10 *defonto non sarà cangiata*, seque itidem subscripturus deinceps *Jacob Israel Tedesco*, cui quidem subscriptioni per illos fidem esse adhibendam = *Piacciavi prender memoria della mia firma vergata a piè di questa, e non prestare fede ad altra.* Integra haec epistola nullum exhibet verbum, quod indigitet vel jam existentem vel novam cum Montefiorio initam societatem, quamvis, ceu testatum a mercatoribus, *per uso inveterato delle principali piazze mercantili, quelli che erigono una società, ne publicano circolari, che si dispensano nel proprio paese, e si spediscono all' estero* =, quamvis hujusce epistolae inscriptiones, seu *la intestazione*, et *il soprascritto* vel ipse Joseph Montefiorius propria manu exaraverit. Unus igitur Tedescus suo dumtaxat nomine, penitusque posthabito Montefiorio, negociationes omnes peregit: id quod monstrat, jactatam societatem nullatenus constitisse, veluti multis congesta auctoritatibus proderat *confirmata Decis.* § 6.

Praeterea et societati generali similiter adversatur syngrapha peculiaris conventionis diei 3 Februarii 1803, cui inscriptum, = *Accordo fatto fra li signori Raffaele*
11 *Vita Tedesco, e Joseph Montefiori* =, quaeque integra Josephi caractere composita fuit. Colligitur ex ea, quod Tedescus participem cognatum reddebat trientis utilium, quae percipi potuissent ex speciali negociatione argenteorum 20000, idque = *per il di lui impiego in detta negoziazione di tenere il carteggio, scritture e tutt' altro occorrente sotto la Dita Jacob Israel Tedesco* =, quod participatio isthaec inciperet ipsa die 3 Februarii, atque mense Augusto cujusque anni fieri deberet rationum dispunctio ad lucra si quae essent

dividenda; quod jam fuerat = *appurato fra li medesimi ogni conto passato* =; quodque de scutatis 1000 ad Montefiorium spectantibus, atque in negociationem immissis rependeret quotannis Tedescus fructus in vi nummorum 120, licet = *ne ricevesse maggior profitto ad impiegarli con altri.* Nec implicat, conventum istud subscriptum non fuisse a contraentibus, cum illud 12unice prolatum appareat ad rei veritatem aperiendam, non pro ipsius executione, sicuti animadvertit *superior Decis.* § 8. Equidem si jam ab anno 1801 Montefiorius in universali societate cum Tedeschiis fuisset in eaque perrexisset usque ad obitum, haud sane insequenti anno 1803 hujusmodi chirographum exarasset, quo singularis quoque socius sese renuntiaret.

Demum adsertam societatem submovet etiam epistolium Raphaelis ad levirum Josephum transmissum, quo eum participem voluit = *con interessarvi poi* in alia speciali negociatione in aenaea moneta, pro qua illi assignavit = *l' emolumento di un venti per cento* = Ubi enim generalis societas inita sit, eius emolumentum non coarctatur ad rationem uniuncem; sed quidquid omne ex ea profluit, sive lucrum sive damnum, aequis partibus inter socios distribuitur. Alioquin vero separata negociatio non leve praebet iudicium pro exclusione universalis societatis ad monitum *Zanch. de Societ. part.* 4 *cap.* 2 *num.* 3. Quin Montefiorius praesidium sibi paret ex 14testibus, quos pendente lite conquisivit. Hi namque et sunt ei sanguine conjuncti, vel mercede conducti proindeque dubiae fidei, et de sociali Josephi qualitate obiter lo- 15quuntur, propriaeque scientiae causa non reddita. Igitur ambigua illorum dicta certam non exhibent societatis probationem, quae non aliunde eruenda, quam ex acti- 16bus indubiis, consentaneis et citra perfectam societatem non absolvendis. Apte *Mantic. de tacit. et ambig. convention. lib.* 6 *tit.* 10 *num.* 23, *et Rota cor. Othobono dec.* 95 *num.* 8 *et seqq.*, *et in Albanen. Communionis universalis* 20 *Februarii* 1782 § 2 *coram Sentmanat.*

Et perperam generalem societatem probatam contenderet Moyses ex quo avunculis juraverit, se non amplius possidere libros = *riguardanti la società fra me ed il fu Joseph Montefiori* =. Tedescus enim numquam inficiatus est, societatem quamdam inter ipsos intercessisse. Negavit quidem societatem illam, quae *generalis* sive *perfecta* dicitur; sed alteram ultro admisit, quae *singularis* potius atque *imperfecta* vocari potest, quaeque rectius a jurisprudentibus et negociatoribus nuncupatur *participatio*, ac vernaculo sermone *interessenza*. Et istiusmodi revera societatem initam fuisse probat potissimum dispunctio rationum a Montefiorio anno 1803 obsignata, probant caetera monumenta superius expensa. Nec mirum, Raphaelem dixisse = *Società* = quam potius *interessenza*, seu participationem dicere debuisset. Si- 17quidem participatio est quaedam societatis species, a vera tamen et perfecta *societate generali* prorsus diversa; atque *parti-* 18*cipationis* vocabulum *pro societate* quandoque usurpatur, quin tamen participatio suam exuat naturam, et illam induat verae societatis *Zanch. op. cit. in d. part.* 1 *cap.* 8 *n.* 1 *et seq.*

Deterius etiam, ut universalem societatem initium habuisse de anno 1801 evinceret, Montefiorius opponebat, quod in rationum solidatione per Josephum emissa legatur = *Conti passati tra me, ed il sig. Jacob Israel Tedesco* =, perinde ac si reapse ea solidatio, et praecedens computum respicerent negociationes initas ante obitum Jacobi. Etenim, si in computis et solidatione res fuisset de negociis gestis quoad Jacobus vixit, plane, cum ipse diem viderit extremum eodem anno 1801, rationes reddendae non fuissent annorum 1802 et 1803, quibus amplius non erat in humanis. Atqui rationes revera dispunctae sunt de negociis = *fino al presente giorno* =, nempe usque ad diem 29 Augusti 1803. Ergo rationes illae respiciebant negociationem cum Raphaele, minime vero aliam cum Jacobo peractam. Quod si Joseph dixit = *Conti passati fra me ed il sig. Ja-*

cobo *Raffael Tedesco* =, id quidem dixit, quia certe sciebat, Raphaelem mercatorios actus subscribere praemortui parentis nomine, cum ei retinere libuisset = *la Dita dell' onorato defonto* =; et quia respondere debebat inscriptioni rationum = *eccovi il conto corrente passato con me Jacob Israel Tedesco* ec. quam Raphael ipse peregerat.

Quae cum ita forent, corruebat omnino figmentum generalis societatis, quod Moyses excudit ad vexationem avunculo parandam. Societas quippe universalis non conjecturis, sed luculentis probationibus demonstranda venit, quae si deficiant, sententia pro illius exclusione feratur oportet *leg.* 3 § *cum specialiter, ibique Glossa ff pro Socio, Gratian. Discept. forens.* 336 *num* 1. *et seq., et Rota in Romana seu Asculana Societatis* 5 *Julii* 1805 § 3 *coram Resta, et in Confirmatoria* 7 *Junii* 1816 § 3 *coram Piccolomini.* Sin vero ejusmodi societas non consistit, defenda non erat dispunctio et solidatio rationum jam absoluta ab anno 1803, cum illius vitium, laesionem, et errores Montefiorius non ostenderit; quae una rationes semel explanatas novo examini subjicerent ex censura *Text. in cap.* 1 *de restit. in integrum*, et *in leg. fin. Cod. si adversus rem judicatam, Rot. in Romana seu Æsina Redditionis Ration. super restitut. in integrum adversus sententiam an.* 1750 *diei* 4 *Julii* 1750 § 3 *cor. Riminaldo.*

Utque ita etc. utraque etc.

### R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

*Lunae* 25 *Februarii* 1833.

ARGUMENTUM

Ex mercatoria rei in contractum deductae natura, atque etiam ex propagata tum pacto convento, tum judicialibus agnitionibus jurisdictione, tribunalis commercii competentia constituitur.

SUMMARIUM

1. *Tribunal commercii jurisdictionem habet non solum inter mercatores, sed etiam quoad res actusque omnes commerciales inter quoscumque.*
2. *Lex pro actu commerciali habet quancumque fructuum vel mercium emptionem, ad hoc ut postea, quocumque modo vendantur, sive etiam dentur usufruendi titulo.*
3. *Lex quae eximit ab jurisdictione commerciali actiones contra cultores vel conductores agrorum pro venditione fructuum ex iisdem agris provenientium loquitur taxative de emptionis venditionis contractibus, non autem de mercatoria societate quae inita fuerit super iisdem fructibus, et num.* 5.
4. *Diversum est mercaturas et redempturas facere, vel colere agros.*
6. *Partes jurisdictionem tribuere nequeunt judici, qui nulli praesit judicio.*
7. *At si de judice, agatur jurisdictionem aliquam habente haec ex partium consensu ad estraneas quoque notiones jure prorogatur.*
8. *Idque magis magisque confirmatur edictali lege* 5 *octobris* 1831 § 13.
9. *Interpretatio legis a contrario sensu tutissima est.*
10. *Lex futuris dumtaxat dat normam negotiis.*
11. *Limita in lege judiciorum ordinatoria, quae ad praeteritum quoque protenditur.*
12. *Judiciales agnitiones incompetentiae exceptiones submovent.*
13. *In judiciis enim quasi contrahitur, et quod semel placuit amplius displicere non potest.*
14. *Extraordinarium circumscriptionis remedium non amplius obtinet, postquam ordinarium caepit experiri.*

## Decisio LXVII.

Vincentius Santuccius non ultimus in Urbe campestris rei negociator ingentia praedia conduxerat, quorum cultioni haud censum parem habebat. Itaque mense septembri 1831. numerata pecunia vehementer indigebat ad latifundia serenda, atque hanc habuit a gallo Francisco Besserio in egregia vi scutorum 1320. His autem legibus numerata a Francisco pecunia, ut ab Santuccio in socii locum re-

ciperetur quoad rubra *biscenta* frumenti ex latifundiis conductis suo tempore recolligenda, itaut fructuum proventum, quos Santuccius ex Besserii pecunia habiturus erat; cum eodem certa ratione communicaret. Cumque esset necessum, normam aliquam dare societati, atque ejusdem leges praefinire, signanter quoad mutuam lucri damnique vicem, placuit frumentum ipsum in posterum colligendum sobrie aestimare scutis *sex* et obuli *sexaginta* pro singulo rubro: onus Santuccio injunctum frumentum ipsum Romam asportandi, atque deponendi in suo quodam horreo: protracta socialis rei venditio ad sequentem mensem octobris anni 1832. expresse tandem conventum, quod, uti Besserius emolumenti particeps fieret, quatenus pluris ac statutum in contractu fuerat frumentum distraeretur, ita minoris pretii detrimentum cum Santuccio communicaret. Conventa autem pacta observare contrahentes adeo rigide promiserunt, ut sese invicem subjecerint – *per patto espresso inappellabilmente alla decisione del Tribunale di commercio.*

Contractus fidem non praestitit Santuccius, qui collectum utique frumentum non fecit sociale, sed privato arbitrio alienavit. Egit exinde Besserius ex pacto convento coram urbano Tribunali commercii, ut dies certa Santuccio praefiniretur, qua vel frumentum juxta contractus fidem praeberet, vel ad receptae pecuniae restitutionem, atque in damnis condemnaretur. Illius Tribunalis judices unanimiter justam actionem probarunt, et aequo judicio Santuccius usque fasces submisisse visus principio est, qui amice egit ex sententia de damnorum liquidatione, et litis sumptus refudit. Sed iterum datae fidei defecit; ita ut novum Besserius indixerit judicium coram commercii judicibus, ut pro damnis amica conventione ad liquidum adductis mandatum sibi concederetur: quod actori datum incunctanter fuit. Post haec omnes Santuccius lapides movit, ut exequutionem commercialium judiciorum eluderet. Provocavit prius coram altero ex A. C. collegiis ab sententia lata super damnorum liquidatione, nec non dedit instantiam, ut inita super frumento societas nullius plane roboris decerneretur. Dum haec autem judicia agebantur, quae adhuc sub judice pendent, alteram indixit nullitatis actionem coram S. N. Auditorio petens quod sententia lata ab Tribunali commercii super traditione frumenti circumscriptionis gladio deleretur. Quare cum PP. in comitiis hodiernis hac de re rogaverim, adeo omnia et rite ut legitime acta in judicio illo existimarunt, et petitam circumductionem penitus rejecerint ex rescripto: *non esse locum circumscriptioni, et extendatur Decisio.*

Ex tribus notissimis vitiis, quae secum ex jure ferunt actorum nullitatem et circumscriptionem, unus jurisdictionis defectus ab actore excipiebatur. Haud enim in discrimen adducitur, nec peccatum fuisse in libello litis introductorio, atque actum mercatorium judicium fuisse per legitimos procuratores. Uti igitur de una judicum competentia tota erat quaestio, PP. exploratum undique habuerunt, et ratione rei, quae venit in contractum, et ex pacto convento mercatorii Tribunalis competentiam et jurisdictionem plenissime evinci. Et praeprimis ipsa contractus indoles vindicat commercialium judicum jurisdictionem. Constat namque ea lege pecuniam in egregia vi scutorum 1320 Franciscum numerasse, ut cederet haec in causam societatis cum Santuccio ineundae super novalium cultione, itaut hic mense Julio sequentis anni 1832 *biscenta* frumenti rubra deponeret hic Romae in certo suo horreo, ut inde sociale ipsum frumentum mense octobris mutuo consensu distraheretur, ad futurum venditionis lucrum vel damnum inter socios communicandum. Mercatoriam igitur societatem inierunt super certi frumenti quantitate, quae cognosci jure meritoque potuit ab Tribunali commercii. Huic namque non jurisdictio tantum mandata a Principe fuit inter homines mercatores, sed etiam quoad res actusque omnes commerciales, inter quoscumque obtinuerint. Ex-

presse porro paeceptum *Art.* 601 *Codicis mercatorii* = *I Tribunali di commercio giudicheranno fra ogni sorte di persone delle controversie relative agli atti di commercio*; = *et art. seq.* quinam commercii actus intelligantur ipsa legis litera pro-
2 ponit = *La legge reputa atti di commercio qualunque compra di derrate e mercanzie per rivenderle sia in natura, sia dopo averle lavorate o poste in opera, ed anche per locarne semplicemente l' uso.*

Nec Articuli hujus auctoritas eliditur ad dispositione *art.* 608 quo cautum = *non saranno di competenza dei Tribunali di commercio le azioni promosse contro un proprietario, conduttore, socio parziario, o coltivatore per vendita di derrate provenienti dal suo fondo* = Loquitur nam-
3 que lex de contractibus, qui sese referant taxative ad fructuum emptionem venditionem, quos cultores, sive rusticorum praediorum conductores ab fundis suis collegerunt. Qua de re optimo sane consilio mercatorius codex praefinivit, quod hujusmodi actus haud subsint jurisdictioni Tribunalis commercii, cui mercatores quidem subjiciuntur, et res vel actus commercii, non cultores agrorum. Est enim plane diversum mercaturas et redempturas facere, vel colere agros, ad monitum jurisconsulti
4 *in leg. Cuicumque* 3 § *Labeo ff de instit. act.*, ex qua adamussim S. N. Auditorium denegavit Tribunalis commercii competentiam, latamque ab eo sententiam substulit e medio in causa *Romana Decoctionis quoad competentiam*, quam agunt eximiae Decisiones *coram Rusconi, coram Piccolomini, et coram clar. mem. Card. Serlupi*
5 per actorem vehementer sed perperam adductae. His enim in decisionibus de simplici frumenti venditione agebatur, quod campestris quidam negociator ab suis fundis recollegerat; non autem inita super frumento fuerat societas mercatoria, quae obtinuit in casu, et quae exinde adeo quaestionis terminos evertit, ut jus in Decisionibus illis constitutum extraneum toto caelo atque alienissimum, haberi necessario debeat a praesenti themate.

Naturae autem rei in contractum deductae, vis adjungitur pacti conventi. Ita enim mercatoriam frumenti vendendi societatem Besserius et Santuccius inierunt, et de legibus singulis societati dictis convenerunt ut sese omnino subjecerint = *per patto espresso inappellabilmente alla decisione del Tribunale di commercio.* = Litera igitur pacti quaestionem omnem absolvebat, cum jurium omnium aequitati repugnet ea pro arbitrio pessumdare, de quibus contrahentes semel convenerunt. Nec rite ex eo pacti inefficacia arguebatur, quod nefas litigatoribus sit consentire in Judicem incompetentem, sive illius jurisdictionem prorogare, quoties de iis judicibus agatur, quibus certarum tantummodo causarum notio tributa est, quique privilegiatum quoddam tribunal constituunt pro certis dumtaxat quaestionibus, certisque personis institutum. Quidquid enim sit de alterius ex interpretibus juris opinione, id certe ex jure Digestorum vel Codicis tutissimum, quod nequeant partes jurisdictionem judici tribue-
6 re, qui nulli praesit judicio: non item si de judice agatur, cui Princeps aliquam dederit jurisdictionem, quae jure meritoque
7 ex partium consensu ad extraneas quoque notiones porrigitur. Statutum namque fuit judicio Imperatoris Antonini *in L.* 1. *Cod. de Jurisd. omnium judicum et de Foro competen.*, quod = *non quidem fuit competens Judex Procurator noster in lite privatorum. Sed cum ipsi eum judicem elegeritis, et is, consentientibus adversariis, sententiam tulerit, intelligitis vos acquiescere debere rei ex consensu vestro judicatae, cum Procurator judicandi potestatem inter certas habeat personas.* = Huic autem consonat *lex.* 3. *Cod. eod. tit.*, *lex.* 1. *ff de Judic.*, *lex.* 74. *ff eod.*, et post *Textum* plenissime *Vinnius Tract. de jurisdict. cap.* 11. *num.* 4, *Marta de jurisdict. part.* 4. *cen.* 1. *cas.* 79. *num.* 42, *Devot. Instit. canon. lib.* 3. *tit.* 4. § 19, *et S. N. Auditorium in Romana Decoctionis super Circumscriptione quoad competentiam* 17 *Aprilis.* 1815 *num.* 3. *coram Rusconi.*

Et licet ex comunis juris dispositione res sub aucipiti maneret, quod falsum omnino demonstratum est, dubium semper omne adimeret novissima lex edictalis
8 diei 5 octobris 1831, quae, judicum competentia praecisius constituta, expresse sub § 13 praecepit, quod = *niuno senza espresso consenso prestato nelle debite forme può esser tradotto nè in principio di lite, nè per via di avocazione, innanzi altri giudici o tribunali fuori di quelli che sono competenti a forma del presente regolamento* =. Quum enim jurisdictionis porrectio in judicem incompetentem tunc a lege prohibeatur, cum haud interfuerit - *l' espresso consenso prestato nelle debite forme*, = ergo jus datum literaliter fuit jurisdictionis porrigendae, quatenus partes, prout in casu, in id expresse et legittime convenerint. Ea namque est legis a con-
9 trario sensu tutissima interpretatio, ut id concessum undique haberi debeat, quod in casu tantum contrario denegatum fuit ex regula de qua *Rota in romana immissionis* 3 *junii* 1785. *num.* 4. *coram Cesarei; in romana immissionis* 11. *junii* 1787. *num.* 6 *coram eodem*; *et in romana consignationis* 28 *januarii* 1828 *num.* 6. *coram R. P. D. meo Ruspoli.* Nec proderat excipere, quod posterior haec lex futuris
10 negociis det normam ex jure notissimo, nec proferenda sit ad praeterita. Regula equidem juris haud in themate sibi vindicat locum, quia res est de lege judiciorum ordinatoria, quae ad praeteritum quoque mirifice protenditur; ita ut sufficiat
11 instructum iudicium fuisse post editam novam legem, ut Besserius usus pacto convento jure meritoque Santuccium compellaverit coram Judicibus commercii, ad tradita *per Rotam in ferrarien. attentatorum* 6 *septembris* 1822 *num.* 5. *coram R. P. D. meo Spada decano.*

Neque haec una sunt, quae asperam nullitatis et circumscriptionis querelam re-
12 fellunt. Accedunt continuae et solemnes Santuccii ipsius agnitiones. Hic etenim stetit coram judicibus commercii, et causam coram illis per procuratorem suum plenissime dixit, et damna ex eorumdem sententia ad liquidum adduxit, et egit coram tribunali ordinario pro contractae societatis nullitate = *salvo soltanto al citato il diritto di ripetere la somma anticipata a forma della sentenza resa dal tribunale di commercio di Roma il giorno* 17 *ottobre* 1832. = Ergo tot et geminatae et judiciales agnitiones vehementissime suadebant, ut quaelibet incompetentis tribu-
13 nalis exceptio Santuccio deficeret. In judiciis enim quasi contrahitur, et quod semel placuit amplius displicere nequit: *Rota cor. Ansaldo dec.* 42. *num.* 8, *cor. Olivatio dec.* 344. *num.* 12, *in florentina reintegrationis* 12 *januarii* 1756 *num.* 11 *cor. Caprara*, *in romana seu tudertina purgationis morae* 24 *aprilis* 1807 *num.* 5. *cor. Bardaxi*, *et in forolivien. pecuniaria* 19 *martii* 1819. *num* 6 *cor. Martinez.* Praesertim cum Santuccius injustum existimans mercatorii tribunalis judicium ex eo quod societatem probaverit, quam ipse deterrime simulatam excipiebat, medelam ab illato vulnere quaesiverit coram altero ex civilibus A. C. collegiis, instructo peculiariter judicio super societatis ipsius nullitate. Haud hinc amplius ei-
14 dem licet ad extraordinarium circumscriptionis remedium confugere, postquam ordinarium caepit experiri, ceu docet *Scaccia de judic. lib.* 1 *cap.* 50 *num.* 6, *et s. n. Auditorium in dec.* 34 *n.* 3 *coram Ratta*, *et in dec.* 649 *n.* 5 *coram Olivatio.*

Quod vero vitiosam reapse inierit societatem Besserius, ceu Santuccius contendebat, vel quia peccaverit in saluberrimam constitutionem Sixti V., quae incipit *Detestabilis avaritiae*, perinde ac si simulata societas fuerit ad palliandum crimen usurarum, vel quia iniverit contractum emptionis frugum ante messem contra sanctissimas Pontificum constitutiones haud hic disquirere licet. Non etenim de justitia, verum de validitate una mercatorii judicii agitur quaestio, quod aliunde contrahentes observare ex pacto promiserunt = *inappellabilmente* =

Et ita, meo quoque accedente suffragio, jus redditum est, utraque etc.

R. P. D. MARIMI

FERRARIEN.

*Lunae* 15 *aprilis* 1833

ARGUMENTUM

Habes ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Cum nullum vitium aut citationis, aut mandati, aut jurisdictionis occurrat, rejicienda est circumscriptionis petitio.*
2. *Judex nihil praeterire debet quod ad veritatem investigandam conducere posse existimet.*
3. *Ex commercii lege, ad emptionem venditionem comprobandam, testes admitti possunt.*
4. *Tunc dumtaxat obtinet exceptio rei judicatae, cum omnia haec simul concurrant, idem corpus, eadem quantitas, idem jus, eadem causa petendi, eademque conditio personarum.*

## Decisio LXVIII.

Quum mense octobris anno 1828 Emygdius Marabinius, mercator ferrariensis, foro cessisset, creditores, conjunctis animis, in id potissimum incubuere, ut obaerati debitoris substantiam, quoad fieri posset, augerent. Resciverunt, Marabinium anteriori mense septembris a veneto patricio Michaele Grimanio mercatum fuisse mille frumenti modios, quod apud venditorem adhuc manebat: quapropter a Praetore *di Crespino* venetae ditionis impetrarunt, ut triticum sequestrationi subjiceretur, ac deinde etiam venu exponeretur; quod accidit in sequenti mense decembris illius anni. Interea Joannes Gibertinus et Josephus Righius, mutinensens negociatores, qui illius contractus cessionem a Marabinio se retulisse contendebant, in jus Grimanium rapuere, ut frumentum sibi traderet. Excipiebat iste, haud se posse ad iteratam tritici traditionem condemnari; simulque creditores Emygdii Marabinii arcessebat, ut molestias hasce a se averterent. Quibus ad judicium accedentibus, a Paetore Crispini sententia prodiit, qua Grimanius a postulatione mutinensium mercatorum absolutus est, eamque sententiam veneta appellationis Aula deinde confirmavit.

Tunc Gibertinius ac Righius e re sua duxerunt certamen de integro cum Marabinii creditoribus instituere super tritici proprietate, ac super traditione pretii ex illius venditione retracti in summa libellarum 14833. 80. Eaque de re illos vocarunt apud mercatorios Ferrariae judices, qui existimantes obstare rem judicatam venetorum tribunalium, petitionem Actorum rejecerunt. Provocarunt mutinenses negociatores ad aulam appellationis bononiensem, quae nullum obicem ex re judicata illa oriri censuit; atque, ut aperiretur ad quem dominium tritici reapse pertinuisset, testes ab actoribus in medium allatos solemni ritu interrogari jussit. In ejusmodi definitionum conflictu causa ad nostrum Auditorium delata est; et postulantibus Emygdii creditoribus deletionem bononiensis sententiae, vel illius saltem revocationem, Patres, hodierna die, rescripserunt = *Nihil de circumscriptione, et esse locum examini formali testium, et extendatur decisio.* =

Considerabant siquidem, quamlibet vel nullitatis vel injustitiae labem a sententia bononiensis aulae appellationum procul abesse. Nam, quod attinet ad judicati validitatem, apparebat, minime defuisse ad inchoandum judicium opportunam citationem, quae die 29 januarii 1831 = *fu intimata al domicilii dei signori Fioravanti e Silvestro Camerini sindaci del fallimento di Emidio Marabini, e questa lasciata ai di loro famigliari di casa*; = rursus non defuisse procurationis mandatum: quandoquidem inter caetera documenta causidicus ad acta detulit = *la procura fatta dai predetti Gibertini e Righi nella persona del comparente* =. Tandem explorata erat bononiensis tribunalis jurisdictio. Etenim controversiam in prima

actione a mercatoriis Ferrariae judicibus definitam ex provocatione deferendam esse ad bononiensem aulam de appellationibus cognoscentem, in praxi extra controversiam est. Quum itaque neque citationis,
1 neque mandati, neque jurisdictionis in themate vitium ullum occurreret, rejicienda plane erat circumscriptionis postulatio. *Ridolphin. prax. judiciar. part.* 1 *cap.* 13 *n.* 349 *et sequen*; *Rota decis.* 333 *num.* 2 *part.* 4 *Recent.*

Neque meliori consilio sententia bononiensis de injustitia redarguebat, utrum frumentum a Michaeli Grimanio sibi comparaverit Emygdius Marabinius, quem ejus creditores modo repraesentant; seu potius mercatores mutinenses Righius et Gibertinius, illud acquisiverint, adhibita opera Emigdii tanquam proxenetae. Atqui judicatum, a quo Emigdii creditores provocarunt, nihil aliud imperaverat, nisi ut testes, qui eam rem aperire poterant, judiciario examini subjicerentur = *Ammette l'addimandato esame de' testimonii Sante Dall' Ara e Graziadio Masserani da interrogarsi sugli articoli prodotti dagli attori Gibertini e Righi li* 10 *novembre* 1830 =. Quod justi-
2 tiae consentaneum apprime dignoscebatur. Neque enim judex quidquam praeterire debet, quod ad veritatem investigandam conducere posse existimat. *Decret. Grat. part.* 2 *quaest. ac non judicantem* 11; *Card. De Luca de judiciis disc.* 3 *n.* 30 *et sequen.*, *S. Rota in romana pecuniaria super positionibus* 10 *martii* 1786 § 1 *cor. Malvasia.* Quumque in hac specie facti de emptione venditione comproban-
3 da res sit, testes in pretio haberi posse, sancitum est in *Art.* 104 *del Regolamento provvisorio di commercio* = ibi = *La compra e vendita si comprova colla prova testimoniale nel caso, in cui il tribunale crederà di ammetterla.* =

Perperam vero rei conventi a veneta rejudicata praesidium mutuabantur, qua praesentem quaestionem jamdiu definitam esse contendebant; propterea que bononiensium judicum pronunciationem vel irritam vel saltem injustam esse propugnabant, cum de negocio plane absoluto prodita sit. At (seposita quoque indagine, animadversione caeteroquin digna, utrum, nulla intercedente conventione, exterarum ditionum resjudicatae, quamvis ex diversa jurisprudentia prodierint, nihilominus apud nos tanto in pretio esse debeant, ut pro veritate habeantur atque exceptionem peremptoriam suppeditent) illud potissimum perpendebant Patres, deesse in themate quae requiruntur juxta juris nostri censuram, ut
4 rei judicatae exceptio locum sibi possit vindicare, *ad text. in leg.* 12 *ff de execut. rejudicatae*, ubi statuitur, quod cum quaeritur, haec exceptio noceat nec ne, inspiciendum est, num idem corpus sit, quantitas eadem, idem jus, ac eadem causa petendi, et eadem conditio personarum: quae nisi omnia concurrant, alia res est.

Jam vero hoc inspecto notissimo juris dogmate, perspicuum videbatur, minime obesse posse jactatam a creditoribus Emygdii remjudicatam, quum pateret praesertim neque eamdem esse causam petendi, neque eamdem personarum conditionem. Mutinenses negociatores Righius ac Gibertinius tritici traditionem adversus Michaelem Grimanium venditorem petierunt *ex cessione* quam reportaverant ab Emygdio Marabinio; rejectique sunt, quia cessio haud praeseferre visa est = *gli estremi dalla legge prescritti, onde potersi qualificare, mediante un semplice giro, girabile e commerciabile.* = Iterum praesens judicium directe institutum est adversus Marabinii creditores qui in ejus jura successerunt, atque inter eos de tritici proprietate ambigitur, ut adjudicetur, utrum istis vel mutinensibus pretium ex eodem tritico retractum sit consignandum; quod profecto nihil commune habet cum superiori judicio, quod Righius ac Gibertinius ex empto tamquam Marabinii cessionarii pro exequenda frumenti traditione intentarunt adversus Michaelem Grimanium venditorem, qui merito objiciebat, eam cessionem, ob rationem mox allatam, vires suas contra se nequaquam posse

exerere, neque ad iteratam tritici consignationem sese esse condemnandum.

Excluso itaque reijudicatae obice, Patres album calculum adijcendum censuere sententiae judicum bononiensium, qui ad veritatem in aprico ponendam rectissime imperarunt, ut testes ab actoribus adductis solemni ritu audiantur.

Et ita etc., me quoque suffragium ferente, decisum est.

R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET APPELLATIONIS

*Lunae 17 junii 1833.*

ARGUMENTUM

Infirmata superiori Decisione LXXII., definitur, conductores latifundiorum: *mercanti di campagna* - in controversiis de venditione fructuum ex conductis latifundiis provenientium neque ratione personae, neque ratione rei subjici jurisdictioni tribunalis commercii. Quae jurisdictio prorogari nullo modo potest pacto inter partes convento, nulloque minus quibuscumque judicialibus agnitionibus. Nonnulla quoque habes de larvato illicito faenore sub specie initae societatis.

*SUMMARIUM*

1. *In iis, quae commercialem indolem non praeseferunt, commerciales judices* ex officio *debent a jure dicendo sese abstinere, et num.* 9.
2. *In costituenda tribunalis competentia non actoris sed rei forum inspicitur.*
3. *Latifundiorum conductores* - mercanti di campagna - *nunquam pro negociatoribus habiti fuerunt.*
4. *Mercatores enim ii dicuntur, qui merces emunt ut carius vendant.*
5. *Conductores latifundii autem pro dominis possident, et tamquam domini habentur dum fructus vendunt in conducto latifundio collectos*
6. *Hinc controversiae de hujusmodi venditionibus non pertinent ad jurisdictionem tribunalis commercii.*
7. *Quae jurisdictio ratione materiae a legibus praefinita ex partium consensu ampliari non potest, quia nefas judiciorum ordinem a principe praestitutum invertere, et num.* 10
8. *Tunc dumtaxat jurisdictionis ampliatio permissa est, cum agitur de judicibus aequali jurisdictione praeditis, sed qui incompetentes sint vel ratione domicilii, vel ratione rei sitae.*
11. *Judiciales agnitiones nil valent ad sanandum defectum jurisdictionis ratione materiae.*
12. *In constituendis rebus magis attendi debet quod agitur quam quod simulate concipitur.*
13. *Ex quibus pateat sub specie societatis larvatum illicitum faenus.*
14. *Tribunal commercii jus quidem dicere debet de societate mercatoria, sed quae vera sit, non fictitia.*
15. *Nulla est societas inita super frugibus non recollectis.*
16. *Itemque, ut ajunt,* a capo salvo.
17. *Probata in contractu coactione et praefocatione, quodvis pactum in eo conventum praesumi debet extortum.*

## Decisio LXIX.

Vincentius Santucci notus in Urbe campestris rei negociator anno 1831 ad serenda nonnulla praedia, quae conduxerat, impar effectus ob pecuniae defectum, hanc habuit a gallo Francisco Bessierio in non levi quantitate scutorum 1320. Ut hic de hujusce summae restitutione una cum lucro securus foret, quamdam adumbravit societatis speciem, cujus praecipua pacta fuere quod Santuccius propriis sumptibus rubra *biscenta* frumenti = della migliore qualità = ex conductis latifundiis suo tempore recolligenda Romam asportare, atque deponere in quodam ipsius Santuccii horreo teneretur, ut Bessierio satisfieret ex translati frumenti venditione, quae ultra mensem octobris insequentis anni 1832 protrahi non debuisset. Ne autem species initae societati deesset, exiguo pretio scutorum *sex* et obul. 60 pro singulo rubro constituto, depactum fuit, ut ipse Bessierius, retenta e frumenti pretio praedicta summa scutorum 1320, dein lucri pro medietate particeps fieret, quatenus pluris ac statutum fuerat, frumentum distraheretur, sicuti e contra, si minus divenderetur, detrimentum aequa lance inter socios di-

videndum foret. Statutum denique fuit, ut rigide pacta adservarentur, quam in causam sese contrahentes subjecerunt = *per patto espresso inappellabilmente alla decisione del tribunale di commercio* =.

Cum pacti fidem non servasset Santuccius, Bessierius apud urbanum commercii tribunal instetit, ut eidem certa dies praefigeretur, vel ad tradenda promissa *biscenta* rubra frumenti, vel ad solvendum pretium receptum ex inita illius venditione, petiitque etiam damnorum emendationem. Favorabiliter excepta fuit illus petitio a judicibus commercii, duplicique sententia damnatus fuit Vincentius ad petitam frumenti traditionem, et ad damnorum emendationem. Provocavit Santuccius coram collegio juridico A. C. a sententia lata super damnorum liquidatione, novumque instauravit judicium, ut inita super frumento societas nulla renunciaretur, quae duo judicia adhuc sub judice pendent. Quoad vero sententiam latam super frumenti traditione instetit coram s. nostro Auditorio, ut illa circumscriptionis gladio deleretur ob jurisdictionis defectum. Delata hujusce rei cognitione s. nostro Ordini in comitiis diei 25 februarii proxime elapsi, rejecta penitus fuit Vincentii petitio ex rescripto = *non esse locum circumscriptioni, et extendatur decisio* =. Sed in hodierno rotali conventu meliorem expertus est fortunam, quia Patres in diversam abiere sententiam, illiusque instantiae rescripsere = *recedendum a decisis, et extendatur decisio* =.

Nec secus pro s. nostri Ordinis cognita docilitate atque justitia erat respondendum. Revocata enim ad trutinam proposita quaestione, meliusque perspecta, facillime apparuit, eamdem exemptam esse a tribunalis mercatorii jurisdictione. Institutum enim fuit commercii tribunal ad dirimendas controversias, quae oriri possent inter mercatores, vel super rebus a commercio dependentibus. Quae igitur mercatoriam indolem non praeseferunt, a foro illo extranea sunt, et judices ex officio abstinere in hisce sese debent a jure dicendo, ut aperte praescribitur in *art.* 6 edictalis legis, quae codici commercii praeponitur
1 = *nelle cause non commerciali i tribunali di commercio dovranno dichiararsi incompetenti ex offieio* =. Proindeque non potest nec debet servari sententia contra Vincentium lata a commercii tribunali, quod tam respectu personae utriusque litigantis, quam ratione materiae, haud obstante pacto sese subjiciendi *inapellabilmente* illius sententiae, incompetens omnino est declarandum.

Explorati siquidem juris est, quod in decernenda tribunalis competentia non
2 actoris sed rei forum inspiciendum sit. In praesenti causa reus erat Santuccius, actor Bessierius. Neuter vero tribunalis mercatorii jurisdictioni erat subjectus. Bessierius praeceptoris munus exercet; Santuccius ad classem pertinet = *dei mercanti di campagna* =, qui pro negociatoribus nun-
3 quam habiti fuerunt. Mercatores enim ex legum mente et jurisconsultorum sententia ii dicuntur, qui merces emunt, ut carius
4 vendant. Conductores latifundii autem, cum pro dominis possideant, tamquam domini censentur, cum frumentum vendunt ex conductis praediis collectum. Exinde
5 inter mercatores locum sibi vindicare nequeunt, ut decisum fuit a s. nostro Ordine in *romana decoctionis quoad competentiam* 22 *januarii* 1816 *cor. Rusconi*, *in confirmatoria* 26 *aprilis* 1816 *cor. Serlupi*, et recentissime *in romana circumscriptionis diei* 1 *martii* 1833 *cor. R. P. D. meo Muzzarelli.*

Exclusa in contrahentibus mercatoria qualitate, facile etiam probatum fuit Patribus, nec commercialem esse materiam, super qua Vincentius atque Franciscus assertam societatem inivere. Animadvertebant enim, quod ipsius societatis summam in eo erat, quod Santuccius cum Bessierio aeque dividere compendium societati obventurum ex venditione rubrorum 200 frumenti, quod colligeretur ex conductis latifundiis = *di Mentana, Conca e Selvotta* =. Quidquid litigiosi igitur contingere poterat super hac conventa venditione, com-

mercii tribunalis jurisdictionem respicere
6 nequibat: cum praescriptum aperte legatur *Art.* 608. *cod. mercatorii = non saranno di competenza dei tribunali di commercio le azioni promosse contro un proprietario, conduttore, socio parziario, o coltivatore per vendita di derrate provenienti dal suo fondo.*

Nunc autem jurisdictionis defectum ex litigantium persona, atque materiae ratione sanare profecto haud potuerunt contrahentes, dum conveniebant sese subjici *inappellabilmente* sententiae tribunalis commercii. Pactum hoc, cum eidem tribueret jurisdictionem, quam ei legislator denegaverat, irritari omnino meretur ob praecipuum ipsius jurisdictionis defectum. Leges enim, ut celerius unicuique jus dici posset, necessitatem agnoverunt nonnullorum tribunalium, quibus ad legis scopum assequendum distinctam tribuerunt jurisdictionem. Jurisdictio autem constituta fuit, habito respectu vel ad personarum conditionem, vel ad causarum genus, vel
7 ad harum valorem. Semelac igitur praefinita fuerit a legislatore tribunalium competentia, nemini deinde licitum esse potuit ad tribunal, quod ei magis placeret, convolare, ne ordo a supreme Principe constitutus pro recta atque celeriori justitiae administratione cum maxima reipublicae pernicie inverteretur. Sinunt quidem aliquando leges proprio renunciare privilegio, vel judicis ampliare jurisdictionem. Sed haec jurisdictionis ampliatio solum permissa est, quoties eversiva non sit ordinis jam constituti, et quoties agitur de judicibus aequali jurisdictione praeditis, sed qui incompetentes sint vel ratione domicilii, vel
8 ratione rei sitae. Siquidem, cum hujusce competentiae genus inductum a legibus sit tantum pro litigantium commodo, possunt litigantes juri sui gratia inducto renunciare, et hoc in casu non prohibetur jurisdictionis judicis ampliatio, quae autem absolute prohibetur, si in personas exceptas, et in materia extranea judici jurisdictio tribuatur. Perperam igitur Bessierius atque Santuccius cognitioni tribunalis specialiter a lege constituti pro rebus commercialibus et pro personis commercio addictis deferri convenerunt rem commercium minime respicientem. Super delata hac controversia judices illius tribunalis jus dicere cum nequivissent ob jurisdictionis defectum, juxta citatum *aedictum art.* 6, a ferendo judicio se abstinere debuissent, et quaestionem ex officio
9 remittere tribunali ordinario, ut praescribitur *ab art.* 656 *cod. commercii.* Ipsi enim jurisdictione carentes, contra apertissimam legis sanctionem hanc adquirere certe nequibant ab contrahentium placito, quia illud grave sequeretur absurdum, quod in privatorum arbitrio foret, contra apertam Principis voluntatem, jurisdictionem
10 judicibus ea destitutis impertiri, et ita deturbare ordinem jam praestitutum pro recta justitiae administratione; ut animadvertunt *Vinnius in tract. de jurisd. cap.* 11. *num.* 2, *Voetius comment. in Pandect. lib.* 2 *tit.* 1 *num.* 17, *et s. noster Ordo in cit. dec. Romana decoctionis* 22 *januarii* 1816 § 22 *cor. Ruseoni.*

Nec rem mutat, quod Santuccius steterit ante commercii tribunal, et ibi judicium prosequutus sit usque ad illius exitum, itaut eidem hodie jus amplius non sit contra illius sententiam insurgere, potens ipsius circumscriptionem. Constituta enim ipsius sententiae nullitate ob expositum jurisdictionis defectum, constituto
11 quod expresso contrahentium placito ampliari non potuerit ipsius tribunalis competentia, nullius momenti haberi debet, quod a Santuccio huc usque gestum esse appareat. Nam, si ex facto ipsius Vincentii, qui in judicio stetit, ampliata tribunalis jurisdictio dici deberet, tunc illud absurdi consequeretur, quod plus tacito, quam expresso consensui tribueretur, et libere uniuscujusque facultati remitteretur licite legum sanctionem subvertere, ut in casu docet *Voetius loc. cit.* § 17 *et* 19.

Nullo pariter in calculo erat habendum, quod objiciebatur, negocium scilicet inter Franciscum et Vincentium initum ad industriam et lucrum comparandum socie-

tatem esse reputandum : quia hoc etiam in casu allatae superius conclusiones redibant. Separari enim nequit depacta frumenti venditio a conficta societate, quia unum et individuum negocium constituunt, et quod de venditione jam dictum fuit, necessario id societati aptari et congruere debet. Quod, si utraque res esset rescindenda, non ideo tamen controversia super ipsa societate orta competentiae tribunalis commercii effici poterit, cum indubium semper maneat, quod societas non versabatur super emptione frumenti, ut carius deinde divenderetur, sed respexerit venditionem frumenti, ad quod colligendum ex conductis latifundiis Santuccio pecuniam suppeditaverat ipse Bessierius. Ex indole igitur societatis firmum semper manebat, incompetentes esse judices tribunalis commercii, qui etiam, paullisper si rem introspexissent, facile cognovissent, non societatem, sed reprobatum faenus sub fuco emptionis et societatis a Bessierio constitutum fuisse.

Revera si in constituendis rebus magis attendi debet quod agitur, quam quod si-
12mulate concipitur, commercii tribunali haud difficile esse poterat noscere praefocationem adhibitam in contractu ad tegendam usurarum pravitatem, et exinde societatis simulationem. Bessierius siquidem Vincentii necessitatibus occurrere paratum se praebuit, si ex sua pecunia iniquissimum foenus recepturus foret. Contraria sibi erat vigentis legis praescriptio. In effugiendo igitur ipsius legis rigore, invenitur causa simulandi. Quod autem iniquissimae usurae depactae fuerint, facile id deducitur ex tenuissimo pretio scutorum *sex* et ob. 60 con-
13stituto *biscentis* illis frumenti rubris, quae in horreum Santuccii a Santuccio ipso erant adsportanda; quorum pretii coacervatio adamussim creditam summam scutorum 1320 conficiebat. Pretium hoc, infra illud promercale de tempore initi contractus, quodlibet removebat periculum super ipsius pecuniae restitutione, quum experientia doceat, pene impossibile esse, quod constitutum frumenti pretium magis immi-

nui possit. Itaque, excluso omni periculo ab inita societate quoad sortis restitutionem, evidenter apparebat sub larva et pallio societatis immanissima usurarum perceptio, quae cum penderet = *dal più che si potrà cavare* = super modico pretio constituto, quod lucrum dividendum ex pacto erat *metà per ciascuno* =, nullum dubium relinquere poterat, quod immane lucrum Bessierio esset obventurum, et pactum de damno dividendo ad colorandam, atque cohonestandam rem, potiusquam ad veram ineundam societatem interpositum fuisse, ut firmatum fuit *in* §§ 3. *4. et* 5. *dec. Romana nullitatis Contractus diei* 18 *aprilis* 1828 *cor. Me.* Cum ideo lucrum certum, damnum vero nullum sibi stipulatus fuerit Bessierius, evidens erat simulatio societatis. Tribunalis vero mercatorii est
14quidem jus dicere de societate mercatoria, sed vera, non de fictitia; praesertim si incontinenti probetur simulatio. Secus *leges verbis, non rebus imponerentur*, et quaevis usurae pravitas sub spectro societatis efficeretur materia jurisdictionis mercatoriae, quo nihil incivilius. Jam etsi vera fuisset societas ex animo, et non, ut erat, larvata et fucata, illicita atque nulla erat
15renuncianda, quae utpote inita super frugibus non recollectis, et, ut inquiunt,
16*a capo salvo*, reprobatur tam a civilibus, quam a pontificiis legibus; teste *Zanchio de societate part.* 1. *cap.* 16. *num* 33. *et* 151, *Covarruv. variar. resolut. lib.* 3 *cap.* 2 *num.* 3, *Leotard. de usuris quaest.* 51 *num.* 2, *Mantica de tac. et amb. lib.* 6 *num.* 1, *et s. Rota dec.* 552 *num*, 11 *part.* 1 *in rec.*, *cit. Romana nullitatis contractus diei* 18 *aprilis* 1828 *cor. me*; *et Romana contractus diei* 20 *feb.* 1818 *cor. emo. Odescalchi.*

Male igitur se gessit commercii tribunal, dum cognoscere despexit, an realis, vel potius simulata societas intercesserit ad tegendam foenoris pravitatem. Si verborum cortici non inhaerens, paullisper pacta conventa pensitasset, facillime constituere potuisset, controversiam suae jurisdictioni non competere, et ex memorati art. 656,

sanctione illam remittendam esse tribunali civili, despecto pacto = *di stare inappellabilmente alla decisione del tribunale di commercio* =; quia uti pedissequum et
17 accessorium corruere, aut saltem sequi debuisset sortem principalis; eo magis, cum non Vincentii initum voluntate, sed ab eo coactione et praefocatione extortum praesumi deberet, ut generatim constituunt *Galles de obligat. camer.* § 4 *quest.* 2 *n.* 25, *Gallerat. de renunciat. controv.* 1. *cap.* 47 *num.* 16. 17, *Rota cor. Ansaldo dec.* 173 *num.* 7, *cor. Molines dec.* 1103 *num.* 9, *cor. Crescent. dec.* 1 *num.* 20, *romana pecuniaria* 23 *feb.* 1801 *coram Bardaxi.*

Et ita, meo quoque accedente suffragio, jus redditum est, utraque etc.

**R. P. D. DE AVELLA'**

ANCONITANA SEU CENTUMCELLARUM CIRCUMSCRIPTIONIS

*Lunae* 5 *augusti* 1833.

ARGUMENTUM

Actus - *di abbandono* - ille dicitur, quo mercator *assecuratas* merces in navi, quae naufragio periit, *assecuratoribus* demittit, eorumque pretium, pro quo praestita fuit cautio, petit. Judicium super validitate hujus actus institui debet coram mercatorio tribunali loci quo cautio praestita fuit, et *assecuratores* morantur. Unus *assecuratus* hunc actum perficere, atque hoc judicium instituere legittime potest.

*SUMMARIUM*

1. *Citationis defectus tum adest, cum reus conventus initio litis citatus non fuit nec personaliter, nec in domicilio, nec ubi moratur, nec alio in loco ab lege praefinito.*
2. *Societates commerciales citandae sunt in persona earumdem mandatarii, atque domibus quas ipse habent.*
3. *Actus* dell'abbandono - *atque judicium super ejus validitate confundi non debent cum probatione naufragii.*
4. *Haec quidem exquiri potest ad urgentiam.*
5. *At.* - l'abbandono - *ejusque judicium intra sex menses fieri potest, itaut quaevis exulet urgentia, nec agi valeat* per affixionem.
6. *Nihil ratum habere videtur., qui sibi sarctas tectas servat* le rispettive ragioni ed eccezioni se e come di ragione.
7. *Actor sequi debet forum rei.*
8. *Commercii tribunal cumulative competens, salva praeventione, illud est, sub cujus jurisdictione domicilium habet reus conventus, vel locus adest in quo contracta fuit obligatio, aut peracta vel perficienda sive solutio, sive rerum traditio.*
9. *Judicium super validitate actus* di abbandono *instituendum est ubi cautio fuit praestita, et* assecuratores *morantur.*
10. *Quin obstet dispositio organicae praxeos in* § 9, *quae non laedit peculiares regulas quoad competentiam tribunalium commercii.*
11. *Actio* di abbandono *est vere personalis.*
12. *Quando ob incompetentiam objicitur declinatoria fori, tribunal si eam rejiciendam putat, potest eodem tempore judicium ferre super merito causae.*
13. *Adest defectus mandati, cum judicium institutum fuit a falso procuratore, et falsus praesumitur procurator qui mandatum non exhibuit.*
14. *Actus* - di abbandono - *ille est quo mercator merces* assecuratas *in navi, quae nau, fragio periit,* assecuratoribus *derelinquit, earumque praetium petit pro quo praestita fuit cautio.*
15. *Atque unus* assecuratus *hunc actum explere potest, de eoque judicium instituere.*
16. *Et vide rationem.*

DECISIO LXX.

Paulus Givan, civis anconitanus, ut e portu Civitaenovae quamdam frumenti indici quantitatem ad oram centumcellensem transveheret, conduxit a navarco Baccicalupo navem sardam *brich sconner* nuncupatam *S. Paulo.* Cupiens autem tutam reddere mercem a maris infortunio, cautionem quaesivit a societate = *delle assicurazioni austro italiche* = quam pro summa scutorum *termille*, valeret nec ne merces oneranda, premio depacto scut. 36 praestit Leo Abraham Nuerpurgus, qui erat Anconae societatis gestor ac mandatarius. Onerationis apodixa fuit obsignata die 4

martii hujus anni in rubris 694, quae navarcus promisit *al salvo arrivo consegnarle all' ordine del sig. Giambattista Martini di Civitavecchia* =. Feliciter solvit navis e portu Civitaenovae, sed, uti narravit navarcus *nel testimoniale* apud Consulem sardum expleto, quum prope jam ad Centumcellas appelleret, contrariis fluctibus ita jactari caepit, ut die 12 aprilis confugere deberet in oram=*di s. Agostino*, et furente magis tempestate in sequentibus diebus 13 et 14 in arenam impegeret.

Nunciavit Martinius per affixionem Leoni Morpurgo sequuti infortunii casum, reservata sibi actione *di fare l' abbandono del carico*, eumdemque aeque per affixionem apud centumcellenses commercii judices postea vadavit, ut deputaretur peritus, qui cognosceret de damnis et statu navis, atque insimul esset nec ne *mezzo alcuno di potere utilmente tentare di ricuperare sia in tutto, sia in parte, del carico per conto di chi di ragione* =. Peritus electus fuit Bartholomaeus Vignola, qui in rem praesentem accessit quidem, sed nil fere exploravit, quia fassus est, non potuisse *salire a bordo*; retulit tamen omnia Martinio propitia tam super fractura navis, quam super impossibilitate recuperandi frumentum indicum, quod nauta in navim ascensu reperiit – *superiormente asciutto* =. Curavit post haec Martinius, ut Leoni Morpurgo ex officio deputaretur procurator Benedictus De Bonis, cui post factam declarationem *di abbandonare il carico* diem dixit ut, pronunciata validitate cessionis, decerneretur *esser luogo alla ripetizione del valore assicurato*. Haud neglexit procurator, De Bonis, Morpurgi jura defenderc, promota die tertia maii contra Martinium instantia, ut doceret diligentias omnes adhibuisse pro recuperanda merce. Interim cum acta omnia gesta usque ad diem 4 maji praesidi tribunalis civitatis Anconae fuissent transmissa, vix die 14 maji scientiam de iis habuit Morpurgus, procuratori ex officio epistolium scripsit, in quo certo certius in mandatis dedit ut incompetentiam judicum centumcellensium allegaret. Accepto namque epistolio, illico institit die 20 maji, ut tribunal *dichiarando la propria incompetenza, decretasse non esser luogo a procedere nel giudizio dell' abbandono*. Sed manifesto jurisdictionis defectui absurdas aures judices illi praebentes die 21 maji tres contra Morpurgum ediderunt sententias, quarum prima et secunda querelam incompetentiae, atque instantiam super diligentiis adhibitis pro merce recuperanda rejecerunt; tertia vero validum pronunciarunt *l' atto di abbandono*. Provocavit Morpurgus a sententia lata super incompetentia, et expetivit a s. Ordine circumscriptionem, sin minus revocationem alterius sententiae super validitate *dell' abbandono*. Adeo autem Patribus visa est perspicua actorum nullitas, ut seposita quavis indagine super justitia vel injustitia sententiae, pro ejus circumscriptione judicium ferre non dubitaverint, edito rescripto =: *Esse locum circumscriptioni, et extendatur decisio* =.

Ex triplici capite, ex defectu nimirum citationis, jurisdictionis ac mandati proclamavit Morpurgus actorum nullitatem. Et merito. Patulus siquidem constitit citationis defectus. Degebat enim Anconae Morpurgus, et Martinius nihilominus egit in eum uti exterum, dum per affixionem infortunii casum nunciavit, facultate sibi reservata *di fare l' abbandono del carico*; aeque per affixionem peritum deputari curavit, qui de damnis et statu navis referret; fecit praeterea procuratorem ex officio eidem constituere, et facta declaratione *di abbandonare il carico*, judicium pro validitate *dell' abbandono* adversus Benedictum De Bonis procuratorem ex officio deputatum instituit. Quae cum ita essent, recte derivarunt Patres citationem defecisse. Etenim cum Morpurgus domicilium Anconae haberet, neque id Martinius ignoraret, quia sequutum infortunii casum nunciavit *alli signori assicuratori della compagnia delle assicurazioni generali austro-italiche, e per essi al signor Leon Abram Morpurgo agente in Ancona* =; persona-

liter erat Anconae citandus in vim art. 23 novae praxis organicae = *l' atto di citazione sarà presentato alla persona del reo convenuto* =; ac propterea dum Martinius per affixionem eum Centumcellis
1 vadavit, nulliter egit, perinde ac si absque ullo vadimonio judicium fuisset institutum, prout disponit art. 135 ejusdem novae praxis - *si verifica il difetto di citazione, quando fu omessa la citazione introduttiva del giudizio, ossia quando il reo convenuto non fu citato in principio di lite nè in persona, nè al domicilio, nè alla sua dimora, nè in altro luogo determinato dalla legge.*

Nec quia Morpurgus fuit denunciatus ac citatus uti gestor ac mandatarius societatis *delle assicurazioni austro-italiche*, quae Venetiis morabatur, potuit ideo rite judicium *per affixionem* institui. In eos enim dumtaxat exteros atque alienos judicia fiunt *per affixionem*, qui nullum in pontificia ditione domicilium habent. Cum igitur veneta societas domum commercialem Anconae haberet, et res esset de cautione, sive assecuratione nomine ejusdem commercialis domus per Morpurgum Anconae praestita, personaliter,
2 et non *per affixionem*, uti societatis mandatarius, erat Morpurgus in judicio vocandus, quemadmodum statuit art. 27 ejusdem novae praxis = *I pupilli saranno citati etc. le società di commercio, finchè esistono, nelle case sociali etc.*

Ad declinandam autem hanc aperti juris censuram pro justa et legitima causa haberi
3 non potest urgens naufragii probatio. Etenim cum alia sit probatio infortunii, alia ejusdem denunciatio, et aliud judicium pro validitate *dell' abbandono*, palam consequitur, quod urgens naufragii probatio ab
4 onere nequivisset Martinium eximere personaliter Morpurgum Anconae denunciandi ac citandi. At sane commerciales, quibus regimur, leges ita praecipiunt in art. 368. = *Nel caso in cui l' abbandono può esser*
5 *fatto, ed in quello di ogni altro accidente a rischio degli assicuratori, l' assicurato è obbligato di notificare all' assicuratore gli avvisi che ha ricevuti. La notificazione debb' esser fatta entro tre giorni dalla ricevuta degli avvisi* =. Nec aliter fuit statutum in syngrapha cautionis, cujus in art. 8 legitur = *nel caso in cui l' abbandono può esser fatto, ed in quello di ogni altro accidente a rischio delle assicurazioni generali austro-italiche, dovrà l' assicurato, li suoi commessi ed agenti far notificare a quelli gli avvisi che ha ricevuto. La notificazione deve esser fatta entro tre giorni dalla ricevuta degli avvisi, e prima potendo.* Etsi itaque licitum Martinio fuisset exquirere ad urgentiam sequuti naufragii probationem nil id vetabat, quominus tum ex jure, tum ex pacto certiorem intra triduum Anconae Morpurgum redderet. Multo autem magis aberat urgentia in judicio super validitate *dell' abbandono* =. Praecipit enim commercii lex in art. 367. = *L' abbandono debb' esser fatto agli assicuratori nel termine di sei mesi a cominciare dal giorno della ricevuta notizia della perdita accaduta nei porti* =. Atque idipsum depactum in cautionis syngrapha = *l' abbandono deve esser fatto alle assicurazioni generali austro-italiche nel termine di sei mesi a cominciare dal giorno della suddetta notificazione presentando gli atti giustificativi del rischio e del sinistro* =. Cum itaque actus *di abbandono* intra sex menses posset expleri, exulabat ideo asserta urgentia, ex qua rite *per affixionem* agere Martinius valeret.

Neque objiciendum, ratam habuisse Morpurgum tum factam *per affixionem* naufragii nunciationem, tum judicium aeque *per affixionem* institutum super validitate *dell' abbandono*. Non aliud enim declaravit Morpurgus, quam ut *la comunicazione in via amichevole dell' intiero estratto di atti ecc. debba tener luogo di legale notificazione, e di qualunque interpellazione ed intimazione a termini di ragione e di legge, come se mi fosse stata fatta col ministero di cursore, ed in ogni altro modo migliore* =. At si Morpurgus simpliciter probavit *la comunicazione ami-*

*chevole* nulla ab ea declaratione induci
6 potest ratihabitio de naufragii nunciatione ac judicio *per affixionem* instituto, immo cum in eadem declaratione sarta sibi tecta servasset Morpurgus *le rispettive ragioni ed eccezioni se e come di ragione*, palam enitet, ratum habere noluisse quidquid contra leges peccassent acta *in via amichevole* sibi communicata.

Nec minus autem perspicua reperta est nullitas ex defectu jurisdictionis tribunalis commercii Centumcellarum, apud quod judicium super validitate *dell' abbandono* Martinius instituit, atque ad exitum perduxit. Certi enim sunt jusdicentibus limites praefiniti, quos ultra nequit actorum validitas consistere. Alienam autem provinciam ausos fuisse invadere judices centumcellenses, non poterat in dubium revocari. Nil quippe in foro notius, quam *ut actor*
7 *sequi debeat forum rei*. Morpurgus itaque, qui Anconae degebat, atque inibi cautionem praestiterat, trahi minime poterat in judicio super validitate *dell' abbandono* ad centumcellense tribunal, sed apud anconitanos commercii judices erat omnino citandus, prout praecipit art. 7 *del regolamento di cummercio* =. *Il tribunale di commercio è comulativamente, e salva la prevenzione, quello sotto la cui giurisdizione è domiciliato il reo convenuto, o nei luoghi soggetti al quale siasi fatta la obbligazione, o vi si dovesse effettuare, o vi si sia effettuato il pagamento o la consegna degli effetti.*

Nec quia frumentum indicum erat Centumcellis tradendum, ideo dici potest ejusdem loci tribunal competens fuisse. Non enim egit Martinius, ut frumentum sibi traderetur, sed egit e contra, ut validus renunciaretur actus *di abbandono* ejusdem indici frumenti, quod judicium longissime distare a mercis consignatione, et oportuisse omnino Anconae absolvi, ubi Morpurgus degebat, et cautionem praestite-
9 rat, dilucide patet ex praefato *art.* 7 *del Regolamento di commercio*, et probat quoque exemplum relatum a *Merlin in suo Repert. di giurisp. verbo abbandono* de judicio gesto *Havre* (*borgo de' Paesi Bassi*), ubi cautio praestita fuit, atque ubi assecuratores morabantur, ob naufragium *Calpe* obventum. Merito autem a themate visa est extranea dispositio novae praxis organicae in § 9 quae statuit = *Le azioni reali o miste saranno introdotte a scelta dell' attore avanti il giudice o tribunale, nella cui giurisdizione esiste la cosa litigiosa, ovvero innanzi il giudice o tribunale del luogo, ova il reo convenuto ha il suo domicilio. Se il reo non ha domicilio nello Stato, sia perchè estero, sia perchè assente, le azioni reali o miste dovranno introdursi innanzi al giudice o tribunale del luogo ove è situata la cosa* =. Praeter quod enim lex isthaec aptari minime queat
10 commercialibus negociis, quia eadem praxis organica statuit § 19 = *Le prescrizioni intorno la competenza dei giudici o tribunali contenute in questo Titolo non recano pregiudizio alle regole particolari sulla competenza dei tribunali di commercio, o dei tribunali del foro ecclesiastico*, illud gravissimum urget, quod actio *di abbandono*, utrum nempe ob naufragii casum jus Martinio esset frumentum indicum *abbandonare*, sit vere perso-
11 nalis, neque inter reales ac mixtas, quae in rem tantum, vel in rem insimul et personam dantur, recenseri possit.

Perperam vero contendebat Martinius, comprobasse Morpurgum judicum centumcellensium competentiam. Adeo enim id facto adversabatur, ut die 20 maji, vix scilicet procurator ex officio constitutus Morpurgii epistolium accepit, allegasset illico tribunalis illius incompetentiam. Quidquid itaque narrabant testes a Martinio inducti de Morpurgi mandato, ut procurator ex officio sua jura protueretur, referendum omnino erat ad defensionem super incompetentia parandam. Nec quia idem procurator ex officio eademmet die 20 maji, qua incompetentiam allegavit, repetiit instantiam promotam die tertia ejusdem mensis, qua contra Martinium postulavit ut doceret diligentias omnes adhibuisse pro recuperando indico frumento, inferendum

erat, agnitam, ac probatam fuisse tribunalis illius jurisdictionem. Ad evitandam enim pugnantiam inter allegatam incompetentiam et assensum jurisdictioni praestitum fatendum erat, *salvis juribus* super defectu jurisdictionis instantiam illam fuisse ad cauthelam repetitam, ne scilicet indefensa maneret causa super validitate *dell' abbandono*, ubi tribunal illud de propria jurisdictione non dubitans, pronunciare super ea voluisset, prout licitum erat
12 ex *art.* 12 *del Regolamento di commercio* = *Quando si oppone la declinatoria per incompetenza, se il tribunale crede di doverla rigettare, potrà riunirne il giudizio a quello sul merito per pronunziare nell' uno e nell' altro contestualmente* =.

Constitit demum de tertio nullitatis capite ob defectum mandati. Cautionem enim praestitit Morpurgus Paulo Gioan, quoniam *poliza di assicurazione* ita se habet = *Per il signor Paolo Gioan si assicura a tutto rischio scudi* 3000 *al premio* =. E contra *l' atto di abbandono*, et judicium super illius validitate gestum fuit a Martinio, et a procuratore ad litem ab eodem Martinio constituto. Quamobrem fuit prorsus irritum ac nullum actum judicium,
13 quia = *si verifica il difetto di mandato, quando il giudizio fu introdotto da un falso procuratore. Si presume falso il procuratore, se non ha prodotto il mandato di procura* =, quemadmodum statuit art. 138 novae praxis. Nec quia erat Martinius *il ricevitore* indici frumenti, potuit ideo absque ullo mandato Pauli Gioan *fare l' abbandono*, et procuratorem ad litem super illius validitate constituere. Qualecumque enim intercessisset negocium inter Martinium et Paulum Gioan, statim ac tamen cautionem proprio nomine Paulus Gioan fuit adstipulatus, hic, et non alius actionem *di abbandono* poterat experiri.
14 Est enim *l' abbandono* = *l' atto col quale un mercante che ha fatto assicurare le sue mercanzie su di un bastimento, denuncia la perdita di esso all' assicuratore, e gli abbandona gli effetti, pei quali l' assicurazione sia pattuita con intimazione di pagargli la somma assicurata* = *Merlin. repert. di giurisprud. verb. abbandono*; et propterea ab uno assecu-
15rato Paolo Gioan expleri poterat, prout docent *Casareg. de commerc. disc.* § 2 *n.* 92, *et disc.* 56 *num.* 19. Nec ratio deest, cur unus assecuratus, licet alius sit mercis re-
16ceptor, agere possit in judicio *di abbandono*. Etenim = *L' assicurato è in obbligo nel fare l' abbandono di dichiarare tutte le assicurazioni che ha fatte, o fatte fare, comprese quelle che ha ordinate, e il danaro che ha preso a cambio marittimo sia sul bastimento, sia sulla mercanzia* =. At si declaratio isthaec ab uno Paulo Gioan praestanda erat, quia ipse unus noscere poterat, num alias cautiones exegisset, aperte consequitur, necessarium fuisse Pauli Gioan mandatum, ut Martinius explere posset *l' atto di abbandono*, et procuratorem ad litem constituere.

Et ita etc, utraque etc., jus redditum est.

**R. P. D. MARINI**

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

*Lunae* 2 *decembris* 1833

ARGUMENTUM

Habes in Decisione LXIX quae confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Nulla est tribunalis commercii jurisdictio in actionibus institutis contra praedii dominum vel agricolam ob peractas venditiones frugum ex praedio provenientium.*
2. *Adeoque nec ob societatem, quae inita fuerit super iisdem frugum venditionibus.*
3. *Latifundiorum conductores* - mercanti di campagna - *minime uti negociatores habentur.*
4. *Ii dumtaxat negociatores reputantur, qui habitu et ex professo actus commerciales exercent.*
5. *Non omnes quae inter negociatores oriuntur quaestiones, ad commerciales judices pertinent, sed eae dumtaxat quae ad mercaturam possunt referri.*
6. *Tribunal commercii est tribunal* exceptionis *ad quaestiones dumtaxat commerciales definiendas constitutum.*
7. *Hinc in caeteris negotiis omni caret ju-*

*risdictione, non* personae, *sed* materiae *ratione.*

8. *Jurisdictio, quae nulla prorsus competit, prorogari non potest.*
9. *Judex in iis, quae ratione* materiae *ad ejus cognitionem non spectant, instar privatae personae habetur.*
10. *Jurisdictio est pubblica potestas jus dicendi profluens a lege vel supremi imperantis concessione, nunquam autem per privatorum hominum pactiones conferenda* et num. 13.
11. *Quae publicum ordinem respiciunt privati homines immutare ac subvertere non possunt.*
12. *Arbitris nulla jurisdictio per compromissum attribuitur; eorum enim sententia nonnisi auctoritate competentis tribunalis executioni committi valet.*
14. *Que aguntur metu injusti invalidique mandati et carceris, sunt prorsus irrita.*
15. *Res judicata per circumscriptionem deleta ita habetur ac si numquam orta fuisset.*
16. *Ad expensas et damna, quae ante institutum* circumscriptionis *judicium locum habuerunt, victus non damnatur, si in eo aliqua bona fides deprachendi valeat.*

## Decisio LXXI.

Sententia edita die 24 julii labentis anni ab R. P. D. meo De Cursiis irrita declarata sunt ex jurisdictionis defectu omnia acta coram urbano commercii tribunali, ac praecipue judicatum diei 17 octobris 1832 *com omnibus inde sequutis*, condemnatusque extitit Franciscus Bessier erga Vincentium Santucci ad sarcienda damna reficiendasque expensas etiam extrajudiciales; utpote qui ad mercatorios iudices perperam Santuccium adduxerat, exequutionem contractus expostulans inter ipsos die 19 septembris 1831 celebrati. Appellatione per Bessierum interposita, cum hodierna die Patribus causam definiendam proposuissem, rescriptum prodiit = *Sententiam rotalem esse confirmandam juxta modum in decisione exprimendum* =.

Contractus enim per apocham privatam supramemorata die 29 septembris 1831 Bessierum inter ac Santuccium initus erat ejusmodi. Cum Santuccius ad excolenda serendaque conducta latifundia *di Mentana, Conca e Selvotta* nummis indigeret, pepigit cum Francisco Bessierio, ut is argenteos 1320 eam in rem erogandos suppeditaret; sese obstrinxit, ut ex frumento in iis praedis recolligendo traderet modios biscentum (quot nempe conficerent praefatam summam sc. 1320 ad rationem sc. 6: 60 in modios singulos). Frumentum hujusmodi in horreo ipsius Santucci, retenta clavi ab utroque contrahente, erat asservandum, donec communi placito, ante tamen kalendas novembres, distraheretur. Conventum praeterea ut ex tritici venditione Bessiero ante omnia satisfieret de suppeditata summa argenteorum 1320, pretiique excessus = *la maggior somma che si potrà ricavarne* = ex aequo inter contrahentes divideretur, ac vicissim, si minoris vendi contigeret, jactura communiter tolleraretur. Si quis vero ex contrahentibus promissis haud stetisset, damna atque expensas etiam extrajudiciales reficere promisit, mercatorii tribunalis, jurisdictioni sese subjiciens. Santuccium contractus hujusce adimplementum detrectantem ad praefatum tribunal reapse Bessierus adduxit, ut dies illi praestitueretur ad tradendum frumentum, vel ad pecuniam acceptam restituendam, ac damna emendanda. Quae postulatio benigne excepta est a mercatoriis judicibus per sententiam diei 17 octobris 1832 evulgatam, qua (reservato actori jure agendi pro damnis) terminus quinque dierum Santuccio praefinitus est ad tradendos ex conventione modios biscentum, quo termino frustra elapso, frumentoquo non tradito, iste damnatus est ad restitutionem argenteorum 1320; decreta quoque corporis mancipatione, quae fuit reapse a Besserio peracta. Ut judicatum ejusmodi, omniaque exinde subsequuta delerentur, Santuccius ad nostrum Auditorium querelas detulit, ac per supra laudatam R. P. D. mei De Cursiis sententiam voti compos evasit.

Et merito quidem: Nam Patres contractus de quo agitur, indolem naturamque perpendentes judicarunt, minime potuisse

mercatorios judices de illo cognoscere, ejusque exequutionem imperare. Quandoquidem etsi pro societate, ceu Bessierus contendit, contractum hunc renunciare placeat, profecto societas minime mercatoria, sed civilis prorsus ac communis censenda est. Praebuerat siquidem Bessierus pecuniam necessariam ad culturam agri sationemque; industriam suam in agro excolendo serendoque Santuccius posuerat, ut triticum exinde recollectum lucri in commune faciendi causa pro concurrenti quantitate rubrorum biscentum divenderetur. Quo in themate palam erat, ad controversiam de qua sermo est, dirimendam com-
1 mercii judices omni prorsus jurisdictione fuisse destitutos. Cautum quippe est art. 608 codicis mercatorii = *Non saranno di competenza dei tribunali di commercio le azioni promosse contro un proprietario, conduttore, socio parziario, o coltivatore per vendita di derrate provenienti dal proprio fondo, nè le azioni promosse contro un commerciante per pagamento di derrate o mercanzie comprate pel suo uso particolare* =. Ut enim ad mercatorium tribunal nequaquam pertinet cognoscere de venditione frumenti a praedii domino, vel agricola expleta, ita ex rationis identitate inquirere non potest in contractum so-
2 cietatis initae inter fundi dominum, agricolam, aliosque super fundo excolendo, frugibusque ad utilitatem in commune percipiendam distrahendis. In hac enim societate agi tantummodo de civili negocio nemo non videt.

Quibus in jure animadversis, supervacaneum erat investigare, num contrahentes inter negociatores recenserentur. Principio quidquid sit de Bessierio, Santuccius inter agricolas potius recensendus videbatur.
3 Exercet siquidem iste proprios fundos, vel ex instituto aliena latifundia conducit, ut aratro subigat. Cujus generis homines, licet improprio vocabulo negociatores campestres = *mercanti di campagna* = nuncupentur, revera agricultores potius renunciandos esse, jugiter tenuit noster Ordo, ac praesertim *in romana circumscriptionis in re commerciali diei* 1 *martii* 1833 *cor. Muzzarelli.* Ac reapse antiquitus *aratores* nuncupabantur, ceu colligitur *ex Tullii orat. in Verr. de frumento, ex Svet. in Aug. cap.* 42 *etc.*

Quin negocium facessit quod Santuccius semel aut bis negociationi alicui operam
4 dederit. Quandoquidem secundum mercatorii codicis censuram *art.* 1 ii dumtaxat negociatores reputantur, qui *esercitano atti di commercio, e ne fanno la loro professione abituale* =. Caeterum etsi uterque litigator inter mercatores posset adnumerari, haud idcirco competens fuisset mercatorium tribunal, quum minime ageretur *di un atto di commercio* = verum *di una vendita di derrate provenienti dal proprio fondo* =, quam ad illius jurisdictionem neutiquam pertinere diserte lex statuit in
5 supramemorato *art.* 608. Neque enim quaestiones cunctae, quae inter negociatores exoriri possunt, ad commercii judices deferendae sunt, sed eae dumtaxat, quae ad mercaturam possunt referri. Absurdissimum namque esset, ut controversiae quae negocia mere civilia ac communia respiciunt, hereditates exempli gratia, divisiones, praediorum acquisitiones, servitutes, aliaque id genus a mercatoriis judicibus essent cognoscendae, eam tantummodo ob causam, quod tum actor, tum reus conventus, inter mercatores recenseantur. Praecipit quidem lex (art. 601 supramemorati codicis mercatorii), quod tribunalia commercii judicent = *di tutte le controversie relative alle obbligazioni e contrattazioni tra negozianti, mercanti e banchieri* =, eo quia praesumit = *atti di commercio tutte le obbligazioni tra negozianti, mercanti e banchieri* =. Sed praesumptio locum veritati cedere debet, statim ac contrarium apparet. Quum itaque ex facto constet, Santuccium tradere promisisse = *grano della tenuta di Mentana, Conca e Selvotta, ove ha la semenza di circa rubbia* 70 =, palam est, non tamquam mercatorem, sed tanquam agricolam contraxisse.

Quod vero disserebant, duplicem in syngrapha diei 19 septembris 1831 con-

tractum contineri, emptionem nempe venditionem tritici a Santuccio erga Bessierum initam, ac praeterea societatem mercatoriam, eo nempe consilio institutam, ut triticum jam a Bessiero comparatum pretio scut. 6 : 60 in singulos modios octobris mense revenderetur, ac lucrum ex cariori pretio obveniens inter utrosque socios aeque foret dispertiendum, id magis ex acuto defensorum ingenio depromptum, quam rei veritati conforme visum est. Neque enim id probabile est, neque ex apochae litera apparet, ex qua potius contrarium eruebatur. Conventum quippe fuerat = *che nella vendita medesima dovrà primieramente rimborsarsi il sig. Bessier della somma di scudi* 1320 *improntati e consegnati al signor Santucci* =. Quod sane excludit antea satisfactum fuisse Bessierio per traditionem modiorum biscentum tritici, illudque proprium ipsius Bessierii evasisse. Quin venditionem frumenti erga Bessierium ex eo argui possit, quod pretium statutum deprehendatur scut. 6: 60. in unumquemque modium. Quum enim non quidquid frumenti ex conductis latifundiis demeteretur, in societatem venire debebat, sed ea dumtaxat quantitas, quae suppeditatae a Bessiero pecuniae plus minus responderet, necessario aestimatio quaedam erat praemittenda, ut cognosceretur, super qua demum tritici quantitate societas contrahebatur. Hinc concludendum erat, quod si societas per apocham supramemoratam inita dicenda, in hoc profecto societas consistebat, ut frumentum, quod ex pecuniis Bessieri, ex industria Santuccoi colligebatur in latifundiis *di Mentana*, *Conca e Selvotta* pro quantitate rub. 200 lucri in commune faciendi caussa divenderetur; ceu supra observatum est.

Quibus perpensis, in pretio haberi nequaquam posse Patres considerabant pactum, quo contrahentes sese subjecerunt
6 jurisdictioni mercatorii tribunalis. Quandoquidem tribunal illud *privilegiarium*, sive, ut vocant, *exceptionis* a lege constitutum dirimendis dumtaxat quaestionibus ad mercaturam spectantibus, in caeteris negociis omni carere jurisdictione non *personae*, sed *materiae* ratione compertis-
7 simum est. Jurisdictionem autem, ubi nulla penitus competit, prorogari mi-
8 nime posse, est in propatulo. Judex enim in iis, quae *materiae* ratione ad ejus cognitionem non spectant, instar privatae
9 personae habetur. Quod si hisce in rebus ex paciscentium convocatione judex eligi posset, plane nova ei jurisdictio attribueretur. Jam vero jurisdictio est *publica po-*
10*testas* jus dicendi, quae a lege venit, vel Supremi Principis concessione, minime vero per privatorum hominum pactiones confertur. Ea siquidem, quae publicum or-
11dinem ac politicam hyerarchiam attingunt, privatis hominibus immutare ac subvertere minime fas est. *Leg.* 28 *in princip.*, *leg.* 38 *ff. de pactis*, *leg.* 1 § 9 *ff de magistrat. conven.*, *leg.* 45 *ff de reg. juris* –. Et frustra oggereretur, licitam esse de arbitris sumendis conventionem.
12Namque arbitris nulla *jurisdictio* per compromissum attribuitur: ac dumtaxat contrahentes super controversia aliqua eorum sententiae stare promittunt, atque ita ordinarium judicium evitant. Verum ut arbitrorum sententia exequutioni committi possit, ordinarii tribunalis auctoritas imploranda est. Itaque ex hoc ipso firmatur, per privatas pactiones minime derogari publico judiciorum ordini, neque jurisdictio-
13nem ei, cui legitime non competit, attribui posse.

At vero dum contrahentes in rebus a mercatura alienis commercii tribunali sese subjciunt, jurisdictionem, qua plane destituitur, illi attribuunt, ac praeterea sese obnoxios reddunt praecipiti judicii ritui, corporisque mancipationi, non in subsidium, sed immediate cum facultate cumulandi quodlibet exequutionis genus. Quae cum secumferant ordinis publici perturbationem, judiciorumque perversionem, id circo nullius momenti habendas esse hujusmodi pactiones, exploratissimum est.

Nec meliori consilio propugnabant Bessieri defensores, quod sententiae a mercatoriis judicibus pronuntiatae acquieverit

Santuccius, ratamque eam habuerit, dum lucra, quae ex venditione frumenti redire potuissent, ad liquidum amica conventione perduxit. Id enim nihili faciendum apparebat. Principio animadvertebant Patres, Santuccium ejusmodi conventioni nomen dedisse ad remorandam imminentem sen-
14 tentiae, qua de agitur, exequutionem; quae vero aguntur metu iniusti invalidique mandati ac carceris, irrita habenda esse constat. *Paris de resignat. lib.* 13 *quaest.* 1 *n.* 120, *Calderin. cons.* 1 *de renunciat.*, *Roland. cons* 100 *num.* 1. 2 *lib.* 4, *De Luca de beneficiis disc.* 78. *num.* 6, *Rota cor. Celso dec.* 6. *num.* 7. *et seq.* Rursus perpendebant, in ea conventione nihil prorsus obmussitatum esse de validitate seu nullitate sententiae tribunalis commercii, neque Santuccium ullo modo jure valedixisse ejusdem sententiae circumscriptionem petendi.

Tandem quod ajebant, post rem judicatam, cui locus factus est ob appellationem a nostro Ordine denegatam, ambigi nefas esse de existentia contractus socialis mercatoria qualitate donati, id nullius momenti esse
15 deprahendebatur; statim ac omnia delentur per extraordinarium circumscriptionis remedium.

Ex hactenus animadversis apparebat, album calculum adjiciendum esse nostri Ordinis sententiae, quae omnia gesta coram mercatoriis judicibus, ac praesertim sententiam diei 17 octobris *cum omnibus inde secutis* irritam declaravit.

Quod vero attinet ad expensas ac damna, ad quae Bessierus in eadem sententia damnatus fuit, Patres existimarunt, mitius cum eo agi oportere; quum perpenderent, ante institutum a Santuccio judicium *super circumscriptione* aliquam bonam fidem posse
16 Bessiero non immerito suffragari. Santuccius enim per procuratorem apud mercatores judices caussam dixit, quin de incompetentia tribunalis exciperet, damna deinde ex eorumdem sententia ad liquidum adduxit atque egit coram tribunali ordinario pro contractus nullitate = *salvo soltanto al citato il diritto di ripetere la somma anticipata a forma della sentenza resa dal tribunale di commercio di Roma il giorno* 17 *ottobre* 1832 =, ac nonnisi ineunte mense januario 1833 de circumscriptione querelas detulit ad nostrum Auditorium. Hisce rationibus permoti Patres definiverunt, ante institutum hoc de circumscriptione judicium expensas inter litigatores esse compensandas; nec Bessierus usque ad eam diem damnis emendandis obnoxium esse debere; atque hic erat modus in decisione exprimendus.

Et ita utraque etc., me quoque suffragium ferente, decisum est.

### R. P. D. DE CURSIIS

### ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET EXEQUUTIONIS CONTRACTUS

*Lunae 9 decembris* 1833

ARGUMENTUM

Ob non servatos substantiales judicii terminos locus est *inhibitoriae* ab appellationis tribunali concedendae, vel restitutioni in integrum si orta fuerit res judicata; numquam autem ejusdem judicii circumscriptioni.

*SUMMARIUM*

1. *In iis quae respiciunt* - la conservazione della cosa in quistione - *licet instituere judicium* ad urgentiam.
2. *Judex qui jurisdictionis suae limites egressus non sit, si injustam dixit sententiam, gravamen parti intulit, non autem nulliter pronunciavit, adeoque non est locus circumscriptioni.*
3. *Ob defectum formae a praxeos legibus statutae locus est non circumscriptioni sed dumtaxat inhibitoriae ab appellationis tribunali obtinendae* et num. 5.
4. *Si autem orta jam fuerit res judicata, locus est ob eumdem defectum, non pariter circumscriptioni, sed restitutioni in integrum.*

## Decisio LXXII.

Salvator Grandoni, qui cauponam hic in Urbe exercebat, initio hujusce anni emerat ab Joanne Nicolini ex oppido Marini vini dolia viginti. Conventum in emptione fuit, ut uniuscumque dolii pretium assur-

geret ad argentea *triginta sex*, numeranda dum Grandonius vinum ad Urbem susciperet transvehendum; ut interim arrhae nomine solveret argentea *centum*; utque demum empti vini transvectio fieri deberet quoad dolia *decem* priusquam aestas adveniret, quo vero ad *decem* reliqua post illam incoeptam; ea interim, ne oalescente illo tempore vinum acesceret, sua collocare in crypta Nicolinius spopondit Grandonii sumptu, quemadmodum fidem de iis omnibus praebuit proxeneta Franciscus Maria Malmeluzzi, qui se contractus conciliatorem edixerat. Properante at ad exitum mense Junio, *duo* tantum vini dolia Grandonius sumpserat, ac ex promissae arrhae titulo una scutata *quindecim* numeraverat; propter quod ob contractus inadimplementum, ac rei venditae periculum, instituto judicio, quod dicunt *ad urgentiam*, vadatus a Nicolinio fuit coram commercii judicibus hic in Urbe ad hoc, ut decerneretur sibi jus esse vendendi, Grandonii emptoris periculo, dolia octo vini, quot videlicet supererant ex iis, quae transvehenda spoponderat ante aestatis adventum, caeteraque reponendi illius sumptu in crypta ad conventi fidem, nec non ut damnaretur Grandonius ad residuae arrhae solutionem in argenteis nummis *octuagintaquinque*; quod impetratum omne a Nicolinio fuit, relaxato a commercii judicibus contra Grandonium reali ac personali mandato, si intra dierum octo terminum contractum non implevisset, residuamque arrhae summam non exsolvisset.

Unis at datis per literas tum Nicolinio tum ejus avunculo missas sponsionibus, post elapsos termini dies cum reapse Grandonius fecisset nihil, conjectus in carcerem fuit. Protestationem tunc ipse emisit de actus nullitate, eo quod contendebat, se arrham non expromisisse, nisi in unis scutatis *quindecim*, quae jam exsolverat, quemadmodum probare adnititur ex testimonio alterius proxenatae Joannis Baptistae Rocei. Provocavit deinde apud Ordinem nostrum postulans coram R. P. D. meo De Avellà, qui subrogatus fuit R. P. D. meo Marini, jam subrogato R. P. D. meo Muzzarelli absenti, ut acta omnia ad urgentiam gesta penes commercii judices circumscriptione delerentur, et signanter pars illa sententiae qua damnatus incessit ad arrhae solutionem; propositaque quaestione in congregatione extraordinaria diei 19 augusti anni superioris, editum rescriptum fuit = *Esse locum circumscriptioni quoad solutionem arrhae, et carcerationem per viam nullitatis, in reliquis nihil de circumscriptione, et expediatur* =; quod subsequuta est rotalis sententia, in qua damnatus fuit Nicolinius ad omnia damna et expensas prout et quatenus de jure. Egre rem tulit Nicolinius; quapropter per interpositam appellationem curavit, ut rotalis sententia novo examini coram me subjiceretur. Prodiit idcirco hodie mane quoad eam sententiam rescriptum = *Quoad praefixionem termini et exequutionem contractus sententiam rotalem esse confirmandam, in reliquis esse infirmandam, et extendatur decisio; quo vero ad quantitatem arrhae dilata, et coadjuventur probationes.*

Ambigi quippe non poterat ullo modo de rotalis sententiae justitia ea in parte, qua rejecta fuit circumscriptionis postulatio quoad contractus implementum, terminique praefixionem. Etenim nec Grandonius negabat, se contractum iniisse cum Nicolinio, quo spoponderat emptionem *viginti* doliorum vini a se sumendi quoad *decem* priusquas aestas adveniret, ne per aeris vim recensiret in acorem. Reliqua autem *decem* ejus sumptu reponenda a Nicolinio in crypta esse, siquidem illa post incoeptam aestatem Grandonius fuisset suscepturus. Professus id fuerat ipse, tum priusquam commerciali damnaretur sententia, tum post illam editam, litteris datis Nicolinio ipso, ejusque avunculo, quibus contractus implementum luculentissime adpromittebat. Cum itaque incoepta jam aestate, contractum non implevisset ea in parte, qua ante tempus ille erat implendus, cumque praesens adesset periculum, ut ex non praestita fide empta res periret, rite. Nicolinius

egit, dum illum vadavit *ad urgentiam* penes commercii judices, quibus illa in re jus dicere fas erat, tum ratione rei, tum ratione personae, ut per termini praefixionem emptae rei periculo caveretur. Piana namque ex lege permittitur art. 666, ut judicia possint institui *ad urgentiam* iis in concertationibus, quae instituuntur ac respiciunt = *la conservazione della cosa in questione* = quibus cum accenseretur judicium a Nicolinio institutum, ut de vini divenditi periculo cautum sibi esset, redargui nullo modo commercialium judicum sententia potuisset dicta *ad urgentiam*, cumque nullo nullitatis vitio inquinata esset, non erat circumscriptionis ope delenda, quemadmodum merito Rotalis praeterita sententia censuit.

Attamen non eodem modo ad justitiae normam sese habuit sententia haec, dum circumscriptionem adhibuit quoad alteram commercialis pronunciationis partem, quae Grandonium solutioni arrhae damnaverat, relaxato in eum personali ac reali mandato. Delendam idcirco circumscriptione Rotalis sententia illam putavit, eoquod de arrhae solutione judicatum quoque fuerat *ad urgentiam*, quod fieri praeter jurisdictionis exemplum haud posse statuebat, unde illam ex jurisdictionis defectu delendam esse concludebat. Id autem re melius perpensa, stare nequaqum PP. DD. existimarunt. Re namque intrinsecus perspecta, dici haud poterat, suam egressum fuisse jurisdictionem judicem illum, qui, non servata praescripta judicii forma, proculcatisque terminis a lege constitutis, suam edidit sententiam. Ita enim agendo non suam egressus est jurisdictionem, quae in themate commercii judicibus erat tum ratione rei, tum ratione personae, sed unam rem fecit
2 injustam; quod cum judex fecerit, gravamen certe parti intulit, non autem nulliter pronunciavit, prorsus ut deleri circumscriptione ejus sententia debeat ad *Text. in leg.* 1 *cod. de appellat.* tradunt *Scaccia de appellat. quaest.* 17 *limit.* 6 *memb.* 8 *num.* 29, *Conturd. de moment. possess. limit.* 18 *num.* 2 *et* 3, *Posth. de manut. observ.* 7 *num.* 22 *et* 23, *ac Signaturae tribunal in Nullius seu Farfen. circumscriptionis* 12 *junii* 1832 § 10 *coram Grossi*, *et in Romana circumscriptionis et unionis causarum* 20 *decembris* 1832 § 5 *coram Vannicelli.* Cum exularet hinc defectus jurisdictionis eo nomine a sententia rotali probatus, injusta erat imperata circumscriptio commercialis judicati.

Quod autem tenendum nunc fortius erat post editas Gregorianas praxeos leges. Iis enim in legibus mulctata nequaquam circumscriptionis poena judicia sunt,
3 in quibus defectus statutae formae adfuit, sed cautum dumtaxat, ut damnato jus sit convolandi ad tribunal appellationis ad obtinendam inhibitoriam. Ita quippe art. 24 = *Il tribunale di secondo grado accorderà la richiesta inibizione, se nei giudizii rispettivi non concorrono i requisiti sostanziali voluti dalla legge, sia per la competenza dell' azione, sia per la forma privilegiata* =. Si autem iis in judiciis, in quibus servata forma non fuerat a legibus constituta, orta esset res judicata, alienae adeo Gregorianae leges sunt ab probanda per circumscriptionem
4 eorum nullitate, ut defectum illum recensuerint inter caussas, ob quas restitutio in integrum sit concedenda, quemadmodum scriptum legitur in § 181 = *La inosservanza delle forme prescritte dalle leggi di procedura potrà ritenersi dal tribunale supremo come violazione di legge all' effetto di ammettere i ricorsi per la restituzione in intero nei seguenti casi* =, quos inter tertio loco recenset = *se non furono osservati i termini sostanziali del giudizio* =. Grandonio itaque, qui in solutionis arrhae ordinario judicio condemnari nequibat *ad urgentiam*, aliud ex neothericis quoque legibus praesto esse diffugium non poterat, nisi ad appellationis tribunal convolandi, ut inhibitoriam obtineret, non autem postulandi judicii ita contra legem acti circumscriptionem, quemadmodum simili in specie tenuit Signaturae tribunal, prout *in cit. Nullius*

*seu Farfen. circumscriptionis* 12 *julii* 1832 § 12 *coram Grossi*, *in Bononien. circumscriptionis* 6 *septembris* 1832 *n.* 8 *coram De Bubalo*, *et in Romana circumscriptionis et unionis causarum* 20 *decembris* 1831 § 6 *coram Vannicelli*; quam ideo circumscriptionem cum non rite decretam PP. DD. a Rotali sententia vidissent, eam hac in parte iufirmarunt, relicto in suo validitatis statu commercii judicato ea etiam in parte, qua damnatus Grandonius ad arrhae solutionem fuit.

Cum autem de hujusce condemnationis justitia ex interposita per Grandonium provocatione esset hodie mane judicandum, non satis probata PP. DD. fuere, quae de illius arrhae quantitate Nicolinius attulerat. In fide namque proxenetae Malmelutii, qui unus de arrhae expromissae quantitate ad argentea usque *centum* deponebat, suum tuto collocare judicium haud posse censuerunt. Praecipue vero cum ei adversaretur testis alter Joannes Baptista Rocci, qui asserebat arrham fuisse conventam in unis scutatis *quindecim*. Consulto itaque quoad arrhae quantitatem judicium distulerunt, imposito Nicolinio onere coadjuvandi quoad hanc rem probationes, quibus per eum allatis justitiae consonum reddendum judicium erit.

Et ita, utraque etc. redditum judicium fuit.

**R. P. D. DE RETZ**

ROMANA SOCIETATIS ET REDDITIONIS RATIONIS

*Mercurii* 8 *januarii* 1834

ARGUMENTUM

Quae sint commercialium societatum species. Ea quam vocant „ *collettiva* „ pro forma substantiali scripturam requirit, neque per testes probari potest. Nulla autem datur societas, si, praeter sociorum consensum, non concurrat commune caput, communis opera et industria, itemque commune lucrum et damnum.

*SUMMARIUM*

1. *Numquam decernendum est formale testium examen ubi procul a testium dictis contraversia absolvi possit et debeat.*
2. *In dubio contra societatem pronunciandum est.*
3. *Commercialium societatum species a lege constitutae sunt; nempe* „ collettiva „ accomandita „ anonima „ atque in participazione „.
4. *Ea est* collectiva *societas, quae initur a duobus vel pluribus, ad hoc ut negociatio fiat* sotto una ragione sociale.
5. *Haec autem pro forma substantiali requirit scripturam, nec probari potest per testes.*
6. *Nulla in jure datur societas in qua praeter sociorum consensum non concurrant commune caput, communis opera et industria, itemque commune lucrum et damnum.*
7. *Excluditur socialis capitis immissio.*
8. *Pariterque communis opera et industria.*
9. *Atque demum commune lucrum et damnum.*
10. *Verbum* „ miei „ *omnino adversatur societati jam perfectae*
11. *Nihil probant testes qui de credulitate referunt.*
12. *Vel de auditu inducentis.*

## Decisio LXXIII.

Industria et solertia Andreae Seretti non obscuri nominis in Urbe artificis ita animum occuparunt Vincentii Savi, ut de ineunda cum eo societate consilium susceperit. Excoluerat Vincentius et ipse a prima usque aetate aurificis artem, illamque ut perfectius assequeretur plures ac longiquas orbis regiones peragraverat. Italiam demum reversus Romam venit, secum ex Gallia adducens novi generis instrumenta ad aurificium exercendum. Quae res ubi primum ad aures pervenit Andreae, hic ut erat hujusmodi instrumentorum percupidus, ita Vincentii dignoscendi occasionem statim quaesivit. Nova hinc cum vidisset instrumenta, quae ociosa manebant, petit ab eo, ut nonnulla ex iis sibi utenda accommodaret. Cui petitioni annuit Vincentius, et sub die 20 juli 1831 quaedam tradidit instrumenta, quae Andreas pro suo opere recepit, obligatione adjecta = *di restituirli*

*e darne un competente compenso* =. Ex eo autem tempore uterque coepit mutuis officiis inter se prosequi, atque adeo alter in alterius amicitiam se insinuavit, ut brevi de societate perficienda propositum iniverunt. Placebat Vincentio societas ob Andreae industriam et ingentis lucri facilitatem: vicissim iste societatis objecto delectabatur, quia socius res et pecunias immittere, atque artis magisterium communicare spondebat.

Sed inter haec Vincentius Urbem deserere, et Spoletum, ubi lares habet, remigrare debuit; haud tamen ob id intermissa sunt societatis coeundae consilia, quae imo perseverarunt etiam post illius reditum. At volvente anno 1832, quod tempus fuerat inchoandae societati praestitum, nullatenus memorata societas perfecta fuit. Licet enim Vincentius pecuniam, et instrumenta alia eo anno dederit Andreae, hic tamen non societatis titulo ea omnia recepit, sed dumtaxat = *per lavorare e fare i miei interessi nella professione di bigiottiere* =. Nec itidem societatis causa traditi per id temporis fuerunt pretiosi lapilli et ejus generis alia, sed ut, permittente Andrea, venui exposita in officina manerent, atque = *in una separata vetrina* =. Ac adeo denique apparet, societatem reapse initam non fuisse, ut Andreas operam suam Vincentio locaverit pro quibusdam jocalibus elaborandis, atque ab ipso debiti pretii confessionem retulerit. Res itaque in simplicem abiit tractatum, qui demum ineunte anno 1833 dissolutus penitus fuit. Orta siquidem inter eos dissentione, uterque societati valedixit. Tum dissociatis animis, Vincentius jocalia repetit, quae venui exposita retinebat, et illico dicam Andreae transmittit apud commerciales judices, postulans solutionem scut. 670. 5o. Sed mox novam actionem instituere ei placuit; nam alterum proposuit libellum, quo = *salvo il diritto e senza pregiudizio dei lucri sociali da chiedersi in congruo e separato giudizio, e degli altri crediti e ragioni all' istante competenti* = petit = *la restituzione di tutti e singoli ordigni e ferramenti ad uso di bigiottiere, non che dell' oro, gioje, ed altri generi ed oggetti a forma del conto e dei documenti da prodursi, altrimenti esser condannato al pagamento per l' ammontare di esso in scudi* 5o5. 5o.

Hoc vix accepto vadimonio, obtulit Andreas instrumentorum restitutionem, et tribunal commercii, decreto lato, diem praefixit ad ea recipienda. Sed ab hoc decreto provocavit Vincentius, simulque alterum vadimonium Andreae indixit, quo postulavit, ut terminus illi praefigeretur = *ad effetto di prestare a forma di legge un esatto rendiconto tanto del capitale immesso per parte dell' istante in sc.* 595. 5o *nel negozio sociale di oreficeria e bigiotteria, quanto dei lucri ricavati dal detto capitale* =. Haec petitio rejecta penitus fuit a commercii judicibus, lata in id sententia, a qua cum provocationem interposuisset Vincentius, delata est rei cognitio ad nostrum Ordinem; propositaque causa in comitiis diei 19 augusti praeteriti anni coram R.P.D. meo Bofondi, rescriptum fuit = *Dilata, et examinentur testes hinc inde inducti et inducendi* =. Ab edito deinde decreto super testium examine appellavit Andreas, eique s. Tribunal in audientia diei 22 elapsi novembris appellationem *in suspensivo* indulsit. Hodie vero, renovato certamine, infirmandum decretum illud Patres censuerunt, simulque caussam ipsam juxta consuram art. 994 judiciarii codicis sa. mem. Pii VII ad examen vocantes, rescripserunt = *Non constare de societate, nec esse locum redditioni rationum, et extendatur decisio* =.

Et primo quidem revocandum visum est decretum, quo imperatum fuit, ut testes utrinque inducti atque inducendi solemni ritu interrogarentur, quia constitit formale istiusmodi examen inutile prorsus esse ad definitionem ejus controversiae, quae suapte natura aliunde quam a testium dictis absolvi poterat ac debebat. Ad quaestionem autem ipsam quod attinet, haec tota in eo versabatur, ut inquirendum definiendumque esset, utrum nec ne inter

Vincentium Savi atque Andream Seretti societas revera extitisset. Ab existentia enim vel inexistentia hujusmodi societatis pendet unice, num postulata rationum redditio veniat decernenda. Atqui Vincentius actoris partes substinebat in judicio, et salebrosam societatis tacitae actionem protuebatur, quae luculentas et indubias exigit probationes. Ipse ergo certissimis probationibus societatem perfectam evincere tenebatur. Satis autem erat Andreae reo convento vincere per non jus actoris, et quoquo modo rem in ancipiti versari. In qualibet namque dubietate contra societatem est pronunciandum ex censura *leg.* 3 § *cum specialiter ibique Glos. ff pro socio*, *Gratian. diseept. forens. cap.* 336 *num.* 1 *et seq.*, *Ansald. de commerc. et mercatur. diss.* 87 *num.* 15, *Zanch. de societate part.* 4 *cap.* 2 *num.* 63 *et seq.*, *Rota in Romana seu Sabinen. societatis* 18 *junii* 1753 § 10 *coram Figueroa*, *in Romana seu Asculana societatis* 5 *julii* 1805 § 3 *coram Resta*, *et in confirmat.* 7 *junii* 1816 § 8 *coram Piccolomini.*

At vero cum non de communi, sed de mercatoria dumtaxat societate in themate ageretur, cumque non aliae commercialium societatum species noscantur, quam quae a lege ipsa commerciali constituuntur, ut sunt *collettiva*, *accomandita*, *anonima*, et altera quae vocatur *in partecipazione*, necesse hinc omnino erat, ut Vincentius alterutram ex hisce intercessisse demonstraret. Sed si qua adfuisset societas inter ipsum atque Andream, ea certe nec *anonima* fuit, nec *accomandita*; hae quippe longe differunt ab alia societatis specie, quam obtinuisse proponitur. Remanet igitur, ut vel *collectiva* fuerit, vel = *in participazione* =. Verumtamen collectivam tantummodo esse potuisse, et non alterius generis, ex eo praecipue colligebatur, quia non res fuerat in specie de una vel pluribus negociationibus determinatis et transitoriis, ex quibus ex lege mercatoria constitit societas = *in participazione* =, sed de indeterminata et con-
4 tinua negociorum serie super officina = *di orificeria e bigiotteria* =, quod uni convenit societati collectivae, quae juxta artic. 19 codicis commercii est illa, = *che viene formata da due o più persone, e che ha per oggetto il commercio sotto una ragione sociale* =. Si itaque collectivi nominis dumtaxat esse potuit societas, de qua agitur, cum lex pro forma substantiali imperet, ut scriptura hujusmodi so-
5 cietates probari debeant, hoc ipso controversa societas excludatur oportet, quia scripta quaevis probatio in themate deficit. Nec testibus probari ea potest: lex enim non modo scripturam praecepit, sed verbis imo conceptis testes respuit; dum in artic. 40 habetur = *Niuna prova testimoniale potrà essere ammessa* =. Atque haec potissima ratio fuit, quare Patres inutile existimarunt formale testium examen, quia nimirum inspecta indole societatis, quae scripturam exigit, nulla probatio ex testibus hauriri poterat.

Quod cum probe intelligerent Vincentii defensores, toti proinde in eo erant, ut multa disertaque oratione prae primis suaderent, societatem inter Savium et Serettium initam non collectivi nominis fuisse, sed dumtaxat = *di participazione* =, talem videlicet, quae cum ab ipsa lege omni formalitate peculiariter sit exempta, idcirco etiam sine scriptura consistere et demonstrari valet. Verumtamen Patres utut viderent inutili prorsus conatu id eos contendere, obsistente potissimum societatis ipsius, quam praetendebant, indole, nihilominus haud ulterius in hujusmodi investigatione immorandum esse arbitrati sunt, quia admissa etiam *participationis* societate, non modo illius existentiam nullatenus Vincentius evincebat, sed facta insuper occurrebant adeo gravia ac perspicua, ut illa omnino esset submovenda. Quamvis enim nulla ex jure dari societas possit, in qua praeter sociorum consensum simul non concurrant tum comune caput, tum comunis opera et industria tum lucrum
6 denique et damnum commune; attamen ex facto constabat, ita res esse in themate comparatas, ut horum omnium, quae societatis essentiam constituunt, nihil, ut par esset, comprobaretur.

Et ad primum quod pertinet, nulla praesto erat probatio, quod sociale caput immissum a Vincentio fuisset. Nec vices socialis hujus capitis gerere ullimode potuerunt instrumenta, pecuniae et jocalia Andreae tradita: nam alio prorsus titulo haec omnia data atque ab Andrea recepta fuerunt. Quoad instrumenta enim monstrabat syngrapha ea occasione exarata, eadem commodata fuisse, obligatione adjecta tum = *di darne un competente compenso*, tum *di restituirli ad ogni richiesta, ed in mancanza pagarne il prezzo* =. Nec satis: nam Andreas declarationem addidit, quod = *servivano pel mio lavoro* =. At si ea instrumenta data essent loco socialis capitis, quis non intelligit quam absurdae fuissent obligationes ejusmodi, quae aliud prorsus, et societati oppositum significant? Clarius autem excludebatur, pecuniam, quam Vincentius suppeditavit, in societatem fuisse collatam. Aliud namque manifestissime praeseferebat acceptilatio ab Andrea emissa, in qua ita professus fuit = *dichiaro aver ricevuto la somma di sc.* 250 *per lavorare e fare i miei interessi nella professione di bigiottiere* =. Hac vero posita acceptilatione concipi sane nequibat, quomodo credita ab Vincentio pecunia veluti sociale caput traduci posset, cum non aliter quam mutui titulo recepta fuisset. Idem demum de jocalibus, aliisque pretiosis rebus dicendum erat. Nam adeo certum est, haec non constituisse sociale caput, ut imo ex testimoniis ab ipso Vincentio allatis eruatur, hujusmodi res, permittente Andrea, venui exposita fuisse in officina, atque semper extitisse = *in una separata vetrina* =, donec, jurgiis ortis, Vincentius ipse eas abduxit.

Non constat itaque de socialis capitis immissione. Nec pariter constat, industriam atque operam fuisse communem. Quoad Vincentium enim utut probaretur, nonnullos actus in Andreae officina gessisse, quod videlicet frequens ibi adesset, quod sollicitudines ostenderet, quod negociationem ampliandam curaret; hujusmodi tamen actus tales non erant, ut communem evincere possent industriam, quum ab eo positi noscerentur, qui societati conciliandae inhiabat, et cum fieri etiam potuissent citra nomen et jus societatis. Eoque magis quia constabat eos actus locum habuisse etiam tempore, quo ex confessione ejusdem Vincentii nulla aderat societas. Fortius denique quia super jocalibus, in re scilicet ad societatem pertinente, seorsim Vincentius negociabatur ad proprium quaestum et utilitatem. Quoad Andream vero compertum erat, suam aurificis operam in pluribus elaborandis rebus Vincentio locasse; ab eoque syngraphum etiam retulisse qua se pretii debitorem renunciabat. Quae profecto res contingere nullatenus poterat, si industria fuisset communis, si revera societas constituta jam esset. Sed hac in re cumulum veluti imponebant dicta testium plurimorum, ex quibus eruebatur Andream officinam exercuisse, eumque unum cuncta semper gessisse.

Tandem nec probabat Vincentius lucrum et damnum fuisse commune: quaestus imo divisio, et damni communicatio ex ipsius facto apertissime excludebatur. 9 Si enim communis fuisset quaestus, non se debitorem renunciasset pro operibus ab Andrea peractis: itemque si commune damnum esse debuisset, nec instrumenta accomodasset, nec pecuniarum caput sibi sarctum et integrum reddendum fore convenisset. Quin vel minimum referat, computa quandoque ab Andrea exhibita fuisse. Praeterquamquod enim in hujusmodi rationibus nullum fit verbum de societate, hoc insuper animadversione dignum occurrit, illas non eo modo initas apparere, ut cognitionem praebere valeant socio de rebus socialibus. Accedit etiam, ea computa citra societatem exhibenda ab Andrea fuisse, tum ut Vincentius eruere ex iis posset futurae societatis sperabile lucrum, tum praeterea quia cum Andreas plura identidem a Vincentio recepisset, necesse inde erat, ut huic ostenderet quomodo se res haberent in officina; hoc

enim pacto Vincentius, cui jus quodammodo erat negocium cognoscendi, tutus de suo credito reddebatur. Post haec non erat ambigendum, quin nullo modo constaret de controversa societate, quae caeteroquin exclusa manebat ex judiciali ipsius Vincentii facto, qui dum primum in jus rapuit Andream, de societate ne quidem meminit, sed dumtaxat solutionem sc. 670. 50 postulavit.

Rebus autem ita se habentibus, perperam Vincentii patroni ad societatem adstruendam praesidium a testibus atque ab epistolis Andreae quaerebant, contendebantque instrumenta, pecunias, caeterasque res, licet alio titulo datas ab initio, in sociali postmodum caput conversas omnes fuisse, dum nimirum societas constituta firmataque extitit. Ponderabant namque Patres, ex testibus atque ex caeteris documentis, quae afferebantur, id unum certissimum erui posse, Vincentium inter atque Andream tractatum et propositum coeundae societatis intercessisse; at nunquam inter eos societatem fuisse perfectam ex ipsis allatis documentis quam evidenter demonstrari. Reque vera si societas haec inita reapse fuisset, id equidem factum esse oporteret ante diem undecimam anni 1833, qua die judicium est coeptum. Porro per totum annum 1831 societatem uullam obtinuisse, binae prae caeteris probant Vincentii epistolae Spoleti, ubi tunc morabatur, datae, in quarum altera, quae diem exhibet 24 augusti, ita ad amicum scribebat = *Le mie circostanze mi obbligano a prendere una carriera per l'anno nuovo. Al mio ritorno io tendo a fare il giojelliere, bigiottiere e smaltatore in società con Andrea Seretti che conoscete: vi prego segretamente esaminare la sua condotta, e darmene qualche ragguaglio* =. In altera vero epistola, quae est diei 31 octobris ejusdem anni, ita Andreae rescribens Vincentius ajebat = *Al mio ritorno, che sarà in breve, combineremo qualche cosa, ed allora per l'anno 1832 sarà stabilito quello che si potrà fare tanto pel vostro che pel mio interesse* =. Haec itaque dum scribebat Vincentius, non modo nulla adhuc aderat societas, sed nonnisi postquam ipse Romam reversus foret, ea erat in proximum annum concilianda. Atqui nec per totum annum 1832 conciliata extitit societas.

Hujus sane rei indubiam exhibet fidem acceptilatio, quam sub die 18 aprilis ejusdem anni Andreas emisit. Si enim iste pecuniae acceptae, simulque instrumentorum fecit acceptilationem, ad id scilicet = *per lavorare e fare i miei interessi nella professione di bigiottiere* =, fatendum profecto est, saltem ad eam usque diem (quod tamen est tempus societatis a Vincentio propositum) nondum assertam societatem extitisse. Verbum namque 10 = *miei* = omnino adversatur societati jam perfectae. Nec vero deest monumentum aliud, quod societatis existentiam in posterum etiam excludat. Praesto est namque notula operas exhibens ab Andrea praestitas in qua Vincentius pro earum pretio se illius debitorem profitetur. Ex qua sane declaratione, quae est diei 2 januarii 1833, nondum societatem adesse colligitur. Quod si itaque ad diem ferme instituti judicii adeo ineluctabilibus monumentis societatis, de qua agitur, existentia profligatur, jam nullum dubium superesse valet, quin de societate ipsa non constet, cujus insuper et leges et conditiones, deficiente scriptura, omnino ignorantur. Spernendae autem sunt epistolae a Serettio conscriptae; hae siquidem omnes tempus futurum respiciunt, et futuram designant societatem, quae nunquam inchoata fuit. Posthabendi pariter testes a Vincentio inducti: hi enim omnes, praeterquamquod testibus aliis conflictantur, et nihil referunt de auditu Serettii, vel de aliquo ejusdem facto ad societatem per- 11 tinente, ea insuper quae narrant, vel de auditu sunt ejusdem Vincentii, vel propriam tantum credulitatem atque opinio- 12 nem exhibent. Nemo tamen ignorat, nihil probare testes, qui de credulitate referunt, vel de auditu inducentis.

Ex his vero omnibus cum apertissime exclusa maneret societatis existentia, sponte sua consequebatur, postulatam quoque rationum redditionem super capite et lucris socialibus esse rejiciendam. Haec siquidem actio, deficiente societate, nonnisi quam injuria a Vincentio fuerat instituta.

Et ita in strenuo partium certamine decisum est.

R. P. D. ZACCHIA

ROMANA CONSIGNATIONIS

*Lunae 3 martii* 1834

ARGUMENTUM

Quilibet, etiamsi per se contrahendi facultate careat, potest esse institor, cum quidquid gerat, praeponentis jussu gerere videatur. Ex contractibus autem institorum initis ejus rei gratia cui praepositi ipsi fuerint, praeponentes obligantur semper et rite conveniuntur, quin referat in iisdem contractibus institorium nomen expressum non fuisse, vel versionem rei contractae in utilitatem patrimonii praeponentium ad unguem non probari.

*SUMMARIUM*

1. *Institor appellatur ex eo quod negotio gerendo instet.*
2. *Adeoque is est qui tabernae locove ad emendum vendendumve praeponitur.*
3. *Sicuti commoda sentimus ex actu institorum, ita ex eorum contractibus obligamur, et convenimur.*
4. *Institoria actione praeponens in solidum convenitur, et contra eum agitur ac si ipse per se, non per institorem, contraxisset.*
5. *Nil refert, habeat nec ne institor contrahendi facultatem quia quidquid gerit, jussu praeponentis gerere videtur.*
6. *Hinc sive servus sive ancilla seu filiusfamilias vel pupillus praepositi sint, actio institoria competit.*
7. *Atque etiam si decoctor praepositus fuerit.*
8. *Ex contractibus per administratorem initis patrimonium administratum obligatur.*
9. *Nil interest sive aliquis per se sive per procuratorem praeposuerit institorem.*
10. *Quando aliquis assiduus in taberna contrahit et palam, institorque habetur ab omnibus, nisi literis ante tabernam proscribatur ne quis cum eo contrahat, is qui praeposuit, praepositione ipsa ejus contractibus tenetur.*
11. *Lex non distinguit utrum suo vel praeponentis nomine institor contrahere debeat.*
12. *Hinc ex ejus contractibus praeponens obligatur et rite convenitur, iis dumtaxat exceptis, quae institor haud iniit ejus rei gratia cui praepositus fuit.*
13. *Qui emendo praepositus est non solum facultatem habet emendi praesenti pecunia, sed etiam habita fide de pretio.*
14. *Probatio versionis rei vel pecuniae in utilitatem domini obtinet quidem in actione negociorum gestorum et de in rem verso*
15. *At exulat omnino in actione institoria, pro qua sufficit contractum fuisse cum institore de iis rebus, quae ad negociationem, cui ipse praepositus fuit pertineant.*
16. *Merces facilae praesumuntur versae in rem patrimonii, ex quo in ejus tabernam translatae fuerint.*
17. *Si autem quid ex iis detraxerit institor id cedere debet damno praeponentis, non illorum qui bona fide cum institore contraxerunt.*
18. *Sibi enim imputare debet qui hominem infidelem selegit institorem.*

## Decisio LXXIV.

Postquam foro cesserant bini coriorum in Urbe negociatores Nicolaus Santangeli atque Philippus Paciucci, concordia cum creditoribus inita, Nicolaus convenit, ut bonis omnibus sibi cessis, quotquot essent in utriusque decocteris patrimonio, certas ipse intra biennium pecuniae quotas numerare deberet, quas creditores, nominibus suis majori ex parte remissis, satis sibi esse voluerunt. Quo autem res iis beneverteret administrationis vinculo cessionem placuit mancipari, quoad usque fidem suam Nicolaus libera-

visset, atque administrationis munus Vincentio Pericoli unanimi suffragio concreditum est. Quae omnia uti placuerant creditoribus, ita principis auctoritate probata sunt. De exercenda itaque coriaria taberna sollicitus in primis administrator Nicolaum ipsum negocio praeposuit, fidejubentibus pro eo creditoribus decem, quibus ille potestatem fecit inquirendi, quum vellent, in gestionem suam, pacto convento, ut quoties taberna mercibus instructa minoris aestimaretur, quam nummis quatermillenis (quanti fuerat fidejussio), jus esset creditoribus de taberna ipsa pro lubitu disponendi. Post haec vendendis, comparandisque mercibus Nicolaus incubuit, eique fidem inter coeteros habuere de pretio Abrahamus Miele ad nummos 341 ob. 12, et Ratio Volterra Ascarelli ad nummos 341 ob. 46. Mox tabernae rebus in pessum eumtibus, urgentibusque fidejussoribus pro traditione mercium ad nummos quatuormille insoluti coriorum venditores suorum quoque nominum solutionem, praelationemque super tabernae mercibus contra fidejussores ipsos nec non Nicolaum, atque administratorem Vincentium postularunt. Verum reservatis contra Nicolaum dumtaxat actionibus, reservatisque juribus ad mercium extantium vindicationem, eorum actio a commercii judicibus rejecta fuit. Ast re ad S. Auditorium per interpositam ab iis appellationem delata, et me caussam in hodiernis comitiis referente, judicium ad juris et aequitatis normam revocatum est, dato rescripto. = *Quoad Abraham Miele esse locum solutioni sc.* 428. 12, *et quoad Rationem Volterra Ascarelli esse locum solutioni sc.* 247. 26 *ex bonis patrimonii Santangeli, ac ex mercibus tabernae, et extendatur decisio* =.

Coriariae officinae institorem fuisse Nicolaum exploratissimum Patres habuerunt:
1 institor enim appellatus ex eo quod negocio gerendo instet, is est, qui tabernae
2 locove ad emendum vendendumque praeponitur *ad text. in leg.* 3. 5. *et* 18 *ff de instit. act.* Atqui ex contractu, qui Nicolaum inter, atque administratorem, fidejussoresque intercessit, compertum erat, destinatum fuisse Nicolaum = *a condurre e dirigere il nominato negozio* =, atque creditoribus potestatem a Vincentio administratori fuisse, ut libere Nicolaum traderet tabernam ad quatuormille nummos instructam, praestita per hunc obligatione de mercibus ad eam summam asservandis. Quum igitur Vincentius instructam tabernam Nicolao tradiderit, illam libere tradidisse censendus est, nullo alio onere mancipatam praeterquam antea cum fidejussoribus convenerat. Quamobrem coriariae rei exercitio libere Nicolao commisso, atque onere imposito, ut certam mercium quantitatem servaret, consequebatur inde, ut non solum eas vendere, sed emere etiam necessario deberet, proindeque de institoria Nicolai qualitate nulla supererat ambiguitas.

Quibus animadversis ex facto, illud succurrebat, ex jure, ut mercium venditores non solum contra Nicolaum, sed contra patrimonii administratorem, fidejussoresque suorum nominum solutionem jure merito postularent, etenim *aequum praetori* visum est, sicut commoda sentimus ex actu institorum, ita etiam obligari nos ex contractibus ipsorum et conveniri
3 quemadmodum scribit *Ulpianus de leg.* 1 *ff de instit. act.*, scilicet bonae fidei non esse consentaneum, ut is, ad quem omnis negociationis quaestus ex aliena gestione venit, minime ex gestoris facto obligaretur, atque eos impune fraudaret, qui cum institore contrahentes fidem ejus, qui praeposuit, sequuti sunt. Cui avertendae iniquitati non solum institoria actione in solidum convenire eum, qui praeposuit;
4 sed contra eum certi condictione in solidum agi posse sancitum est, perinde ac si ipse per se, non per institorem, contraxisset *ad text. in leg.* 7 § *fin. de instit. act. Cujac. in lib.* 30. *Pauli ad Edict., et leg.* 29 *ff de reb. cred.* Haerere igitur in themate nequibat judicium, quin ad solvendum pretium emptarum a Nicolao mercium

creditores, qui illum tabernae praeposuerunt, condemnarentur.

Hisce constitutis nihil officere mercium venditoribus censuere Patres cum Nicolao decoctore contraxisse. Praeterquamquod enim post conventionem cum creditoribus praecipue initam haud ille contrahendi facultate destitueretur; sarta tecta manebant venditorum jura ex eo, quod cum creditoribus contraxisse censendi forent.: nihil enim refert, polleat nec ne institor contrahendi facultate, quum quid-
5 quid ipse gessit, jussu eorum, qui eum praeposuerunt, gessisse videatur. Hinc sive servus, sive ancilla, seu filiusfamilias, vel
6 pupillus praepositi sint, institoriam actionem competere juris esse apertissimi *in leg. 7 et 8 de instit. act., et leg. 8 ff ad S. C. Macedon.* Quare juris dispositio ex utilitate publica recepta est; etenim in mercium exercitio, quod reipublicae interest potissimum esse, frequentissimus sit oportet institorum usus, itaut officium illud volenti cuique permittendum sit. Quamobrem licet noverint venditores Nicolai decoctionem, eorum actio excipienda erat; siquidem ex conventione ab eo cum administratore et fidejussoribus inita callebant apprime, Nicolaum institorem esse, iisque contrahere, qui illum coriariae tabernae liberum moderatorem constituerant. Quin ergo rei totius cognitio mercium venditoribus refragaretur, probabat imo fide optima illos institori merces credidisse, propterea que non ferebat aequitas, ut immerita mulctandi essent jactura, non secus ac obaerato homini fidem oscitanter habuissent.

Perperam vero objiciebatur, nullum jus esse Abrahamo Miele, et Rationi Volterra Ascarelli contra Nicolai patrimonium, quia integrum creditoribus manciparetur, quoadusque de pecuniae quotis in concordiae syngrapha praefinitis satisfactionem obtinuerint: hi namque jus sunm remiserunt vix ac patrimonium idem erga alios obligarunt. Sane ex contractibus per administratorem initis patrimonium administra-
8 tioni subjectum obligari in controversiam vocari nequibat. Ex quo consequebatur, ut obligationes, quas Nicolaus ab administratore praepositus suscepit, patrimonium ipsum afficerent: nihil enim interest sive aliquis per se, sive per procuratorem praeposuerit institorem *ad text. expressum in leg. 5 § fin. ff de instit. act. et leg. 1. § fin. ff quod jussu* =. Neque creditoribus displicere administratoris factum potuisset; illum quippe unanimi suffragio selegerant, eique facultates nullis limitibus circumscriptas, supremo Principe probante, tribuerant. Quum igitur ex institorio facto patrimonium Nicolai creditores ipsi obligasse viderentur, fas iis non erat jura sua super patrimonii rebus objicere, ne secus actio, ut ajunt, et passio in idem subjectum incideret.

Verum quum institoria qualitas caussam omnem conficeret, opponebatur, Nicolaum non ut institorem, sed tanquam Vincentii administratoris adjutorem habendum esse. Id quod penitus eliminabat Vincentii professio; quippe qui in suo suscipiendo munere segregari quodammodo voluit coriariam tabernam, cui se nullimodo vacare posse declaravit. Praeterea idcirco ad rem coriariam agendam selectus est Nicolaus, quia creditoribus videbatur = *la persona più atta a condurre e dirigere il nominato negozio* =, quae verba non equidem adjutorem, sed rectorem moderatoremque significant. Reapse si opem ferre tantummodo administratori debuisset, non erat, cur de taberna libere Nicolao tradenda caveretur, neque ratio suberat, cur administrator fidejussores pro Nicolao postularet. Denique cum ipsi fidejussores obligari voluerint Nicolaum pro certa quantitate mercium ad tabernae suppellectilem asservanda, dilucide ii probasse videbantur, non qua adjuctorem, sed qua liberum institorem fuisse illum tabernae exercitio praepositum. Atque id melius arguebatur ex jure, quod sibi reservarunt fidejussores, inquirendi quum vellent in tabernae statum, et regulares ineundi rationes, ut de quantitate mercium cognoscerent. Enim vero nisi liberam Nicolao

dedissent vendendi emendive potestatem, atque si hic ex administratoris jussu in rebus singulis pendere debuisset, ociosum prorsus fuisset illo modo pacisci. Coeterum assiduus in taberna contrahebat Nicolaus, atque institor habebatur ab omni-
10 bus; quapropter palam, idest literis ante tabernam in qua negociatio exercebatur, proscriptionem fieri oportuisset, ne quis cum illo contraheret; proscriptione enim praetermissa, eum, qui praeposuit, praepositione ipsa teneri docet *text. in leg.* 11 § 2 *et* 3 *ff de instit. act.*

Nihili autem faciendum videbatur quod Nicolaus suo nomine contraxerit, perinde ac sibi uni mercium emptionem voluerit stipulari. Scilicet negocium gerens pro patrimonio suo nihil erat rei indoli magis consentaneum, quam ut suo nomine obligationes susciperet. Atque id eo minus admirationem facere poterat, quum publice taberna ipsa Nicolai nomine inscriberetur. Deinde non distinguente lege, utrum suo an ejus, qui praeposuit, nomine institor
11 debeat contrahere, nihil id intercedere putatum est; generatim enim in jure scriptum est praeponentes ex contractibus institorum obligari et conveniri, iis dumtaxat exceptis, quod institor haud gesserit ejus rei gratia, cui praepositus fuerit, veluti tradit *text. in leg.* 5 § 11 *de instit. act.* Atqui contractus, quos Nico-
12 laus gessit, ad id pertinuisse, ad quod fuerat praepositus, injuria denegabatur. Emisse nimirum coria, eaque ad tabernam, quam exercebat, fuisse translata, syngraphae ipsae, quas debitoribus dederat, demonstrabant. Neque succensendum his est, fidem de pretio institori habuisse: etenim qui emendo praepositus est, non solum facultatem habet emendi prae-
13 senti pecunia sed mutuam etiam rem, imo pecunias ipsas mutuas recipiendi, quae comparandis mercibus necessariae sint, veluti cautum est *in d. leg.* 5 § 13 *et* 14 *ff de instit. act.* Cujus sanctionis ea ratio fuit, ut quum plurima negociatorum versaretur utilitas in mercibus data fide de pretio comparandis, idcirco qui emere institori permiserit, mutuam etiam accipere rem permisisse censendus esset.

Huc re perducta objiciebatur incassum, probandam ad unguem esse versionem emptarum mercium in patrimonii utilitatem:
14 quemadmodum enim ea probatione opus est in actione *negociorum gestorum*, et *de in rem verso*, exulat e contrario in institoria actione, ad quam exercendam
15 satis hoc unum est cum institore contraxisse de iis rebus, quae ad negociationem, cui praepositus fuit, pertineant. Praeterea in patrimonii rem versas fuisse merces, de quibus quaestio est, facile praesumendum videbatur ex earum translatio-
16 ne in tabernam coriariam, quae ad Nicolai patrimonium pertinebat. Ita vero se rem habuisse constabat luculentius ex eo quod earum mercium nonnullae adhuc in taberna ipsa reperiuntur. Ex quo factum est, ut Abrahamo Miele et Rationi Volterra Ascarelli non solum ex bonis patrimonii, sed tabernae quoque mercibus, quae ipsis praecipue mancipantur, satis pro eorum nominibus faciendum esse judicaretur. Caeterum si Nicolaus eorum, qui ipsum praeposuerunt, decipiendorum causa aliquid detraxerit, atque verterit in rem suam, id aequum non esset damno
17 cedere illorum, qui cum eo bona fide contraxerunt, sed praeponentibus solummodo nocere debet juxta monitum Ulpiani *in leg.* 11 § 4 *ff de instit. act.* Etenim sibi debent imputare Nicolai credi-
18 tores idoneum minus institorem selegisse, atque hominem licet infidelem expertos, illius nihilominus fidem fuisse sequutos.

Atque ita in acri partium certamine, me quoque suffragante, judicatum est.

**R. P. D. BOFONDI**

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET DAMNORUM

*Lunae* 14 *aprilis* 1834

ARGUMENTUM

Quae concurrere debeant ad hoc ut contractus vere praeseferat rei litigiosae redemptionem vetitam a legibus *Censemus cod. de liti-*

*giosis, et per diversas, et ab Anastasio cod. Mandati.* Leges pactum *quotae litis* prohibentes respiciunt advocatos, causidicos et procuratores, non autem alios qui contractu bona fide inito emolumentum certae partis ex eventu victoriae sibi quaesivissent; eoque minus si super eodem litis eventu contracta fuerit societas, quae suapte natura lucri aeque ac damni communicationem induceret.

*SUMMARIUM*

1. *Quae juxta decreta Signaturae perficiuntur nec infirmari, nec ullo modo in discrimen adduci possunt.*
2. *Qui aliquod distraxit jus sociale, actione* pro socio *tenetur ad id quod socii interfuit jus illud distractum fuisse.*
3. *Ex* leg. Censemus cod. de lit., et per diversas, et ab Anastasio cod. Mandati, *ii habentur litium redemptores qui alienis fortunis inhiantes post motam litem actionum aliis competentium cessionem, data aliqua summa, per absconditam machinationem sibi quaerere properant.*
4. *Hinc ut quis quasi litis redemptor habeatur ac damnetur, duo concurrere debent, quod nempe litis cessionem in semetipsum transferri curasset; quodque id fecisset malo proposito diversis vexationibus litigatorem afficiendi.*
5. *Quae duo evidentissime probanda sunt: in dubio enim legis applicationi non fit locus.*
6. *Nam lex poenalis extra suum casum suosque cancellos non est traducenda.*
7. *Leges litis redemptionem prohibentes comprehendunt cessiones, et contractus qui parum a cessione distent, qui nempe directam secum ferant in alium quemdam actionis litigiosae translationem atque abdicationem, non autem contractus differentis prorsus naturae.*
8. *Et multo minus societates, quae nil in alios trasferunt, et jurium communicationem dumtaxat important.*
9. *Propositum divexandi cum fraudem sapiat, et pravum animum ostendat, numquam admittendum nisi evidentissime demonstretur.*
10. *Ex quibus propositum divexandi excludatur ad hoc ut leges litis redemptionem prohibentes obtinere nequeunt.*
11. *Pactum quotae litis vetitum est advocatis, causidicis et procuratoribus.*
12. *Non autem aliis qui bona fide emolumentum certae partis sibi quaesiverint ex eventu victoriae.*
13. *Praesertim si inita fuerit super eodem litis eventu societas, quae lucri aeque ac damni communicationem inducat.*
14. *Societas, quae modo lucrosa videtur, ob commercii vicissitudines perniciosa in posterum esse potest.*
15. *Senatus consultum Volusianum* in leg. 6 ff ad legem Juliam de vi privata *declaratur.*

## Decisio LXXV.

Salis et tabaci redempturam inhiantes Aloysius Polidori et Camillus Pizzardi, qui ignotis participibus simul erat conjunctus, anno 1829 societatem iniverunt, qua inter caetera conventum fuit, quod utri interpositis studiis successisset eam assequi redempturam, is cum alteris negocium communicaret, cujus quinta pars ad Polidorium, partes caeterae ad Pizzardium aliosque pertinerent; ita tamen ut Polidorius si nec vellet, nec posset, haud teneretur quintam capitis partem pecuniarum, quae explicando negocio necessariae essent, soluta tantum societati usura sexunci. Aloysii conatus in irritum cessisse videntur. Meliorem vero fortunam expertus est Camillus, qui renovatis studiis sub diverso Pontifice una cum sociis a rerumpublicarum moderatoribus redemptionem obtinere valuit. Sed peracto negocio, Camillus societatem cum Aloysio initam jamdiu evanuisse contendens, eum quacumque communicatione privare sategit. Res igitur in judicium adducta est coram tribunali de re mercatoria jusdicenti, quod Aloysio illico infensam protulit sententiam. Provocavit ad Ordinem nostrum: sed lapsis facultatibus, pecuniaque omnino carens Aloysius nec jura sua unus tueri posse noscebat, nec pro sua quota nova onera ferre, quae redemptoribus fiscus imposuit. Quapropter levirum Joannem Thomam Silvestrelli negocii participem constituere duxit, qui cum pecuniosus admodum in Urbe haberetur, vel opibus

vel nomine utilis in tanta angustia sibi certo esse potuisset. Composita simul re, syngrapha inter eos sexto idus octobris anni 1831 conscripta fuit, qua Aloysius participem constituebat levirum = *dell' interessenza che in forza dell' apoca dei 24 agosto 1829 ha e potrà avere nell' appalto ossia amministrazione cointeressata e nella regalia de' sali e tabacchi* =. Convenit porro inter eos, quod coeptam causam hi persequerentur, Aloysii nomine, sumptibus vero Joannis Tomae: adeo tamen ut si fortunam experirentur secundam, id quod Aloysio contingeret, vel utilitatis vel onerum causa pro aequali inter participes communicandum, sin autem caussa caderent, litis expensae ab utroque pro aequali etiam essent substinendae. Insuper casum sibi promittentes futurae victoriae, quo Aloysius pecuniae caput redemptoribus forte expromere debuisset, cautum est ut pecuniae Joannis Thomae nomine, communi tamen periculo, mutuae invenirentur. Solvebat quoque Joannes Thomas scuta mille, ut Aloysius aes alienum dimitteret, ea tamen lege, ut in jura creditorum suffectus litis exitu pecuniae restitutionem obtineret. Promittebat tandem Aloysius omnia socii consensu adprobationeque peragere, nilque cum aliis vel Pizzardio hac de re componere, secus se damnorum obstringebat emendationi.

Quibus compositis, judicium prosequuta societas coram Ordine nostro, ut quintam redemptionis partem assequeretur, sententiam votis consonam obtinuit ab R. P. D. meo De Cursiis. Provocavit Pizzardius ad Rmum P. D. meum Decanum, ac dum res iterum in discrimen adducebatur, Aloysius diem supremum obiit, relictis filiis Philippo et Paulo. Participe defuncto, Joannes Thomas juribus suis prospiciens, indicto prius redemptoribus contractu cum Aloysio inito, caussam inde filiorum, heredumque nomine ac consensu prosequitur. Verum licet Aloysii jura aequa in genere tunc perspecta visa essent, rebus tamen, sedulo in specie perpensis, judicium ita temperare Patres de turno censuerunt, ut ille *quintum tantum haberet medietatis ad Pizzardium pertinentis*; *quintum scilicet ex quatuor vocibus*, *quibus constare videbatur ipsa medietas memoratae administrationis* = *in otto voci* = *constitutae*. Excitatus forte periculo Pizzardius judicium declinare curabat; ac licet optime societatem inter defunctum Aloysium ac Joannem Thomam initam novisset, cum Aloysii heredibus de re componenda egit. Et paucis revera negocium ita conciliare valuit, ut fratres Polidori liti nuncium mitterent: Pizzardius vero patris aes alienum dimitteret in scut. 25089 et ob. 53, Joanni Thomae scuta mille restitueret: molestias denique omnes in se susciperet, quas ex sociale contractu hic esset illaturus. At rumore rei permotus Joannes Thomas jura sua experiri velle palam proferebat; quo factum est, ut dum Pizzardius ex juribus cessis ab Aloysii heredibus rei conventi personam ultro gerens ad alteram ex Congregationibus A. C. Joannem Thomam traducebat, ut quod sibi arrogaret, deduceret; hic coram mercatorum tribunali tum Aloysii Polidori heredes, tum Camillum vocabat, ut damna praestarent, quae ob emissam liti renunciationem, ac pessime socialis contractus violatam fidem ei obvenerint. Quaestio peracta est super judiciorum ordine coram Signaturae judice, qui vero utrumque libellum a mercatorum tribunali conjunctim cognoscendum mandavit. Qua de re sententia prodiit, quae utpote litis redemptionem continentem contractum irritum declarabat, damnorumque actionem a Silvestrellio propositam penitus rejiciebat. Appellatione interposita, Silvestrellius coram Ordine nostro instetit, ut sententia vel ex nullitatis vitio deleretur, vel saltem abrogaretur. Nec perperam omnino. Praepositis enim quaestionibus hac mane Patres mihi responderunt = *Nihil de circumscriptione: esse locum emendationi damnorum, et extendatur decisio* =.

Quae Patribus proposita fuerat quaestio bifariam dipartita, et actorum circumscriptionem respiciebat, et sententiae injustitiam, quae damnorum actionem a Silvestrellio propositam rejecerat. Et quod primum attinet, perperam nullitatis vitio infecta dicebatur sententia a mercatorum tribunali edita, eo quod quaestionem super contractus nullitate per exceptionem propositam mere civilem, atque a mercatoria facultate semotam definivit contra communem mercatorii juris doctrinam a Syrejo aliisque doctoribus allatam. Praetermissa namque prorsus indagine, utrum judicium legitime pronunciaturus super damnorum actione, auctoritate destitutus esset censendus, dum res erat de necessaria exceptionis a reo propositae cognitione: rem penitus dirimere videbatur, quod controversiae civilis cognitio non pro lubitu sed a Signaturae magistratu ad mercatorium tribunal fuerat ablegata. Neminem enim latet, Signaturae decreta, quae, utpote a Pontifice lata censentur, adeo esse attendenda, ut quae juxta ea perficiuntur, nec infirmari, nec ullo modo in discrimen possent adduci *Ridolph. prax. judic. part.* 1 *cap.* 13 *num.* 3 *et* 510 *et seq.*, *Rota in recent. decis.* 102 *part.* 6 *num.* 7, *et cor. Seraphin. dec.* 922 *n.* 4. Verum uti Joannis Thomae obtentum respuerunt Patres in eo, quod sententiae nullitatem respiciebat, ita se abstinere minime potuerunt, quominus sententiae ipsius injustitiam, iniquitatemque decernerent. Semel ac enim constabat, Aloysium, qui ad societatem Joannem Thomam arcessuerat, sub damnorum emendationis poena sese obligasse ad negocium integrum cum hoc communicandum, nihilque gerendum quod socio alteri praejudicium afferret, plane consequebatur, quod distracto ab Aloysii heredibus sociali jure, illos vel eum, qui in eorum locum fuit suffectus tum, actione pro socio, teneri ad id quod Joannis Thomae interes-
2 set; si jus istud distractum nunquam fuisset *leg.* 45 *et* 50 *ff pro socio*, *Voet ad Pandect lib.* 17 *tit.* 2, *Rota in dec.* 1091 *num.* 7. 8 *et* 9 *coram Lancetta*, *et in Romana super utilibus* 22 *aprilis* 1720 *§ fin. coram Crispo.*

Quae sane cum perspicua essent, nec eum latebant, qui fratrum Polidori nomine judicio sisterat: siquidem eo nitebatur potissimum, ut potius contractum, cujus causa Joannes Thomas agebat, irritum praedicaret, utpote qui vel rei litigiosae redemptionem praeseferret vetitam *a legibus Censemus 4 cod. de litigiosis*, *et per diversas*, *et ab Anastasio cod. Mandati*, vel pactum contineret quotae litis jure communi ac statutario omnino improbatum. Verum satis erat legum allatarum dispositiones cum contractus natura ac indole sedulo comparare, ut utriusque propositi fatuitas in oculos usque insiliret. Et revera in primis animadversum est, redemptores litium eos haberi ex ipsa legum littera ac mente, qui alienis rebus fortunisque inhian-
3 tes vel *insidiantes*, ut ait *Glossa*, post motam litem cessiones aliis competentium actionum in semetipsos, data aliqua summa, vel publice vel occulte *per absconditam machinationem* transferri properant: hocque modo diversas litigatorum personas vexationibus afficiunt, uti post memoratas leges firmant doctores, ac praesertim *Cujac. comm. in lib. 4 cod. ad tit.* 35, *Fab. tit.* 26 *lib. 4 cod.*, *Salgad. labirint. credit. p.* 1. 6. 13. § 23, *Olea de cess. tit.* 6 *quaest.* 10 *num.* 58. Ut igitur quasi litis redemptae contrahens Joannes Thomas ad poenam luendam damnaretur jure inditam, duo simul concurrere necesse erant: alterum scilicet quod Joannes Thomas quodammodo cessionem litis in semetipsum
4 transferri curasset: alterum rursus quod id malo proposito expresse egisset, ut Camilli inhians substantiam, eum vexationibus undique afficeret, quae vero adeo quidem perspicue erant demonstranda, ut si casus adamussim non congrueret, si dubia esset illa requisitorum conspiratio, locus fieri
5 nunquam posset legis applicationi, quae, cum poenalis sit, extra suum casum suosque cancellos traducenda profecto non erat
6 ex communi principio, de quo *textus in leg.* 157 § *ult. de reg. jur.* *et Voet ad*

*Pandect. lib. 1 tit. 3 num. 44, Baldacci ad cons. Ramonii 114 num. 7.* In quo jure constituendo Camilli strenuissimus ipse defensor convenire videbatur, qui ideo totus erat, ut Joannis Thomae artes aviditatemque, si fieri posset, Patribus insinuaret, ac suaderet omnino.

Verum longe plurimum aberat in primis, quod Joannes Thomas litis cessionem vel venditionem contractu de quo agitur sibi quaerere curavisset. Erat enim siucera inter eumdem ac Aloysium Polidori inita societas super partiario redempturae salis et tabaci jure ad Aloysium pertinente, qua is nil directe transferebat: nihilo se spoliabat: commoda vel incommoda, sumptus, aliaque omnia tantum communicans cum leviro suo amicissimo, quae e suo jure oriri forte potuissent. Nulla igitur aderat litis cessio, sed socialis tantum negocii communicatio, quae cum bonis moribus haud adversaretur, nec in legum dispositione comprehensa numquam videri poterat. Nec referebat, jurium hujusmodi communicationem litem necessario ad exitum perducendam continere. Quod enim per quamdam negocii consequentiam veniebat, ut obstaculum removeretur per Camillum oppositum, negocii ejusdem principalis indolem ac naturam immutare nequibat: neque aequum unquam videbatur, ut contractus natura sua licitus propter accessoriam de lite communi sumptu peragenda conventionem in censuram legum incideret, quae litis redemptorem omni contractus beneficio privabat. Æque vero perperam resumebatur, leges litis redemptionem prohibentes quandoque non ad cessiones tantum, sed ad alios sese generatim retulisse contractus, quasi exinde consequeretur, societatem quoque litis productionem continentem ex iisdem legum dispositionibus penitus infirmari. Patebat enim sub generali legum expressione contractus dumtaxat intelligendos esse, qui
7 parum a cessione differentes veluti venditio, permutatio (ut ait *Glossa*) suapte natura rei, atque actionis litigiosae, quae possidetur, directam translationem atque abdicationem in alium quemdam secumferunt, minime vero unquam contractus differentis prorsus naturae, ac societates praesertim quae cum nil in alios transferant, sed jurium tantum communicationem im-
8 portent, cum cessione ac venditione juris litigiosi caeterisque id genus contractibus pugnare videntur, ut *post text. in leg. 1 et 2 ff pro socio* tradunt *Cujac. in lib. 4 cod. tit. 37 pro socio, Duaren. in Pandect. tit. 38 lib. 4, Zanch. de societate part. 1 cap. 8 num. 6, Rota in nuperrim. dec. 125 § 11 tom. 1.*

Porro quae ex contractus natura collabescebat exceptio, non minus rueret oportebat ex eo quod veritati minime congrueret, Joannem Thomam ad contrahendum accessisse, ut Camillum malis vexationibus afficeret. Et primo quidem cum hujus-
9 modi vexandi propositum fraudem saperet, pravumque animum ostenderet, haud admittendum erat nisi perspicuis undique evinceretur argumentis ex notissimo adagio, de quo disserit *textus in leg. merito pro socio, leg. quoties 18 § qui dolo ff de probat., leg. dolum cod. de dolo, Fab. in cod. de alien. judic. dec. 1 Bart. in leg. periculum 34 in princ. ff si certum petatur.* Verum enim vero non solum quaecumque fraudis malique animi suspicio intercessisse excludebatur, sed patebat potius bona penitus fide utrumque contrahentem convenisse, ut, vindicatis socialibus Aloysii juribus licitum lucrum vel
10 possibile damnum una simul communicaretur. Et revera ex epistolis Joanni Thomae missis, vel ex ipsis contractus verbis constabat, Aloysium nullo prorsus leviri consilio vel machinatione ad contrahendam societatem adductum fuisse, sed ultro sponteque levirum ipsum vocasse, ut in tanta rerum pecuniarumque angustia suppetias ad tuenda jura sua quodammodo ferret. Jam vero nil occulte patratum; nil per simulationem sub societatis specie obtectum fuisse apparebat: siquidem dum quae omnia aderant pacta conventa ad veram lucrorum damnorumque communicationem inducendam conspirabant. Syngra-

pha quoque, quae concinne exarata societatis contractum aperte demonstrabat, non per latebras abscondita fuerat, sed publicis commissa codicibus, ut quid actum fuisset quodammodo innotesceret. Caeterum vexandi animus nec in Aloysio, nec ex ipsa consequentis litis depacta prosecutione erat deducendus: quandoquidem Aloysius jura tueri satagebat; quae ex contractu bona fide gesto exsurgebant, quaeque licet iniquissime impugnarentur, semel iterumque tamen a S. Ordine nostro admissa probataque fuerant. Nullum igitur aderat vexandi propositum. Nullum vexationis indicium, quae minime adesse praesumitur, ubi justa producitur actio, sed ubi tantum quis immodicis (ut *Glossa* explicat) cavillosisque petitionibus adversarium per litium forique ambages undique insectari portendit.

Quod si vero contractus, de cujus validitate quaeritur, nec litis redemptionem praeseferens, nec animo divexandi compositus suis viribus consisteret, minus recte oppugnaretur, quasi quotae litis pactum continens jure civili aeque ac statutario improbatum. Primo namque quae
11 de pacto quotae litis advocatis ac procuratoribus prohibito disposita sunt, ad casum traducenda non esse videbantur, quo quis nec procurator, nec advocatus, nec causidicus *malo* haud *more*, ut ait *Imperator*, sed bona penitus fide certae emo-
12 lumenta partis sibi quodammodo quaesiisset ex eventu victoriae *Cujacc. comment. in lib. 4 cod. ad tit.* 35, *Vinn. adnotat. Durar. ad cod. tit. mandati vel contra vol.* 3, *Cataloniae senatus in dec.* 108 quam refert *Petrus Fontanella in sua decis. collectione*, *et Rota in Firmana Pecuniaria 14 junii superioris anni coram R. P. D. meo De Avellà.* Praeterea Camilli proposito adversabatur omnino,
13 quod haud facto consisteret, Joannem Thomam quid certum ex victoria sibi revera stipulatum fuisse, quod lege interdicitur. Firmis enim animis Patres tenebant, non simulatam, sed veram licitamque Joannem Thomam cum Aloysio coivisse societatem, quae cum natura sua lucri ac damni induceret communicationem, nec ullum oppido certum, lite quoque victa, Joanni Thomae emolumentum porrigeret; sed damnum etiam aliquod forte ei inferre valuisset. Quin refragaret, adeo lucrosam salis et tabaci redempturam ab omnibus haberi, ut damni ferendi periculum expectari non possit. Quod enim vel hominis industria vel ex commercii circumstantiis aliquo temporis spatio acciderit, traducendum non erat ad societatis totius consequentias; nec sanus ullus profecto denegaret, societatem, quae modo lucrosa videtur, perniciosam futuram fortasse in posterum, quoties vel mercium charitate, vel ob commercii, tempestatum ac rerumpublicarum vicissitudines, vel denique ex summi imperantis providentia redemptionis exercendae modus intra angustiores limites cohiberetur; quod sane eo magis Patribus quadrabat, siquidem animadvertebant, quod agebatur de quota parte recuperanda redemptionis, administrationisve, propter quam pecunia multa requirebatur ab unoquoque ex sociis repraesentanda; quam vero Aloysius certo haud unquam solvere potuisset, nisi Joannes Thomas eam non communi tantum, sed suo quoque periculo ob perditam Aloysii fortunam vere indigentissimo foenebrem quaerendam promisisset. Nec rem mutare videbatur, quod Aloysius ex sociali apocha cum Pizzardio inita numerandae pecuniae onere exemptus fuisset, soluta usura sexunci. Beneficio enim, quod illi usque ad certam summam fuerat concessum, haud certo frui potuisse videbatur, si negocii summa majorem forte, ut aecidit reapse, pecuniam praerogationem requisivisset.

Quibus ita constitutis, quisquis sensu suo percipiet, quantum inepte ad hujusmodi comparticipationis contractum avertendum dispositio accommodaretur Senatus Consulti Volusiani *in leg. 6 ff ad legem Juliam de vi privata*, quo in alienam litem coitio improba vindicatur. Etenim perspectissimum erat Senatus Con-

sultum de vi privata agens criminosos plurium eos improbare conatus concordi sensu litis causa in alienam et quidem innocentium perniciem conceptos, ut quod inde ex litis victoria in divexati rem fuerit redactum, inter conspirantes communicaretur; veluti si plures coierint, ut unus judicio alium insectaretur: alteri testis partes gererent: aliaque caeteri simularent per machinationem, ex quibus innocentis condemnatio necessario consequeretur. At quod facinoris criminisque causa lege Julia constitutum fuerat, haud certo nisi per summam libidinem aptari poterat in themate, ubi nulla fuerat criminosa concepta coitio: nulla innocenti illata vis: nil per machinationem praemeditatum in Camilli perniciem: verum simplex tantum ac sincera contracta societas, non ut innocui subverteretur substantia, sed ut, quod non bona alterius fide denegabatur, jus quodammodo vindicari potuisset.

Et ita jus datum est in strenuo partium certamine.

R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA SOCIETATIS

*Veneris* 25 *aprilis* 1834

ARGUMENTUM

Habes ex summario.

*SUMMARIUM*

1. *Cum nullus adsit ex tribus defectibus citationis, jurisdictionis et mandati, numquam locus est circumscriptioni.*
2. *Circumscriptio enim per se odiosa non non est adhibenda nisi in casu, quo id fieri leges jubent.*
3. *In socialibus dispungendis rationibus non licet socio desciscere a notulis codicibusque societatis, quos ipse idem confecerat, et antea probaverat - et num. 7.*
4. *Vetitum est enim a legibus contra factum proprium insurgere.*
6. *Leges severissime negant sine luculentis probationibus dolum praesumere praesertim in homine honesto.*
6. *Culpa ex quo non probatur, hoc ipso abfuisse praesumitur.*

DECISIO LXXVI.

Pistoriam tabernam ut exercerent in Urbis platea, quam dicunt = *Montanara* =: societatem per tres annos duraturam, a die nempe prima septembris 1824, inierunt Petrus Ciccaglia atque Vincentius Ludovici ad totum augustum 1837, cujus reciprocas pactiones enarrat syngrapha, quam ii subsignarunt die 27 augusti 1824. Ciccaglius siquidem promiserat, sese fore immissurum in societatem tritici frumenti sexaginta rubra, cujus pretium constitutum fuit in scutis septem pro unoquoque rubro: Ludovicus e contra sese immissurum promisit argentea 210, et haec omnia servanda esse conventum fuit usque dum staret societas, pro illius exequutione. Conventum praeterea fuit art. 4 socialis syngraphae, quod = *l' utile o remissione di questa società dovrà dividersi in due parti eguali, una al signor Ciccaglia, l' altra al signor Ludovici* =; atque in sequenti art. 5 pactum, quod = *il signor Ciccaglia tener dovrà la cassa, e la scrittura del suddetto forno* =, eumque penes remanere deberet socialis negocii pecunia; quod ab sociis repetendum nihil esset titulo operarum, quas impendere pro socialis negocii gestione oportuisset. Triticum inde, quod expromiserat, dedit Ciccaglius, sed deterrimum; Ludovicius autem, pecuniam prout convenerat, immisit. Sociales codices duos conficere Ciccaglius curavit, in quorum altero adnotaretur quidquid invicem impensum fuisse pro sociali negociatione; in alio quidquid ex illa quotidie redibat; quorum codicum ratio probata est ab ipsius Ciccaglii ratiocinatore, cui onus ad hoc impositum fuerat exarandi unoquoque mense notulas, seu = *foglietti* = exitus atque introitus, suis deinde oculis subjiciendas.

Hisce super notulis atque confectis codicibus socii generalem redditionis rationis = *bilancio* = egerunt ad diem 25 martii 1825

e qua emersit eos tunc usque stetisse in damno pro sc. 240 ob. 1. At partim ex temporum vicissitudinibus, partim ex fide non bene a Ciccaglio praestita, qui socialis negociationis exercendae onus in Ludovicium rejecerat, nova inde in dies cum damna orirentur, necesse fuit sociali e negociatione recedere die 11 martii 1826. Damna quae ex negociatione emerserant, cum Ludovicius propria substinuisset pecunia, ei refundere illa Ciccaglius debuisset pro medietate; cumque id agere ille detrectaret, et simul toties hortatus a Ludovicio rem non negaret, curavit is ut a ratiocinatore Antonio Holl, ad liquidum perpensa re, ducerentur damna, ac deinde vadavit Ciccaglium coram commercii judicibus pro solutione argenteorum 790 obulorumque 76, quot videlicet ei deberi peritus Holl suo in computo statuerat. Verum commercii judices satius duxerunt peritum alterum judicialem deputare, qui referret super respectivo credito ac debito sociorum ex administratione furni socialis, atque in id elegerunt ratiocinatorem Angelum Spinazzi.

Retulit is post inducias multas, divisitque peritiam suam duas in hypotheses, quarum in prima eruta e notulis codicibusque socialibus renunciavit Ludovicium Ciccagli creditorem in argenteis 208 atque ob. 7. In altera autem ex hypothetica, quam fieri ipse debuisse authumaverat, furni administratione, exarata hypothesi, illum debitorem constituit ingentis summae argenteorum 1033 obulorumque 70. Commercii tunc judices, hanc ultimam amplexi hypothesim Ludovicium extemplo fecerunt e Ciccaglii creditore ejus debitorem. Provocavit, Ludovicius ab sententia ista, cujus etiam pro circumscriptione instetit; Ciccaglius e contra renunciationem posuit apud tabularium commercii sententiae, in quam renunciationem, utpote non gestam, ad juris praescriptum insurrexit et Ludovicius. Siluit deinde causa per annos, qua tandem resumpta in comitiis diei 17 martii superioris, quum nullitas renunciationis fuisset a N. S. Ordine admissa, dilatum judicium super circumscriptione seu revocatione commercialis sententiae fuit. Hanc ego reproposui in praesentibus comitiis, in quibus, amandata quum fuerit illius definitio ad diem praesentem, hodie mane a PP. DD. accepi responsum = *nihil de circumscriptione: esse locum solutioni argenteorum* 208, *et obulorum* 7, *et extendatur decisio* =.

Et recte quidem. Etenim nullus ex tribus defectibus, quibus imperari per leges circumscriptio posset in commerciali sententia reperiebatur. Non citationis defectus: monitus namque semper et rite quidem Ludovicius fuit, qui actor judicium instituerat, in eoque ad exitum usque steterat. Non alter jurisdictionis, cum a commercii judicibus definienda res necessario esset, tum ratione personae, quia tam Ludovicius, quam Ciccaglius mercaturam exercebant, tum rei ratione, quippe quae versabatur circa tabernae pistoriae negociationem. Non denique mandati, quod a derat utique, quin controversia ulla in id excitaretur. Ergo sententia, in qua non aderat defectus ullus ex hisce tribus, deleri circumscriptione haud poterat. Odiosum enim est circumscriptione delere, quod jussum sententia fuerat; quae circumscriptio adhibenda non est, nisi unis in casibus, quo id fieri leges jubeant *Rota decis.* 223 *num.* 1 *coram Olivatio*; *et in Romana Nullitatis Deliberationis* 15 *maii* 1825 § 9 *coram Emo Isoard*. Juste idcirco haud expostulabat circumscriptionem Ludovicius ea una de causa, quod peritiam Spinatius posuit apud acta elapsum post terminum a judicibus praefinitum: non id enim praebebat ullum ex tribus defectibus per legem probatis, ut imperaretur circumscriptio. Serius praeterea quam oportuisset, querimonias de hoc Ludovicius protulit, qui post editam peritiam stetit in judicio, mercedem perito solvit, altumque de non peracta infra terminum productione servavit silentium. Quibus revera ad praescriptum art. 240 Piani codicis, atque art. 13 codicis commercialis sanatum ab eo fuisse censere oportebat quidquid pecca-

tum in peritiae productione ipse contendebat, quodque tamen ad circumscriptionem obtinendam pertrahi nullo modo poterat.

Etsi autem non circumscribenda commercialis sententia esset, revocandam illam esse aperta, qua redolebat injustitia suadebat evidentissime. Non enim nisi injuria fieri potuit, ut Ludovicius e creditore fieret quam citissime debitor ingentis summae argenteorum 1033 obulorumque 70. Certum reapse ex jure ac pacto erat, quod socii Ludovicius atque Ciccaglius habere sibi pro medietate deberent quidquid vel lucri, vel damni e socialis pistoriae tabernae exercitio rediisset. Pactum sane perspicuum extabat in societatis syngrapha art. 4 = *l' utile o remissione di questa società dovrà dividersi in due parti uguali, una al signor Ludovici, l' altra al signor Ciccaglia* =. Una igitur facienda erat inquisitio, num damnum vel lucrum e societate rediisset. Atqui negari haud poterat damno socios haesisse. Suadebat id apprime redditio rationis a sociis unanimi consensione gesta, ab iisque probata; suadebantque multiplices Ciccaglii confessiones quoad perpessa damna, quas ipse, tempore non suspecto, ediderat. Videndum itaque erat, ut damnum aeque eos inter partiretur. Praesto ad hoc erant societatis codices per Ciccaglium constituti; praesto erant notulae ab Ciccaglii ratiocinatore confectae unoquoque in mense, e quibus erui, facili quidem negotio, poterat, quid immissum in societatem, a quo id gestum, quidque ab illa rediisset, atque a quo sociis id fuerit perceptum; unde statim inspiciebatur, quantum quisque damni substinuisset, atque quantum damni alter alteri sarcire teneretur.

Verum si rem ita conficias, creditor utique Ludovicius semper incedet. Et reapse, cum ea adhibita methodo calculationem iniisset peritus Holl, Ludovici creditum is constituit in argenteis 790, assibusque 76, ac deinde judicialis peritus Spinatius in prima hypothesi peritiae suae ad eum modum confectae negare haud potuit Ludovici creditum assurgere ad vim usque argenteorum 208, obulorumque 7. Emergit enim e peritia sua damnum in societate extitisse ad argentea 416 assesque 14, quod Ludovicius ex integro sustinuerat. Ergo pro illius medietate justitiae descendebat corollarium, decernendam nempe ei esse reintegrationem in socium Ciccaglium, cui damnorum medietas attinebat. Nec utiliter carpitur hac in parte Spinatii peritia. Illam siquidem peritus confecerat, ductis rationibus = *mediante l' analisi sulli ritenuti foglietti, libri, e libercoli* =, quae una certam praebere normam perito poterant. At si in prima justissima suae peritiae hypothesi ex socialibus codicibus, notulisque Spinatius constituit Ludovicium creditorem in summa sc. 208 et ob. 7, ferri pro hac summa ejus favore sententia oportuit.

Prodibat quippe Ludovicii creditum hocce ex notulis codicibusque, qui de Ciccaglii mandato confecti fuerant, quibusque subjectis saepissime ejus oculis, nil fuerat inventum in iis, quo reprobarentur, ac
3 denique super quibus post primum elapsum societatis trimestre rationum redditionem conficere Ciccaglius curavit, probavitque. Iis videlicet e monumentis prodibat Ludovicii creditum, quae, uti minus exacta atque infidelia renunciare Ciccaglius nequibat, quippe quae ab se fuerant confecta, factoque suo jam probata, prorsus ut in ea si nunc insurgeret, in proprium insurgeret factum, quod a legibus est impermissum *Sac. Rota dec.* 184 *num.* 23 *part.* 10 *rec,. dec.* 387 *num.* 11 *coram Olivatio, et dec.* 23 *num.* 7 *coram Illmo et Rmo Patrizi* =. Quamquam nihil afferebat Ciccaglius, quod eorum infidelitatem revinceret. Desciscere itaque ab iis insanum esset, atque delirium ad societatis aliter rationes educendas. Id autem eo potissimum erat in themate amplectendum, quia semper Ludovicium honestum hominem Ciccaglius appellavit, illeque curavit continuo, ut pro

data fide sociale negocium per quam fidelissime administraret: quod conciliandum utrumque non esset cum codicum notularumque infidelitate. Haec itaque suadebant omnia, ut amplecteretur prima hypothesis judicialis peritiae, quae sociorum cohaerebat factis, initisque pactionibus; despiceretur vero secunda ejusmet peritiae hypothesis, qua inciviliter Ludovicius e creditore versus fuerat in Ciccaglii debitorem ingentis summae, quamque non juste commercii judices in edenda sententia amplexi fuerant.

Hypothesis videlicet haec altera unis extructa super hariolationibus despicienda erat omnino in re, quae factis inniti tum ex contrahentium placito, tum ex jure debuisset. Quid reapse e societate rediisset allatis ex rationibus a perito erat definiendum, non autem quid ex ea potuisset redire. At secunda haec hypothesis loquitur de eo, quod reddere societas debuisset, altera instituta imaginaria administrationis ratione, prout peritus multis in locis profitetur; quamobrem opus est concludere, hypothesim hanc nec in genere esse admittendam. Si autem expendas hypothesim illam in specie, magis magisque absurditas ejus elucescet. Primum enim si fides periti conjectationibus adhibeatur, vel non jam damnum sed lucrum a societate rediisset, quod dolo malo sibi Ludovicius in Ciccaglii jacturam sibi insumpsisset; vel saltem latissima ejus culpa damnum omne irrepsisset ad societatem. Verum praesumere dolum, in honesto praesertim homine, prout talem esse Ciccaglius fassus ingenue semper quoad Ludovicium fuit, sine probatione ulla, unisque adhibitis conjecturis
5 argutiolisque leges negant severissime, quae doli probationem requirunt evidentissimam *ad Text. in leg. Merito ff pro socio, leg. quoties* 18 *ff de probat., leg. dolum* 6 *cod. de dolo malo, Menoch. de praesumpt. lib.* 5 *praes.* 3 *num.* 224, et N. S. Tribunal docet *in Romana Immissionis* 21 *Februarii* 1756 § 6 *coram Paracciano.* De Ludovicii autem culpa nec ullum erat indicium, prorsus ut dum illam Ciccaglius haud probavit, praesumendum erat omni-
6 no illam abfuisse ad tradita per *S. Rotam coram Coccino dec.* 1021 *num.* 3, *coram Pamphil. dec.* 663 *num.* 1 *et* 3, *et decis.* 392 *num.* 1 *coram Olivatio.* Attamen socios haesisse in damno tempore haud suspecto, tertio quoque verbo professus Ciccaglius aperte fuerat, unde falsum omnino erat dijudicandum, quod de lucro vel a Ludovicio, dolo adhibito, percepto, vel ejus culpa amisso, inepte peritus hariolabatur.

Neque unis hisce mendis inquinata secunda haec judicialis peritiae hypothesis deprehendebatur; sed aliis praeterea multis undique refertam Ludovicius eam ostendebat, tum quoad quantitatem panis retrahendam ex unoquoque tritici rubro, tum quoad furni gestionis expensas, tum denique quoad partitas, quas admittendas societatis oneri non esse peritus putabat. Ne vero multa: Ciccaglius ipse auctor erat, ut hujusce hypothesis fatuitas pronunciaretur, dum nuncium commerciali sententiae, quae illam probaverat, sponte misit, et curavit, ut altera super peritiae hypothesi novam concinnaret in sui commodum calculationem ratiocinator quidam Argellinius. Sed facienda nihili haec, quae Argellinius iste proprio marte deduxerat, optimo sane consilio PP. DD. statuerunt, quum deducta fuisset, nulla adhibita probatione, contra judicialem peritiam, quae factis pactionibusque sociorum omni loco innixa, veluti sponte sua veritatis fidem sibi vindicabat.

Verum enim vero una ipsa ex ratione, qua desciscendum Spinatius putavit a socialibus codicibus atque notulis in secunda hac suae peritiae hypothesi, illius ineptitudo erumpebat. Non monumenta illa recte putavit confecta. At si non confecta recte, haud vertendum id in Ludovicii jacturam fuisset, sed potius Ciccaglii. Is enim codicum rationes constituit,
7 notulasque suo conficiendas ab ratiocinatore curavit: ei onus erat sociali in syngrapha impositum retinendi = *la scrittura di detto forno* =. Recte ergo Ludovicius propugnabat, ut ex codicibus notu-

iisque ab Ciccaglio ipso, vel saltem ejus jussu confectis societatis rationes elicerentur, quemadmodum judicialis peritus in prima hypothesi elicuit, quam amplectendam omni pacto justitia suadebat, revocata commerciali sententia, prout hodie mane fieri pro sua ipsorum sapientia PP. DD. censuerunt.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 9 *maii* 1834

ARGUMENTUM

Habes ex Summario.

1. *In commercialibus controversiis mercatorii libri maximam fidem merentur.*
2. *Testis unicus omnino spernendus.*
3. *Et qui caeterorum testium dictis adversatur.*
4. *Atque mercatoriis libris contradicit.*
5. *Nulla fides testi inverisimilia perhibenti.*
6. *Nil valet declaratio ab homine obaerato et profugo scripta.*
7. *Praesertim si affectata sit, et collusionis suspicionem praeseferat.*
8. *Suppletorium juramentum facilius homini probatae fidei et religionis defertur.*

## Decisio LXXVII.

Vim scut. 262 et obul. 5o reliquum pretii carbonis, quem Antonius Bigini dives et honestus negociator ab anno 1823 ad vigesimam diem mensis februarii anni 1827 Joanni Baptistae Berner alteri ex Urbis propolis subministraverat, in juridico commerciali conventu condixit, amicamque sententiam obtinuit. Verum causam ad S. Ordinem nostrum propter interpositam appellationem delata, semel et iterum tum scilicet in comitiis diei 14 decembris anni 1827, tum die 11 februari subsequuti anni 1828. patrum haesit judicium, et mandatum fuit coadjuvari probationes, vocato ad causam Andrea Bertucci, carbonario et ipso, quem uti verum Biginii debitorem Bernerius designabat, quippe contenderet in ejus tabernam sitam *in Borgo al vicolo delle Palline* carbonem post diem 20 aprilis 1826 transmissum a Biginio fuisse. Quum autem in decoctionis statu Bertuccius versaretur, et profugus esset, desertum diu mansit judicium. Sed hoc mane certamen, Bernerio urgente redintegratum est; responsumque prodiit =*esse locum solutioni scutorum* 262 *et ob.* 5o *praestito tamen per Antonium juramento, et extendatur decisio* =.

Neque de asserta carbonis quantitate vel Bernerio vel Bertuccio a Biginio transmissa, neque de carbonis pretio disputatum unquam est. In hoc autem tota quaestio versabatur, num scilicet Bernerius de ea carbonis quantitate erga Biginium teneretur, quam in Bertucci tabernam transmissam fuisse liquet, qui mercatoris Biginii libros rite ac legitime conscriptos diligenter perquisierat, juramenti relligione interposita, palam ex illis fieri declaravit, carbonem ab die 23 decembris anni 1823 ad totam diem 20 februarii anni 1827 Bernerio transmissum absque intermissione fuisse; hunc proinde unum residui ejus pretii in praedicta vi sc. 262 et ob. 5o Biginii debitorem esse. Nemo autem nescit, maximam sibi fidem mercatorios libros in commercialibus controversiis arrogare Testes accedunt vectores ipsi plaustrorum Marozzinius, Graziosius, Marianius, Lorentius, qui formali examini subjecti unisona voce retulerunt, sese carbonem ad Bernerum per illud tempus transvexisse, ipsius autem jussu modo ad tabernam *in via dell' Arancio*, modo in alteram tabernam *alla Torretta di Borghese*, modo quoque in illam *in Borgo al vicolo delle Palline*, cui Bertuccius praeerat, plaustra transtulisse, sibique straenas repensas a Bernerio ipso fuisse. Quod et complures carbonarii confirmabant, qui et transvectioni carbonis plerumque interfuerant, atque ex ore tum Bertuccii, tum Bernerii pluries acceperant, hunc illi carbonem transmisisse *per ajutare in questo modo il Bertucci*,

*che in piazza aveva perduto il credito, e non trovava chi de' negozianti gli affidasse più il carbone.*

Novissimum praeterea testimonium perhibuerunt Joannes Costa, et Andreas Queroli carbonarii et ipsi, quo magis magisque praedictorum veritas elucescit. Ex iis enim alter asserere non dubitavit, *che trovandomi ad abitare accanto alla casa, in cui abitu il Bernera, ho inteso colle proprie orecchie diversi diverbii tra il Bernera e il Bertucci; perchè questi non gli riusciva puntuale nel pagargli il prezzo del carbone, che spacciava per esso; e qualche volta anche ho inteso dal Bernera la seguente espressione: che il Bigini, da cui comprava il carbone, riconosceva esso e non il Bertucci.* Alter autem testis subdidit *di aver veduto più volte il Bertucci appostato nel ponte S. Angelo, ed avendogli domandato chi aspettasse, mi rispose che aspettava le barrozze del carbone, che gli mandava il Prete, o sia il Bernera di pertinenza del Bigini.* Accedit honestissimum carbonis negociatorem Antonium Queroli, et quosdam alios carbonarios testes esse, Bertuccium et bajulum et institorem Bernerii fuisse, ejusque nomine pretium carbonis pluries Biginio numerasse. Quapropter exploratissimum erat, Bertuccium inter et Biginium nullum unquam contractum intercessisse, nec intercedere potuisse, quippe incredibile sit, Biginium sive bajulo, sive institori, sive decocto propolae fidem de pretio habere voluisse; carbonem autem haud Biginii, sed ipsius Bernerii mandato in Bertuccii tabernam transvectum fuisse; proindeque ejus pretium merito Biginium a Bernerio condixisse, quem unum debitorem agnovit.

Neque documenta a Bernerio allata tanti fieri valebant, ut ipse ab hujusmodi obligatione censeretur exemptus. Nec enim ex testimonio Andreae Rocca carbonis bajuli et Bernardi Marioni plaustrorum vectoris probatum erat, Bernerium die 28 aprilis 1826 carbonem ob pravam ipsius qualitatem recusavisse, ac deinceps ei non amplius trasmissum a Biginio fuisse: adeo ut exinde arguere fas esset, carbonem, quem post predictam diem Bertuccius accepit, haud Bernerii, sed Biginii jussu missum fuisse. Siquidem Marianus in judiciali examine testimonium revocavit. Rocca autem, utpote unicus et vilissimus testis, est omnino spernendus. Fortius quia ejusdem dicta tum caeterorum testium dictis, tum mercatoriis Biginii libris adversantur; fortius quoque quia inverisimilia perhibuit. Quandoquidem ne fingi quidem valeat, carbonis negociationem ab die usque 20 aprilis anni 1826 Bernerium inter et Biginium fuisse intermissam, quum caeteroquin exploratissimum sit, Bernerium in exitu februarii subsequuti anni 1827 non paucas pecuniarum summas in solutionem pretii carbonis Biginio numerasse. Nec enim verisimile est, hunc exactionem pretii carbonis, quem illi ante praedictam diem 20 aprilis anni 1826 vendiderat, tamdiu differre voluisse. Aeque posthabendam censuimus declarationem Neapolis a Bertuccio scriptam die 27 octobris anni 1828 per quam se carbonis pretium Biginio debere confessus est, cum eoque directim contraxisse asseveravit. Praeter quamquod enim ab homine obaerato ac profugo scripta est, accedit adfectatam nimis esse, et gravissimam collusionis suspicionem praeferre. Quidquam nec officit tabernam sitam *in Borgo al vicolo delle Palline* Bertuccio potius quam Bernerio locatam fuisse. Nam ex hac facti circumstantia nequaquam consequetur, quod Bertuccius Bernerii famulus et institor censeri nequeat. Et quamvis nec bajulus, nec institor Bernerii ipse fuisset, argui tamen exinde non posset, carbonem ipsi a Biginio, potiusquam a Bernerio transmissum fuisse. Nullius quoque ponderis videbatur testimonium a ripalibus quibusdam carbonis negociatoribus perbibitum, qui enarrant, Bernerium post vigesimam diem aprilis 1826 carbonem a ripalibus cymbis quaesivisse. Quandoquidem, etsi cum Biginio contraheret, fas tamen ipsi erat, carbonem ad opportunitatem

aliunde comparare. Nullam denique fidem sibi vindicabant partitae quaedam ex Bernerii libris eductae. Neque ex iis erat in compertis, carbonem post sepedictam diem 20 aprilis 1829 a Biginio ad Bernerium non amplius transmissum fuisse. Nec enim libros rite legitimeque confectos, neque partitas authenticas esse constabat. Verum enim vero, quum haec omnia documenta quae singula non probabant, ejusmodi tamen forent, ut unita judicis animum aliquatenus commoverent, ideo, ut securiori consilio sententiam ferre possemus, juramentum suppletorium Biginio deferendum esse censuimus, in eaque sententiam
8 eo libentius venimus, quia probatissima Biginii fides, atque relligio ne suspicari quidem sinit, quin ipse juramenti sanctitatem sit pessumdaturus.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. D' AVELLA'

FULGINATEN PECUNIARIA

*Veneris* 6 *junii* 1834

ARGUMENTUM

Habes ex summario

*SUMMARIUM*

1. *Crediti liquidatio, a judicialibus peritis viris facta, omnem meretur fidem, donec illius error et iniquitas evidentissime demonstretur.*
2. *Vilissimi testes non audiendi.*
3. *Nec qui generatim et vage deponunt.*
4. *Vel in propriam exonerationem.*
5. *In commerciali negotio probatio per testes deducta difficilius admittitur.*
6. *Praesertim si testes sint extrajudiciales et pendente lite expiscati.*
7. *Periti judiciales quibuscumque turbidis probationibus sunt praeferendi*

## Decisio LXXVIII.

Lucas Lezi Marchetti Fulginas commercio addictus, ut oryzam, frumentum, far, cannabem aliaque id genus Romam traduceret, venuique subjiceret, opera utebatur indocti quidem, sed navi industrique plaustrarii cujusdam Antonii Clarici, qui easdem quoque merces negociabatur. Ille qui Fulginiae morabatur, suas res servitio addicis Antonii Clarici tradebat, hic vero venditioni incumbens, pecuniam inde vel Lucae directo solvebat, vel iis, quibus Lucas per collybi literas solvendam mandabat. Unanimi consensu, mutuaque fiducia res cesserant usque ad mensem julii anni 1832. Sed, inclinata Lucae fortuna, ab hujusmodi commercio destitit uterque. Paullo vero postea Lucae patrimonii aeconomus electus est vicarius generalis Fulginiae cui Antonius rationes dati et accepti tradere curavit, quae gestionem respiciebant annorum 1831 et 1832. Initio res amice procedere videbantur; siquidem biduo kalendas novembris ejusdem anni 1832, dispunctis rationibus Antonium inter et oeconomum, praesentibus Lucae ac creditorum procuratore, quaedam oblata sunt, quaedam minuta ac reductioni subjecta, caetera vero penitus admissa. Verum cum concordia in irritum cessisset, Antonius, exhibitis rationibus, rem in judicium adduxit coram tribunali commercii Fulginiae solutionem petens scutorum 1828, ac declarans se acceptos ferre libenter argenteos nummos 207 et obul. 74, prout in disputatione ac conciliationis exordiis fuerat praestitutum. Mordicus obstitit debitor contendens tot tantaque in dati acceptique rationibus Antonium omisisse, quae Lucae credito essent addicenda, ut debitor potius, quam creditor censeri debuisset. In re implexa commerciales judices ob non satis probatum Antonii creditum ejus petitionem rejecerunt omnino. Provocatum vero est ad Ordinem nostrum, qui, nonis augusti superioris anni, rescripsit = *pro subdelegatione judicis in partibus ad effectum deputandi peritum ratiocinatorem, qui referat super hinc inde deductis et deducendis, et conficiat computum dati et accepti.* Tribunalis civilis Praeses Marcum Torelli Perusinum nominavit, qui oneri concredito penitus satisfaciens multa disseruit, constitutoque dati et accepti computo,

creditorem renunciavit Antonium in scutis 1669 et ob. 26. Opus tamen licet accurate exaratum ob juris factique inde obventas quaestiones haud sufficiens sacro ordini visum est, qui biduo nonas februarii hujus anni, priusquam sententiam ferret, curiali perito a me eligendo maluit munus committere *referendi super hinc inde deductis ac deducendis, cum facultate assumendi peritum ratiocinatorem.* Delecto hinc honestissimo ac peritissimo causidico Raphaele Mecenate, hic opera quoque usus experti ratiocinatoris Josephi Spada, omnibus ad examen sedulo revocatis, ita rem definire putavit, ut Antonium creditorem renunciaret in sc. 1503 : 70. Re vero in discrimen iterum adducta, hac mane propositae super Antonii credito quaestioni Patres respondere censerunt = *Quoad scuta* 500 *dilata, et coadjuventur probationes: in reliquis esse locum solutioni, et extendatur decisio* =

Contraria quidem mandati actione Antonius Clarici agebat, ut id condiceret quod Lucae nomine solverat vel ex collybi litteris, vel vectigalium ratione, vel pro exportationum mercede, aliisve denique id generis causis, quae, cum a Luca ejusve oeconomo nunquam in discrimen adducta fuerint, liquidum oppido creditum Antonii favore constituebant. Quaestio igitur tota in eo consistebat, quod cum Antonius cum peritis viris modo conveniens tot partitas, nominaque ultro detrahebat, ut suum creditum minueret usque ad summam scutorum 1503 et ob 70, Lucae oeconomus in vicarii locum suffectus novas e contra recensebat omissiones in rationibus ab Antonio exhibitis, quibus exceptis, omne Antonii creditum deficere penitus videretur. Et revera ex summa sc. 1503 et ob. 70 a peritis viris Antonii credito addicta, *quinque* praecipue, caeteris omnibus posthabitis, et quibus prius se creditorem jactabat, ulterius detrahenda propugnabat nomina: *primum* nempe sc. 404, quod gestionem respiciebat, ac residuum creditum constituebat anni 1831, eo quia ex literis Lucae missis apparere contendebat, Antonium in ejusdem anni exitu non creditorem, sed debitorem potius fuisse; *alterum*, quod agebat de vi sc. 15, quae Lucas Catharino cuidam Medori pro Claricio solvisset; *tertium*, quod ad scuta se referebat quinquaginta, quae Sancti Clarici Antonii fratri soluta ferebantur; *quartum*, quod pretium constituebat ingentis quantitatis farris, quae, licet in accepti rationibus omissa, ab Antonio recepta dicebantur; *quintum* denique, quod scuta quingentum respiciebat a Luca uti expromissore cuidam Francisco Matteucci numerata ob quantitatem papyri a Claricio empti, quaeque vero in rationibus superiorum annorum utriusque dati acceptique unquam recensita fuisse denegabatur. Verum Patres, omnia considerantes dum quoad reliqua a periti curialis vel ratiocinatoris sententia deflectere recusarunt, quoad ultimam vero summam sc. 500. Matteuccio soluta plurimum haesere. Satis nunquam fidelibus oculis fuerat subjectum, quo constitui certo potuisset, ut cum, postquam Matteuccius chartam Claricio vendiderat, et promissoris Lucae fidem sequutus, de ejus pretio peculiari modo Lucas ac Claricius rationem inter eosdem habuissent, atque ideo ita novationem ante mensem julii anni 1831 induxissent, ut delegatione sequuta, ac liberato debitore Antonio, Lucas, licet debitum in posterum dimisisset, modo nec in computis producere, nec iterum unquam repetere valeret. Quapropter, ut in re dubia implexaque tuto procederent, in eam Patres iverunt sententiam, ut, suspensa quaestione super hujusmodi scuta quingentum, donec probationes hac de re coadjuvarentur, in reliquis creditum Antonii juxta periti curialis opinionem constituendum esset.

Neque aliter fieri posse videbatur exploratum. Agebatur namque de crediti liquidatione a peritis viris facta, quae omnem
1 propterea fidem sibi merebatur, donec illius error atque iniquitas luculentissimis demonstraretur argumentis ex communi sententia, quam *post text. in leg.* 8 *ff de fin. regund.* tradit *Rota in Romana seu*

*Praenestina redditionis rationum* 20 *junii* 1788 § 2. Jam vero longe aberat, ut erroris peritorum ejusmodi liquidatio incusari posset. Constabat namque in primis optimo jure peritos viros ab Antonii credito non abrasisse, quod ad anni 1831 gestionem se referebat: siquidem nulla idonea probatio afferebatur, quod Claricius ad illius anni exitum debitor potius, quam creditor renunciari deberet; nec minimum oberat epistola sexto kalendas januarii 1831 qua Antonius Lucae dixerat = *vi scrissi che ci avevo qualche somma di danaro, e voi non mi rispondete; ditemi cosa devo fare* =. Quamvis enim haec verba seorsim considerata ad suadendum apta viderentur, Antonium eo tempore Lucae pecuniam potius retinuisse; quoties tamen ea cum reliquis animi sensibus in eadem epistola prolatis conferrentur = *quando avrò finito di vender la roba mia, allora vi saprò dire la somma che vi posso avere* = quisquis sibi suadebat, superioribus verbis = *vi scrissi che vi avevo qualche somma di danaro* = haud innuere voluisse, pecuniam hujusmodi ad Lucam pertinuisse, sed propriam potius illius commodo retinuisse. Si namque pecuniae oblata major vel minor quantitas pendebat ex venditione mercis, quam Antonius *mia* declarabat, planum esse videbatur, omnem vim pecuniae, de qua loquebatur, Antonii fuisse, qui inde propriam amicissimo suo ac socio offerre non dubitabat. Caeterum id mirum in modum suadebant verba, quae sequebantur = *se avete bisogno di danari ve li pago io, purchè non diate roba a nessuno* =. Ridiculum enim fuisset, ut qui Lucae pecuniam habebat, vel propriam offerret, vel alienam domino suo restituere denegaret, nisi conditione, ut sua exclusive in mercibus transvehendis opera uteretur.

Deterius vero ut anni 1831 rationes respuerentur, objiciebatur, merces nonnullas, ac praesertim oryzae haud parvam quantitatem Claricium recepisse, de qua licet ille loqueretur in literis januarii mense anni 1832 missis, nulla tamen in anni 1831 rationibus mentio facta apparebat. Plurima enim aderant, quae objectionem destruebant. Primo enim haud liquido constabat, orizae quantitatem, de qua Antonius loquebatur in literis januarii mense datis, ad Lucam pertinuisse. Neque ex eo quod factum nunciabat = *il riso l'ho venduto tutto a paoli* 37 *e* 36 *per finire* = satis erat ad Lucae proprietatem conjiciendam. Videbatur namque, id potius Antonium dixisse, ut amicum certiorem faceret, quod = *il riso ribassa, e perciò regolatevi nel comprare* =, ut scilicet nosset, quomodo se gerere debuisset in futurum. Porro si qua forte oryzae quantitas ad Lucam pertinuisset, haud certo tamen constabat, eam comprehensam non fuisse in ejusdem mercis quantitate, de qua ratio Lucae favore habita inde fuerit in computis pro eo punctim pretio sc. 3.70 quo oryzam fuisse venditam in epistola referebatur.

Quod si vero nullum aderat monumentum, ut summa sc. 404 ab Antonii credito excluderetur, nec meliori praesidio Lucas jus sibi arrogare poterat e debito detrahendi sc. 15 et ob 52, quae cuidam Catharino Medori pro Claricio soluta ferebantur. Praeter enim quam quod solutio ab uno Catharini ore pendebat, nec ullum prorsus adducebatur monumentum, unde excluderetur, de hujusmodi summa Lucam inter, atque Antonium jamdiu fuisse rationem, urgebat quoque ex ipsius Catharini attestatione palam emergere, creditorem potius Lucae quam debitorem fuisse Antonium. Narrat enim Catharinus, controversam summam sc. 15 et ob. 52 fuisse comprehensam in summa sc. 168 69 $\frac{1}{2}$, quam Claricio in tot mercibus tradidit, sed contextim narrat, ab eodem Claricio merces alias recepisse pro summa sc. 168 et obul. 99 Lucae credito adscripta, adeo ut creditum potius erumpat favore Antonii adversus Lucam, quam contra Claricium. Æque vero perperam detrahenda proponebatur altera summa sc. 50 quae licet Antonii fratri Sancti soluta, attamen in accepti rationibus supputata minime fuerant. Ex epistola enim ipsa,

quam Lucae aeconomus sibi praesto esse contendebat, plane eruebatur, scuta haec 50. Lucam Sancti Clarici tradidisse non negociorum causa cum fratre Antonio gestorum, sed ut quaedam sui nomine compararet in Urbe. Erat igitur a ratione devium, ut, pecunia commissionis explendae causa data, commissione sequuta atque excepta, modo iterum Lucae favore accenseretur in praejudicium Antonii.

Supererat demum inquirendum, utrum facto consisterat quod praeter eam farris quantitatem, de qua rationem periti habuerunt in rubris circiter 290 alia rubra quoque 152 ab Antonio recepta fuissent, quorum pretium nunquam a Lucae debito fuisset detractum. Sed patres eadem quoque de causa contrariam Lucae tulerunt sententiam. Nulla namque aderat scheda, quam vulgo vocant *poliza di carico*, quae, cum inter mercatores ordinario intervenire soleat, in venditione traditioneque facienda, probationem aliquam constituerat. Nil vero vel ex mercatoriis Lucae codicibus, vel saltem ex epistolis Claricii excerptum ferebatur, quod probaret, ipsum Lucam revera praeter farris rubra 290, alia quoque 150 circiter Antonio tradidisse. Omnia imo ex
2 uno ore pendebant cujusdam plaustrarii vel bajuli, vel aliorum id generis illiteratorum, qui merces vel vendidisse, vel Antonio tradidisse testabantur. Cum vero
3 horum *alteri* nec diem, nec circumstantias accurate narrantes generatim tantum de farris quantitate a Luca empta, vel fratribus Clarici tradita loquerentur, *alteri* vero, qui traditionem Claricio directe factam propugnabant in majori quantitate, in exonerationem susceptae erga Lucam
4 obligationis testimonium ferre viderentur, planum cuilibet erat, parvi quidem eos omnes esse faciendos, nullamque probationem constitui in iis posse, ut Lucae oeconomi propositum patres amplecterentur. Quod quidem eo magis tenendum erat in themate; siquidem cum ageretur de
5 commerciali negocio, per testes deducta probatio difficilius admittitur *Casareg. cap.* 5 *num.* 17. *Ansald. de comm. et Mer-*

*cat. dis.* 25 *n.* 37. *et dis.* 76 *num.* 2; ac praesertim vero quia testes isti extraju-
6 diciales, et pendente lite expiscati adversarentur opinioni peritorum judicialium, qui cum omnia diligenter ac funditus expendisse praesumantur, quibuscumque turbidis probationibus praeferendi omnem sibi merentur fidem juxta doctrinam, quam
7 semper tenuit S. Ordo *in Civitatis Plebis laesionis* 7 *februarii* 1817 § 12 *cor. Piccolomini, in Veliterna spolii* 16 *februarii* 1821 § 13 *cor. Bussi, in Romana pecuniaria* 11 *januarii* 1822 *cor. Martinez, et in Pisauren donationis* 20 *januarii* 1823 *cor. Emo Isoard.*

Et ita jus redditum est in strenuo partium certamine, me quoque suffragium ferente.

**R. P. D. MARINI**

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 20 *junii* 1834

ARGUMENTUM

Damnorum actio in quavis dubietate semper rejicitur. Quaedam habes de sequestro, atque de mora.

*SUMMARIUM*

1. *Odiosissima damnorum actio ut possit admitti duo luculenter demonstrare oportet, damna scilicet revera extitisse, et insuper ejus culpa obvenisse, contra quem eorum sarcitio petitur.*
2. *In quavis dubietate autem hujusmodi actio est semper rejicienda* et num. 3.
4. *Sequestrum inhibitionem inducit, itaut sequestratarius si solvat periculo se objiciet iterandae solutionis.*
5. *Ad sequestratarium minime pertinet de validitate seu nullitate sequestrationum cognoscere.*
6. *Qui justam exhibet causam, a mora excusatur.*
7. *Qui sine dolo malo litem egit, moram facere non videtur.*
8. *Et quamquam causa cadat, non ideo ad damnorum emendationem adigendus est.*
9. *Ad odiosissimam damnorum actionem*

*declinandam leviores quoque caussae, excusant a mora.*

10. *In decisionibus quaestiones principales sub dubii formula comprehensae attendendae sunt, non autem quae perfunctoriae, atque extra controversiae fines irrepserunt.*

## Decisio LXXIX.

Rescissa societate, quam Vincentius Nellius cum Felice Trocchio contraxerat super vitraria opificia jure privativo in pontificia ditione ad totum annum 1838 exercenda, alia super re hac inter Nellium et Joannem Thomam Silvestrelli primarium in Urbe negociatorem per privatam syngraphan diei 24, 1823 societas contracta est. Caetera inter pacta in apocha sociali apposita cautum fuit art. 5, quod Nellius curare deberet, ut jus privativum ad alterum quinquennium societati prorogaretur = *e più ancora se gli riuscirà dopo l' anno* 1838 =. Praeterea ut similiter obtineret = *dal governo un nuovo aumento di dazio sulla introduzione delle lastre estere* = Hisce autem per Nellium obtentis, sese obligavit Silvestrellius eidem subministrare = *a cambio coll'interesse del sette per cento annuo la somma di sc.* 15000 = et alia scuta 5000 = *cogl' interessi come sopra al sette per cento subitochè comincerà ad agire la nuova fabbrica in un paese, ove possa ottenersi maggior economia per la legna con minori inconvenienti, e che il sig. Silvestrelli avrà riconosciuto utile questo traslocamento* =

Pauci effluxerant dies ab hac inita societate, quum Nellii creditores sequestrationes injicere satagerunt super subministratione a Silvestrellio post adimpletas per Nellium praefatas conditiones suppeditanda; quae sequestrationes die 5 augusti 1826 ad ingentem summam pertingebant argenteorum 28288. 51. Perpenso autem hujusmodi sequestrationum obstaculo, ac nondum impetrato augmento vectigalis = *sull' introduzione delle lastre estere* = Nellius die 8 maii 1826 apud mercatorios judices Silvestrellium arcessivit expostulans subministrationem sc. 15000, et brevi injustae liti nuncium misit, ac supplex adiit sa. me. pontificem Leonem XII qui per praesulem aerarii praefectum die 5 augusti 1826. Nellio rescripsit = *che alla circostanza della prossima emanazione della nuova tariffa doganale il dazio attualmente vigente sui cristalli e sulle lastre verrà aumentato in modo, che ne sia favorita la manifattura nazionale, e frenata la concorrenza dell'estero* =. Cesserat interea Nellius Joanni Danieli Bronner per apocham die 12 junii 1826 exaratam *tre carati* utilium socialium, sive = *tre ventesime parti della quota al sig. Nelli spettante* =. Mox per syngraphan die 3 decembris ejusdem anni conscriptam quidquid sibi utilium supererat, sive *diecisette centesimi degli utili e dei diritti che a me oggi spettano sulla privativa fabbricazione di lastre e cristalli* = transtulit in Petrum Poggium. Ac de utraque hac cessione Silvestrellius judiciario ritu est commonefactus. Imploravit deinde Nellius ab indulgentia summi pontificis, ut sibi praesul Ugolinius judex extra ordinem daretur ad conciliandas controversias omnes cum creditoribus, ac Silvestrellio cui deinde facultates prorogatae sunt etiam ad lites praefatas dirimendas. Verum creditoribus super conciliatione dissidentibus, judex deputatus die 27 junii 1827 declaravit fuisse convocatum concursum super bonis instantis. Ex ejusdem judicis jussione obtulit Nellius tam notulam bonorum, quae se possidere jactabat, quam alteram, in qua aes alienum ad vim usque sc. 34833. 24 recensebatur. Hinc quaedam tabulae pictae ad debitorem spectantes sub auctione venui expositae sunt, ac nemine ad licitandum comparente, alteri ex creditoribus adjudicatae. Tandem die 10 augusti 1827 creditores adversus Silvestrellium petiverunt subministrationem sc. 20000, quam Nellio eorum debitori in apocha sociali suppeditare spoponderat: quum vero probe intelligerent sibi obesse cessiones jurium socialium ab eodem Nellio erga Danielium

Bronner, ac Poggi peractae, idcirco coram eodem judice postularunt, ut praefatae cessiones irritae declararentur. Sed antequam judex quidquid de subministratione definiret, ex summi pontificis rescripto die 23 octobris 1828 in vulgus edito quaestiones omnes inter Silvestrellium et Nellium, ejusque creditores ad nostrum auditorium ablegatae sunt. Causa pluries proposita super subministratione sc. 20000 victoria modo in unam, modo in alteram partem inclinavit, donec rotalis sententia expedita est, quae Silvestrellium damnavit ad rependendam summam sc. 15000. Huic sententiae amica transactio accessit, qua sublata est omnis de subministratione controversia, solutis per Silvestrellium argenteis undeviginti millibus. Hac summa obtenta Nellius mense martio 1833 creditoribus praestare valuit, quod iis promiserat mense majo anni 1829, non sine tamen dissensu creditorum complurium, nempe = *a saldo il quaranta per cento* = ac sententia judicum A. C. ad liberam patrimonii sui administrationem redintegratus est. Post haec Nellius anno superiori coram mercatorio tribunali adversus Silvestrellium novam actionem proposuit ad emendationem damnorum obtinendam, quae sibi obvenisse authumabat = *dal ritardato pagamento della somma di scudi ventimila, che il citato erasi obbligato di somministrargli nella epoca sociale* = Verum contraria sententia postulatio hujusmodi rejecta est. Nec profuit Nellio ad N. Ordinem provocare; namque hodierna die causa a me proposita, rescriptum prodiit=*non esse locum emendationi damnorum, et extendatur decisio* =.

Tralatitium siquidem in jure est, ut actio damnorum odii plena admitti in judicio possit, duo ab actore luculenter esse demon-
1 stranda, tum scilicet damna revera extitisse, tum ex ejus culpa derivasse, adversus quem detrimenti sarcitio expostulatur; quae nisi perspicue patefiant, quaelibet ambiguitas satis est ad actionem hujusmodi
2 excludendam. *Rota in Ravennaten. refectionis damnorum 7 aprilis* 1753 § *ult. cor. Elephantutio, decis* 35 *n.* 1 *et* 3 *cor. Malvasia, in Romana pecuniaria* 21 *aprilis* 1806 § 7 *cor. Cesarei, et in Romana damnorum* 3 *februarii* 1809 § 7 *cor. Emo. Bussio.* Atqui patres deprehendebant, neutrum ex hisce in themate ab actore probari.

Qui Nellii causam orabant, ut damna huic illata esse ostenderent, ajebant, ex retardata a Silvestrellio subministratione, quam in sociali apocha spoponderat, accidisse, ut convocari debuerit super Nellii patrimonio creditorum concursus: atque ex eo tanquam omnium damnorum fonte, caetera quoque damna derivasse: exinde enim accidisse, ut lites diuturnae ac sumptuosae cum ingenti patrimonii jactura substineri debuerint; ut collectio tabularum pictarum uni ex creditoribus pretio vilissimo adjudicata sit; exinde Nellium amisisse utile dominium viridarii = *alle quattro fontane* = una cum meliorationibus, cujus devolutionem vir princeps Chisius directus dominus ob canones insolutos habuit acceptam; tandem ex coacto creditorum coetu boni nominis jacturam Nellium pertulisse; quae tamen damna satis esse, in hac judicii sede ut generatim tantummodo evincantur.

At principio patres animadvertebant rei veritati minime congruere, quod creditorum coetus coactus sit ob dilatam a Silvestrellio promissae pecuniae subministrationem, quandoquidem etiamsi anno 1826 conditionibus ex sua parte adimpletis jus fuisset Nellio postulandi summam praedictam, ac caeteroquin Silvestrellius eam libere Nellio persolvere valuisset, haud idcirco videbatur concursus convocationem potuisse ullo modo devitari. Tanta enim aeris alieni mole Nellius tunc obruebatur, ut ad creditores dimittendos multo ingentior pecuniae vis, quam promissa subministratio requireretur. Ex notula enim apud acta per Nellium exhibita patebat, nomina, quibus obnoxius erat, conspicuam summam conflare argenteorum 34833. 24 ceu supra narratum est, quam caeteroquin ad grandiorem quoque

quantitatem assurgere Silvestrelli defensores contendebant. Atqui tot creditoribus per subministrationem sc. 15000 ad quam rependendam sententia nostri ordinis Silvestrellius deinceps damnatus est, vel etiam 20000, ut Nellius postulabat, satisfieri nequaquam potuisse, erat in propatulo.

Et perperam reponebat Nellius, sese a creditoribus obtinuisse = *il tributo del* 60 *per cento* = ideoque cum praedicta per Silvestrellium subministrandae pecuniae vi potuisse omni aere alieno sese liberare. Nam patres considerabant eam conventionem a Nellio cum creditoribus suis nonnisi anno 1829 initam fuisse, videlicet biennio post convocatum eorumdem creditorum coetum, ac post adjudicatas uni ex creditoribus tabulas pictas, quae totum fere constituebant Nellii patrimonium praeter jus privativum officinae vitrariae; ex quo apparebat, creditores, tum demum acceptam habuisse Nelli propositionem = *del* 40 *per* 100; quum exploratum habuerunt nihil aliud superesse, nisi subministrationem a Silvestrellio reprachesentandam; ac caeteroquin notatu dignissimum est, haud omnes creditores tantae jacturae consensum suum accommodasse, verum complures conventioni ejusmodi aperte obstitisse. Itaque perabsurdum videbatur, conventionem quae locum habuit 1829 retrotrahi ad annum 1826, quo plane diversae erunt rerum circumstantiae. Tunc enim quum injectae sequestrationes ad quantitatem jam assurgerent scut. 28288. 51, aliique praeterea adessent conspicuae summae creditores, si numerasset Silvestrellius quindecim vel viginti argenteorum millia, cuncti impetum fecissent, ut integram sui nominis solutionem consequerentur. Quibus perpensis, judicarunt patres, concursus convocationem a retardata per Silvestrellium subministratione originem minime duxisse, atque idem per consequens dicendum esset de aliis quoque damnis, quae tanquam coacti concursus consectaria a Nelli defensoribus in medium proferebantur.

Deterius vero a Nellii defensoribus ostendebatur alterum hujusce actionis *extremum*, quod nempe damna supramemorata, si revera extiterint, dolo aut culpae Silvestrellii sint attribuenda; quod ni luce appareat, minime decernendam esse damnorum emendationem vulgatissimi juris est. *Rota in Romana seu Portuen. damnorum* 12 *maii* 1777 *cor. Herzan*, *et in confirmatoria* 14 *maii* 1784 *cor. De Bayane* § 4, *et in Romana seu Praenestina super emendatione damnorum* 13 *junii* 1803 *cor. Emo Bussi.* Culpam Silvestrelli depromere conabantur *ex mora* solvendae subministrationis, in qua ipsum versatum fuisse contendebant. Utrum vero ad constituendum ipsum in mora opus fuerit interpellatione; utrum haec in themate intercesserit nec ne, multa in utramque partem disputabantur. At patres his immorari supervacaneum duxerunt, quandoquidem pro comperto habuere, quod etiam dicendum esset, interpellationem revera intercessisse, aut non necessariam fuisse, haud tamen idcirco renunciari posset Silvestrellius in culpa fuisse, cum plures easque satis idoneas caussas haberet, cur solutionem remoraretur.

Etenim paucis post diebus ab inita societate inter Silvestrellium ac Nellium, hujus creditores a kalendis octobris usque ad diem septimam insequentis decembris nomina proferentes, quae valde superabant depactam subministrationem, sequestrationibus interjectis, Silvestrellio denunciarunt, ne quidquam Nellio rependeret = *sotto pena di reiterato pagamento* = juxta sanctionem art. 677 tunc vigentis praxis leoninae. Quum itaque art. 679 ejusdem judiciariae legis cautum esset = *il sequestro sia formale, sia per atto di citazione induce inibizione nel momento della presentazione* = palam erat Silvestrellium inhibitum fuisse, quominus
4 subministrationem persolveret; quia sese objiceret periculo iterandae solutionis *Rot. in rec. dec.* 624 *num.* 34 *part.* 4 *tom.* 3 *dec.* 343 *num.* 12 *part.* 11, *et in Interamnen. dotis* 3 *martii* 1752 § *fin. cor.*

*Matthaejo.* Perperam vero replicabat Nellius, sequestrationes a Silvestrellio contemni potuisse, utpote transmissas, antequam dies venerit praestandae subministrationis, vel eam cum vinculo sequestrorum debuisset deponere. Neque enim ad Silvestrellium pertinebat de validitate,
5 seu nullitate sequestrationum cognoscere, sed eae a Nellio ipso erant oppugnandae. Neque rursus objurgandus erat, si pecuniam deponere omisit; nam praeterquamquod ob conditiones nondum a Nellio adimpletas nondum solutioni locum factum esse existimabat, si neque Nellio, neque creditoribus instantibus, sed proprio arbitratu deposuisset pecuniam, palam est, quodcumque depositi periculum ipsius tantum damno cessurum fuisse.

Neque vero sequestrationes dumtaxat impedimento erant Silvestrellio, quominus pecuniam Nellio subministraret, verum etiam cessiones utilium, juriumque socialium ab eodem Nellio erga Danielem Bronner, ac Poggium peractae die 12 junii ac 3 decembris 1826, ac Silvestrellio rite denunciatae; quarum cessionum postrema, ea nempe erga Poggium inita, quae majorem rei partem complectebatur, non ante e medio sublata est per ejusdem Poggii renunciationem, quam die 3 julii 1828, nempe longe post coactum creditorum concursum. Quousque enim socialia jura ad cessionarios pertinere apparebat, justa aderat causa, quamobrem Silvestrellius pecuniam Nellio abnuerat
6 mutuari. Duplici itaque exceptione Silvestrellius juvabatur, quae satis superque erant, ut illum a mora excusarent. *Text. in cap.* 60 *de reg. jur. in* 6, *Leg. sciendum* 21 *ff de usur. et fruct.*, *Rota in Setina sponsalium super damnis et expensis* 4 *martii* 1754 § 6 *cor. Elephantutio*, *in Romana, seu Portuen. damnorum* 14 *maii* 1784 § 5 *cor. De Bayane in Romana contractus* 7 *februarii* 1803 § 8 *cor. Resta*, *in Romana affictus* 14 *januarii* 1805 § 13 *cor. eodem, et in confirmatoria* 10 *maii ejusdem anni* § 13 *cor. Eodem.*

Neque in eo Silvestrellii culpa ponenda erat, quod apud nostrum auditorium causam egit adversus Nellium, ejusque creditores contendens, ad solvendam subministrationem se minime teneri, ob non adimpletas a Nellio conditiones in apocha sociali praefinitas. Quamvis enim victus discesserit ex hoc judicio, damnatusque fuerit ad reprehesentandos argenteos quindecim mille, haud idcirco dici potest, calumniosam litem substinuisse. Causa siquidem erat anceps, diuque in ea dirimenda haesit sacer ordo. Porro quisquis ad
7 judicium sine dolo malo provocat, moram
8 facere non videtur; et quamquam causa cadat, non ideo tamen adigi potest ad damnorum emendationem. *Text. in leg.* 63 *ff de reg. juris. Rota in Melevitana manutentionis super fructibus et damnis* 11 *maii* 1759 *cor. Crescentio* § *fin.* Ad effugiendam enim odiosissimam damnorum actionem leviores quoque causae excusant
9 a mora, ceu tradunt *Cravett. cons.* 448 *n.* 3 *Gratian. discept. forens. cap.* 639 *n.* 16; *Pacion. de locat. conduct. cap.* 37 *in fin*; *et Rota in Romana seu Tudertina Lampadis* 22 *junii* 1761 § 6 *coram De Zelada.*

Inutiliter autem Nellii defensores ad enunciationes nonnullas decisionum *in Romana societatis, et Romana societatis quoad subministrationem scut.* 2000. *cor. R. P. D. meo Spada Decano*, quae obiter ponunt Silvestrellium causam dedisse convocationi concursus ob retardatam subministrationem, confugiebant. Quandoquidem in prima ex iis decisionibus disquirebatur, *an esset locus rescissioni seu resolutioni societatis*, in altera autem *an et quomodo, et in qua summa locus esset*
10 *subministrationi.* Jam vero in decisionibus attendendae sunt quaestiones principales, quae sub dubii formula in disputationem veniunt, minime vero quae perfunctorie, atque extra controversiae fines irrepserunt, prout definitum est a sacro nostro Ordine *in Romana seu Viterbien. dotis et lucri super exequatur contra bona fideicommissaria* 14 *Maii* 1756 § 8

*cor. Canilliac, et in Montis Alti seu Firmana Dotis super fructibus 21 januarii 1822 § 15 cor. R. P. D. meo De Cursiis*

Tandem quod Nellii oratores de correspectivitate disserebant, nullo in calculo haberi posse videbatur. Etenim si per spatium septem annorum Silvestrellius fuit societatis particeps, antequam subministrationem praestaret, haud sane constat lucrum retulisse. Quod etsi probaretur, id ex propria substantia in societatem immissa jure optimo percepisse dicendus esset. Constat enim ipsum res cunctas, quae a Trocchio conspicuo pretio coemit, in praefatam societatem ex conventione immisisse. Caeternm si Nellio pecuniam distulit Silvestrellius subministrare, depactos fructus ad rationem septuncem ab eodem minime exegit.

Et ita etc. Utraque.

**R. P. D. SPADA**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae 7 julii* 1834

ARGUMENTUM

Informes chartulae, seu notulae computorum volitantibus foliis traditae pro adversariis haberi nequeunt, nihilque valent in judicio ad creditum constituendum. Nonnulla habes de testibus fide indignis, deque praesumpta solutione.

*SUMMARIUM*

1. *Probandi necessitas incumbit actori.*
2. *Reo satis est incertam ac turbidam actoris intentionem facere.*
3. *Nemo potest propria adnotatione debitorem sibi constituere.*
4. *Informes chartulae seu notulae computorum nullo munitae chirographo, foliisque volantibus traditae pro adversariis haberi nequeunt, nihilque probant ad constituendum creditum.*
5. *Neque ad probationem sufficerent etiamsi adserti creditoris jam defuncti manu exaratae fuissent.*
6. *Praesertim si quaedam ex iis computis diversa reperiantur ab aliis notulis, quas ipse assertus creditor, dum vivebat, debitori tradiderat solutione accepta.*
7. *Inverisimile est, quod testis post longum exactum tempus certam rerum memoriam habere possit*
8. *Nulla fides testi, qui propter aetatem nec scire nec intelligere id poterat, quod deponit.*
9. *Testis unicus nihil probat.*
10. *Et pariter qui nullam scientiae causam adducit, atque incertis et dubitativis verbis utitur.*
11. *Qui sibi quotidiano labore victum quaeritabat praesumi nequit per multos annos, dum vixit, nunquam petiisse sui crediti satisfactionem.*
12. *Incredibile est aliquem posteriora credita semper exegisse, anterioribus posthabitis, quin unquam in acceptilationibus mentionem de iis fecisset, sibique reservasset actionem.*
13. *Mutuum a creditore acceptum argumento est pecunias antea debitas solutas fuisse.*

## Decisio LXXX.

Qui celebriora in urbe Roma exercet diversoria apud notissimam plateam, quae = *di Spagna* = appellatur, ubi frequens est inter singulos annos ditiorum praesertim advenarum numerus, Antonius Serny jam inde ab anno 1817 opera utebatur Vincentii Collina, qui pro sua arte = *di tapezziere e banderaro* = aedes eleganter instrueret. Hoc itaque artifice omnia quotannis cujusque diversorii cubicula aulaeis et peristromatibus ornabat Sernyus ad hospites excipiendos. Mercedes autem operariis nulla mora solitus ipse rependere, computa etiam Collinae solverat ut plurimum praesenti pecunia, et non semel iterumque, sed pluries recepta notularum finali acceptilatione = *di saldo* = in singulos annos usque ad diem 24 augusti 1828. Hoc mense vix elapso, pecunia indigens Collina nummariam tesseram sc. 300 ab Sernyo accepit in proximum januarium 1829 exigendam = *obbligandosi di rendere il residuo, se li conti non ascendessero a tal somma* = At quamvis artifex

operam suam usque ad annum 1830 praestitisset, initae tamen utrinque non fuerunt rationes. Quare cum ipse postea decesserit, quaestio orta est cum ejus filio Josepho, qui veteribus etiam propositis computis ingentem petiit pecuniae summam. Res nunquam composita deducta est in judicium, ubi adductis testibus, iisque examinatis, tandem juridici in Urbe commerciales instantiam Collinae rejecerunt. Causa ex appellatione cum fuerit ad s. Rotam delata, prodiit hodie rescriptum *Quoad computa usque ad diem 24 augusti non constare de credito, in reliquis esse locum dispunctioni computorum* — commisso mihi edendae decisionis munere.

Ei quidem semper necessitas probandi
1 incumbit, qui agit *ad text. in leg.* 21 *ff de Probat.*, cum rei negantis nulla probatio possit haberi *ex leg.* 23 *cod. de Probat.* Nisi igitur doceat evidenter filius et haeres Vincentii Collina debitum sibi esse, quod petit, plane consequitur, omni-
2 no esse absolvendum Antonium Serny, cum satis ei sit incertam ac turbidam facere actoris intentionem *Rota in Ferrarien. testamenti 7 aprilis* 1758 § 18, *in Fulginaten. censuum 17 aprilis ejusdem anni* § 10 *cor. Herreras, et in Romana demolitionis 12 junii* 1755 § 4 *cor. Figueroa.* Cum itaque Joseph Collina perinde ac si defunctus ejus pater nihil fere quidquam exegisset, vetera exhibuerit computa operarum, quae Antonio Serny praestitae fuerant a Vincentio Collina usque ad ejus obitum, etsi tanquam adversaria, et privatae rationes possent censeri nihil tamen probarent *ad text. in leg.* 5
3 *cod. de Probat.*, quia exemplo perniciosum esset, fidem habere scripturae, cujus vi sibi quisque propria adnotatione valeret debitorem constituere, veluti scriptum est *in leg. 7 cod. de Probat.*, et statuit *Rot. in dec.* 457 *n.* 6 *et dec.* 1259 *num.* 5 *cor. Molines, et in Colonien. Congruae 21 junii* 1751 § 4 *cor. Migazzi*

Eo magis autem in specie id retinendum, quia non adversaria esse videntur, neque adnotationes, quas haeres Collina judicio exibuit, sed chartulae imo sunt, sive notulae computorum informes diversa manu scriptae, lituris ac mendis conspersae, nulloque munitae chirographo, item-
4 que foliis volitantibus traditae, unde nullam cum habeant authenticam formam, nihil omnino probant, nihilque juris potest sibi ex iis vindicare Collina ad ostentatum condicendum creditum. Et quam-
5 vis etiam constaret, ejusmodi folia defuncti Vincentii fuisse chirographo scripta, ad legitimam tamen ei debitae quantitatis probationem inducendam sufficere neutiquam posse, juris est explorati *ad text. in leg. 6 cod. de probat, et Rot. in Romana fructuum loco damnorum 24 januarii* 1753 § *fin., et in confirmatoria 15 maii ejusdem anni* § *fin. cor. Vicecomite* Ad haec autem illud accedit, quod praeter vitia exposita, tales computorum notulae non modo videntur varia manu con-
6 scriptae, sed quaedam insuper ex iis longissime distant ab aliis notulis, quas ipsemet Vincentius tradiderat Sernyo, et quarum solutionem finali receperat acceptilatione. Nulla fides propterea informibus foliis potest haberi, cum nequeat unquam praesumi, adeo indiligentem fuisse artificem, ut aliter expungeret rationes, quam ipse adnotabat, et quasdam prorsus omitteret, quin sarcta tecta simul sibi congrua reservasset jura.

Neque ullam hisce chartulis fidem augent dicta testium, qui rite fuerunt examinati. Principio enim considerandum,
7 eos de re deponere post lapsum tresdecim annorum, unde verosimile non potest haberi, certam potuisse rerum memoriam servare *Rot. dec.* 750 *n.* 5 *cor. Dunozet. dec.* 1180 *n.* 5 *cor. Molines, in Auximana manutentionis* 26 *februarii* 1733 § 8 *cor. Amadeo, et in Ravennaten seu Ferrarien. census* 30 *jan.* 1756 § 8 *cor. Stadion.* Considerandum praeterea, alte-
8 rum quidem cognomine *Crispum* adolescentem de re testari, quam propter aetatem neque scire poterat ipse, neque intelligere: alterum autem *Gallum* affinitatis vinculo esse conjunctum cum Josepho

Collina, unde rejecti ambo fuerunt ab instituto formali examine, proindeque ter-
9 tium *Ceccarinium* unicum esse, ob eamque ipsam causam omnino despiciendum *ad text. in cap. universis* 28 *Extrav. de testibus*, *et Rot. dec.* 132 *n.* 8 *cor. Emerix Jun. et decis.* 1180 *n.* 4 *cor. Mollines.* Quod vero gravius etiam est, non modo fieri nequit, ut testes de certa quantitate et qualitate mercis, et operarum deponant, sed tertius praesertim *Ceccarinius* in formali examine ignorantiam suam certis de rebus patefecit, in aliis autem nullam scientiae causam adducit, et quoad
10 caetera incertis et dubitativis utitur verbis, itaut nulla prorsus ei valeat fides adhiberi *leg.* 2 *ff de testibus et Rot. dec.* 8 *n.* 4 *cor. Ansaldo*, *in Faventina canonicatus* 11 *martii* 1757 § 11 *cor. Canilliac*, *et in Imolen decimarum* 15 *martii* 1787 § 11 *cor. Riminaldo.*

Augetur hinc lati judicii ratio, si id consideretur, quod nedum constat, Antonium Serny diligentem jugiter fuisse in expungendis, persolvendisque computis, uti negociator Cagiati, plurimi artifices, et annonae venditores testantur, sed quia etiam ne potest quidem contra praesumi, adeo negligentem esse voluisse Vincentium
11 Collina, qui sibi quotidiano labore victum quaeritabat, ut per tot annos silere ipse potuisset, dum fuit in humanis ad tradita *per Zacch. de salario quaest.* 105 *n.* 10 *Cost. de ration. quaest.* 108 *n.* 14, *Paschal. de vir. patr. potest. part.* 4 *cap.* 6 *n.* 74 *Gilian. ad stat. Perus. annot.* 5 *n.* 9, *et Rot. in dec.* 444 *num.* 10 *et seqq. cor. Molines.* Maxime vero, quia non semel iterumque, sed pluries quotannis exhibebat Sernyo singula quaeque computa, ab eoque solutionem recipiebat, relicta notularum jam inde ab anno 1817 usque ad diem 24 augusti 1828 finali acceptilatione = *di saldo* =, unde incredibile est, defun-
12 ctum Collina posteriora semper exegisse credita, antiquioribus posthabitis, quin ullam sibi in tot acceptilationibus reservasset numquam actionem, aut mentionem fecerit crediti anterioris; *Rot. in rec. dec.* 133 *n.* 3 *part.* 19, *cor. Riminaldo dec.* 509 *n.* 14, *cor. Falconerio dec.* 6 *n.* 3 *cor. Molines dec.* 259 *n.* 3, *et in Campostellana resignationis super regressu* 3 *februarii* 1755 § 7 *cor. Vicecomite.*

Caeterum accedit ad cumulum, quod ipse Vincentius Collina tacite professus est nihil sibi amplius deberi. Vix enim elapso mense post ultimam finalem acceptilationem diei 24 augusti 1828 pecunia indigens accepit ab Antonio Serny nummariam tesseram sc. 300 in proximum mensem januarium 1829 exigendam = *obbligandosi di rendere il residuo, se li conti non ascendessero a tal somma* = Nil igitur evidentius, quam quod nullum amplius creditum
13 haberet exigendum, simulac mutuum a creditore acceptum argumento est, solutas antea fuisse pecunias *Bald. in leg.* 1 *n.* 16 *cod. de serv., Pacion. de locat. et conduct. cap.* 32 *n.* 30, *et Rot. in decis.* 138 *n.* 4 *cor. Penia*, *dec.* 280 *n.* 4 *cor. Celso*, *in Romana pretii tabularum pictarum* 3 *junii* 1749 § *fin. et* 27 *aprilis* 1750 § *fin. cor. Migazzi*, *et in Romana pecuniaria* 18 *junii* 1751 § 5 *cor. Bussi.* Nec cavillandum super verbis memoratae obbligationis, quasi nempe non de futuris computis, sed de praeteritis fuerit intellectum. Praeter quod enim ea verba = *se li conti non ascendessero* = suapte natura debent referri ad posteriora negocia, suadet etiam vehementer factum ipsius Vincentii, qui cum ab eo jam tempore finales reliquisset acceptilationes, fieri nunquam poterat, ut ipse se obligaret = *di rendere il residuo* = scutorum tercentum, si major sibi quantitas, ut hodie petit, deberetur scutorum circiter bis millium ex computis anterioribus, quemadmodum in re simili statuit *Rot. in cit. Romana pecuniaria* 18 *junii* 1751 § 8 *cor. Bussi.*

Et perperam confugiebat Collina ad depositiones testium ut evinceret, expunctis rationibus ab ipsa Antonii Serny uxore nuper defuncta agnitum fuisse debitum. Quotquot enim sunt testes deducti nullius ponderis esse possunt, quia vel deponunt pro ipso Collina, cui inserviunt, vel sunt

ambigui, vel singulares in dicto, vel denique sibi ipsi contradicunt. Atque his ita se habentibus, etsi res esset explorata, Patres tamen ad perimendam omnem ambigendi rationem censuerunt non constare de credito usque ad diem 24 augusti 1828 nempe usque ad ultimam acceptilationem, *praestito* quidem *per Antonium juramento*, deinde vero in reliquis *esse locum dispunctioni rationum.*

Et ita etc. utraque etc.

**R. P. D. MUZZARELLI**

BONONIEN. SEU MEDIOLANEN. PECUNIARIA

*Lunae 4 augusti 1834*

ARGUMENTUM

Quamquam cambiales literae paratissimam habeant exequutionem, si tamen ex validis conjecturis et argumentis constet creditorem cambiale nomen cum suis debitis compensare voluisse, fas ei non amplius est mandatum pro illius solutione exequi ante initam crediti, et debiti dispunctionem.

*SUMMARIUM*

1 *Nullus locus circumscriptioni, nisi adsit vel citationis, vel jurisdictionis, vel mandati defectus.*

2. *Debitor rite citatur ea loci ubi cambiales literae solvendae ex pacto fuissent, et ipse suum domicilium elegit* - et num. 4.

3. *Citationis defectus sanatur, quando reus conventus ad tribunal venit, suamque contumaciam ex legum indulgentia purgari petiit, obtinuitque.*

5. *Etsi cambiales literae exequutionem paratissimam habeant, tamen creditor pro earum solutione mandatum exequi non potest, si ex validis praesumptionibus et documentis constat, ipsum cambiale nomen cum suis debitis compensare voluisse.*

6. *Ad hoc autem validissima est praesumptio juge plurium annorum silentium post obtentum mandatum.*

7. *Itemque si creditor dum mandati exequutionem judicio petiit, fassus est ejus caussa aliquas a debitore recepisse pecunias.*

8. *Mercatorii libri juxta leges scripti nulloque vitio laborantes in commercialibus controversiis plenissimam probationem faciunt.*

9. *Liquidum inter et illiquidum, privilegiatum inter et civile nomen ex lege nulla fit compensatio.*

1. *Limita si constet eam ex spontanea partium voluntate praeordinatam, et volitam fuisse.*

DECISIO LXXXI.

Cambialibus literis libellarum italicarum 8910 Bononiae anno 1813 dissolvendis, quas Aloysius Lolli Mediolanensis negociator acceptaverat, quum ipse praestitutis diebus minime satisfecisset, Laurentius Montanari Bononiensis earum creditor, editis, ut moris est, protestationibus, commerciale judicium Bononiae instituit, et mandatum tum personale tum reale pro libellis 9777, usuris nimirum adjectis, Lollio vadimonium deserente, obtinuit. Devolutiva tantum appellatio huic, Montanario acriter obsistente, concessa a judice fuit. Post haec vero siluit uterque ad annum 1829, quo Montanarius in Lollium Bononiae fortuito degentem, iterum irrupit, et ab eodem tribunali commercii praedictum mandatum exequi postulavit, saltem pro ea summa, cui satis Lollius fecisse non demonstraret. Quaestione per citationem specialem ad sacrum ordinem nostrum delata, denuo judiciales actus per quadriennium intermissi fuerunt. Tandem in comitiis diei 9 elapsi mensis junii quaesitum fuit, an acta Bononiae gesta circumscribenda forent, seu potius judicatum commercii exequutioni committi deberet. At, suspensa decisione, productionem apud acta fieri mandavimus computi cujusdem a Lollio exhibiti, cui initae compensationis exceptio, qua ipse utebatur, potissimum innititur. Lege s. auditorii impleta per aequipollentem exhibitionem originalis computi in manibus adversi procuratoris, redintegrato hoc mane certamine respondimus = *Nihil de circumscriptione: non esse locum solutioni literarum cambialium, salvo jure agendi pro dispunctione ra-*

*tionum prout et quatenus de jure, et extendatur decisio* =.

Circumscriptionis instantiam ex consuetudine magis, ut patet, quam ex deliberata Lolli voluntate speciali citationi adjectam esse omnis ratio suadet. Quippe de validitate actorum, quae coram tribunali commercii Bononiae fuerunt gesta, ambigi haud posset, quum nullus praesto sit vel citationis, vel mandati, vel jurisdictionis defectus. Licet enim Lollius Mediolani degeret, Bononiae tamen rite fuit conventus, eo nimirum loci, quo collybisticae literae dissolvendae ex pacto convento fuissent, suumque domicilium ipse elegerat. Praeterea quemlibet citationis defectum, si quis adfuisset, Lollius met ipse remisisset, quum ad tribunal venerit, suamque contumaciam ex legum indulgentia purgari petierit, atque obtinuerit. Nec item in discrimen revocari potest, Pigozzium et Barbierium, qui procuratorio Montanarii nomine egerunt, legitimis, quibus opus erat, mandatis instructos fuisse. Ea siquidem in actis solemnia prostant, et cuique patent. Certa denique est tribunalis commercii Bononiae jurisdictio. Lollius enim et Montanarius non solum qua publici negociatores, sed ratione quoque commercialis negocii, de quo disputabatur, jurisdictioni tribunali commercii subjiciebantur. Nec alibi quam Bononiae judicium institui potuisset, cum ibi collybi literae scriptae et acceptatae fuissent, ibique domicilium debitor selegisset, easque dissolvere promisisset. Merito proinde in hodierna causae propositione Lollius met ipse hanc thesim protinus deseruisse videtur, totisque viribus revocationi dumtaxat judicati commercialis incubuisse.

Nec perperam. Etsi enim collybisticum Montanarii creditum ex commercialibus legibus privilegiatissimum foret, et paratam expeditamque exequutionem habeat, validissimae tamen praesto sunt conjecturae, imo firmissima adsunt documenta, quae suadent, ac demonstrant, ipsum privilegiatae huic exequutioni nimium remisisse, cambialium nomen cum suis debitis compensare voluisse. Et re sane vera validissimum praesumptionis argumentum in jugi quatuordecim annorum silentium positum est. Etenim Montanarius, qui adeo sollicite cambialium protestationes ediderat, adeo vehementer in Lollium agerat, ut mandatum personale, ut reale assequeretur, haud profecto tamdiu siluisset, nec debitori tam patienter indulsisset, nisi conventio eos inter cessisset per quam, commercialibus ac privilegiatis quaesitis juribus missis, cambialium solutio ex condicto dilata fuisset, earumque satisfactionis ratio constituta. Insane siquidem fingeretur, Montanarium diligentem ac prudentem negociatorem conspicuum nomen ex oscitantia adhuc usque neglexisse; Lollium autem opibus, et commerciali aestimatione praestantem tamdiu liquidissimi debiti solutionem detrectasse, et ingruenti exequutioni reali, ac personali pacato animo diu obnoxium stetisse.

Alterum aeque momentosum praesumptae solutionis argumentum ex ore ipsius creditoris erumpit. Is enim tum, quum commercialis mandati exequutionem anno 1829 coram tribunali Bononiae petivit, judiciali instantiae prudentissime adjecit = *a meno che entro un brevissimo tempo, e termine da stabilirsi dal suddetto tribunale non giustificasse esso signor Lolli in modo concludente, e legale di avere realmente pagate le somme per l'oggetto di cui ec. lo che avvenendo, il mandato stesso sia eseguibile per quanto restasse debitore* =. Ex quo Patribus visum est, vehementissimam solutarum pecuniarum conjecturam prodire. Nam ejusmodi protestatio supervacanea, et inopportuna fuisset, si cambialibus literis saltem in parte Lollius reapse non satisfecisset. Quod satis, ut Montanarius injuria modo instare videatur pro illius mandati exequutione, cujus causa pecunias quasdam accepisse confessus apertissime fuit.

Haud tamen hisce dumtaxat, ut ut firmissimis praesumptionibus et conjecturis, judicium s. nostri ordinis innititur. Superaccedit enim luculenta initae conventionis,

et peractae compensationis demonstratio ex commercialibus Lollii codicibus scatens. Nemo plane non scit, quanta publicis mercatorum libris fide adhiberi soleat, si
8 juxta legum censuram scripti fuerint, nulloque vitio laborent; immo notum cuique est, ipsos in commercialibus disputationibus plenissimam probationem constituere. Porro in Lollii commentario, quo rationes quotidianae accuratissime recensentur, Montanarii credito tum cambialium literarum nomen, tum protestationum, et judiciorum expensae adnotantur ad libellos 9287. 91. E converso hujus debito tot nomina singillatim et distinctissimis partitis inscripta sunt; quae vim conficiunt libellarum 9355. 45. Quum igitur de insuspectissima Lollii fide plures integrae existimationis negociatores unisone doceant; quum ipsius commentarium, quo rationes annorum sexdecim ab anno nimirum 1813 ad annum 1829 accuratissime inscriptae sunt, quamlibet falsitatis ac fraudis suspicionem respuit, illudque tabellio met ipse, cui publica fides favet, quique ejus exemplum diligentissime sumpsit, agnovisse testetur = *in buona regola commerciale e col bollo e parafrato dell' imperiale e reale tribunale mercantile e di cambio in Milano* =; quum denique dubitari prorsus nequeat, quin hujusmodi exemplum sit authenticum; concludendum necesse est, cambialium creditum inter quotidianas rationes, vulgo *nel conto corrente* ideo adamussim ex Montanarii indulgentia inscriptum fuisse, ut cum debito inibi quotidie inscribendo fieret compensatio. Hanc vero, usuris ex ipsius magnanimitate remissis, veluti idem commentarium convenisse expressim docet, ductis calculis contigisse liquet.

Quin objiciatur, liquidum ac privilegiatum cambialium creditum cum nominibus illiquidis et commerciali quoque privilegio destitutis compensari nequivisse. Utique
9 ministerio juris liquidum inter, et mere civile nomen nulla fit compensatio. At secus censeri debet in themate, quum hujusmodi compensationem ex spontanea partium voluntate praeordinatam ac volitam fuisse, tot tantisque argumentis evincatur. Quapropter censuimus, quodvis literarum cambialium privilegium exulavisse; Montanario proinde fas amplius non esse collybsticum nomen condicere, quin antea ejus debita ab eodem expungantur. Ideo ineundae dispunctionis facultatem prudenti sane consilio Montanario explicite reservavimus ut pateat, S. Nostrum Ordinem solutioni literarum cambialium in praesens tantummodo obstitisse; ante redditas verum rationes neque creditorem, neque debitorem Montanarium censeri.

Et ita etc. utraque etc.

## R. P. D. SPADA

### FULGINATEN. PECUNIARIA

*Lunae* 19 *januarii* 1835

Confirmatur superior Decisio LXXVIII, in qua vide argumentum.

*SUMMARIUM*

1. *In S. Rota causas sub uno ex turnis adhuc pendentes alter turnus nequit cognoscere, antequam definitiva de iis prodierit sententia.*
2. *Hinc ab uno ad alterum turnum non simplices decisiones in caussa editae, quae extrajudiciales sunt, sed latae sententiae deferunt, ut ex jure appellationis novae cognitioni subjiciantur.*
3. *Et vide rationem.*
4. *Contraria actione mandati, vel utili negociorum gestorum condicetur quidquid in rem alterius, vel mandato intercedente, vel utra mandatum impensum fuit.*
5. *Nisi doceatur de judicialis relationis errore, ei omnino standum est.*
6. *In rebus mercatoriis sola per testes probatio difficilius admittitur.*
7. *Praesertim si testes sint infimae notae pendente lite expiscati, vel in propriam exonerationem, aut etiam inverosimilia deponentes.*
8. *Inverisimilitudo est imago falsitatis.*

## Decisio LXXXII.

Quod diutinum ac varium commercium Lucas Lezi Marchetti exercuerat cum Antonio Clarici super frumento, farre, oryza, cannabe, aliisque mercibus, quas hic ex mutuo proposito plaustris tenebatur transvehere ad Urbem, vendere, pretiumque vel remittere Lucae, vel iis persolvere, quibus per collybisticas literas idem mandaret, cessavit penitus mense julii anni 1832; quo tempore Lucae inclinata fortuna, aeconomus ejus patrimonio datus est Vicarius generalis Fulginiae, cui Claricius, ut rei suae prospiceret, dati acceptique tradidit rationes gestionem respicientes annorum 1831 et 1832. Res initio quieta procedere visa est, quippe in conventu habito sub die 30 octobris 1832 cui adfuisse incontroversum manet Claricium, Lucam, oeconomum, et creditorum Procuratorem, dispunctis rationibus, et quibusdam tantum sublatis, vel imminutis partitis ad scuta 207 et obul 74 reliqua omnia fuerunt unanimi consensione probata. Cum autem postmodum quod erat de compositione conventum, in irritum cesserit, coactus est Claricius lege agere apud tribunal commercii Fulginiae; quamobrem judicio prolatis rationibus, demptisque scutis 207. 74 solutionem postulavit scut. 1858, quemadmodum in memorato conventu diei 30 octobris fuerat constitutum. Adversam tamen Claricius apud judices commercii fortunam expertus, provocavit ad sacram Rotam, quae peritum ratiocinatorem in partibus eligendum decrevit primum, deinde exhibita et perpensa cum fuerit relatio, ob facti jurisque superventas controversias oportuit, ut perito curiali denuo super omnibus referendi munus committeret, tributa insimul eidem facultate peritum assumendi ratiocinatorem. Parum vero novus judicialis cognitor discrepans a primo Clarici creditum constituit in scutis 1503. 70. Verumtamen rei cognitione ad S. Auditorium rursus delata, coram R. P. D. meo De Avellà in audientia 6 junii 1834, difficultas orta est Patribus quoad scuta quingenta cuidam Matteuccio soluta, de quibus haud satis constare visum est, numeratio hujus summae habita esset in computationibus ante mensem julium anni 1831 confectis. Quamobrem rescriptum prodiit = *Quoad scuta* 500 *dilata, et coadjuventur probationes, in reliquis esse locum solutioni, et extendatur decisio* = Causa post haec ad judicium cum redierit sub die 18 augusti ejusdem anni 1834, confirmata decisione, quae Clarícii creditum probaverat in scutis 1003. 70 expeditioni commissa est, simulque de scutis quingentis rescriptum = *esse locum solutioni, praestito per Antonium juramento, et extendatur decisio* =. Edita hinc ab R. P. D. meo de Avellà decisione, Lucas, qui interim provocaverat ab sententia lata, et causam mihi commiserat institit, ut de una et altera re insimul cognosceretur. Sed inutiliter. Patres enim censuerunt ab judicio super reservatis ferendo sese abstinere, et in reliquis confirmare sententiam, hoc edito rescripto = *Quoad scuta* 500. *Partes utantur juribus suis coram R. P. D. meo de Avellà; in reliquis sententiam rotalem esse confirmandam et extendatur decisio* =

Et merito utrumque. Primo enim nullum Patres existimarunt posse ferri judicium de scutis 500. Matteuccio in pretium chartae persolutis, quia cum de his quasi per caput separatum apud alterum turnum adhuc pendeat controversia, in qua decisio tantummodo prodiit, idcirco regulis consentaneum compertum est, ut Patres hac de re nondum judicata uti juribus suis deberent coram R. P. D. meo de Avellà, cui quaesita jurisdictio incidenter tolleranda non est. Quidquid enim sit, utrum interposita ab rotali sententia per Lucam appellatio scissam ab initio controversiam de scutis 500 ad se trahere valeret, hoc tamen certum receptumque est apud ordinem nostrum, ut causas, quae sub uno ex turnis pendent, alter nequeat ante cognoscere, quam definitive de iis

per sententiam sit pronunciatum. Quippe ab uno ad alterum turnum non simplices decisiones in causa editae, quae habentur
2 extrajudiciales, verum sententiae latae deferuntur, ut novae, si liceat jure appellationis, cognitioni subjici valeant. Secus enim illud sequeretur novum, et singulare, ut in causis, quae saepe sub variis, et distinctis dubiis proponuntur ob
3 varia capita, et varias decidendi rationes, cuique litiganti per appellationem interpositam ab ea, cujus expeditio decreta jam fuerat, liceret apud alium turnum alias etiam proponere, in quibus tantum simplices prodierint decisiones, quod quidem neminem latet tum regulis adversari judiciariis, tum sacri ordinis institutis constanter servatis.

Quantum vero pertinet ad reliquum Claricii creditum, merito confirmata est sententia rotalis, quae solutionem ejus decrevit in summa 1003. 70. Incontroversum enim cum maneat, contrariam actionem
4 mandati, sive utilem etiam negociorum gestorum Claricio competere, ut is valeat condicere quidquid in rem Lucae, vel mandato intercedente, vel extra mandatum constet impendisse *ad text. in leg. 2 ff de neg. gest.*, *et leg. 2 § si mihi ff mandati*, de alia quidem re non erat inquirendum, nisi decreta Claricii crediti quantitate, cujus debitor extiterit Lucas. Ut autem ex relatione peritis judicialibus confecta perspicue deprachenditur, Lucae debitum, de quo nunc agitur, ad liquidum fuisse redactum in sc. 1003 70, sic
5 recedi neutiquam debet a peritorum judicio, cui standum omnino esse certum, compertumque habetur in jure, nisi evidenter doceatur de judicialis relationis errore *ex text. in leg. item si unus § fin. ff de recept. arbitr. leg. 8 ff fin. regund. et Rot in rec. dec. 111 n. 1 in Spoletana immissionis 27 aprilis 1789 § 4 cor. Resta, et in Brictinorien. immissionis 2 junii 1794 § 18 cor. Malvasia.*

Et perperam nitebatur Lucas peritiae errores demonstrare, et rursus in medium proferre detractiones jam usque ad sententiam definitivam rejectas. Nec erant enim primum ab Claricii credito subducenda scuta 404, quae ad gestionem pertinent anni 1731, cum probari nullo modo Patribus potuerit, in exitu illius anni debitorem potius, quam creditorem fuisse Claricium. Quippe hujusce rei probationi visae sunt impares nimis literae dierum 27 decembris 1831, et 3 januarii 1832. Monebat quidem Claricius in priori epistola, se habere = *qualche somma di danaro . . . . . ditemi cosa devo farne* = sed, cum illico adjecerit = *quando avrò finito di vendere la roba mia, allora vi suprò dire la somma che vi posso avere* = planum erat, ex hujusce literae tenore haudquaquam probari, ad Lucam posse pertinere pecuniam, de qua ibi fit sermo, sed contra imo ad Claricium, cujus erant merces, ex quarum venditione major, vel minor oblatae pecuniae quantitas pendebat. Eoque magis quod non pure, et simpliciter videtur Antonius obtulisse pecuniam, sed ea sub conditione = *se avete bisogno di danaro, ve lo pago io, purchè non diate roba a nessuno* =; unde quisque facile percipit, inverisimile omnino esse, et a quavis justa praesumptione alienum, ut Claricius pecuniam Lucae si habuisset, vel propriam vellet offerre, vel restitutionem promittere conditioni adjectam, modo scilicet opera sua uteretur ad transvehendas merces = *purchè non diate roba a nessuno* =.

Neque utilius alia afferebatur epistola diei 3 januarii 1832. Loquitur enim Claricius de peracta oryzae venditione = *il riso l'ho venduto tutto a paoli 37 e 36 per finire* =, sed non videtur ex hac nuda rei nunciatione posse recte inferri, Lucam potius venditae mercis proprietarium fuisse quam Claricium, cum praesertim appareat, id Claricium amicitiae et monitionis gratia scripsisse, ut scilicet Lucas, qui mercaturam exercebat, certior factus de oryzae pretio imminuto, rei suae valeret prospicere, quemadmodum verba ipsa suadent, quibus Claricius usus est = *il riso ribassa, e perciò regolatevi nel compra-*

*re* =. Caeterum etiamsi foret admissum, aliquam oryzae vim ad Lucam pertinuisse, non ideo tamen sequebatur, nulla in computationibus hujusce mercis habitam fuisse rationem, proindeqne in errorem incidisse peritorum judicium: dum constabat imo, eam jam relatam fuisse in actam subductionem pro eodem quidem pretio sc. 3. 70, quo venditam Claricius per literas nunciaverat. Nec illud tandem de gestione anni 1831 omittendum erat, eodem mense decembris, quo acceptas et exin venditas merces Claricii literae perhibent, nonnullas ipsum collybisticas Lucae literas persolvisse, qua ex re magis magisque inverisimile dignoscitur, in exitu illius anni non creditorem, sed debitorem potius eumdem Antonium extitisse.

Frustraque itidem regerebat Lucas, praeter eam farris quantitatem, cujus periti rationem habuerant in rubris circiter 290; alia insuper 150 ab Claricio fuisse recepta, nec subinde unquam Lucae credito adscripta. De hac enim praegrandi farris quantitate, nullam constat idoneam probationem fuisse allatam. Deest siquidem scheda, seu =*polizza di carico*= quae solet adhiberi: deest in mercatoriis Lucae codicibus notatio: desunt tandem literae, ex quibus rei traditio possit deprehendi. Nec legitimam poterant in id testes adducti praestare probationem. Missa enim quaestione, num in rebus mercatoriis valida semper, et apta possit sola 6 per testes haberi probatio, cujus praesidium vel negari vel difficiliter admitti, tradunt *Casareg. cap.* 5 *n.* 17, *Ansald. de Comm. et Mercat. disc.* 25 *n.* 37 *et disc.* 76 *n.* 2, *Mareyus in opere = corso di Giurisprudenza = tom.* 1 § 205, *Rota in Romana mercium in re mercatoria* 31 *augusti* 1832 § 3 *cor. R. P. D. meo De-Cursiis*, et advertit *superioris instantiae decis.* § 6 *cor. R. P. D. meo De Avellà*, quidquid nihilominus esset, ageretur de casu, quo probi, concordes, integraeque fidei testes proponerentur, non erant quidem audiendi qui afferruntur in praesenti controversia, simul ut omnes comperti sunt infimae notae, plaustrarii nimirum, vel bajuli, vel ejusdem furfuris homines inalphabeti, et pendente lite 7 expiscati, quorum alios constabat nec diem, nec rerum adjuncta referre, alios vero in exonerationem propriae obligationis erga Lucam contractae testimonium perhibere non levis aderat suspicio. Praeterea considerabant Patres, incredibile prorsus videri, et a verosimili etiam longe alienum, Lucam reapse suppeditasse Claricio objectam farris quantitatem, cujus pretium ad scuta supra millia pertingit, simul ut ipse nedum de ingenti hoc credito sibi adscribendo sollicitus neutiquam fuit, nullumque fecit verbum in habito creditorum conventu, sed contra imo professus eo tempore, erga Claricium se esse debitorem. Absurdissima haec re- 8 rum inverisimilitudo, quae imago est falsitatis, creditum prodit imaginarium,

Nec diversum ferri judicium poterat de aliis duobus objectis partitis, quorum una est sc. 15 et obul. 52 altera sc. 50. Quod enim pertinet ad sc. 15. 52, quae cuidam Catharino Medori dicuntur soluta, id considerandum primo est, rem totam ab una tantum hujusce hominis pendere affirmatione, nec aliud quidquam afferri, unde valeat excludi, de eadem summa jamdiu inter Claricium et Lucam habitam fuisse rationem. Narrat praeterea ipsemet Medorus, quod est itidem considerandum, eamdem pecuniae summam fuisse compraehensam in alia majori sc. 158. 69— in tot mercibus Claricio traditis, a quo tamen alias merces recepisse contextim profitetur ad summam sc. 164. 99. Lucae credito adscriptam; quamobrem creditum potius, quam debitum Claricii esse erga Lucam evincitur ex ipso Medori testimonio. Item ociosa erat, ac perdita disputatio de sc. 90. Sancti Clarici numerati. Cum enim constet, Lucam tradidisse hanc summam Sancti, non autem Antonio ejus fratri, neque in causam negociorum gestorum, sed in aliam peculiarem, prorsusque diversam, ut quaedam scilicet Sanctes ipsius Lucae nomine com-

pararet in Urbe, injuriosum nimis visum est, scuta illa 50 denuo Lucae credito adscribere. Quod si expleto mandato, non liceret pecuniae traditam summam ab Sancte condicere, multo minus licitum eam proponere in Antonium, qui nihil recepit, nec ullam fidejussoriam pro fratre contraxit obligationem.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA SOCIETATIS

ARGUMENTUM

*Veneris* 13 *aprilis* 1835

Societas dissolvitur, emenso tempore, intra quod eam contrahentibus cohibere placuit.

*SUMMARIUM*

1. *Pacta conventa sunt religiose servanda.*
2. *Ex quo contrahentes terminum initio praefinitum societati communi placito postea prorogarunt, satis patet, terminum ipsum non* demonstrative *sed* taxative *fuisse constitutum.*
3. *Emenso tempore societati a contrahentibus praefinito, societas progredi nequit atque ex jure dissolvitur, et* num. 4.
5. *Si quid intra terminum societati praestitutum ex facto cujuscumque socii impletum non fuit, actio est alteri socio ad id postulandum quod ipsius interest impletum illud non fuisse, nunquam autem ad societatem ultra conventum tempus protrahendam.*
6. *Societatem* explicite *et* taxtative *ad certum determinatumque tempus cohibitum, non licet per indirectum ad incertum tempus atque indefinitum protrahere.*
7. *Nisi is, qui velit, cogi potest ex jure, ut persistat in societate.*

## Decisio LXXXIII

Syngrapha, quam Andreas Nizzica, atque Innocentius Mechelli obsignarunt die 11 augusti 1828 in duplicem contractum consenserant, quorum alter societatis quoad caesionem Sylvarum, quae extabant in prediis quamplurimis per Andream coemptis ab Josepho Rossi Vaccari, atque in Arcis Papae territorio huc illuc sitis, alter emptionis venditionis erga Mechellium plurium eorumdem praediorum. Conventum eos inter quoad societatem fuit, ut, cum Innocentius proposuisset Andreae = *di eseguire il taglio, lavorazione e trasporto dei detti legnami in società* = die 1 novembris ejusdem anni 1828 = *si darà principio al taglio di questi alberi e piante di qualunque specie, che piacerò al signor Nizzica tagliare, purchè nel decorso di anni quattro siano stati intieramente tagliati li detti alberi e piante* =; quarum pretium communi placito posuerunt in nummis 5750. Caesioni praeesse sub Andreae mandato Innocentius debebat, recepta mercede *dopo i quattro anni di società* in nummis *quingentum*: transvectionem tum lignaminis, tum conficiendi carbonis Innocentius peragere debebat, certa statuta in syngrapha transvectionis mercede, partim continuo solvenda, partim vero in sociali arca retinenda: sociales impensas omnes solvere debebat Andreas; argentum vero, quod ex socialium rerum venditione rediisset, penes se retinere debebat, ut, finita societate, postquan factum fuisset satis convento Sylvarum pretio, omnibusque socialibus expensis, quidquid lucri superesset aequa lance sese inter socii dispertirent.

Ea autem in syngraphae parte, qua de altero emptionis venditionis contractu cavebatur, pactum fuit, ut post societatis exitum ea met praedia, in quibus caesionem conficiebant, paucis unis exceptis, emeret Innocentius pretio argenteorum 2067 assiumque 60, quae sibi Andreas sumeret e symbola utilum socialium Innocentii, si reapse extitissent; sique societas nil, vel parum lucri repraesentasset, emptae rei pretium vel integre vel in deficiente parte Innocentius persolveret. Re ita conciliata, atque apposita manu Sylvarum caesioni, expostulavit Innocentius ab Andrea *quingentum* argentea in sui operis mercedem post finitam societatem

promissa, eaque cum nulla interposita mora Andreas praestitisset, acceptilationem ille subsignavit, qua professus fuit recipisse tunc argentea *quingentum*. etsi forent numeranda illa = *in fine degli anni quattro stabiliti al durare di quella società* = sed cum vidissent postea contrahentes non posse opus absolvi in praefinito quatuor annorum termino, produxere societatem ad alium annum, nova in id confecta syngrapha. Post haec declaravit Innocentius, sese fore empturum illa etiam praedia, quae fuerant e venditione excepta si intra tres menses suam quoad hanc rem Andreas solemniter aperuisset voluntatem, numeraturus pretium in scutis 1462 obulisque 40 eodem modo, quem praestituerant solutioni pretii aliorum fundorum, atque inde Andreas declaravit, sese in emptionem convenire.

Transacto societatis quinquennio, incisa jam nemora fuerant, confectaque ligna, ac carbo, atquae haec fuerant divendita maxima in parte, receperatque Innocentius argentea *triginta quinque* ob indemnitatem arborum, quae ex artis stylo relinqui in sylvis consuescunt, atque appellant = *guide*, *pertiche*, *macchiozze* = cum ex editis socialibus rationibus vidit Innocentius, societatem in damno potius, quam in lucro haesisse; quapropter, fracta concordia, penes capitolinos judices multiplici actione egit in Andream, postulans solutionem gestae transvectionis, atque conventam *quingentum* argenteorum mercedem, etsi illam jam recepisset, nec non sarcitionem damnorum ob non integre confectam caesionem arborum, quas non sectas extare contendebat in quatuor praediis = *Noceto in contrada via di Roma*; *castagneto in contrada via della Molara*, *castagneto in contrada le Valli* = ac = *castagneto in contrada Valle* = quae postulationes partim rejectae ab illis judicibus fuerunt, partim vero adhuc manent definiendae. Tum instetit e contra Andreas apud commercii judices, ut declararent dissolutam fuisse societatem; cumque nutare quoad hanc rem eos judices intellexisset, petiit saltem alterum, ut decernerent, quando dissolvi societas debuisset, atque quantum intra tempus vendi deberent socialia ligna, quae invendita remanebant. Huic postulationi responderunt commercii judices = *si ponga in regola* = alteramque quoad societatis dissolutionem inimica sententia rejecerunt. Venit tunc ob Andreae provocationem ad S. N. Ordinem caussa die 19 januarii praeteriti. Sed cum producta tum non esset commercialis appellata sententia respondere oportuit = *Dilata*, *et ad mentem* = quae mens fuit = *quod causa reproponatur statim ac facta fuerit productio sententiae commercialis* = qua gesta productione, iterum hoc mane quaerenti mihi caussae resolutionem responsum a PP. DD. datum fuit = *Constare de cessatione societatis*, *et esse locum divisioni lignaminis aequis partibus inter socios salvo jure pignoris favore Andreae super portione Innocentii*, *et extendutur decisio* =.

Responsum profecto sapientissimum ad initae conventionis placitum, quod servandum omnimode clamat inviolabile jus omnium gentium *ad text. in leg.* 1 *et leg.* 7 §. *Ait praetor ff de pactis*, *in leg. non minorem* 20 *cod. de transact.* et ita *s. Rota decis.* 76 *n.* 1 *cor. Tanara*, *atque in romana societatis* 15 *junii* 1825 § 4 *cor. Rmo P. D. meo Spada decano.* Societas enim, de qua res est, restricta fuit intra terminum praefinitum, fuitque inter partes statutum ad hoc, ut in simul conficerent = *il taglio*, *lavorazione e trasporto* = arborum caedendarum, quae extabant in fundis per Andream coemptis a Vaccario, ut haec omnia perficerent = *dentro il corso di anni quattro* = Cum autem per quadriennium fieri omnia haec haud posse deinde vidissent contrahentes, scripta pactione altera, ad annum alium produxere societatem, prorsus ut societas infra quinquennii fines ex pacto cohiberetur. Elapso itaque quinquennio, dissolvenda societas ad conventionis placitum erat. At negabat Innocentius tempus in sociali syngrapha ad quadriennium praestitutum, ac deinde ad

alium annum prorogatum adjectum a contrahentibus fuisse, ut *taxative* societatis progressum praefinirent, sed *demonstrative* tantum, ut tempus designarent, quod videbatur ad sociales res peragendas necessarium; contendebatque proinde, non finitam esse societatem, eo quia aderant adhuc in quatuor fundis supra relatis secundae arbores; tum quia supererant adhuc vendendae res sociales, erantque exigenda nonnulla socialia credita.

Sed inaniter ita contendebat. Erat namque planissimum, quatuor annorum spatium fuisse in syngrapha praefinitum, ut *taxative* socii cohiberent societatis diuturnitatem; cum dictum inibi fuerit explicatissime = *purchè nel decorso di anni quattro siano stati intieramente tagliati li detti alberi e piante* = qua certe non usi fuissent oratione, si *demonstrative* tantum
2 non vero cohibere societatis diuturnitatem voluissent. Accedebat praeterea evidentissima rei declaratio ex contrahentium facto, qui nisi intelligerent societatem non posse ex pacto ultra quadriennium progredi, haud curassent equidem, ut altera scripta syngrapha, ad alium annum contra primam initam pactionem communi consensu eam protraherent. Cujus rei evidentiam inficiari nec Innocentius potuit, dum, receptis ab Andrea *quingentum* nummis ad societatis exitum persolvendis, fassus apertissime in acceptilatione fuerat, sese recepisse illud, quod erat percipiendum = *in fine degli anni quattro stabiliti al durare di quella società* = Quapropter nisi detorqueas planam syngraphae orationem contrahentium ipsorum facto explicatam, ipsamque posthabeas Innocentii confessionem, dicere haud poteris, tempus quatuor annorum expressum *demonstrative* fuisse, sed concludendum necessario est, *taxative* fuisse conventum, ut societatis diuturnitas praefiniretur. Injuria itaque post emensum tempus, quod intra societatem cohibere contraentibus placuit, ab anno videlicet 1828 ad annum 1833, contendit Innocentius persistere adhuc societatem,
3 quum imo dissolutam illam fuisse necessario sit ex jure pronunciandum, sicut monet passim S. N. tribunal, ac praesertim *in dec.* 213 *n.* 1 *cor. Olivatio*, *atque in romana societatis* 26 *junii* 1795 *cor. Cesarei.*

Quin utiliter confugeret Innocentius ad exceptionem alteram non impletae caesionis arborum, quae extant in quatuor fundis = *Noceto in contrada via di Roma*; *Castagneto in contrada via della Molara*; *Castagneto in contrada le Valli*; *e Castagneto in contrada Valle* = Praeterquam quod enim non docebat dilucide haud peractam fuisse arborum caesionem, neque constabat, imo excludebatur, in perficienda caesione compraehendi potuisse arbores in hisce fundis extantes, e contra vero sectas arbores omnes fuisse periti viri ab Andrea allati referrent, atque id etiam suaderet Innocentii factum, quo recepit scutata triginta quinque pro indemnitate earum arborum, quae ex artis stylo relinqui consuescunt, nempe = *guide*, *pertiche*, *macchiozze* = non tamen esset decernendum haud cessasse societatem, etsi secandae arbores adhuc superessent. Redit enim semper, quod, emenso tempore ad societa-
4 tis diuturnitatem praefinito, progredi societas contra pactum nequeat. Quamquam si haud sectae fuerunt arbores, prout conventum fuerat intra terminum societati praestitutum ex facto cujusque socii praesto alteri socio actio est ad postulandum id,
5 quod ipsius interest non impletam fuisse conventionem. Agat ergo, si non fuerunt sectae arbores illae, Innocentius in Andream pro eo, quod ejus non confectam fuisse rem intererit, non vero id absque jure proponat ad hoc, ut societatem adversus pactum ultra quinquennium protrahat, praesertim vero cum cadere jam vadimonium Andreae indixerit penes judices capitolinos, apud quos nunc etiam quaestio pendet definienda.

Praeterea attendendum id eo minus in themate erat, quum nullum inde damnum, sed imo utilitas Innocentio rediret. Quas namque adesse arbores secandas adhuc ipse contendit, fere omnes in fundis extant,

quas sibi altero emptionis venditionis contractu post societatem initam comparavit. Utillimum ergo Innocentio est secandas arbores in coemptis fundis invenire, quibus pretiosiores illi evadent, cum horum augeant aestimationem; quapropter inverosimile eo ipso redit, noluisse Andream, ut sociali nomine arbores secarentur, quae non sectae lucrum uni Innocentio fuissent allaturae. Verum enim vero quum in sociali apocha pactum fuerit, ut secarentur omnes arbores = *che piacerà al signor Nizzica di tagliare, ed in quella quantità che piacerà al signor Nizzica di tagliare* = funditus ruebat exceptio de continuatione societatis ob arbores non sectas. Usus namque fuisset Andreas facultate, qua ex conventione pollebat secandi quas arbores = *gli piacerà* = atque ea in quantitate = *che gli piacerà* = si non omnes secuit arbores in fundis existentes: quin liceat Mechellio nunc contra pactionem insurgere, atque ob unam causam non impletae caesionis contendere non solutam fuisse societatem, quae praeterlabi *quinquennium*, pacto adversante, nequivisset.

Deterius vero Innocentius confugiebat ad exceptionem alteram non confectae integrae venditionis socialium rerum, ac exactionis socialis pecuniae, ut inde eliceret protrahendam esse societatem,
6 quoadusque res istae absolverentur. Non enim societatem, quae *explicite* ac *taxative* cohibita fuit ad certum, determinatumque tempus, licet protrahere per indirectum ad incertum tempus, atque indefinitum, quaemadmodum in caussa fieret, si societatis diuturnitas eo usque decerneretur, quo sociales res divendantur, atque socialis exigatur pecunia. Neque id sensisse contrahentes sana ratio suadet. Foret enim contradictorium, praefinire certum societatis exitum, prout hi fecerant, eodemque tempore velle, ut ad indefinitum tempus ea possit produci, exitu praestituto ex re, quae natura sua in incertum vertitur tempus, atque indeterminatum. Quapropter cum definienda quaestio sit, ad legis monitum, veluti contrahentes intellexerant, ac consenserant, haud licet definitam per contrahentes societatem contradictorie protrahere in infinitum; praesertim vero quum societas coita explicite fuerit ad conficiendos = *tagli, lavorazioni e trasporto* = caedendarum arborum, quae cunctae res diversae profecto sunt ab conficienda socialis rei venditione, atque pecuniarum exactione. Quod si religiose servandum in quacumque contractus definitione est punctim id, de quo contrahentes senserunt, eo magis fieri accurate in societate
7 debet, in qua nisi is, qui velit, cogi ut persistat ex jure potest *leg. in hoc judicium § si conveniat ff comm. divid. leg. in re communi ff de servit. urb. praed. et leg. nulla societas ff pro socio*, ac *Rota*, missis aliis, *in dec.* 241 *n.* 30 *part.* 2 *rec. atque in dec.* 99 *n.* 1 *cor. Olivatio.*

Propterea ut res congrua definitione, quae contrahentium voluntati sese accommodaret, absolveretur, dicendum est voluisse illos, ut, finito societatis quinquennio, quidquid e socialibus rebus superesset, sese inter aequa ratione dividerent, quemadmodum fieri PP. DD. in caussa imperarunt. Magis vero magisque faciendum id in themate erat, quum Innocentius atque Andreas dissentirent de pretio eisdem rebus tributo, atque etiam proponeretur emptores inveniendi difficultas. Divisa sed enim re in substantia, praecisae quaestiones hujusmodi remanebant. Attamen quum Andreae jus esset, harum rerum pretio satisfaciendi sibi de suis creditis ob pretium sylvarum, ob sociales expensas, atque ob divenditorum fundorum pretium, atque socialia ligna obligata quodammodo pignoris jure apud se retineret, sartum tectumque servandum esse hoc Andreae jus super portione Innocentii PP. DD. censuerunt, ne justitiae consona quaestionis definitio detorqueretur in Andreae jacturam, a quo prae ipsorum sapientia atque justitia cavendum esse jure decreverunt.

Et ita redditum jus fuit, meo etiam accedente suffragio, ac partibus strenue dimicantibus.

R. P. D. MARINI

BONONIEN.

*Veneris* 20 *martii* 1835

ARGUMENTUM

Super - *firma in bianco* - imponi possunt pro lubitu quae ordinario in cambialibus literis conscribi solent non autem incredibilis prorsus et insolita obligatio.

*SUMMARIUM*

1. *Satis constat de simulatione, cum et causa simulandi adsit, et plures suppetant ejusdem simulationis conjecturae.*
2. *Caussa affertur.*
3. *Itemque enuceantur conjecturae et n.* 4.
5. *Quod prorsus inverisimile est, probari nequit.*
6. *Quod ex apposita* - firma in bianco - *in cambiali littera, pro commercii consuetudine quidquid magis lubeat super eam conscribi possit, obtinet si agatur de versuris, acceptilationibus, aliisve quae ordinario in cambialibus literis conscribi solent, non autem ita intelligendum est, ut insolita atque incredibilis obligatio superimponi valeat.*
7. *Verbalis conventio inter trahentem et tractarium objici nequit gyratario, qui collybisticam literam dum titulo oneroso acquisivit fidem seribentis sequutus est.*

## Decisio LXXXIV.

Postulavit Gaspar Dal-Fuoco, cessionarius marchionis Francisci Daviae coram mercatorio Bononiae tribunali adversus Aloysium Maccaferrium cannabis negociatorem argenteos 950 residuos ex collybistica litera majoris summae ab isto erga praefatum Daviam die 30 maii 1826 exarata. At Maccaferius excipiebat, debitum hujusmodi ad concurrentem quantitatem argenteorum 900 jamdiu compensatum extitisse, contendens pro hac summa cambialem quamdam literam diei 15 novembris 1823 tractam a liburnensibus mercatoribus Jaume sociisque se Daviae numerasse, lege tamen adjecta, ut si inter biennium eam a praedicta mercatoria ratione exigere ipse nequaquam voluisset (ut accidit reapse) Davia teneretur acceptam pecuniam sibi restituere. Atque ea de re declarationem in ipsa cambii litera appositam ostendebat cum Daviae subscriptione. Ad causam itaque iste accersitus, ingenue fassus est, suam esse subscriptionem - *la firma* = at declarationem super impositam omnino impugnavit. Electi tunc a tribunali periti viri calligraphi declarationem subscriptioni posteriorem esse retulerunt. Parvipensa tamen horum relatione, mercatorii judices pro argenteis 900 compensationem admiserunt, reumque conventum ad solutionem reliquae tantum summae sc. 50 condemnarunt. Controversia ex provocatione delata est ad judices de appellationibus Bononiae cognoscentes, qui priorem sententiam revocarunt, rejectaque compensatione, damnarunt Maccaferrium ad integram petitam summam persolvendam. In pronunciationum conflictu quaestio ad nostrum auditorium conscendit, quam hodierna die cum patribus definiendam proposuissem, rescriptum prodiit = *Esse locum solutioni scutorum* 950, *et extendatur decisio* =.

Clara siquidem apparebat actio a Gaspare Dal Fuoco adversus Aloysium Maccaferrium instituta ad hanc pecuniae vim condicendam, utpote quae profluebat ex litera collybistica ab eo conscripta erga marchionem Daviam, et ab isto *per gyratam*, ut ajunt, in Gasparem translata. At Maccaferrii defensores duo potissimum adversus actionem hujusmodi opponebant. Ajebant primo, hoc Daviae creditum usque ad respondentem quantitatem sc. 900 in tacitas aures abiisse ope compensationis cum ejusdem Daviae debito, cum argenteis scilicet 900 ab isto sibi restituendis ob non exactam intra biennii spatium collybisticam literam a Jaume sociisque conscriptam, ut supra narratum est. Ajebant deinde damnari utcumque non potuisse

Aloysium ad integram pecuniae vim sc. 950 statim persolvendam, ex eo quod inter ipsum ac Daviam aderat conventio de hoc nomine ratatim persolvendo. At neutra ex hisce exceptionibus patribus arrisit.

Ad primam enim quod attinet, animadvertebant patres, satis perspicuum videri, Maccaferrium, dum literam collybisticam a ratione mercatoria Jaume sociisque exaratam Daviae repraehesentavit, propriae obligationi satisfecisse, adeoque nullo modo attendendam esse assertam hanc obligationem de pecunia restituenda, perinde ac si mutuo a Maccaferrio cum Davia accepisset. Et re quidem vera, quamvis cambialis illa a supramemorata ratione mercatoria tracta dignoscatur favore marchionis Daviae, quasi iste creditor esset ejusdem mercatoriae rationis, cunctis tamen rerum adjunctis sedulo perpensis, vide-
1 batur hujusce negocii substantiam ad Maccaferrium ipsum spectavisse, quum et simulandi causa, et multiplices, vehementesque istiusmodi simulationis conjecturae suppeterent.

Erat enim Aloysio Maccaferrio cum liburnensi negociatore Jaume summa amicitia, eosque inter complura intercesserant negocia, ex quibus creditor superfuerat Maccaferrius haud exiguae quantitatis. Anno 1823 cum praefata liburnensis mercatoria ratio quamdam cannabis quantitatem acquirere vellet, eaque de re Bononiam misisset ad ministrum Vincentium Maccaferrium Aloysii ex fratre nepotem, iste sese convertit ad marchionem Davia (quo indulgenti ac munifico Maccaferrius uti consueverat), ab eoque obtinuit, ut quidquid cannabis ex ejus praediis recollectum haberet, sibi traderet, mutuamque praeterea pecuniam suppeditaret, qua reliquam quantitatem cannabis aliunde sibi compararet, ut mandatum a ratione liburnensi acceptum posset adimplere. Ut vero ipse liburnensem amicum, qui grandem pecuniae vim jam sibi debebat gravius atque intentius urgere posset ad transmissae mercis pretium rependendum, idcirco simulasse videtur venditorem fuisse marchionem ipsum Davia, ex qua simulatione aliud quoque compendium Maccaferrius obtinuit. Namque alio venditore supposito, proxeneticum ipse exigere valuit, premiumque, quod mercatores vocant = *la provvisione* =, ceu eruitur ex notula expensarum a Maccaferrio ipso ad emptores liburnenses transmissa, in qua legitur = *senseria pagata al commesso del venditore scudi* 4. 80 *mia provvisione sc.* 20. 22. Unde apparebat non unam sed duplicem simulandi causam fuisse.

Huic praeterea accedebant graves ejusdem rei conjecturae. Erat enim summopere a verisimilitudine alienum, marchionem Daviam voluisse mercem suam mercatoribus liburnensibus, ignotis sibi ho-
3 minibus, vendere habita fide de pretio: inverosimilius vero, nobilem hunc, divitemque virum, qui mercaturam nunquam antea facere consueverat, voluisse extemplo negociatoris personam suscipere, atque ab aliis cannabum mercari, ut praefatis liburnensibus mercatoribus illum deinceps divenderet fere sine ullo compendio. At e contrario id omne apprime congruebat cum Maccaferrii institutis, namque ipse et cannabis mercaturam facere solitus erat, et mercatoriae rationi Jaume sub pretii fide consueverat merces suas vendere. Neque vero absonum videri poterat, quod suas res Davia fidei committeret Aloysii Maccaferrii, ac proprium quoque nomen in eo negocio accommodaret. Quandoquidem constabat ex facto, patricium hunc virum summa benevolentia Maccaferrium prosequi consuevisse, illumque propriis opibus juvisse, et cannabum praesertim, quem ex propriis fundis recolligebat, illi habita fide de pretio tradere fuisse solitum, ut ejus mercaturam proveheret, fortunamque augeret; quinimo apparebat collybisticas quoque literas aliquoties pro eo obsignasse, itaut Maccaferrius omnia ei se debere profiteretur.

Erat insuper animadvertendum, quod Maccaferrius ipse, accepta a marchione Davia pecunia, cannabum coemit, qui deerat ad explendam quantitatem libur-

4 nensibus requisitam. Ipse mercem hanc ad eos transmisit; ipse ab emptoribus literam collybisticam accepit. Quod vero maxime notatu dignum erat, pro pecunia ad emendam reliquam cannabi quantitatem fructus, seu (ut Bononienses vocant *i supporti*) Maccaferrius ipse spo= pondit; qnod erui apprime videbatur ex computatione ab eodem exarata, et ad marchionem Davia missa, in quo hoc nomen recensetur = *supporto di mesi cinque, siccome la cambiale si esigerà al 4 o 5 di maggio* = ac deinde additum legitur = *li 6 decembre 1823 contanti esatti dal signor Davia, i quali sono serviti per comprare il compimento della canape* = Promissae nempe deprahendebantur hujusmodi usurae a die, qua Franciscus Davia nummos praebuit, usque ab diem, qua cambialis litera vendi in commercio poterat; adeoque exinde colligebatur, Maccaferrium eam pollicitum fuisse, minime vero rationem mercatorium Jaume. Nam si pro cambiali ad sex menses solvenda ratio praefata cambia et recambia promisisset, pro integra collybi summa ea computasset, minime vero pro sola quantitate in numerato a Davia suppeditata; ac praeterea calculasset *il supporto* ab ea die, qua literam collybi subscripsit, usque ad diem solutioni praestitutam Huc vero accedebat promissio de rependendo Daviae cambiorum decremento, si forte ad diem distrahendae collybisticae literae decrevisse comperirentur; quae promissio profecto nonnisi in Maccaferrium cadere poterat.

Haec omnia evincebant, venditionem cannabis erga rationem mercatoriam Jaume nomine tenus a marchione Davia, sed revera ab ipso Maccaferrio fuisse peractam. Quod si retinendum esset, hujusce negocii substantiam revera ad Daviam pertinuisse, nihilominus perpendebant Patres, rem utcumque in idem recidere: statim ac ex epistolis, quas Maccaferrius diebus 22 et 25 aprilis anni 1825 ad Daviam scripserat, aperte eruebatur, debitum mercatorium rationis in se suscepisse. Quapropter in discrimen revocari nequibat, Maccaferrium, quum literam collybisticam Daviae repraehesentavit, propriam reapse obligationem adimplevisse.

Quin in pretio haberi mereretur declaratio in cambiali litera superimposita subscriptioni marchionis Daviae de pecunia restituenda, quatenus intra biennium a mercatoria ratione Jaume exigi minime valuisset. Eam namque declarationem, se penitus inscio, vir spectatissimus exaratam fuisse solemni ritu professus est, atque in ea adsertione diem vidit extremum. Periti vero calligraphi a tribunali primarum actionum electi retulere, contraversam hanc obligationem appositam fuisse
5 post Daviae subscriptionem. Atqui re intimius perpensa, absonum omnino atque improbabile depraehedebatur, quod marchio Davia opulentus homo qui pecunia sua Maccaferrii egestatem sublevare solebat, voluerit ab isto mutuos accipere nummos, seu, quod idem est, collybisticae literae valorem a Maccaferrio exigere, sese obstringens ad pecuniam acceptam post biennium eidem restituendam, nisi a ratione Jaume interea fuisset collybisticae literae satisfactum, praesertim quum jam tunc constaret, praefatam mercatoriam rationem minus esse solvendo. Idque eo vel magis inverosimile videbatur, quia eodem fere tempore marchio Davia alios argenteos bis mille Maccaferrio mutuos dedit, adeo ut concipi nequeat, quomodo homo dives qui tantam pecuniae vim agenti huic homini suppeditabat, ab isto postea voluerit ratatim scut. 950 accipere lege, ea ut integram quantitatem postmodum redderet.

Neque plausum ullo modo merebantur Maccaferrii defensores, dum ajebant, eam esse commercii consuetudinem, ut apposita = *la firma in bianco* = in collybi litera, quod magis lubeat super eam conscribi possit. Hoc enim non immerito fortasse propugnarent, si ageretur de versuris = *girate* =, de acceptilationibus, aliisve, quae ordinario in cambialibus literis
6 conscribi solent. Atque hoc sensu intelli-

gendae erant auctoritates ab iisdem in medium allatae. Absurdum vero omnino esset, *ut firmae in albo* appositio eo extendi possit, ut insolita ac plane incredibilis obligatio de restituenda pecunia superimponatur. Atqui subscriptio a marchione Davia ideo in litera collybistica exarata censenda erat, ut ea Maccaferrius uti aliquo modo posset adversus Jaume ad pecuniam Daviae solutam recuperandam. Quibus perpensis apparebat, nihili faciendam supramemoratam declarationem subscriptioni Daviae super impositam, proindeque compensationem a Maccaferrio hoc praetextu objectam esse omnino rejiciendam.

Neque rursus benigne erat excipienda altera Maccaferrii exceptio de nomine scut. 950 ex conventione ratatim dissolvendo. Nam praeterquamquod verbalis hujusmodi conventio minus recte objici posse videbatur cessionario, seu gyratario collybisticae literae, qui fidem scribentis
7 sequutus dicitur, dum ejus literam titulo oneroso acquisivit, *Ansald. de comm. et mercat. disc.* 2 *n.* 32 *et seq.*, *Casareg. de commerc. disc.* 30 *n.* 32, *Jun. de cambiis disc.* 2 *quaest.* 16 *n.* 78, *Rot. dec.* 130 *n.* 7 *cor. Emo. Marco*, illud patres considerabant, conventione hac pecuniae ratatim numerandae Maccaferrium in praesens uti nequire; quum acquiescere noluerit declarationi, quam emisit Gaspar Dal Fuoco, statimac reus conventus exceptionem ejusmodi illi opposuit, se nempe contentum esse, pecuniam sibi debitam vel ratatim exigere: et contra Maccaferrius maluit debitum omnino inficiari, compensationem obtrudens, unde factum est ut inter, ambages. morasque judicii omnium ratarum pensionum dissolvendarum dies advenerit.

Et ita etc. Utraque etc. resolutum est

R. P. D. DE CURSIIS

ROMANA SOCIETATIS

*Lunae* 15 *junii* 1835

Argumentum habes in superiori Decis. LXXXIII quae infirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Cum initur societas, ut quisque ex sociis alicui rei incumbat, id fieri nequit, nisi spes sit percipiendi lucrum a societate.*
2. *Quod si lucrum a societate rediturum est finis, quem sibi socii proponunt, decerni nequit finita societas ante tempus, quo lucrum sibi in finem praeconceptum assequi contrahentes possint* - et num. 3.
4. *Societas, quae circa plures gestiones versatur, in partecipationem lucrorum appellatur.*
5. *Haec autem soluta dici nequit, nisi res omnes confectae fuerint ab sociis designatae.*
6. *Ea pactorum debet esse interpretatio, quae contrahentium voluntati magis congruat, non vero quae illi adversetur.*
7. *Aliud est petere declarari finitam societatem ob elapsum tempus, aliud instare, ut officio judicis ejus finis decernatur.*
8. *Neque idcirco sub illo instituto judicio hoc alterum longe diversissimum comprehendi potest.*

## Decisio LXXXV.

Societatem, quam inierant Andreas Nizzica, atque Innocentius Mechelli die 11 augusti anni 1828, quampluribus, diversisque pactionibus regebatur, singillatim enucleatis in singrapha, quam ii apposite ad eam diem subsignaverant. Inibi quippe legitur, quod, quum Andreas vellet = *tagliare tutti gli alberi e piante* = quae extabant in quibusdam praediis per eum coemptis a Josepho Rossi Vaccari in Arcispapae territorio, eique Innocentius obtulisset = *di eseguire il taglio, lavorazione e trasporto dei suddetti legnami in società* =, die 1 novembris ejusmet anni 1828 manus apponerentur sylvarum caesioni, prout Andreae libuisset = *purchè nel decorso di anni quattro siano stati intieramente tagliati i detti alberi e piante* =; quod societati Andreas praesset, qui necessariam omnem insumptus impendendam pecuniam exsolvisset; Innocen-

tius vero personaliter, vel fratris opera adhibita, continue caesioni interesset sub Andreae mandato, recepta in id *quingentum* argenteorum mercede, et quod confecti carbonis, atque lignaminum transvectionem Innocentius peragere deberet certo sub pretio, quod in sociali ipse syngrapha designaverant contrahentes.

Cuncta haec autem post gesta, ut ex illarum rerum venditione rediret lucrum, quod in societatis finem sibi contrahentes proposuerant, pepigerunt, quod lignamen, ac carbo = *dovrà interamente scaricarsi* = in apothecis ab Andrea selectis = *per ritenersi dal sig. Nizzica a di lui garanzia e sicurezza dei danari sborsati per le lavorazioni. e per procurarne la vendita* =; atque quod = *il signor Nizzica soltanto dovrà incassare tutto il danaro proveniente dalle vendite, e ritenerlo presso di se fino al termine dell' intiera vendita, ed incassi del prezzo del legname e carbone che sarà esitato* =. Ex pecunia vero inde redacta = *oltre gli scudi cinquemila settecentocinquanta stabiliti per prezzo degli alberi e delle piante* =, facere sibi satis Andreas debebat = *di tutte le altre spese* =, quas ex pacto ipse peregisset pro caesione atque confectione lignaminum, atque carbonis, pro transvectione, pro apothecarum pensionibus, ac pro menstruis praestationibus = *delle persone che crederà il signor Nizzica ritenere per l' andamento delle lavorazioni e vendite del genere* =; nec non = *del computista* =, qui socialis rationes ederet = *fino al termine del negoziato, e stralcio dei conti* =, aliarumque omnium expensarum, quas fieri pro re nata oportuisset. Quidquid vero ex post lucri superesset, aequa ratione sese inter socii dispertire debebant. Quod autem, si societas haesisset in damno, tum illud aeque socii sustinerent.

Quum vero eadem in singrapha pepigissent, quod, finita societate, atque = *dopochè il signor Nizzica avrà incassati tutti gl' introiti* =, convento pretio argenteorum 2067 obulorumque 60, emeret Innocentius praedia quaedam ex iis, in quibus caesio erat conficienda, ex utilium symbola, quae Innocentio pertinuisset, conventum fuit ut sumeret Andreas pretium illud, edita obligatione, quod si utilia vel nulla vel subtus pretium extitissent, Innocentius solveret quantum integrae quantitati illius pretii deesset. At quatuor intra praestitutos annos perfici caesio haud potuit; quamobrem ad alium annum prolatus terminus fuit ad eam conficiendam in syngrapha praestitutus. Transegerat quinquennium, atque quum damnum e societate rediturum Innocentius pertimesceret, diversas in Andream promovit penes capitolinos judices actiones respicientes transvectionis mercedem argenteorum *quingentum* pro sua opera expromissorum, quae jam ad societatis initium receperat, contendens tamen se ea recepisse nomine = *di buona uscita* = solutionem; ac damnorum postulans sarcitionem pro non confecta caesione arborum, quae extabant in quatuor praediis = *noceto in contrada via di Roma, castagneto in contrada via della Molara; castagneto in contrada le Valli* = ac = *castagneto in contrada Valle* =. Partim hisce ab institutis actionibus Innocentius cecidit; partim vero manent adhuc penes judices definiendae. Duxit tunc e re sua Andreas, vendendus etsi adhuc superesset ingens lignaminis cumulus, ac forent adhuc exigenda nonnulla socialia nomina, a commercii iudicibus postulare, ut declararent, finitam fuisse societatem, vel saltem, cum hac in re judices haererent, ut definirent tempus quo videre exitum illa debuisset. Sed postrema ac in postulatione noluerunt commercii jusdicentes pronunciare, decreto adversus Andream lato = *si ponga in regola* =; alteramque quoad societatis dissolutionem negativa sententia dimiserunt. Delata ex appellatione causa fuit ad S. N. Tribunal, a quo, postquam in comitiis diei 19 januarii praeteriti responsum fuerat = *Dilata et ad mentem* =, quae mens erat = *ut causa reproponeretur, statimac facta fuerit productio sententiae commercia-*

*les* = ab Innocentio tum non productae die 15 maii superioris definitum fuit = *constare de cessatione societatis, et esse locum divisioni lignaminis aequis partibus inter socios, salvo jure pignoris favore Andreae super portione Innocentii, et extendatur decisio* =, in qua haec ipsa ego narravi, quacque cum hodie mane revisioni subesset, mutata prudenter sententia PP. DD. responderunt = *Recedendum a decisis, et extendatur decisio.*

Atque ita, re maturius perpensa, necessario erat judicandum. Negari quippe haud poterat in societatem Andream atque Innocentium coaluisse, ut, peracta sylvarum caesione, quae in praediis Andreae extabant, atque ab eo fuerant in societatem collatae, confectaque transvectione ad urbem lignaminis, atque carbonis ex illis educendi, horum venditioni per Andream ipsum incumberetur, atque inde ex redacta pecunia quidquid utilium post solutum sylvarum pretium, solidatasque expensas omnes ab Andrea reprahesentatas superesset, sese inter, aequa lance, socii dividerent. Huc socii omnimode societatem intenderunt, sicuti perspectum evidentissime erat tum ex illius natura, tum ex pactionibus, quas socialis
1 syngrapha praeseferebat. Cum enim societas copulatur, ut quisque e sociis alicui rei incumbat, fieri id nequit nisi spes illi sit percipiendi lucrum a societate. Id autem in themate habuisse prae oculis Innocentium atque Andream certum undique remanebat sociali e syngrapha, in qua idipsum dissertissime pepigerunt.

Atqui lucrum a societate rediturum si finis erat, quem sibi socii proposuerant
2 assequendum, a vero quam maxime fuisset alienum decernere finitam fuisse societatem priusquam tempus advenisset, quo lucrum sibi in finem a contrahentibus praeconceptum assequi per eos posset. At vero, non expleta adhuc venditione totius lignaminis socialiter confecti, decerni haud nequibat, quid, quantumve lucri societas attulisset, aut si ipsa haesisset in damno. Quapropter cum totius rei socialis venditio necessarie esset expectanda, priusquam assequeretur propositus per socios finis consequendi lucrum, quod sibi allaturam societatem praestituerant, non expleta adhuc illa, ac praeconcepto fine non adhuc a sociis assequuto, e rei ipsius natura inita societas nunc quoque consistebat.

Reque autem vera voluisse id contrahentes, quemadmodum velle necessario debebant, nisi in contrahendo ineptirent, socialis ipsa syngrapha loculentissime demonstrabat. Convenerant quippe in ea, ut lignamen, ac carbo = *si scarichino nei locali del signor Nizzica* =, qui earum rerum = *debba procurarne la vendita* = redactumque pretium = *debba ritenerlo presso di se fino al termine dell' intiera vendita ed incassi* =. Convenerant ulterius praeterea, quod postquam Andreas penes se haberet = *tutti i danni provenienti dalle vendite suindicate* =, isque sumpsisset sibi praestitutum sylvarum pretium in nummis 5750, atque expensas omnes pro societate repraesentatas = *fino al termine del negoziato, e stralcio de' conti sociali* =, lucrum vel damnum e societate obventum, sua quisque aequa in symbola socius sustineret. Jam vero si facienda transvectio erat = *nei locali del Signor Nizzica* =, adhuc ut is curasset socialium rerum venditionem, sique cuncta omnia superius enucleata gerenda erant = *fino al termine dell' intiera vendita* =; sique lucrorum sociales edendae rationes erant, sibique Andreas sumere pretium, atque peractarum expensarum reintegrationem debuisset = *incassati tutti i danari provenienti dalle vendite suindicate* =, evidens profecto noscebatur voluisse contrahentes ut societas perduraret ad integram usque socialium rerum venditionem, qua idcirco non expleta adhuc ex integro, haud finitam fuisse societatem prono veluti alveo descendebat.

Quamquam cum negari nullo modo posset, quamplures perficiendas res ea in societate sibi Andream atque Innocentium constituisse, sylvarum nempe caesionem,

lignaminis atque carbonis transvectionem, harumque rerum venditionem, veluti singula ipsa in syngrapha enucleantur, absurdum prorsus foret contendere, ut, non finita adhuc altera ex his rebus ab contra-
4 hentibus in societatis objectum designatis, finita tamen ipsa societas esset. At quae societas plures vertitur circa gestiones, quae societas *in partecipationem lucrorum* appellatur, prout *ex cod. commerc. art.* 46, docentque *Rogron cod. de commer. lib.* 1 *tit.* 3 *delle società* §§ 47 *ac* 56, atque *Marrè diritto commerc. p.* 1 *n.* 86, nunquam dici soluta potest, nisi res omnes confectae fuerint ab sociis designatae,
5 atque illi finem appraehenderint, quo societatis coitionem intenderunt, sicuti praeter *cit. Marrè diritto commer. part.* 1 § 112 tradunt *Baldass. dizion. di commer. verbo società* § 18; *atque Rogron cod. di commerc. lib.* 1 *tit.* 3 *delle società* §§ 48 *et* 57.

Adversus haec autem omnia perspicua adeo, atque evidentissima corruebat praeteritae decisionis fundamentum, quod ipsa posuerat in prefixione termini in apocha praestituti. Optime quidem PP. DD. animadvertebant, terminum illum fuisse praestitutum quoad unam tantum e socialibus operationibus, videlicet sylvarum caesionem unam. Id suadebat prae primis syngrapha, in qua legebatur = *purchè nel decorso di anni quattro siano intieramente tagliati gli albevi e piante* =; atque = *durante gli anni quattro stabiliti per li tagli e lavorazioni* =; et verba haec erant, quae interprete haud indigebant. At vero nonnisi contradictorie protulissent terminum illum ad societatis integram durationem. Venditio quippe, quam fieri necessario oportebat post caesionem ac transvectionem, si ad hasce res absolvendas integrum concessum foret quadriennium, nullo modo per rei naturam fieri posset. Sed venditionem cum praecipue contrahentes voluerint, non ea sumenda erat depactae durationis interpretatio, quae contrahentium voluntati e diametro opponeretur, sed intelligendum, veluti oratio sonabat, tempus fuisse statutum pro caesione sylvarum, lignorumque elaboratione, qua intra quadriennium praefinita, concedendum deinde tempus erat, in quo
6 necessaria socialium rerum venditio peragetur. Ea enim sumi pactorum interpretatio debet, quae contrahentium voluntati magis accomodatur, non vero ea quae illam oppugnat ac destruit *Gratian. discept. forens.* 834 *n.* 12 *et* 13, *Peregrin. de fideicomm. urt.* 11, *n.* 46, *Mantica de conject. lib.* 3 *tit.* 7 *per tot.*, *Rota in recent. dec.* 637 *num.* 15 *part.* 19 *tom.* 2 *ac dec.* 439 *n.* 6 *cor. Isoard.*

Nec valebant quae, ut societatis terminus pronunciaretur, Andreas invocabat, invenditum nempe lignamen esse deterioris conditionis, pretiumque illi tributum injustum esse, atque irreperibile: quamobrem si spectanda erat ad societatis finem illus venditio, nunquam dies illa foret ventura; ulterius rixosum Innocentium se praebuisse in societate, quod satis, ut decernendus finis societatis sit. Haec namque extranea erant a postulatione, qua petierat ob tempus elapsum declarari finitam
7 esse societatem, quod diversum erat ab postulatione altera, ut judicis officio illius finis decerneretur. Diversum haec judicium requirebant, quod partes instituere quandoque poterant; sed miscenda ab
8 judice non erant, qui prolatae, juxta postulationis fines, suam reddere sententiam debet.

Quapropter nihil erat, quo discederetur a contrahentium voluntate de protrahenda societate, usque dum confectae forent sociales res omnes, quod satis aperte descendebat tum e societatis natura, tum ex pactionibus in syngrapha sociali adhibitis. Cujus praeterea rei confitentem penitus Andream habemus, qui penes commercii judices postulaverat, ut declararetur, quando habitura exitum societas foret; quod stultum profecto fuisset, si ipse ex pacto novisset, illam jam vidisse exitum per lapsum temporis ad ejus durationem praestituti. Ex quo evenit, ut, revocata altera decisione, contrahentium vo-

luntati opportuna hodie mane proferretur sententia, cui praecipue sese praeterea opponebat imperium in illa decisione praescriptum, quod res, quas expressim convenerunt contrahentes communi periculo vendendas esse, recipere etiam inviti ipsi deberent.

Et ita redditum judicium fuit, utraque etc.

R. P. D. DE CURSIIS

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

*Lunae* 6 *julii* 1835

ARGUMENTUM

Circumscriptio ab eo peti non potest, qui extraneus a judicio fuit, neque acta extrajudicialia circumscriptioni subeunt. Quae pleno dominii jure ad decoctorem pertinuisse patent, ubique extet, et apud quoscumque, rite semper vindicantur.

*SUMMARIUM*

1. *Aliud est sententia, aliud sententiae exequutio, nec utrumque inter se distinctum misceri, et confundi debet.*
2. *Sententiae nullitatem objicere nequit qui extraneus a judicio fuit.*
3. *Nemo enim potest alterius juribus uti.*
4. *Quidquid constat ad decoctorem pleno dominii jure pertinuisse, rite semper vindicatur, ubique extet, et apud quoscumque reperiatur.*
5. *Judex commissarius tenetur ex officio urgere assecurationem mercium ad decoctorem pertinentium.*
6. *Atque ex simplici ejus petitione commerciale tribunal haud prohibetur quamcumque vel opportunam, vel necessariam provisionem capere, controversiis ad hoc summarissime diremptis.*
7. *Quod fit a magistratu oeconomico, judiciale dici nequit.*
8. *Acta judicialia circumscribuntur non autem extrajudicialia.*

DECISIO LXXXVI.

Cum foro cesserit Ferrariae ratio mercatoria Vita et Leon Carpanetti, tribunal commercii illius urbis eam decoctam declaravit, ac una cum syndacis judicem commissarium quoad hanc decoctionem instituit advocatum Bartholomaeum Peccinini, qui cum cognovisset ad eamdem rationem spectare mercatoriam tabernam, quae Ferrariae retinebatur a Petro Melloni, et alteras duas apothecas, quae Stellatae, et Bondeni ab Emygdio Baratti, et a Petro Bartolotti exercebantur, instetit coram praefato tribunali commerciali, ut eisdem signa adponerentur pro mercium assecuratione, sicuti reapse consecutus fuit ex decreto diei 20. Septembris 1832. Ipsemet vero commissarius cum insuper suspicatus fuerit, quod in Pontificiis teloniis *di Lagoscuero, e di Bologna* reperiri possent merces decoctae rationi pertinentes, ibique transmissae a praecitato Bartolottio, qui sequutae decotionis praecipuus fuerat adjutor, privato epistolio de hoc requisivit bononiensis telonii praefectum, qui die 3. octobris, cognita mercium existentia, scripsit ad tramites receptae syngraphae se telonii rectori jussisse extantes merces haud tradi rationi Landi et Roncadelli, ad quam transmissae ipsaemet merces apparebant. Aegre tulit ea ratio hoc sequestrum, proindeque insequentibus diebus 4 et 5 ejusdem mensis octobris solemnes emisit protestationes pro emendatione damnorum, quae tam ejus nomini, quam suis rebus advenire possent.

Interea commissarius Pecceninius ad quamcumque avertendam mercium dispersionem iterum ferrarienses commercii judices adivit, qui ipsius instantiam excipientes, alterum ediderunt decretum sub die 18 octobris praecitati anni 1832; quo = *estendendo l' assicurazione ordinata col decreto* 20 *scorso settembre ordina il sequestro assicurativo di tutti gli effetti, che si rinvenissero di spettanza dell' oberata ditta Carpanetti, quantunque sotto terze persone e sotto nomi interposti, e specialmente quelle sotto nome di Pietro Bartolotti agente dell' oberata ditta, che si rinvenissero tanto nelle dogane di Bologna, Ferrara, e Ponte Lago*

*scuro , ed ânche presso terzi* =. Infensissime de altero hoc decreto conquesti sunt Landii , et Roncadellii, qui tandem sua jura deducere coram judice constituerunt. Qua de re syndacos decocti patrimonii, ipsumque judicem commissarium Peccenini coram bononiensi appellationis tribunali vocarunt, ut circumscribi audirent duo decreta dierum 20 septembris et 18 octobris =*in appoggio de' quali si volle nel dì* 3 *ottobre eseguire e poscia sostenere a grave danno e disonore dell' istante un sequestro sopra* 120 *colli* = mercium, quae pleno dominii jure sibi pertinere asseruerunt. At proposita haec circumscriptionis instantia cum plene rejecta fuerit ab iisdem judicibus, illam Landii renovare curaverunt coram S. Nostro Ordine, qui confirmans bononiensis tribunalis sententiam, hoc mane rescripsit=*Non esse locum circumscriptioni , et extendatur decisio* =.

Rejiciendam esse promotam circumscriptionis actionem , apprime suadebat insubsistentia rationis ab istantibus Landiis in ipsomet libello litis introductivo adductae , scilicet , quod cum praecitatis decretis dierum 20 septembris et 18 octobris = *si volle nel* 3 *ottobre eseguire e poscia sostenere il sequestro* = quo eisdem oeconomice impedita fuerat a telonii bononiensis praeside suarum mercium extractio. Cum enim in facto aliud sit sententia, aliud sententiae exequutio, cum utrum-
1 que inter se distinctum misceri, et confundi minime debeat, apertissime proinde comperiebatur, quam inscite Landii, qui de sequestri injustitia conquerebantur, alterum longe diversum circumscriptionis judicium instaurare curaverint. Et revera falsissimum in facto apparebat , quod decreto 20 septembris judices ferrarienses exequi mandaverint sequestrum , de quo est disceptatio. Decretum illud demandavit tantummodo pro mercium assecuratione signorum appositionem tribus apothecis ad decoctam rationem spectantibus , quae Ferrariae, Stellatae, et Bondeni exercebantur a Petro Melloni , ab Emygdio Berattio , et a Petro Bartolotti. Cum in eo decreto ne verbum quidem exciderit de ipsis Landiis , nec aliquid ab eo constitutum fuerit quoad merces ad eos spectantes , quae in teloniis Bononiae et *di Lagoscuro* forte reperiri possent, evidens est quam malo consilio ipsimet Landii contra idem decretum praecitatam instituerint circumscriptionis querelam , a qua promovenda iidem omnino prohibebantur. Revera si aliquis citationis, jurisdictionis, vel mandati defectus forte contingere potuisset in praecitato decreto , de eo utique conqueri solummodo potuissent praecitati Mellonius , Baraldius , et Bartolottius, numquam vero Landii et Roncadellii , qui utpote extranei a judicio , minime abjicere valent ipsius decreti nul-
3 titatem , nec alterius juribus uti rite recteque possunt, ut docet *Oldrad. cons.* 189 *n.* 8, *Covar. in cap. quamvis de pactis in* 6 *part.* 4 § 8 *n.* 6, *et Pract. quaest. cap.* 9 *n.* 7, *Marescot. var. resolut. cap.* 121 *lib.* 2 *n.* 60. *s. Rota in dec.* 146 *n.* 16 *cor. Lancetta* et alibi.

Minime vero circumscriptionis gladio delendum videbatur alterum decretum diei 18 insequentis octobris, quo = *poscia si volle sostenere il sequestro* = , ut ipsimet Landii effutiebant. Decretum illud secum ferebat jus sub sequestro ponendi merces omnes quae probarentur spectasse ad decoctam rationem Vita ac Carpanetti. In facultate utique haud erat opponentium Landiorum syndacos decocti patrimonii prohibere , ne ipsi a judicibus legittime petere possent mercium assecurationem, ne ipsae deinde fraudolenter subtraherentur; multo minus objicere ipsi poterant , quod judices genericam decernere haud potuerint sequestrationem mercium , quae de pertinentia decoctae rationis ubique inveniri possent. Ferrariensibus enim judicibus facultas omnino erat controversam sequestrationem cum praecitato decreto diei 18 octobris indicere ex juris regula in subjecta specie undique receptissi-
4 ma , quod semper sit locus vindicationi collybi literae, pecuniae, et mercium ubique

existentium, etsi apud praepositos, vel mandatarios reperiantur, dum aperte scateat, pleno dominii jure decoctori illas pertinuisse, ut post *art.* 443 *cod. comm.* docuit *Della Porta in suis pandectis commerc. lib.* 3 *tit.* 1 *cap.* 2; et firmavit *Parisiensis aula cassationis sub die* 5 *februarii* 1812 *teste Sirey parte* 1. *tom.* 11 *pag.* 200.

Contra jus rationemque igitur videbatur se Landios gessisse, dum praecitati decreti nullitatem urgere rati sunt ob memorati sequestri praexistentiam. Ex ipso enim temporis discrimine unusquisque per se facile concipiet, nil commune habere potuisse cum eo sequestro decretum postea latum. Cum oeconomice a telonii Praeside sequestrum illud indictum fuerit, confestim consistere ipse valuit propriis viribus, itaut decretum diei 18 augere vel imminuere nequaquam potuit illius sequestri firmitatem, sed eidem omnino extraneum, nulla facta de ipsis Landiis
5 mentione, constituit solummodo et generice, quod assecurari deberent merces = *in qualunque luogo esistenti di spettanza dell'oberata Ditta Carpanetti* –. Interim cum ratione sui officii mercium assecurationem urgere teneretur judex commissarius Peccenini, cum ferrarienses judices haud prohiberentur ex simplici ipsius
6 postulatione quamlibet opportunam vel necessariam provisionem capere, et propositas etiam controversias summariissime dirimere, ut animadvertit cit. *Della Porta lib.* 3 *tit.* 1 *del fallimento*, facillime id circo concipitur, quam inscite Landii, qui sequestrum perpessi fuerant die 3 octobris, formali proposita circumscriptionis querela, substinere ex eo voluerint nullitatem decreti insequenti die 18 octobris panditi ex praestitutis illis defectibus, qui haud ab iisdem objici poterant, cum ex praemonitis firmum, inconcussumque in facto remaneat, quod competentes fuerint ferrarienses judices ad decernendam illam sequestrationem, pro cujus exequutione haud certe requirebatur, prout in caeteris judiciis, specialis citationis transmissio.

Sepositа interim quaestione a praesenti judicio omnino extranea, an sequestrum oeconomice indictum a praeside telonii bononiensis legittimum vel arbitrarium dijudicandum sit, certum tamen est in facto, quod diversa omnino debet esse actio, qua a Landiis instrui debebat praesens judicium. Ipsi enim statimac diebus 4 et 11 octobris protestationes emittere curarunt quoad assertam indicti sequestri nullitatem ad obtinendam damnorum emendationem, viam straverunt hodiernae disceptationi, in qua unice videri debuisset, an ipsum sequestrum reapse nullum ac arbitrarium dici oporteret, ut ab jisdem Landiis solemnissime declaratum jam fuerat in praececitatis protestationibus. Sed in transversum ipsimet Landii prorsus procederunt, dum, praetermissa quaestione quoad sequestri nullitatem, potius de circumscriptione agere maluerunt. Ex huc usque dictis scatet apertissime, circumscriptioni obnoxium haberi haud posse decretum diei 18 octobris ex deducta ratione, quod genericum illud decretum posterius in tempore fuerit sequestri indictioni, quod usque a praecedenti die 3 suam assequutum fuerat perfectionem; sicuti circumscribendum haud erat alterum decretum praecedentis diei 20 septembris ex ratione aeque luculentissima, quod non agentes Landios sed alios omnino extraneos respexerit. Quibus insuper accedit quod hoc sequestrum, utpote factum auctorante telonii bononiensis rectore, quin ullus judex vel tribunal explicite mandaverit sequestres fieri merces rationis Landi ac Roncadelli adnumerari minime poterat inter acta judicia-
7 lia. Id enim, quod a magistratu oeconomico fit, non judiciale nominari potest, ac ideo ne circumscribere quidem illud licet,
8 quia acta judicialia haud vero extrajudicialia circumcribuntur.

Et ita ecc. utraque etc.

R. P. D. BOFONDI

ROMANA CREDITI

*Veneris* 19 *Julii* 1835

ARGUMENTUM

Minores et mulieres mercaturae operam dantes in is, quae ad commercium pertinent absque solemniis legitime obligantur. In muliere, quae publice negociatur, mariti consensus non requiritur expressus, sed praesumitur tactus et continuus.

*SUMMARIUM*

1. *Mercatoria collybi litera nulli subest exceptioni, ad eamque solvendam aeque adigitur tum qui subscripsit, tum qui illam cessit.*
2. *Minores, et mulieres mercaturae operam dantes legitime obligationem suscipiunt absque solemniis in iis quae ad commercium pertinent.*
3. *Etiam per interpositam personam mercatura exerceri potest.*
4. *Cum mulier publice negociatur, ut jure obligationem suscipit, mariti consensus expressus non requiritur, sed praesumitur tacitus et continuus.*
5. *Consensus semel praestitus valet etiam in posterum, nisi contrarius actus accedat.*

## Decisio LXXXVII.

Praenobilis foemina Josepha Tudò Principi Emanueli Godoy matrimonio conjuncta, quae ex nuptiali pacto rei suae negociorum ac bonorum arbitra erat, inter caeteras, quas in urbe commercii, merciumque negociandarum causa subscripserat collybi liberas, alteram die 21. octobris superioris anni emiserat tum nomine proprio, tum uti viri procuratrix die 15 Februarii solvendam in scut. 750 *all'ordine S. P. del Signor Salvatore Mauro valuta avuta in merci*, quae postera die in Michaelem Angelum Tavani translata inde fuit a Salvatore Mauro *valuta avuta in merci di sua fabbrica e di mia piena soddisfazione*. Adventa solutionis die cum obligationi satisfacere detrectasset debitrix, praemissa prius, quae a mercatorio codice praescripta est, solutionis denunciatione, quam *protesto* dicunt, coram tribunali, quod de re mercatoria jus dicit, tum Maurum, tum principem Godoy, uxoremque creditor vadavit, et solutionem urgeret. Quod facile quidem obtinuit. Licet namque debitrix ex solemnium defectu in mulierum contractibus requisitorum obligationem nullam diceret, judices tamen uti eam negociari solitam in collybi literae subscriptione mercatorium actum penitus perfecisse, dum principem Godoy absolvere duxerunt, eo quod procurae mandatum administrandi res facultatem concedebat, minime vero eum obligandi in actibus, qui commercii causa ab uxore forte patrarentur, principem foeminam, ac Maurum dumtaxat in solidum ad solutionem scut. 750, ac expensarum etiam extrajudicialium damnare censuerunt. Nec diversum fuit Sacri Ordinis Nostri judicium, ad quem per provocationem delata est res. Propositae namque instantiae patres hoc mane responderunt = *Esse locum solutioni scut.* 750 *una cum expensis etiam extrajudicialibus, et extendatur decisio.*

Et re quidem vera constabat, principem foeminam, quae in habituali mercium emendarum, vendendarumque commercio versabatur, inter alias, quas Salvatoris Mauro favore subscripserat collybi literas, alterum signasse, de quo agitur; collybum *per valuta avuta in merci* quod inde in Michaelem Angelum fuit translatum *per valuta avuta in merci di sua fabbrica ed altre mercanzie da negoziarle.* Cum igitur mercatoria haec litera commercii ratione signata iis esset munita commercialibus clausulis, quae solidalem inducunt obligationem, omnemque eliminant exceptionem, nulla certo adesse poterat causa, cur qui eam vel subscripserat, vel in creditorem transtulerat per cessionem, aeque ad eam solvendam haud essent adigendi, ex notissima jurisprudentia, quam tradit Sacer Ordo, ac praesertim *dec.* 73 *n.* 4 *cor. Malvasia.* At contendebat, nobilem faeminam absque solemniis collybi literam subscribentem, nullam obligationem susci-

pere potuisse tum ex nuperrima judiciaria constitutione, tum ex mercatoriae legis art. 108. Perperam vero. Notissimum enim enim est in jure, ac ex ipsa legis litera scatebat, quod licet minores, ac mulieres ordinario ex illegitima obligatione, vel ex non rite subscripta collybi litera ad id tantum teneantur, quod in eorum utilitatem directe versum est, regula tamen exceptionem recipit quoad minores ac mulieres, quae mercaturae operam dantes obligationem aliquam ad commercium pertinentem susceperint. Qua de re cum ex iis, quae in causa adducta sunt, planissime eruatur, principem faeminam cum exteris negociatoribus commercio operam dedisse revera, literas collybi multas trajectitias Liburnum portum misisse, Romae vero quamplurimos commercii id genus actus perfecisse, sponte sua consequi videbatur, eam, dum collybi literae, de qua res est, subscripsit, ac mercem in summa scut. 750 non ad proprios usus, sed ut in commercium adduceret, sibi comparavit, alterum commercii sui actum explevisse, ac proinde validam certo utilemque undique obligationem suscepisse, cujus satisfactionem evitare non poterat.

Atque inutili studio resumebant, mulierem commercii inexpertem mercatorios actus haud perfecisse, sed eo tantum intendisse, ut aes alienum contraheret per interpositam personam Salvatoris de Mauro, qui vero unus merces receperat, venditeratque, ut pecuniam coacervaret quodammodo. Notum enim est, per interpositam quoque personam quem negociari posse, atque adeo statimac nemo inficias iret, principem faeminam negociari solitam commerciales actus suo nomine scienter fieri permisisse, collybi literam subscripsisse, ut merces haberet, ac inde eas communi pretio vendendas mandasse, plano velut alveo concluderetur oportebat, eam in speculis non fuisse, ut aes alienum tantum contraheret, sed eo intendisse revera, ut licet non directe, per interpositam tamen personam, ex mercium emptione, ac successiva venditione pecuniam quidem haberet, sed ita haberet, ut inde vel ex data solvendi dilatione, vel ex commercii circumstantiis rerumque variabili pretio quidquam lucraretur. Quod sane eo magis Patres tenebant, quia casus occurrere haud videbatur in themate, quo interdum quis pecunia tantum indigens merces summo pretio a foeneratore recipere coactus est, quas vero inde minoris ac infimo quoque pretio vendere debet. Ex testimonio namque quamplurium constabat, mercem justissimo pretio receptam currenti quoque aestimatione inde negociatoribus secundis venditam fuisse, ac mulierem hoc modo praefocationem nullam passam fuisse, sed libere actum gessisse mercatorium, ex quo si commercii circumstantiae sinerent, lucrum certo exinde captare potuisset.

Quae cum ita essent, deteriori conatu nobilis faeminae defensores ad mercatoriam legem confugerent, qua cautum est, mulierem nec mercaturae vacare, nec actum vere mercatorium perficere posse, nisi viri accedat auctoritas. Praeter enim quamquod quum publice mulier mercatoris societatibus addicta, ac literas mercesque promercari solita sit ut jure obligationem contrahere possit, haud explicitus requiri videatur mariti consensus, qui tacitus imo praesumitur ac continuus ad tradita *per Azun. Dis. tom. 4 pag. 138, Marejus spirito delle leggi di commercio part. 1 cap. 1 § 7, Pardessus della lettera di cambio t. 1. n. 40*, rem conficere videbatur in themate, quod ex ipso nuptiali contractu explicitus patebat mariti consensus, qui eam apertissime dixit *libera ed assoluta padrona, amministratrice, e dispositrice delle fortune, che ella ha sia nelle azioni della banca, ed altri stabilimenti di Francia, sia in altra sorte di rinvestimenti.* Verum quod semel praestitus consensus continuo ac etiam in posterum, nisi contrarius actus accedat, valeat, nemo est qui nesciat.

Et ita jus datum est, utraque etc.

R. P. D. BOFONDI

CENTUMCELLARUM REDDITIONIS RATIONUM

*Veneris* 4 *Martii* 1836

ARGUMENTUM

Habes ex Summario

*SUMMARIUM*

1. *Frustra ad declinandam refectionem expensarum, quae in re sua sarcienda factae fuerunt, quis queritur de inutilitate operum, quando constet, ipsum vel per se vel per suum procuratorem sive expresse sive tacite eas, dum fiebant, probasse;* et num. 2.
3. *Quidquid utiliter in re aliena quis impendit, jure a domino vindicat, ne iste locupletetur cum ejus jactura.*
4. *Non ideo negari potest ductori navis expensarum refectio, quia ipsae in adversariis adnotatae non reperiantur, si constet aliunde ipsum eas revera tulisse.*
5. *Praesertim quia nec ex lege, nec ex nautarum observantia omnino praecipitur, ut dux navis necessarias expensas in adversariis notet.*
6. *Reficiendum est ductori navis si quid in praemium dedit nautis pro extraordinariis curis, quibus navis indiguit tempestate laborans, ne naufragio periret.*
7. *Praesumi nequit, ducem navis, alicui ex nautis vel amisso vel relicto statim alterum non subrogasse, et iter prosequutum fuisse cum minori quam par erat nautarum numero, sese et navi et mercibus sic in discrimen adductis.*

## Decisio LXXXVIII.

Alexandrum Cialdi nauticae rei peritissimum Carolus Nepoti mense Julio 1833 navis suae gubernio praeposuit, quae iter prius Malacham, deinde Brasiliam versus erat factura. Sed navis eadem aliquanto pessumdata impar tantò itineri suscipiendo comperiebatur, quapropter sarcitioni manus admotae fuerunt ipsius Alexandri cura, studioque, qui pecunias impensis necessarias a quodam Francisco Flaminio Caroli procuratore accipiebat, et sedulo navis dominum de necessitate et progressu sarcitionum faciebat certiorem. Octavo calendas Augusti dum ventus operam dabat, navis explicavit vela, et Malachae oras tetigit decimoquarto calendas Septembris, quin infortunium ullum perferret. At hic instaurationibus novis navigii dux debuit operam dare, et expensis nonnullis obviam ire, vel causa aegrotationis nauticorum quorundam, vel causa rerum quamplurium, quae pro navi comparatae fuerunt. Caepit illinc navis magister iter Brasiliam versus, sed extemplo auster debacchatus in navem est adeo, ut velis abscissis, obruptis malis, parum abfuerit, quin et res, et homines naufragio perirent. Strenua tamen nautarum solertia, et labores immanes navem tempestatis furori subripere potuerunt, quo factum est, ut dux nauticos pro extraordinariis hisce laboribus praemio scutorum triginta donasset.

Verum navis Brasiliae portum attigit undique fracta, eamque ad nova itinera ineptam comperierunt periti viri ab pontificio consule electi, qua de re alienationem sub hasta consul praecepit. Habuit inde Alexander argenteos bismille, quos ad aliam navem coemendam adhibuit altera solidiorem et praestantiorem. Hac reversus est Centumcellas, ubi orta dissidia quamplura, partim a negociatoribus promota, quorum merces Alexander transvexerat, partim a Carolo Nepoti excitata pro redditione rationum de expensis ab Alexandro peractis, ut iter suscipere posset, atque prōficere. Exhibuit illico navis magister rationes, quas aequissimas undique, communes in id selecti cognoverunt amici. Renuit tamen Carolus solutionem debiti sui, quod inde exurgerebat, eumque idcirco in judicium rapere coactus fuit Cialdius coram judicibus commercii centumcellensibus. Hi sententiam ediderunt petitioni secundam, qua Cialdii creditum in argenteis 833, et obul. 41 fuit constitutum. Neque hoc Carolo satis: nam ob appellationem ab eo interpositam res ad s. ordinem delata est, et hodie per me

patrum judicio supposita, qui cum aliquas crediti partitas aliquantis per obscuras dubiasque cognoscerent, de iis censuerunt judicium differre, ut probationes coadjuvarentur, reliquas tamen Alexandri credito haud haeserunt adscribere; edito rescripto = *Quoad partitas Flamini, Luzzetti, et la Danza pro sc.* 180. 39 *dilata et coadjuventur probationes, in reliquis esse locum solutioni sc.* 662 *et ob.* 42, *et extendatur decisio.* =

Contentio siquidem integra versabatur in Alexandri credito definiendo, quandoquidem de pecuniis ejus debito adscribendis difficultas nulla oriebatur, quas litigator uterque in summa scut. 1439 profitebatur. Erat autem creditum actoris expensis conflatum, quarum alteris Centumcellis, alteris Malachae, alteris Brasiliae obviam ivit: nec patribus visum est ambigi posse, quin jure optimo eas sibi Alexander condiceret ad quantitatem saltem, quae deducto quidquid a Carolo acceperat, creditum constitueret sc. 662 et obul. 42. Et re quidem vera ad pecunias quod attinet, quas Centumcellis in utilitatem navigii Alexander impendit, frustra contendebat Carolus, eas erogatas fuisse in reparationes prorsus inanes, quas idcirco sui credito adscribere navigii ductor nequibat. Quidquid enim esset de
1 utilitate vel inutilitate laboreriorum, animadversio una rem dirimebat, quod nempe eis operam dederit Alexander, plaudente Carolo vel ipso, vel ejus procuratore Francisco Braminio, quem in rem praesentem ivisse, et navem et opera inspexisse testes instructissimi de facto proprio deponunt. Neque ulla aderat mandatarii legitima protestatio de inutilitate operum, quae in navi instauranda conficiebantur imo computa quaedam artificum solidavit jussu Alexandri, quin vel minimam de confectis operibus excitaret querelam. Quod quidem silentium non solum operum utilitatem, sed necessitatem quoque suaderet; is enim, qui a Carolo legem acceperat nil aliud Cialdio suppeditandi, quam = *il puro necessario* =, haud edepol siluisset, neque pecunias in operibus erogandas suppeditasset, nisi eadem opera necessaria novisset.

Praeterea praesumptiones haud desunt suadentes, jussu, vel ipsius Caroli adprobatione instaurationes fuisse confectas. Etenim in genere de instaurationibus conficiendis eum certiorem factum a ductore
2 navis fuisse, epistolae quamplures ostendebant, quas Carolus ipse produxit, et ex quibus eruebatur, Alexandrum vel huic vel illi sarcitioni manus admovisse, vel alteram jam esse confectam, alteram conficiendam quam citius: quas quidem sarcitiones descriptas quoque fuisse in inventario, quod Alexander signavit, non immerito conjicii posse videbatur ex verbis contractus = *il suddetto capitan Cialdi ha ricevuto il bastimento ..... a forma dell' inventario sottoscritto da esso, e di altra nota di accrescimenti fatti in seguito al suddetto bastimento, e parimenti sottoscritta dal suddetto capitano* =; eo vel magis quia inventarium istud, et notulam additionum sedulo Carolus hucusque occultavit. Quamvis itaque inutiles expensae comperirentur, nihilominus reficiendae essent actori, qui non sponte sua, sed vel expressa, vel tacita domini voluntate navis sarcitioni consuluit. Caeterum non inutiles, sed utillimas, et necessarias ipsas fuisse, quamplures confirmant in arte periti. Quamobrem aequi justique ratio suadebat, ut quidquid in
3 eo Alexander impendit, a domino vindicaret, ne hic locupletetur cum ejus jactura. Demum de expensis hisce rationes speciatim exquirere erat iniquum omnino, postquam Carolus jussit, ut singula probationum monumenta traderentur procuratori suo Francisco Braminio; ex quo Alexander in eam conditionem positus est, ut nequeat amplius expensarum earumdem aut veritatem, aut necessitatem speciatim probare.

Erant tamen inter hujusmodi expensas solutiones binae notatae, quarum alteram in sc. 41 et ob. 60. Raphaeli Flaminio, alteram in scut. 49 Candeloro Luzzetti pe-

ractam a se Alexander ajebat; sed cum nulla adesset syngrapha de recepto, cumque de solutionibus hisce ab Alexandro factis nec verbum quidem adjiciant artifices in eorum declarationibus, ideo quoad partitas istas coadjuvandas probationes authumarunt DD. mei. Animadvertebant enim Alexandro juris praesumptionem obstare, quae errori, et omissioni adversatur; siquidem cum ipse computum expensarum Carolo exhibuisset, ostendere evidentissime debebat, partitas alias in illo per errorem reticuisse, quas revera persolvit, magis magisque quia ex artificibus alter Candelorus, ab Caroli procuratore pecunias obtinuisse referebat. Ut itaque has Alexander condicere valeat, ostendat oportet, pecunias has artificibus a Flaminio datas sui debito fuisse descriptas in computo pecuniarum, quas ipse recepit.

Deinde sequebantur expensae, quarum Malachae pro navi et nautis fuit opus in scutis 306 et ob 25. Adversus has excipiebat in genere Carolus refundi nequaquam debere, eo quia deerant navis ductori adversaria, in quibus singulae expensae debent notari, ut actio suppetat pro refe-
4 ctione. Verum enim vero quoties expensarum probatio aliunde erueretur, quam ab adversariis, asperum nimis videretur earum refectionem denegare ductori, quum revera expensas tulisse constaret; praesertim quia ambigi etiam posset, num adversaria isthaec ad expensarum probationem leges requirant, tum ex verbis sanctionum Emi Camerarii, quae dumtaxat adversaria reposcunt = *ove notare con esattezza e regolarità le vicende rimarche-*
5 *voli del viaggio* =, tum ex perpetua observantia nautarum; nam teste portui praefecto, nemo unquam in adversariis notavit navium sarcitioni necessarias expensas. Denegari itaque in genere expensarum harumce refectio non poterat, sed cum in specie certa, indubiaque probatione carere visae sint, ideo pro ea tantum parte ipsas pro nunc admittere DD. mei existimarunt, pro qua Carolus idem admisit, scilicet pro scut. 125 et obul. 86, reservato judicio quoad reliquas in scut. 180.39, postquam probationes de his quoque Alexander coadjuvasset.

Non ita tamen quoad ea scut. 30, quae nauticis Alexander promiserat, dum tempestate laborans navis extraordinariis curis indigebat. Uno siquidem ore nautici omnes testantur, ea ipsos ab Alexandro
6 revera habuisse, quamobrem cum ad rem domini tuendam fuissent erogata, optimo jure sibi restitui Alexander propugnabat. Pariter Alexandri credito adscribendas esse Patres duxerunt expensas, quibus causam dedit navis venditio; de his quippe solutionibus et consul et Proxeneta perhibebant fidem, adeo ut de ipsis ambigi nequiret. Quin rem ullo modo conturbent exceptiones, quas in alienationem hanc Carolus affert, quaeque alteri quaestioni causam dederunt. Etenim utrum legitime nec ne fuerit navis divendita, id inquirendum in praesens non est, sed tantum de veritate expensarum; quoties enim illegitima venditio sit a judicibus conclamata, atque idcirco improbanda, actio damnorum praesto erit Carolo, qua quidquid venditione navis amisit, vindicabit ab Alexandro.

Incassum quoque contendebat Carolus ducurtandum esse Cialdii creditum quoad salaria, et alimenta nautarum, quoniam ex hisce duo Malachae aegrotantes relicti fuerunt. Exceptionem quandoquidem removebant testes deponentes de subrogatione nautarum aliorum = *per cui l'Ocher partì da Malaga col numero stesso di uomini, col quale partì da Civitavecchia* = Facto autem subrogationis optime praesumptio respondet. Ductor enim navis, qui a Centumcellis discedens necessa-
7 rios nauticos decem putaverat, quique idcirco, eodem Carolo plaudente, decem adamussim quaesivit, praesumi certe non potest, voluisse difficiliorem itineris partem numero nautarum minori tentare, et sese, et navem, et merces in discrimen adducere. Probat tandem subrogationem nautarum apodixa = *ruolo di equipaggio* =, in qua subrogati nautae inveniun-

tur descripti, quos revera ad Brasiliae oras adduxit Cialdius, ut patet ex consulis fide. Non erat ergo, cur ab hac expensarum partita aliquid detraheretur, cum liqueat manifestissime, expensas hac de causa nunquam fuisse imminutas.

Quibus constitutis, firmum immotumque manet pro nunc creditum Cialdii in sc. 662 et ob. 42, cujus solutioni locum esse merito s. ordo decrevit, in suspenso videlicet relictis ex superius animadversis tum sc. 41 60. Raphaelis Flamini, tum sc. 49. Candelori Luzzetti, tum sc. 180 39 ex computo Salvatoris La Danza, quae integrum Cialdii creditum ad vim extollerent argenteorum 833 et obul 41. Neque audiendus Carolus erat, dum extremo loco objiciebat, quodlibet Cialdii creditum a debito absumi, quo ipse premebatur ex pretio rerum quarumdam, quae ei fuerunt concreditae, ut Brasiliae alienaret. Alias enim exceptionem hanc a Carolo promotam commerciale tribunal rejecit interlocutorio decreto praecipiens = *che il Nepoti dovesse in separato giudizio valersi delle sue ragioni per domandar conto degli oggetti di belle arti in questione* =; quod quidem decretum adeo juri congruum eidem Carolo visum est, ut post interpositam appellationem passus est praetergredi terminos legis = *a proseguire l'appello* =; unde et appellatio perempta remansit, et decretum abiit in rem judicatam, quae vetat, ne de eademmet exceptione rursus excitentur clamores.

Et ita etc. utraque etc.

R. F. D. MARINI

AUXIMANA LITERAE CAMBIALIS SUPER PERTINENTIA CAUSAE

*Lunae* 16 *Maji* 1836

ARGUMENTUM

Tertio possessori, qui cambialem literam bona fide, et oneroso titulo sibi quaesivit, eae tantum opponi possunt exceptiones, quae extrinsecas ejusdem formas respiciunt, neque ex iis est exceptio de suppositione loci, in quo litera vel scripta fuerit vel sit solvenda. Generica dictio - *valuta avuta* -, quamvis deficiat expressa recepti valoris specics, per se satis est, ut scheda pro vera collybistica litera habeatur, ejusque cognitio ad mercatorium tribunal pertineat.

*SUMMARIUM*

1. *Tertio cambialis literae possessori, qui eam acquisivit bona fide, et oneroso titulo, illas exceptiones dumtaxat opponi possunt, quae extrinsecas ejusdem formas respiciunt.*
2. *Generica mentio* - valuta avuta -, *etiam non expressa ejusdem valoris specie, sufficit ad constituendam veram cambialem literam, cujus cognitio ad mercatorios judices pertineat.*
3. *Id congruit quotidiano mercatorum usui*
4. *Nec repugnat sanctioni codicis commercii in art.* 105.
5. *Vitium profluens ex suppositione loci recensendum non est inter illa, quae respiciunt extrinsecas collybisticae literae formas.*
6. *Adeoque opponi nequit tertio possessori, qui cambialem literam bona fide et titulo oneroso acquisivit.*
7. *Quamvis suppositus sit locus, in quo cambialis litera scripta sit, si tamen constet eam alibi, quam in loco ubi scripta fuit, esse solvendam, pro vera collybi litera habenda est, cujus potissima conditio in pecunia* trajectitia *consistit.*

## Decisio LXXXIX.

Comes Gallo Auximanus qui an. 1816 Maceratae fungebatur munere de praeposito *del bollo e registro*, quum deberet summam argenteorum 676 26. Equiti Josepho Gregorio Conventato, qua administratori camerali illius provinciae, persolvit quidem in numerato sc. 236 26, ac pro reliquo debito eidem tradidit collybisticam literam ejusmodi = *Pesaro* 25 *agosto* 1815 *per li* 20 *agosto* 1817 *pagherete per questa mia prima e sola di cambio all'ordine S. P. . . . . colonnati di Spagna* 420 *valuta avuta dal medesimo, ponendoli a mio credito, come dalla mia di avviso. Adio,, Al signor Giu-*

*seppe Mosca* „ *Gaetano Sinibaldi* „ *In Ancona al domicilio del signor Luca Garzoni etc. Accettata* „ *Giuseppe Mosca* =. Ac pro respondenti quantitate Conventatus Gallo tradidit acceptilationem, sive, ut ajunt = *confesso di cassa* =.

Quum vero rescivisset Conventatus, impugnari a Sinibaldio cambialis literae subscriptionem, conqueri ea de re statim caepit cum Comite Gallo, qui non modo nomen suum adjicere non dubitavit cambiali literae, quae nomen creditoris praeseferebat = *in bianco* =, sed insuper Conventato obtulit fidem suam, promisitque per epistolam indemnitatem se praesiturum. Adveniente solutionis die, quum praefata collybistica litera mansisset insoluta, Conventatus sese convertit in Sinibaldium, atque in jus eum vocavit coram mercatorio tribunali Anconae constituto, ut ad praefatam vim argenteorum 420 una cum fructibus repraehesentandam condemnaretur; sed reus conventus, quum falsitatem cambialis literae objiceret, (qua de re querelas jam exposuerat apud anconitanum tribunal criminale) desistere idcirco Conventatus coactus fuit a prosequendo judicio contra Sinibaldium inchoato. Tunc actionem intentavit adversus Comitem Gallum coram civilibus juridicis, qui eam excipiendam esse nequaquam duxerunt, antequam pronunciatum foret, vel falsam esse cambialem literam, vel utcumque exigi non posse.

Oportuit itaque, ut Conventatus ipse urgeret prosequutionem, exitumque judicii criminalis, quod per plures annos intermissum quiescebat. Tandem die 3 augusti 1832 sententia prodiit, qua definitum fuit, non constare de falsitate subscriptionis; jussumque in vim *art.* 126 *del regolamento organico*, quod = *per questa parte debba sospendersi la procedura, e passarsi gli atti all'archivio* =. Reclamarunt ab hac resolutione Vincentius ac Paulus filli, ac heredes Equitis Cajetani Sinibaldi ad juridicos de appellationibus in maceratensi civitate cognoscentes, qui = *previa la dichiarazione della inammisibilità del ricorso di cui si tratta* = decreverunt ex officio excitandum esse praesidem tribunalis anconitani, ut criminale judicium rite absolvendum curaret - *a forma dei venerati dispacci della suprema segreteria di stato in data dei 24 dicembre* 1817, *e 8 aprile* 1818 =, quibus imperabatur suspensio judicii civilis usque ad exitum supra memorati judicii criminalis. Verum exinde Emus Card. Gamberini ab arcanis interioribus principatus per epistolam datam die 26 Julii 1834 declaravit, ex novarum legum criminalium censura, ac praesertim ex *art.* 745 *del regolamento criminale* praefatas jussiones *diei* 24 *dicembris* 1817 *et* 8 *aprilis* 1818 in pretio amplius haberi non posse. proindeque fas esse, ut Conventatus civile judicium resumeret, quod deinceps amplissimus vir confirmavit per aliam epistolam die 6 septembris ejusdem anni exaratam, expresse imperans, ut collybistica litera, de qua agitur, e tabulario tribunalis criminalis ad illud tribunalis commercii remitteretur.

Resumpsit itaque Conventatus judicium apud anconitanum forum mercatorum pro solutione supramemoratae cambialis literae, fructuumque adversus filios atque haeredes defuncti Cajetani Sinibaldi. At judices illi existimantes rem non esse de vera litera cambiali declararunt = *la propria incompetenza* =. Provocavit Conventatus ad mercatorios judices de appellationibus in eadem civitate cognoscentes, qui sententiam primorum judicum revocantes jusserunt, ut ab iisdem de causae merito cognosceretur. Ob judicatorum discrepantiam causa ad nostrum ordinem conscendit, quumque hodierna die eam disceptandam Patribus proposuissem, rescriptum prodiit - *Non constare de incompetentia, et partes utantur juribus suis coram tribunali commercii, et extendatur Decisio* =.

Tria postulabant coram nostro ordine fratres Sinibaldi: primum nempe, ut definiretur, suspendendum esse civile judicium usque ad exitum criminalis; dein-

do ut causa ad ordinarios judices ablegaretur. Quod si ex hisce petitionibus neutra patribus adrideret, instabant, ut a solutione collybisticae literae, fructuumque absolverentur. At patres judicarunt, rejiciendam esse postulationem de ulterius protelando civili judicio; quandoquidem ambigi non posse videbatur, ad exitum reapse pervenisse falsi cognitionem. Constabat siquidem ex facto, statim ac defunctus Eques Cajetanus Sinibaldi anno 1827 querelam de falso instituit, assumpta etiam qualitate = *di parte civile* =, sive = *di aderente al fisco* =, literam collybisticam, quae in actis mercatorii tribunalis producta reperiebatur ad tribunalis criminalis delatam fuisse. Et quamvis postea abjecerit Sinibaldius susceptam personam *di parte civile*, nihilominus obtinuisse a cl.me. Cardinali Consalvio tunc primario principatus administro, ut criminalis inquisitio procederet = *nell' intelligenza che debba soprassedersi frattanto nel giudizio civile avanti il tribunale di commercio sino all'esito del definitivo giudizio di codesto tribunale criminale* =. Atqui criminale judicium, quod quieverat spatio circiter quindecim et ultsa annorum absolutum extitit, urgente Conventato, per sententiam evulgatam die 3 Augusti 1832; qua = *il tribunale col parere anche del procuratore fiscale ad unanimità di voti ha dichiarato e dichiara non constare della falsità della firma dal Sinibaldi apposta nella controversa cambiale* =. Haec autem sententia nulli amplius subest revisioni. Nam licet ab ea reclamaverint fratres Sinibaldi, tamen Maceratense tribunal appellationum definivit, *recursum* ab ea admitti nequaquam posse, praesertim quia eorum pater et auctor, solemni in actis emissa obtestatione, susceptam qualitatem = *di parte civile* = *di aderente al fisco* = a se penitus reijciendam censuerat. Non erat igitur dubitandum, finem criminali quaestioni de falso jamdiu impositum fuisse.

Quin abesset, quod in maceratensi sententia adjectum sit, excitandum esse praesidem ejusdem anconitani tribunalis, ut judicium criminale ad exitum perducendum curaret, ad tramites jussionum = *dei dispacci della Suprema Segreteria di Stato del 24 dicembre* 1817, *e 8 aprile* 1818 =. Etenim specialia haec supremi hujus dicasterii (ad quae respexerunt maceratenses judices appellationum) amplius in pretio haberi non poterant post nuper invectas novas normas processus criminalis, ceu declaravit ex praescripto art. 748. Emus Card. Gamberini a secretis status per epistolam datam die 26 julii 1834 praesidi anconitani tribunalis: cui proinde jubebat, quod = *farà proseguire il giudizio civile nulla calcolando l'ostacolo frapposto dai detti dispacci* = atque idipsum confirmavit posteriori epistola diei 6 septembris 1834 praecipiens eidem praesuli tribunalis criminalis, ut suam interponeret auctoritatem = *perchè la cambiale venga passata coll'estratto della presente declaratoria alla Cancelleria del tribunale di commercio, perchè il ricorrente cavalier Conventati possa avanti il medesimo sperimentare nelle vie regolari le sue ragioni in giudizio civile* =.

Quae cum ita se haberent, ferendi nullo modo erant fratres Sinibaldi, dum praetextu criminalis quaestionis nondum ad exitum productae differre ulterius satagebant civile judicium per adeo diuturnum temporis spatium non sine creditoris incommodo interquiescens.

Nec melioris notae erat exceptio altera, quod nempe praesens controversia ad tribunal ordinarium esset ableganda, perinde ac si de vera collybi litera nequaquam ageretur. Nam perpendebant patres, ex inveterata consuetudine mercatorii fori non solum minime abrogata, sed imo expressim conservata juxta censuram art. 2. aedictalis legis planae diei 1 junii 1821; eas tantummodo exceptiones tertio pos-
1 sessori collybisticae literae (qui eam bona fide atque oneroso titulo aequisivit) opponi posse, quae extrinsecas tantummodo ejusdem formas respiciunt, *Ansald. de commerc. disc. n° 54 et seq.*, *Pardes-*

*sus tratt. del contratto e delle lettere di cambio part. 2 cap. 1 § 3 art. 1 n. 350, Rot. dec. litt. cambii 2 martii 1801 n. 4 cor. Gardoqui, in Perusina seu Liburnen. lit. cambial. 14 aprilis 1801 § 7 cor. Altieri, et in Bononien. lit. cambial. 10 septembris 1832 cor. Rmo De Cursiis.*

At defensores fratrum Sinibaldi duplici ex capite contendebant esse hujusce schedulae cognitionem ad ordinarium tribunal amandandam; tum quia destituta est specificatione valoris, tum quia ex art. 107 reputantur = *semplici promesse* = collybi literae, quae contineant = *supposizione di luogo, donde son tratte, o nel quale esse sono pagabili* =, quo casu ex praescripto art. 605 si reus conventus id postulat, causa ad civile judicium est rejicienda. Neutrum tamen patribus probabatur. Neque enim quidquam negocii facessebat, quod collybistica litera, de qua sermo est, dictionem praeseferat = *valuta avuta* =, non indigitata ejusdem valoris specie. Quamvis enim non desint aliqui praesertim ex gallicis auctoribus, qui existiment, generi-
cam hujusmodi mentionem satis non esse, ut scheda privilegiis collybisticae literae potiatur; attamen ex receptiori jurispru-
2 dentia est, ut generalia ea verba sufficiant, ut pro veris cambialibus literis habeantur, earumque cognitio idcirco pertineat ad extraordinarios judices de rebus mercatoriis cognoscentes. Id enim congruit quotidiano mercatorum, negociatorumque usui,
3 a quibus ut plurimum collybisticae literae, adhibita ea generica valoris mentione, solent conscribi; neque repugnat sanctioni art. 105 cod. comm. ubi praecipitur quidem,
4 ut cambiales literae continere debeant = *la valuta data in contanti, in mercanzia, in acconto, o in qualunque altra maniera* =, sed abscisse haud praescribitur, ut speciatim exprimatur, num valor acceptus fuerit in pecunia numerata, aut vero in mercibus, aut alio quolibet modo; ceu re mature discussa pluries definitum est a s. auditorio ac praecipue *in Romana literarum cambii super non resolutis 5 maji 1820 § 5 cor. Odescalchi, atque in Romana literarum cambialium super non resolutis 11 dicembris 1820 cor. Serlupi n. 5*, idemque statutum fuit *in causa Romana literarum cambii super circumscriptione et revocatione diei 1 octobris 1821 cor. Emo Gamberini*, ceu patet ex rationibus illius sententiae ab eodem promulgatae die 12 octobris ejusdem anni, ac tandem *in Bononien literarum cambii 10 septembris 1832 § 5 cor. Rmo De Cursiis decano.*

Levioris vero momenti erat, quod objiciebatur de loci suppositione perinde ac si cambialis litera, de qua disceptatur, non Pisauri, ut scriptum est, sed Auximi data sit. Quae loci suppositio juxta censuram art. 107 cod. comm. efficit, ut scheda ejusmodi neutiquam pro cambiali litera, sed pro simplici solutionis promissione habeatur. Occurrebat siquidem responsio, quod vitium hujusmodi, si revera schedae, de qua agitur, inesset, nequaquam
5 inter illa accensendum esset, quae respiciunt collybistioae literae formas exteriores, adeoque Equiti Conventato, utpote tertio possessori, qui cambialem literam bona fide acquisivit, opponi minime posset, veluti tradit *Pardessus trattat del contratto e delle letere di cambio part. 2 cap. 4 § 5 art. 1 n. 530*, sic queque *Sirey annot. al cod. di comm. art. 112 n. 8.* Caeterum licet probatum dici posset (quod uno alterove educto teste fratres Sinibaldi ostendere nitebantur), cambialem hanc literam subscriptam minime fuisse in Pisaurensi civitate, haud idcireo minus retinendum esset, agi de vera collybi litera, quum sive Pisauri, sive Auximi, ubi defunctus Eques Cajetanus Sinibaldi morabatur, scripta sit, attamen quum ejus solutio esset alibi, nempe Anconae peragenda ambigi nequaquam poterat, rem esse de vera collybi litera, cujus potissima conditio in pecunia *trajectitia* consistit. Neque vero in discrimen adduci posse videbatur, Conventatum bona fide, atque oneroso titulo, saepe memoratam literam cambialem adeptum fuisse. Constabat siquidem a Comite Gallo in satisfactionem

pecuniae sibi debitae tanquam camerali administratori eam accepisse, illique tradidisse = *il confesso di cassa* =, sive respondentem acceptilationem. Nemo autem sibi persuaserit, Conventatum, qui debitorem suum *manu regia* ad solutionem illico poterat compellere, syngrapham hanc accepturum fuisse, si exceptiones, quae modo illi objiciuntur, valuisset suspicari. Haec vero a patribus eatenus perpendebantur, ut definirent, privilegium mercatorii tribunalis Conventato denegari minime posse.

Non censuerunt autem patres de causae merito cognitionem assumere, ne litigatores sine ulla idonea ratione unius alteriusque jurisdictionis gradu privarentur. Et ita etc. utraque etc.

**R. P. D. DE RETZ**

BONONIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

*Lunae* 6 *Junii* 1836

ARGUMENTUM

Ex pluribus factorum actorumque adjunctis fuse enucleatis definitur, cui, et quae comparticipatio utilium debeatur in quadam sociali redemptura annonae militaris.

*SUMMARIUM*

1. *Causa simulandi, atque simulationis conjecturis deficientibus, actus veritas in discrimen adduci nequit*
2. *Prioribus per posteriora derogatur*
3. *Frustra praecedentes stipulationes invocantur, ubi novatio intercessit, quae eas sustulit, novasque induxit obligationes*
4. *Nil refert, si quis contractui non adstitit nec subscripsit, quando evidenter constet quod ipse apprime illum noverit, et omnino probaverit.*

DECISIO XC.

Ut primum decreto *congregationis oeconomicae* diei 1 septembris 1828 rescissus est redemptūrae contractus annonae militaris, quam Joseph Nucci, et Petrus Cartoni exercebant, poena indicta = *che tanto il Nucci, quanto il Cartoni si dichiarino inabilitati in progresso a qualunque altro appalto o contratto camerale* = Aloysius Amici alter ex praepositis rei aeconomicae militari procurandae munere tum = *di commissario* =, in praesens = *d' ispettore economico* =, qui multo ferebatur studio erga Nuccium sub die 6 ejusdem mensis scripsit gallo negociatori Bononiae commoranti Francisco Nicod-Laplanche = *la congregazione economica ha deciso che si rescindano i contratti coi fornitori del pane etc. Nucci è venuto in fretta à prevenirmi di tutto questo, non essendo ancora la cosa pubblica, ed è anche venuto all'oggetto, che io vi scrivessi, e v' incitassi, siccome faccio, a concorrere al nuovo appalto, il quale sarà combinato non per notificazione, ma a tovolino. Io non posso in questo rappresentarvi etc. Nucci soggiunge, che l'offerta potrebbe abbracciare la seconda e terza divisione per l'epoca del 1 ottobre o novembre venturo sino a tutto dicembre 1829. Per li mesi di questo anno il governo pagherebbe per conto del vecchio fornitore, avendo già in deposito una somma di qualche riguardo. Voi mi direte, a che tante premure del signor Nucci? Si signore, hanno esse uno scopo. Il signor Nucci ha molte relazioni: quindi riuscendogli co' suoi mezzi di far avere a voi la fornitura, egli si lusinga, che gli cederete la seconda divisione, ossia le Marche, se non al saggio stesso del vostro contratto, ad un altro almeno di poco inferiore* =.

Hujusmodi monitum pergratum fuit Nicodio, qui protinus epistolam misit, et procuratorias literas amico suo Peregrino Zoli in Urbe tunc degenti, ut de annonae redemptura secundae et tertiae divisionis cum fisco ageret; quique insuper ad Zolium magis magisque concitandum proposuit etiam = *ho riflettuto, che in simile affare voi potete essere un alter ego: e siccome ogni cosa deve avere il suo compenso, vi offro interessenza all' af-*

*fare, se vi converrà* = De oblata societate contentum Zolius se praebuit; imo quum quoad ipsam redempturam jam primodum convenisset cum romano negociatore Vincentio Grazioli, tertium hunc socium, ampliato contractu ad tres omnes militares divisiones, obtulit Nicodio, eique contextim significavit = *la prima divisione sarebbe da cedersi a questo signor Grazioli, la seconda da sullocarsi a Nucci giusta il suggerimento di Amici, e la terza per voi. In quanto a me c' intenderemo tutti insieme.* = Conventam societatem Nicodius comprobavit, deque ea certiorem fecit Nuccium, atque ita post constitutas contractus pactiones, quae redemptoribus utiliores visae sunt, conjunctis viribus agi caepit juxta commissarii Amici monitionem de redemptura privatim ineunda sive = *a tavolino*, = et data etiam in id instantia aerarii praefecto nomine unius Nicodii. Sed sociorum votum cessit in irritum, quippe fiscus respuit omnino privatam quamlibet stipulationem, et postridie calendas octobris annonae redempturam publicari jussit.

Hinc ex novis conditionibus, et oneribus a fisco impositis, inter quae cautio quoque accensebatur ad vim usque *scutatorum duodecim millium* publici reditus, seu = *in consolidato*, = quae pro tutando redempturae exercitio requisita est, novas opus fuit consociis statuere conventiones, primumque faedus penitus immutare. Si quidem Nicodius imposuerat cautioni praestandae: de Nuccio vero non bene sentiebat Gratiolius. Quare suum omne jus in redemptura ad tertium militum divisionem Nicodius coercuit, quam socialem affecit cum Zolio. Divisiones vero alias cessit ipsi Zolio et Gratiolio sub onere dandi integram cautionem, et subloçandae secundae divisionis Josepho Nuccio = *se si troverà convenienza o sicurezza* =. Re tali pacto inter socios composita, Zolius oblationem dedit ad universam redempturam Nicodii nomine, et postmodum ab isto bonae fidei declarationem obtinuit tum de coercito suo omni ad societatem divisionis tertiae, tum de abdicata proprietate reliquarum divisionum. Nicodii oblatio caeteras superavit; indeque integra redemptura ei adjudicata est, addita conditione obeundi periculum = *della vigesima e sesta* =. Reapse post vulgatum a fisco vigesimae experimentum multi licitatores prodierunt, qui redempturam inhiabant, quique uti voluissent deliberatarium a quolibet contractus jure detrudere, ita necessario admitti debuerunt in societatem.

Primi omnium venere Radaellius et Marinellius, qui vigesimam minitantes sublocationem poscebant secundae divisionis, quique officiis erant adjuti alterius Praefecti rei militaris aeconomicae *Emigdii Gandolfi*. Cum his igitur convenire oportuit, ut vigesimae experimentum eliminaretur: atque Zolius die 29 Novembris 1828 rescribebat Nicodio = *ho tenuto discorso con Amici in concorso di Grazioli e Nucci intorno alla seconda divisione. Ecco l'accordo fra noi seguito, per l'effettuazione del quale il nostro Amici richiama oggi le opportune facoltizzazioni da Radaelli e Marinelli* „ 1. *Il subappalto della seconda divisione verrà ceduto a quelle* (*Nucci o la ditta Radaelli*) *che assumerà di farla a minor prezzo* „ 2. *L'utile fra questo prezzo e quello di appalto cederà per metà a Grazioli, che in questa parte è meco in società, e per metà a quello dei due* (*Nucci o Radelli*) *a cui non resterà la fornitura. Grazioli in correspettività farà il deposito* „ 3 *Radaelli si renderà sicurtà solidale di Nucci, se a questo come migliore offerente verrà delibenato il subappalto, in correspettività dell' interessenza che gli si accorda sugli utili* „ 4. *Cessa ogn' intelligenza in caso che sia posta la vigesima.* Haec omnia probavit Nicodius per epistolam idiei 3 insequentis Decembris.

At Radaellio et Marinellio vix dimssis, nova adstitit licitatorum turba: *Silvestrellius*, *Brovellius*, *Valerius*, *Benuccius*, *Mannius*, *Cartonius*, qui omnes sub assuetis vigesimae minis ad redempturam admitti postulabant; cum jam immineret

dies 7 decembris, qui status a fisco fuerat iteratae auctionis periculo, etiam eum his primi redemptores Gratiolius, Zolius, et Nicodius pacisci adacti sunt. Et quoniam militaris annona in tot capita discerni non poterat, ita constituta est *duplex columna*, atque in utramque licitatores singuli divisi. Nimirum alteri ex sociis ad redempturae exercitium; alteri aciti in utilium participationem. Ex utilibus rata portio praecepta pro Nicodio, et Zolio, qua = *primi appaltatori* =; reliquum vero inter caeteros viritim divisum; indeque Nuccio non amplius quarta utilium parti secundae divisionis addici potuit; singuli vero competitores onus praestandi symbolam cautiones in se susceperunt, certa praefinita solutionis die, et indicta secus poena caducitatis. Haec summa privatae stipulationis diei 6 decembris inter socios initae, quam Zolius sub ipsa die Nicodio significavit, nuncians praecise quoad secundam divisionem *la seconda divisione è stata deliberata a certo Valeri di Ancona per quattrini* 13 95; *quindi l'utile di un quattrino ed un decimo resta diviso per metà alla suddetta colonna di Silvestrelli e compagni, e l'altra metà alla nostra colonna, che l'ha ceduta a Nucci coll'obbligo di farne parte a Marinelli* =. Et id omne non improbatum pariter a Nicodio, qui emolumentum percipiebat ex utilibus tertia divisionis.

Sed licitatores die praestituta cautionem fisco non exhibuerunt. Gratiolius igitur tanto oneri aere proprio satisfecit, ne universum redempturae jus in auras abiret. Hinc factus est locus devolutionis pacto, quod scriptum in praefata conventione diei 6 decembris, quodque reapse sancivit urbanum commercii tribunal, tum quando Silvestrellius, aliique consocii judicio egerunt, ut Gratiolium, Zoliumque compellerent ad observantiam resolutae obligationis. Gravissimum id fuit succumbentibus, qui ideo in redempturam redirent, capta occasione in dicti, et prorogati usque ad diem 30 Martii 1829 *sextae* periculi, multas turbas movere. Quod non ignoravit Nicodius, qui imo jactationibus vexatus Lauri Nucci Josephi fratris scribebat Zolio = *se non mi decido alla cessione della seconda divisione, come l'intendono essi, la sesta sarà messa al* 30 *corrente. Il ribasso de' grani riaccendè questi signori* =. Novas itaque sociales conventiones inire necesse fuit, queis lites omnes extinctae, atque iterum portiones distributae militaris redempturae. Cautum enim invicem, quod Silvestrellius sociique renunciarent pactam utilium participationem: secundae, et tertiae divisionis sublocationem assequerentur pretio paullo minori, ac in contractu diei 6 decembris convenerat: immunes fierent ab praecepta cautione; et firma ea servaretur jam praestita a Gratiolio: cederet hic stationes aliquas primae suae divisionis, nempe *la* = *fornitura della piazza di Civitavecchia, Torri, e posti dipendenti* =: ac tandem amplissimis verbis confirmatum = *in tutto ciò che la presente convenzione non cangia, resta fermo quanto è disposto nella più volte enunciata scrittura del* 6 *dicembre* 1828.

Novissima hac stipulatione licitatorum aestus tandem aliquando deferbuit; atque militaris annonae redemptura hisce pactis firmiter constituta est. Uti vero Silvestrellius, Gratiolius, Zolius, aliique omnes contractum plenissime servarunt, ita undique comprovavit Nicodius, qui per publicas etiam tabulas agnovit, sibi non aliud jus esse in societate, nisi ad utilium perceptionem ad tramites contractuum 6 decembris 1828, et 30 martii 1829. Cum namque premeretur aere alieno permulto, ita adactus postmodum est ad transferendum in alterum ex suis creditoribus Christophorum Insom = *gli utili tutti che sarò per ritirare da oggi in poi, e sino al termine del medesimo appalto dipendentemente dal contratto in Roma datato* 6 *dicembre* 1828, *e dalla transazione pure segnata in Roma il* 30 *marzo anno corrente* = Cessionem hanc probavit fiscus, probarunt redempturae consocii:

quodque gravius, probarunt etiam quot-quot erant Nicodii creditores, qui suorum nominum satisfactionem solliciti conquirentes agnoscere debuerunt, non amplius cessis juribus Nicodio superesse in redemptura annonae militaris, nil insuper sibi sperandum = *di un dieci per cento* = ex decocti debitoris patrimonio. Neque Nuccius principio respuit quidquid inter socios statutum de *appaltus* distributione, et utilibus. Sed repente mutato consilio, societati bellum indixit, et judicis officium imploravit

Nimirum vadatus est Nicodium, ut cessionem sive exequutionem contractus assequeretur = *stabilito fra l' istante ed il citato riguardante l'appalto ossia fornitura del pane per la truppa pontificia stabilita e transitante nella seconda divisione militare* =; proindeque restitutionem utilium a calendis ianuarii usque ad calendas octobris anni 1829 perceptorum ad scutata usque 685 49 8. Nicodius non restitit Nuccii postulato, et a molestiis redimi contra Zolium requisivit. Mercatores Bononiae judices post conjunctas instantias decrevere, nullum jus praesto esse = *al signor Pellegrino Zoli alla fornitura del pane alle truppe pontificie della seconda divisione militare, e perciò l'utile, che si è percetto, si percepisce, e si percepirà nella sottrazione della medesima alli signori Silvestrelli e Bravelli, doversi spettare al deliberatario signor Nicod, e per esso, così egli acconsentendo, al signor Giuseppe Nucci, onde liberarlo dalle molestie, alle quali va soggetto pel fatto arbitrario del signor Pellegrino Zoli. Dietro di che abbiamo condannato, e condanniamo lo stesso signor Zoli a pagare al signor Nucci la richiesta somma di scudi* 685 49 8 *per gli utili percetti a tutto settembre* 1829 *non che per li conseguiti ulteriormente e da conseguirsi sino allo spirare dell'appalto al signor Nicod deliberato* = . Tribunal appellationum hanc probavit sententiam, atque ita orta res judicata. Cujus vires cum in disquisitionem adducere ab signatura justitia Zolio datum fuerit, renovatum est hodie certamen *in gradu restitutionis in integrum* penes nostrum ordinem universum, patresque per me rogati rescripserunt = *Esse locum comparticipationi utilium pro quarta parte favore Josephi, et extendatur decisio* =.

Remedio restitutionis in integrum ei esse succurrendum, qui se laesum ab rejudicata fuisse demonstret, nunquam hactenus in discrimen adductum, suppetiae igitur ferri debebant Zolio, quem utraque bononiensis sententia longe a justitia aberrans ab redemptura secundae divisionis militaris in commodum Nucci, et Nicodii fecit extorrem. Impossibile est enim, ab dominio ejusdem redempturae Zolium penitus eliminare, illudque integrum addicere vel Nicodio, vel Nuccio, cum nullum de hoc dubitandi locum relinquant tot factorum circumstantiae, tot sociorum agnitiones, quodque potius, nullo concutienda cavillo, solemnis ipsius Nicodii declaratio die 24 novembris 1828, qua conceptissimis verbis professus fuit, quod = *la fornitura dovrà intendersi deliberata ed assunta per mio conto particolare ristrettivamente soltanto alla terza divisione, ed il resto, cioè li circondarii della prima e seconda divisione per conto particolare dello stesso signor Zoli, come se direttamente col governo ognuno di noi avesse separatamente stipulato e così separatamente assunta la fornitura pei rispettivi circondarii suddetti fra noi divisi* =. Donec profecto declaratio isthaec maneat incolumis, mente concipi nequit, quo pacto fieri possit, ut Zolius a redemptura secundae divisionis censeatur exclusus, utque de ea deliberatarius unus Nuccius habeatur.

Et male opponebatur, non sine dolo, et fraude extortam eam declarationem fuisse. Praeter enim quamquod nemo suum in animum inducere poterit, quod si ea declaratio fuisset simulata, adeo bardus, rerumque suarum incuriosus Nicodius fuerit, ut aliam bonae fidei syngrapham haud

reportaret, praeter quamquod nulla justa simulandi causa adducebatur, quippe quia satis superque generale mandatum *cum libera* occurrebat necessitati novas in dies conciliationes ineundi, prout immutatus rerum status exigeret: illud vehementissime urget, omnem factorum seriem controversae declarationis veritatem, et efficaciam apertissime revincere. Extat porro primaevus *tractatus* de universa redemptura acquirenda inter Gratiolium, et Zolium. Extat obligatio a Gratiolio suscepta praestandi integram cautionem scutatorum 12000, quae correspectiva fuit adeptae proprietati primae, et secundae divisionis. Extant innumerae propemodum Nicodii confessiones de cessiones secundae divisionis ab se favore Zolii expleta, sicuti colligitur ex toto sex mensium epistolarum commercio. Extant denique acta judicialia, nec non mercatorii tribunalis sententia, quae magis magisque jus redempturae quoad secundam divisionem in Zolio confirmant. Horum e conspectu simulatam declarationem fraudolenter fuisse, erit ne qui asserere valeat? Atqui ubi desit causa simulandi, ubi simulationis conjecturae desiderentur, piaculum est, actus veritatem in discrimen adducere. *Rota in Ferrarien simulationis* 29 *martii* 1824 § 5 *cor. eminentissimo Spada*, *et in Veliterna simulationis* 6 *decembris* 1834 § 9 *cor. reverendissimo P. D. meo De Cursiis.*

Veruntamen non una Nicodii scripta declaratio Zolii jus in divisione secunda constituebat. Nam quotquot stipulata, et deleta pacta toto tempore, quo stetit annonae auctio, omnia haec luculenter ostendunt, redempturam primae, et secundae divisionis unis Gratiolio, et Zolio fuisse addictam. Et vero secunda divisio primo distribuitur in contractu diei 29 novembris; atque pars nulla datur Nicodio, Nuccio autem sola sublocatio; ex quo neuter profecto *deliberatarius* secundae divisionis dici potest. Accedit contractus alter diei 6 decembris, et convento, quod praeciperentur = *centesimi* 85 *di quattrino per ogni razione a favore exclusivo delli primi deliberatari* =, praemium istud tribuitur Gratiolio, et Zolio pro prima, et secunda divisione: ut viritim distinctum inter Zolium, et Nicodium quoad tertiam divisionem. Nuccio autem pars nulla directa in contractu: nullum praemii jus concessum: haud compraehensus in prima deliberatariorum columna: bene vero cum Zolio, et Gratiolio qua primis deliberatarius obvenerit dimidium utilium secundae divisionis, istud in Nuccium et Radaellium transtulerunt ex peculiari cessione, veluti colligitur ab explanatione ipsius contractus *l'altra metà* (data est) *alla nostra colonna, che l' ha ceduta a Nucci coll'obbligo di farne parte a Marinelli* = .

Neque hic stipulationum finis. Ex Radaellii dissensu a scriptura diei 6 decembris novus cum ejus mandatario *Ceracchio* initur contractus sub die 8 ejusdem mensis, atque Zolius sibi sumpsit *a proprio conto e rischio la detta fornitura, obbligandosi di pagare alli signori Marinelli e Radaelli un mezzo quattrino di bajocco per ogni razione di pane alle truppe della suddetta seconda divisione, in correspettività della rinuncia della loro interessenza nella fornitura medesima* = . At nisi Zolius deliberatarius fuisset secundae divisionis, nisi jus habuisset percipiendi certam utilium partem, ex sua ne pecunia Radaellio, et Marinellio promisisset = *mezzo quattrino per ogni razione* =, dum aliunde his ex contractu diei 6 decembris jus fuerat vix ad quadrantem utilium = *in centesimi* 27 $^{1}/_{2}$ = ? Addantur modo literae a Marinellio, et Radaellio datae ad Nicodium per interpositam personam commissarii Gandolfi, ut initam cum Zolio stipulationem diei 8 decembris confirmaret, quibus responsum datum ab ipso Nicodio = *attesochè sussiste la cessione della seconda divisione, e che il cessionario mi ha fatto speciale obbligazione di rilevarmi da qualunque impegno e peso potesse gravitare sulla detta divisione, li signori Radaelli e Ma-*

*rinelli debbono rivolgersi al cessionario e mandatario signor Pellegrino Zoli in Roma* =.

His accedit, quod post dissolutam conventionem diei 6 decembris ob non servatum *cautionis* pactum Zolius, et Gratiolius, qua proprietarii secundae divisionis plura quoad eam constituerunt. Et primo quidem committunt Nuccio, ut *provisorium* redempturae exercitium susciperet: Atque Nuccius respondet continuo = *vi assicuro per vostra quiete, che vado oggi stesso a scrivere alla nostra casa d'Ancona, onde il servizio della fornitura militare del pane in tutta la seconda divisione venga proseguito oltre la fine del mese corrente* =. Deinde conveniunt cum Nuccio de certis legibus *sublocationis*. Tandem perentorium terminum eidem Nuccio praestituunt, intra quem vel sublocationis contractui subscriberet, vel liberum ipsis maneret divisionem secundam alteri sublocare. Atque interim Nicodius non modo sublocationis syngrapham commendavit, sed rogatus a Nuccio de ejusdem confirmatione, haec dumtaxat proferebat = *a voi dee esser noto non solo il mio mandato di procura conferito al signor Pellegrino Zoli, ma anche la cessione al medesimo dell'appalto della seconda divisione. Con i due titoli di mandatario e di cessionario il signor Pellegrino Zoli può e deve farvi riconoscere nella qualità conforme alla vostra convenzione col prelodato signor Zoli* =.

Stipulationibus vero succedunt acta judicialia. Etenim Gratiolius, et Zolius tanquam deliberatarii primae, et secundae divisionis sub die 29 decembris 1828 interpellati fuerunt a Silvestrellio, et sociis de parata pecunia ad cautionem: ipsis reapse pecunia oblata = *facendo intimare al signor Grazioli, che rimaneva a di lui disposizione il consolidato per la somma di scudi* 6000 =; ipsi in judicium vocati pro contractus exequutione quoad ea, quae de prima, et secunda divisione conventa fuerant in syngrapha diei 6 decembris: ipso sententia tribunalis mercatorii urbis plenissime confirmavit in redempturam, eosdemque redemit a futura qualibet contradictorum molestia; ipsis denique Silvestrellius, et socii depactam utilium participationem renunciarunt, suumque jus omne cohibuerunt in una sublocatione secundae, et tertiae divisiones per novissimam stipulationem diei 30 martii 1829. Si itaque literae omnes inter Nicodium, Zolium, Gandolfium, Radaellium, et Nuccium datae, et rescriptae, si initi omnes contractus, si suscepta redempturae onera, et contractae erga fiscum obligationes, si solemnis fidei bonae declaratio, si acta judicialia, si mercatorum judicum sententia lata in acri partium contradictione certissimum redempturae jus in Zolio confirmant de secunda divisione, quid absurdius, quid ineptius, quam extraneum eumdem contendere a jure quolibet secundae hujusce divisionis?

Quod si Zolius optime declarationi, caeterisque actis, contractibus, et agnitionibus innixus ostendebat redempturam divisionis secundae ad se pertinere, nec Nuccius, nec Nicodius e contra quidquam habebant, quod proferrent, ut deliberatariorum veste induti utilia illius redempturae condicerent. Reque vera ad Nuccium quod attinet, inconsulte omnino praesidium is mutuatur a quibusdam epistolis commissarii Amici, vel Nicodii, in quibus sermo generaliter incidit de secunda divisione in ipsum transferenda. In primis enim quidquid Nicodius ad tertium scribebat, nullum jus tertio absenti nec acceptanti poterat tribuere. Amicius autem nil insuper quaerebat pro Nuccio, quam sublocationem; idque iterum iterumque fassus est idem Nicodius, et praesertim in epistola diei 18 februarii, qua clamabat = *che pretende il signor Nucci? La seconda divisione. Dal suo mandatario medesimo fu proposta ossia chiesta la cessione „ se non al saggio stesso del vostro contratto, ad un altro almeno di poco inferiore „. È da considerare che dopo tale sua preposizione non ebbe luogo la trattativa di appalto a tavolino, co-*

*me lo aveva annunziato il signor Amici. Nulladimeno anche durante la trattativa di appalto ad asta sussisteva l'intenzione di cedere al signor Nucci la seconda divisione, ma in subappalto, e non mai al medesimo saggio dell'appalto. Nelle mie lettere a Radaelli e Marinelli, ad Amici e Gandolfi espressi la mia intenzione di cedere la seconda divisione, ma sempre nel senso della proposizione del signor Amici, cioè non al saggio del contratto* =.

Deinde omnes ipsius Nicodii declarationes, et scripta, nec non reliquae Zolii epistolae aperte monstrant actum dumtaxat fuisse de sublocanda secundae divisionis redemptura, quatenus de pretio, et de caeteris conditionibus convenisset; itaut dici non immerito valeat, vagam tantummodo incertamque Nuccio spem sublocationis fuisse relictam. Denique quaelibet promissio leves abiit in auras, statim ac toties variatus fuit rerum status, quoties redemptorum aestus referbuit, atque novis licitatoribus superventis, novas quoque inire pactiones oportuit, quae vel Nuccio non ignotae, quibusque vel ipsemet
2 Nuccius accessit. Vulgatum autem est prioribus per posteriora derogari; et futile habetur praecedentibus stipulationibus insistere, ubi novatio intercesserit, quae il-
3 lius penitus sustulit, novasque induxit obligationes *text. in leg.* 1 *ff. de novat*; *et in leg. si homines* 19 *ff. de usucap.*, *Maur. de fidejuss. part.* 2 *sect.* 10 § 4, *Altograd. cons.* 32 *n.* 1 *lib.* 1 *Menoch. de praesumpt.* 12 *n.* 90, *et Rota in rec. part.* 18 *dec.* 213 *n.* 3, *decis.* 2014 *n.* 3 *cor. Coccino*, *dec.* 394 *n.* 6 *cor. Emerix Jun.*, *dec.* 669 *n.* 4 *cor. Molines*, *et dec.* 188 *n.* 8 *cor. Riminaldo.*

Excluso Nuccio, facilius etiam Nicodius a quolibet sociali jure removetur singulae namque ipsius literae coercitam ejus proprietatem ostendunt ad societatem una cum Zolio super tertia dumtaxat militari divisione. Et prae primis saepe dicta declaratio bonae fidei, a qua nefas ei est resilire, et per quam fatetur aperte = *Che quantunque la fornitura di pane alle truppe in tutto lo Stato Pontificio sia stata a me dal governo deliberata sull' istanza presentata a mio nome li 2 novembre corrente etc. la fornitura stessa dovrà intendersi deliberata, ed assunta per mio conto particolare ristrettivamente soltanto alla terza divisione* =. Rursus solemnis stipulatio diei 6 decembris, quae cum communicata fuerit a Zolio in verba = *la terza divisione è stata deliberata allo stesso Valeri etc., perciò la nostra interessenza si compone in tutto di centesimi 76 1/4 di quattrino per ogni razione di pane nella terza divisione senz'alcun vostro impegno di cauzione, ed anticipazione di fondi* = rescripsit subito Nicodius = *vedo quanto avete fatto, e convenuto con diversi concorrenti all'asta di vigesima*; *approvo il vostro operato* =. Similiter et postrema stipulatio diei 30 martii insequentis anni, quae pariter non ignota Nicodio.

Quid vero quod solemnes ejusmodi conventiones ipsemet Nicodius exequutioni commisit, atque ad eorum normam de utilibus tantum sue tertiae divisionis disposuit? Quandoquidem cum inclinata fortuna a suis creditoribus vexaretur, assentiente fisco, et plaudentibus consociis, Christophoro Insom cepit quidquid ab hac divisione ei obvenire poterat; cumque reliqui creditores post declaratam ejus decoctionem, unde solverentur anxii perquirerent, fateri vel inviti debuerunt = *che nella parte attiva dello stato suddetto* (Nicodii) *non si rileva alcuna partita di credito per utili verificati o sperabili nell'impresa generale del pane alla truppa pontificia in tutto lo Stato cantante in nome di esso signor Nicod, nè alcuna azione di sua interessenza nell'impresa stessa* =. Tot igitur monumenta, tot facta, tot agnitiones quamlibet omnino dubitationem dispellunt quoad qualitatem Nicodii in redemptura; ac propterea satis superque evincunt, rem judicatam bononiensem, quae principem decidendi rationem posuit in asserta Nicodii proprie-

tate secundae divisionis, ob ejus injustitiam nullo pacto posse consistere.

Sed quamvis res ista judicata collabesceret, quia neque Nuccius, neque Nicodius deliberatarii fuerunt annonae militaris; attamen patres rati sunt, Nicodium excludi non debere a conparticipatione utilium pro quarta parte. Controvertia enim vacat, ipsum compraehensum fuisse in contractu diei 6 decembris, veluti non modo constat ex pluribus documentis in id adductis, sed patet etiam ex epistola ab Zolio missa sub eodem die ad Nicodium; in qua conclusum inter contrahentes fuisse profitetur, ut dimidium utilium secundae divisionis Nuccio addiceretur = *con obbligo di farne parte a Marinelli* =; quo posito evidentissimum manet, Nuccium ad hanc utilium medietatem jus acquisivisse, sub conditione tamen de ea participem reddendi Marinellium; cumque Marinellius posteriori contractu diei 8 Decembris suam symbolam transtulerit in Zolium sub certo emolumento = *di mezzo quattrino per ogni razione di pane* =, sequitur profecto Nuccium quartae utilium parte secundae divisionis perfrui omnino debere.

Quin implicet, quod Nuccius non subscripserit conventioni diei 6 decembris ad hoc, ut inferatur, ei jus esse ad integra utilia. Ideo enim stipulationi huic non adstitit, quia perpetuo prohibitus a publica quavis redemptura ex solemni fisci iudicio, at omnia ipsum bene novisse, de omnibus certiorem fuisse factum, omniaque probasse, patet luculentissime ex cunctis documentis hinc inde prolatis; atque ubi caetera desiderarentur, praesto esset ejusdem Nuccii confessio, qui socialem illum contractum diei 6 decembris iisdem fere verbis Lauro fratri denunciavit, quibus Zolius scripserat ad Nicodium = *In somma si è concluso, che prelevata una tangente a favore dei primi interessati in virtù della prelazione che avrebbero avuta in caso di sopravvenienza di vigesima, ed altre migliorie, si è formata del resto una interessenza generale formata in due colonne, rappresentata la prima dal signor Nicod e Zoli, e l'altra da Silvestrelli e Brovelli. Ognuna di queste colonne ha poi i suoi associati, cioè con quella di Nicod e Zoli s' intendono compresi Radaelli e compagno, e Nucci, di modo che per questa parte si trovano contemplati con me, e sono a parte degli utili che risultano dalla miglioria fatta nei particolari incanti, che sono stati aperti, e conclusi in un particolare congresso tenuto fra tutti gl' interessati e concorrenti* =. Aut haec monumenta delenda, aut necessario admittendum, non aliam Nuccio quotam fuisse in redemptura, nisi pro quarta utilium parte secundae divisionis.

Et ita, patribus omnibus suffragium ferentibus, in acri litigatorum pugna decisum est.

**R. P. D. ZACCHIA**

FERRARIEN. SOCIETATIS

*Veneris* 22 *julii* 1836

ARGUMENTUM

Ad instar locationis conductionis contractus, societas etiam post elapsum tempus, pro que inita fuit, progreditur, si negotium sociale cura, pecunia, et nomine sociali adhuc regatur. Pactum ad quodcumque tempus indefinite conceptum valet, et servandum est, quocumque tempore id contigerit, quod promissum fuit.

*SUMMARIUM*

1. *Durante societate nulli socio fas est sibi uni sociale negocium exclusis aliis addicere.*
2. *Finito conductionis tempore, conductio renovata intelligitur si in ea conductor permanserit.*
3. *Ita pariter etiam post emensum tempus in contractu praefinitum durat societas, si negotium sociale cura, pecunia, et nomine sociali adhuc regatur.*
4. *Quoties non uniformis sit fructuum perceptio, conductio tacite ad id tempus*

*protrahitur, quo liceat conductori cujuscumque generis fructus e re conducta colligere.*

5. *Socius pro societate contrahens socios alios obligat.*
6. *Contractus legitime constitutus haud resolvitur facto perturbatorum publicae pacis.*
7. *Renunciatio eo sensu accipienda est, quo minus renuncianti praejudicet.*
8. *Pactum ad quodcumque futurum tempus indefinite conceptum valet, servarique debet quocumque tempore id contigerit quod promissum uit.*
9. *Hinc in specie redemptionis fiscalis reditus pactum inter plures intum, ut quandocumque ab altero ex iis contractus cum fisco iniatur, socialis fiat cum omnibus, omnino probatur,*
10. *Societas, quae est contractus nominatus, ob inadimplementum pactorum haud resolvitur.*
11. *Constituta societate omnes subalterni contractus ipso jure communes fiunt inter socios.*

## Decisio XCI.

Quae in paludosis vallibus civitati Comacli adjacentibus ingens anguillarum praesertim piscatio bis in anno opportuno opere antea parata fit, quaeque nomen haurit = *stabilimento delle valli di Comacchio* =, quia accolarum praecipuam constituit industriam; ejus piscationis administrationem, ac conductionem, nec non negociationem piscis, quam suppeditant paludes Mesulae anni 1830 curriculo fratres Galeatius et Vincentius Comites Massari, Joannes Baptista Grazioli, ac Joseph Barilari sociali nomine die 8 martii ejusdem anni 1830 ab R. P. D. Thesaurario uti illorum redituum tutore impetrarunt. Convenerunt inde socii per apocham diei 18 ejusdem mensi martii, ut negocium Massarii regerent, quippe qui Ferrariae (civitas Comaclo proxima) morantes administrandae rei propriores essent: itemque inter caetera sese pacto alligarunt = *che qualunque contratto relativo allo stabilimento di Comacchio e Mesola venisse proposto dalla R. C. Apostolica o procurato da uno di essi non potrà questi escludere gli altri, che dovranno essere interpellati* =. Elapso anno 1830 initi contractus praestituto termino, pergebat adhuc societas, et melioribus conditionibus eadem refruendi socii spe depulsi, veterem contractum ad totum annum jam incoeptum 1831 prorogari obtinuerunt.

Mox in Ferrariae, Bononiae, et Emiliae nonnullis locis contra publicum ordinem nequissimorum hominum manu seditione concitata, vallium administrationem ab novo tumultuario regimine occupari fratres Massari haud obstiterunt. Quin imo cum paullo post, seditione compressa, pristinum legitimum imperium Deo dante esset restitutum, iterum eam administrationem suscipere fratres detrectarunt. Hoc sentiens R. P. D. Thesaurarius innuit ferrariensi provinciae praesidi, ut Massarios ad illud cogeret. Ii interea satagebant clanculam novam conventionem conciliare, sibi blandientes ita socios alios a negocio submovere. Justas protulit querelas Gratiolius, fratribus commemorans ob datam in sociali apocha fidem ipsis haud licere novum contractum exclusis aliis sociis perficere. At nihilominus die 4 maii anni 1831 syngrapham cum praeside ferrariensi provinciae thesaurii placito probatam fratres Massarii peculiari suo nomine sunt stipulati, qua syngrapha iisdem legibus (si excipias utiliorem administratoribus quamdam immutationem), quibus praecedenti anno 1830 fratres, et socii fuerunt assequuti vallium conductionem, haec fratribus ipsis pro eo anno 1821 tribuitur.

Post haec cum socios alios reapse ab negocio extorres facere Massarii authumarent, contra ipsos illico protestatus est Gratiolius, sese de administrationis forma per eam syngrapham conventa velle esse participem, exhibens pecuniae caput pro sua symbola si immittendum foret: compulit dein fratres coram tribunali commercii Ferrariae postulans pronunciari = *dovere lo stesso attore associarsi, ed aversi per associato per tutti e singoli*

*i relativi effetti di ragione all'amministrazione dello stabilimento delle valli di Comacchio, e di Mesola per il corrente anno* 1831 *dal suo principio fino al fine e giusta il contratto stabilito e conchiuso dalli mentovati signori Conti Massari con adesione della Rev. Camera Apostolica di Roma mediante apoca del* 4 *maggio dell' anno corrente* 1831 =. Instantiam excepit illud tribunal, rejecit sed vero appellationum bononiensis Aula, servata Gratiolio actione ab reis conventis assequendi = *il quanti interest per ogni loro mancanza al patto stesso convenuto fra li medesimi, e il signor Grazioli nella scrittura* 18 *Marzo* 1830 =. Sic ob judiciorum discrepantiam contentio ad s. ordinem conscendit, quae de more per memoriale a me proposita, responso dirempta est = *constare de societate in contractu diei* 4 *maij* 1831, *et extendatur decisio* =.

Nulli sociorum fas esse durante societate sibi uni sociale negocium exclusis aliis addicere, non modo cavetur apertissima
1 juris censura *in leg.* 66 *ff. pro socio*, ibidemque passim doctorum et tribunalium sententia. *Decium resp.* 39 *n.* 10 *tom.* 1, *Schneidevin. inst. tit. de societ.* § *illud n.* 3, *Gratian. discept. forens. cap.* 243 *n.* 44, *Michalor. de fratribus part.* 2 *cap.* 7 *n.* 14, *Zach. de societ. part.* 2 *cap.* 5 *n.* 5 *et seqq. et cap.* 6 *n.* 122, *Rota in Anconitana societatis* 9 *martii* 1807 *n.* 4 *et in confirmatoria diei* 19 *junii ejusdem anni n.* 2 *cor. Bardaxi*, verum etiam bona fides et naturalis ratio jam primum illud innuerat. Temere igitur visi sunt fratres Massari obsistere Gratiolio, dum is ad effectus administrationis vallium anno 1831 gestae associari postulabat.

Quod autem eo anno 1831 in administratione Massariis socius esset actor luculentissime constabat. Quamvis enim Massarii, Gratiolius, et Barilarius pro anni 1830 spatio administrationem vallium sociali nomine suscipere convenissent, negari tamen haud poterat ad sequentem annum eodem nomine administrationem perrexisse. Perrexerat primo negocii indole. Siquidem contractus, quem socii cum R. P. D. Thesaurario confecerant, locationis conductionis erat. Si reapse polliciti sunt = *di assumere l'amministrazione e conduzione dello stabilimento delle valli di Comacchio* =; eorumdem sociorum cura, et sumptu omne erat parandum, quod piscationi perficiendae, et ipsius commercio necessarium foret; ipsis autem vicissim praefinita norma correspectivum erat percipiendum ex piscationis reditu.

Cum itaque notum sit *ex leg.* 14 § 5 *ff. locati, et leg.* 17 *cod. eod.*, finito con-
2 ductionis tempore eam renovatam intelligi, si in ipsa conductores permanserint, non minus quam instar conductionis perdurare societatem, etiam emenso tempore, quo
3 fuit contracta, si negocium sociale sociali cura, pecunia, ac nomine regatur adhuc *Rom. cons.* 54 *n.* 3 *Castren. cons.* 73 *vers. habeat ergo lib.* 1 *Dec. cons.* 213 *n.* 10 *Jason. cons.* 33 *in fin. lib.* 3 *Paris. cons.* 82 *n.* 35 *lib.* 1 *Menoch. cons.* 121 *n.* 72, *et praesumpt.* 57 *n.* 2 *Mant. tit.* 26 *n.* 4 *Felin. cap.* 41 *n.* 3 *Michalor. de fratr. part.* 2 *cap.* 41 *n.* 9 *et seq. cap.* 42 *n.* 10 *Casareg. de comm. disc.* 144 *n.* 28 *et Rota in dec.* 203 *n.* 6 *coram Tanara, dec.* 1 *n.* 10 *tit. de societate cor. Falconerio*: hinc sicuti elapso jam anno 1830 (in contractu statuto termino) ab conductione vallium socii non recesserunt, eamque sociali ratione, sciente, et patiente R. P. D. Thesaurario, curare fuerunt prosequuti, ita eos in conductione, et societate mansisse judicandum erat. Istam autem socialem conductionem semel jam novo incoepto anno 1831 protractam pro integro hoc saltem anno debuisse persistere ultro prostabat. Nam quid pro piscatione paranda socii ex conductionis pacto impendere tenebantur, non certa periodo erat praestandum, sicuti non aequum singulis anni partibus pro eorum industria, et cura socii referebant compendium; sed generatim ipsi expensas omnes subire debebant, et generatim sibi fuerant stipulati redintegrationem aleaeque premium super reditu duarum piscationum, quarum unam quadragesimae, alteram autumni tempore perficere tantum fas erat.

itaque ab anni initio ad utramque piscationem jus sociis fuisse quaesitum (cum autumnalis piscatio ad anni exitum redeat) proindeque ad illum integrum annum 1831 conductionem fuisse prorogatam dicere oportebat: veluti quoties non uniformis
4 sit fructuum perceptio, ad id tempus, quo licebat conductori cujuscumque generis fructus e re conducta colligere tacite conductionem protrahi recte monent *Mantic. de tacit. et amb. lib.* 5 *tit.* 15 *n.* 4 *et Pacion. de locat. et conduct. cap.* 64 *n.* 47.

Quod si de tacita ista contractus renovatione pro anni 1831 vallium administratione dubitatio aliqua adhuc excitari potuisset, rem tamen prorsus conficiebat, quod in themate expressa ejusdem contractus sociorum confirmatio intercesserat. Incontroversum namque erat, socios vota ante exitum anni 1830 porrexisse, ut administrationis contractus renovaretur. Et fratres Massarii Gratiolio immissum in societatem caput repetenti restituere detrectaverant, Gratiolii fratri literas dantes = *il fratello in contrario dal voler cessare dall'amministrazione parlò, ed ora ha scritto in modo per continuare nella medesima* =. Vota autem fuisse excepta evincebatur gravissimo R. P. D. Thesauri testimonio, quo Gratiolio signìficabat, sese jusisse recolere = *la relativa posizione, da cui risulta che fin dal* 27 *gennaro corrente anno Ella domandò se per parte della R. C. A. intendevasi di continuare nell'amministrazione nella forma del precedente esercizio, alla qual cosa fu risposto affermativamente* =. Nec erat ambigendum de expressa hac renovatione participes quidem fuisse Massarios. Non modo enim juris principium suppetebat, socium pro societate contrahentem socios alios obligare, ceu innu-
5 meris omissis expendit *cit. dec. Anconitana societatis* 9 *martii* 1807 *n.* 4 *cor. Bardaxi*, verum etiam praesto erat explicitum Massariorum mandatum pro contractus renovatione. Ipsi scilicet Gratiolio die 1 februarii scripserant = *Noi colla presente lo facoltizziamo per parte nostra ad interpellare la tesoreria; ed anche se occorre in iscritto, per combinare, se non è possibile a migliori condizioni, la proroga dell'attuale amministrazione provvisoria ancora per il corrente anno* 1831 =. Quin Massarii proficerent arguendo mandatum hocce effectu caruisse, ex quo nondum ad Gratiolium mandato pervento, erupisset in provinciis rebellio, et administratio fuisset occupata. Quoniam antequam Massarii mandatum signassent, jam obtinuerat renovatio, ceu R. P. D. Thesaurarius testatur, quamobrem mandatum illud in ratihabitionem convertitur, quae caeteroquin sicuti quidem mandatum ex super enunciato juris principio tuto poterat praeteriri. Quapropter eo propudiosius Massarii erga Gratiolium sese gerebant, dum cum ipso non modo per tacitam, verum etiam per expressam administrationis contractus renovationem alligati, nihilominus eum extorrem facere ab ejusdem contractus emolumento niterentur.

Audiri porro minime poterant, cum thesaurarii testimonio fidem detrahere studerent. Omisso enim quod indignum sit suspicari, magistratum tam insigni dignitate praestantem voluisse privatorum utilitati dictum suum accommodare, illius testimonii veritatem facta tum praecedentia, tum consequentia luculentissime demonstrabant. Quandoquidem alter ex fratribus Massariis ante diem 27 januarii (qua die revocatum fuisse contractum Thesaurarii testimonium indigitat) praecedenti epistolio a Gratiolii fratre misso literis respondit sese per illud epistolium accepisse = *che è stato risoluto di continuare nell'attuale provvisoria amministrazione* =. Sic mandatum procurae pro assensu renovationi praestando datum a Massariis innuebat, rem fuisse conciliatam. Tandem expresse de renovatione fuisse conventam veluti R. P. D. Thesaurarius testatus fuerat, ostendebat ipsius Thesaurariia ante testimonii editionem jam pridem panditum consilium, cum accepisset Massarios ab administratione recessisse. Significavit nam-

que ferrariensis provinciae praesidi, Massarios ad desertam administrationem iterum suscipiendam cogi posse, statim ac ab anni initio, ut illa protraheretur, obtinuissent.

Constito igitur januario mense anni 1831 tam tacitam, quam expressam contractus de vallium administratione renovationem sociali nomine intercessisse, inutili prorsus studio fratres Massarii praetexebant, administrationem eodem sociali nomine regi desiisse, ex quo seditionis tempore illa a rebellibus fuisset usurpata; ac dein legitimo imperio restaurato, a ferrariensis provinciae praeside novi administratores fuissent nominati. Etenim investigatione omissa, num necessitate temporum coacti, vel potius ultro administrationem, cui praeerant, concitata seditione, fratres dimiserint, nemo ullus non intelligit, con-
6 tractum legitime constitutum publicae pacis perturbatorum facto haud resolvi. Nec item officiebat, novos administratores a provinciae praeside, seditione compressa, fuisse designatos, quoniam nec praesidi ista jurisdictio erat, quum vallium administrationem Ærarii praefectus tueatur, atque ab hujusmodi nominatione profecto obtinuissent, si Massarii ipsum praesidem certiorassent de jam existenti contractu.

Ita quidem vel minimum facessere visum est epistolam, qua Gratiolius post illegitimam administrationis occupationem sibi debitas pecuniae summas poscens addebat = *ora che l'amministrazione delle valli è finita* = sicuti enim id scribi potuit juxta luctuosas rebellionis circumstantias, quae tunc obtinebant; ita extendi non valebat, perinde ac si Gratiolius generatim ac absolute administrationi renunciasset: renunciationem enim eo sensu esse accipiendam, quominus renuncianti prae-
7 judicet vulgatum in jure est. Reapse autem iis verbis Gratiolium intelligere voluisse, ideo administrationem fuisse resolutam, solummodo quatenus illegitimum regimen illam detineret, satis demonstrabat tempus, quo litera data fuit, demonstrabant Gratiolii frequentes protestationes, restituto publico ordine, ad fratres Massarios missae, quibus sese in administratione perseverare velle nunciabat. De quo quidem demum administrationi Gratiolium per illam epistolam haud valedixisse, ipsi fratres Massarii testes erant, qui postquam legitimum imperium redierat, administrationis rationum redditionem edere recusaverant causantes, litera ad Gratiolium missa, quatenus Thesaurarius ad administrationem pro anno 1831 curandam ipsos adigeret, Gratiolium quidem esse debuisse consocium. Tandem quod Massarii alium apocham die 4 maii ejus anni 1831 super vallium administratione cum R. P. D. Thesaurario exarassent, profecto minime ostendebat, haud prorogatum fuisse contractum, quem socii pro praecedenti anno 1830 de vallium administratione stipulati fuerant. Illa quippe apocha uti nova administrationis conventio haberi nequibat, sed potius per illam jam existentis contractus modificationis nonnullas inductas esse censendum erat. Iisdem quippe pactis retentis quidquam convenit, quod substantiam contractus haud respiciens vertebat potius in administratorum utilitatem.

Caeterum diffugium nullum Massariis esse poterat. Nam etiamsi concederetur, adveniente anno 1831 societatem pro vallium administratione praecedentis anni 1830 coitam evanuisse; itemque non modificationem existentis contractus, sed novam conventionem apocha 4 Maji fuisse conciliatam, ac ipsis administrationem pro anno 1831 vi ejus apocae fuisse concreditam, nihilominus injuste Gratiolium ab hac nova administratione repellere conabantur. Quandoquidem in contrahenda, societate anno 1830 socii vicissim promiserunt = *che qualunque contratto relativo allo stabilimento di Comachio e Mesola venisse poposto dalla R. C. A. o procurato da uno di essi, non potrà questi escludere gli altri, che dovranno essere interpellati* = .

Ab hujusmodi pacti vinculo ut sese expedirent Massarii, aggerebant pactum il-

lud referendum esse ad contractus, quos socii, durante societate, efficere voluissent. Sed intelligere haud datum erat, quomodo effraeni pacti ad quodcumque tempus concepti vis cohiberetur ad tempus, quo perduraret societas. Quin ipsis valeret, idem pactum aut de iniquitate, aut de nullitate arguere; nam apud omnes constitit, ejusmodi pacto rite posse interponi,
8 effectumque exerere quocumque tempore contigerit, quod nullo temporis praescripto limite promissum sit, ceu docet *Pothier tratt. delle obblig.* § 209 *Merlin. in repert. della giurisprud. art. condit.* § 2 *pag.* 712 *et rota cor. Molines dec.* 704 *n.* 14 *in Albanen. donationis* 2 *aprilis* 1759 *n.* 4 *cor. Bussi in Romana seu Maceraten ejusdem diei cor. Elephantutio n.* 6, et in simili specie de redemptione fiscalis redi-
9 tus de pacto iisdem fere verbis inito affabre firmavit idem s. ordo *in Romana societatis in re commerciali die* 1 *junii* 1832 § 7 *cor. Reverendissimo P. D. Decano* nunc Emo Spada. Injustius autem Massarii denegabant Gratiolio compendium ejus negocii, quod continuo finita (juxta ipsorum sententiam) prima societate confecerant, proindeque locus haud esse poterat querelis de pacti tanquam indefiniti gravamine, ceu monet *cit. dec. Romana societatis* § 8 *cor. Eminentissimo Spada.* Nullius autem praesidii esse poterat, si Massarii probassent, pro nova administratione Gratiolium pecuniae caput conferre destitisse. Id namque primum in facto corruebat, cum Gratiolius protestatus fuerit, sese in socialis capitis causam apud Massarios relinquere quidquid sibi debebatur ex lucris anni 1830, ac dein alias pecuniae summas promptas habere: rursus etsi nihil obtulisset, tamen a societate repelli nequibat, cum societatem, quae contractus nominatus est, ob inadimplemen-
10 tum pactorum haud resolvi tralatitium sit.

Nec demum congruentior erat interpretatio pacti ab eorum oratore insinuata (a qua quidem ut abstineret Massarios jussisse ingenue ipse orator profitebatur), scilicet amplissimum pactum illud subalternos contractus, qui fuissent durante societate anni 1830 initi, respexisse. Nam animadvertendum vix occurrebat, interpretationem prorsus haud esse admittendam, quam respuebant ipsi, qui pepigerant. Praeterea ad subalternos contractus referri omnino pactum non poterat, cum
11 semel ac societas contracta fuerat, omnes subalterni contractus communes sponte sua erant, quin ut id caveretur pacto opus fuisset.

Undique idcirco re perspecta, uno dilemmate res omnis conficiebatur: aut enim super vallium administratione durabat societas praecedenti anno inita, cum apocha diei 4 maii 1831 fuit exarata, et Massarii injuste ab administratione illius anni socios arcere studebant: aut societas jam ad eamdem diem 4 maii desierat, et iidem Massarii adversus pacti fidem agebant, cum sibi unis negocium asserebant.

Atque ita etc. utraque etc.

**R. P. D. ALBERGHINI**

ROMANA CESSIONIS

*Veneris* 1 *decembris* 1837

ARGUMENTUM

Cum cessio indubias exigat probationes, prorsus excluditur ex pluribus tum in facto, tum in jure adductis argumentis, quibus demonstratur, eam nec simplicis tractatus fines excessisse, nec unquam mutuo contrahentium consensu transiise in absolutum contractum.

*SUMMARIUM*

1. *Perfectus censeri nequit contractus antequam simul constet consensum intercessisse, quoad modum, et conditiones, quae ad ejusdem contractus substantiam pertinent.*
2. *In cessione nominum conditio de suscipienda obligatione quoad eorum quantitatem, et existentiam ad ejusdem ineundae cessionis substantiam pertinet.*
3. *Hinc deficiente consensu quoad hanc substantialem conditionem, quae suapte natura incertum reddit tum consensum*

*ipsum tum cessionis pretium, contractus numquam perfectus esse potest.*

4. *Testis ejus servitio addictus pro quo deponit suspectissimus est.*
5. *Item testis ad litis opportunitatem conquisitus.*
6. *Monumentorum traditio ab socio facta alteri socio post finitam societatem nil per se valet ad probandam cessionem nominum socialium.*
7. *Imo eam excludit, si constet non omnia horum nominum monumento tradita fuisse.*
8. *Itemque si adsertus cedens socialibus nominibus exigendis post cessionis tractatum vacaverit vidente, et probante altero socio.*
9. *Satis est reo convento vincere per non jus actoris.*
10. *Cessio concludentes exigit probationes, et in quavis dubietate contra eam pronunciandum est.*
11. *Testis etiam unicus, gravissimus habeatur, quando facta ejus depositionem confirmant.*
12. *Quilibet ex sociis in solidum agere potest adversus debitores ad socialia nomina condicenda.*

## DECISIO XCII.

Quae inter Antonium Bolasco, et Cajetanum Cesari contracta fuit societas super binis salsamentariis tabernis in urbe positis in foro S. Eustachii, et in via nuncupata = *dei fiorari* =, postquam per sexdecim annos viguit, ac prospere cessit, mutuo demum sociorum consensu dissoluta est volvente aprili mense superioris anni 1836 inita autem ex aequo et bono socialium rerum divisione, quum ingens nominum quantitas reliqua fuisset de hac quoque dividenda actum fuit. At quoniam propter variam incertamque nominum indolem, aeque fieri divisio nequibat, necessarium visum est duorum alterum seligere, nimirum vel nomina ipsa ita in commune servare, ut ab utroque socio condici, ac redigenda pecuna dividi deinceps posset, vel ea universa in alterum ex sociis transferre cessionis ope. Postremum hoc placuit, forte quia nihil ex sociali re indivisum tali pacto superfuisset. Intererat porro Antonii, cui salsamentariae tabernae restitutae in divisione fuerant, ut debitorum nomina sibi cederentur. Nec cessione alienum se praebuit Cajetanus; qui imo quum res pertractari caepisset, suam nominum partem se cessurum proposuit pretio scutorum mille dumtaxat, dummodo tamen cessio facta habetur = *per un sacco d'ossa* =, neque ulla sibi molestia inferri unquam posset. Sed quamvis propositio hujusmodi haud displicuisset Antonio, qui desiderare solummodo visus est, ut Cajetanus teneretur necessarias notiones praebere ad nomina exigenda, utque iuduciae quadrimestres praefinirentur ad pretium vel in mercibus vel in pecunia numerandum, non tamen cessio absoluta extitit; quippe convenit ut re maturius deliberata contractus conditiones invicem statuerentur; simulque mandatum datum est cuidam Angelo Figari, qui scribae munere apud socios fungebatur, ut socialium nominum *notulam* exararet, quae cessionis ineundae fundamentum constitueret.

Hujusmodi notulae, quae tot nomina exhibebat ad vim usque scutorum 9059. 34, duplex statim exemplum exaratum fuit, atque unum recepit Antonius. In hoc tamen quum nondum cessio perfecta esset, relictae in albo extitere et dies et subscriptio. Postea traditae invicem fuerunt primae cessionis contrahendae perscriptiones, atque in ea, quam Antonius ad Cajetanum misit, haec verba adjecta erant = *questa è la nostra minuta, che ho dame fatta: intanto ve la mando, perchè possiate vederla, riserbandomi però anche io di farla considerare, non avendolo potuto fare per ristrettezza di tempo* = tum vero patuit gravissimum adesse dissensum quoad mutuas cessionis conditiones. Dum enim in perscriptione a Cajetano exarata dictum erat, ideo nominum cessionem fieri pro summa dumtaxet scutorum mille = *in quantochè il signor Cesari ha dichiarato di non voler essere responsabile dell'evento tanto dell'esigenza dei medesimi cre-*

*diti, quanto della quantità delle somme descritte ed accusate, e ciò per averli ceduti per un sacco d'ossa, e perchè non si è tenuta scritturazione regolare nei due negozii, mentre potria darsi il caso aver ricevuti degli acconti, e non averli diminuiti nella totalità dei crediti stessi* =, contra in perscriptione altera, quam Antonius exaraverat, legebatur, scutorum millium quantitatem dari = *per la metà de' crediti che spetterebbe al detto signor Cesari, delli quali il signor Cesari si obbliga la sussistenza* =.

Protinus hinc reprobavit Cajetanus hanc de nominum quantitate conditionem, quae forte eo rem adducere poterat, ut ipse cessionis pretium aut ex parte, aut etiam in totum ammitteret, si ex nominibus cessis aliqua vel jam extincta, vel perperam adnotata postmodum reperta essent. Quumque inutiliter Antonius tentasset illum a proposito avocare, tractatus universus contrahendae cessionis evanuit ob partium dissensum quoad substantialem conditionem de nominum existentia, et propterea neque notulae subscriptae, neque nomina data contractui Sic autem cessione infecta nil aliud supererat, nisi ambo socii nominibus condicendis operam darent, exactamque pecuniam inter se dividerent. Hanc ob rem Cajetanus nonnullas cambiales literas, aliasque debitorum syncraphas tradidit Antonio, reliquas vero apud se retinuit, secumque asportavit una cum socialibus libris, ex quibus alia nominum quantitas scatebat. Uterque deinde nominibus condicendis adlaboravit, atque ita tres menses cum dimidio praeterierunt Quo quidem temporis spatio adeo diligentia sua valuit Cajetanus, ut partim gratiose, partim judicialiter tot socialia nomina exigere potuerit ad vim usque scutorum 874 82. Id tamen ut vidit Antonius, agnoscens socialium nominum quantitatem et exactionem non adeo incertam esse, ut primum crediderat, consilium inivit de eorum cessione sibi vindicanda, perinde ac si revera contracta fuisset. Itaque sub die 13 augusti 1836 judicium extemplo instituit apud eos, qui de re mercatoria in urbe jus dicunt, postulans, ut praevia inhibitione ad socialia nomina exigenda, terminus Cajetano praestitueretur ad stipulandum cessionis instrumentum. Mox vero sub die 26 ejusdem mensis institit, ut ad liquidum perduceretur quidquid Cajetanus vel in mercibus vel in pecunia receperat.

Perculsus re subita Cajetanus statim reconventionali libello petiit, ut exhibita per Antonium notula mercium traditarum ad pretium recipiendum adigeretur, simulque protestationem edidit, qua perfectam cessionem mordicus denegavit. Acta tamen causa Mercatorii judices decreverunt praestituendum esse = *ad ambe le parti il termine di giorni quindici a stipulare l'istromento di società e cessione dei crediti alla medesima relativi a favore del Bolasco per la convenuta somma di scudi* 1000 *da pagarsi in contante oltre li cinquecento di già ritenuti dal Cesari, da cui furono incassati con gli altri patti e condizioni, che si trovano concordi in ambedue le minute, dichiarandosi in quella parte riguardante la garanzia del Cesari per i crediti ceduti, che il medesimo debba essere soltanto responsabile dell' esistnenza e realtà a forma della nota del computista sociale senza mai garantire la riscossione e solvibilità dei debitori, e che sul totale ammontare della nota istessa, qualora nella liquidazione che sarà per farsi dal Bolasco coi singoli creditori risultassero delle diminuzioni per pagamenti non attergati, per errori, equivoci, od altre simili cause non possa ripeterne il Bolasco alcun reintegro, buonificio, o compenso fino alla concorrenza di un quattro per cento sulla complessiva somma della nota istessa* = Netrui placuit hujusmodi sententia: sed magis displicuit Cajetano, qui ab ea provocavit ad sacrum auditorium. Cumque ego hodie quaestionem Patribus proposuerim dirimendam, responsum incunctanter accepi = *non constare de cessione nominum socialium, nec esse locum stipu-*

*lationi instrumenti et inhibitioni, et extendatur decisio* =.

Non enim locus esse poterat instrumenti stipulationi atque inhibitioni, quum nullimode cessio nominum probata maneret. Re quidem vera sedulo perspecta universa rei gestae serie, licet haud dubitandum videretur, quin de perficienda socialium nominum cessione Antonius Bolasco et Cajetanus Cesari propositum iniverint, resque eos inter progressa adeo fuerit, ut conclusioni proxime accesserit, aeque tamen certum indubiumque apparebat, cessionem ipsam numquam absolutam extitisse, omnemque imo de ea tractatum in auras prorsus evanuisse propter mutuum dissensum circa modum et conditiones, quibus contractus peragi deberet. Id imprimis probabant binae nominum notulae ab sociali scriba exaratae, quibus deerat et dies et subscriptio contrahentium, quae duo ideo in albo relicta fuerant, ut vel ipso temporis momento fierent, quo cessionis contractus perfectus evaderet. Ita enim in notulae initio scriptum aderat = *nota dei crediti esistenti nei due negozii da salumaro in via Fiorari, ed alla piazza di S. Eustachio dati in consegna da Gaetano Cesari al signor Antonio Bolasco il giorno . . . . . aprile* 1836 = In fine vero sic habetur = *si dichiara dal sottoscritto che le partite contenute nella sopradetta nota sono precisamente e tassativamente gl' identifici crediti, che dal signor Cesari Gaetano sono ceduti al signor Antonio Bolasco in solutum, e così detto per un sacco d'ossa, e il tutto a forma di quanto si è richiamato nella ricevuta di quietanza fatta sotto questo medesimo giorno ed anno* =. Idipsum praeterea evincebant apocae cessionis utrinque confectae, quae differentes inter se erant, et pariter subscriptione carebant, quaeque insuper imperfectam rem eo ipso monstrabant, quod datae invicem essent, ad hoc ut expendi possent, veluti palam faciebat subjecta Antonii admonitio ita concepta = *questa è la nostra minuta che ho da me fatta ve la mando perché possiate vederla; riserbandomi però anch'io di farla considerare, non avendolo potuto fare per ristrettezza di tempo* =. Id denique luculentius quoque eruebatur ex diuturna quatuor fere mensium observantia, quae cessionis tractatum subsequuta fuit. Toto enim hoc tempore uterque socius nominibus condicendis vacavit, et Cajetanus partim in judicio, partim extra judicium magnam nominum partem exegit ad vim usque scutorum 874 : 84, evidente et consentiente Antonio: quod profecto contingere nequivisset, si cessio reapse expleta fuisset.

Quoniam ergo ex hisce omnibus manifeste patebat, quidquid actum gestumque fuerat Cajetanum inter atque Antonium fines neutiquam excessisse simplicis ac meri tractatus nunquam conclusi, consequens necessarium erat, ut de perfecto atque obligatorio cessionis contractu minime constare posset, ac propterea juris ratio non patiebatur, ut Cajetanus adigi deberet ad stipulandum instrumentum cessionis nunquam absolutae. Nec objiciendum tam ex cessionis apochis, quam ex testium dictis apparere nullum contrahentes inter dissensum fuisse neque circa rem, quae cedenda erat, neque circa ejus pretium, ideoque contractum perfectum dici posse, concurrentibus notissimis extremis, re nempe, pretio, et consensu, unde semper emergit perfectio. Nam juris dispositione animadversa, haud ante perfectus
1 censeri valeat contractus, nisi simul liqueat consensum intercessisse quoad modum et conditiones, quae ad contractus ejusdem substantiam pertinent. Jam vero non ambigitur, dissensum gravissimum exortum in themate esse circa modum, quo perfici cessio deberet. Dum enim hinc Cajetanus nullam de quantitate nominum obligationem in se suscipere volebat, utpote qui tenuissimo contentus pretio cessionem erat peracturus = *per un sacco d'ossa* =; illinc vero Antonius, nonnisi quam obligatione intercedente quoad nominum existentiam, accepto cessionem habere si-
2 gnificabat. Nemo autem est, qui non in-

illigat, hujusmodi de nominum existentia conditionem adeo ad cessionis ineundae substantiam pertinere, ut nihil supra. Etiamsi igitur Antonium inter et Cajetanum de cessione nominum in genere convenerit, quum tamen consensus minime intercesserit quoad substantialem conditionem de nominum existentia, id quidem satis, ut cessio ipsa perfecta censeri ne-
3 queat. Ea enim est substantialis hujusmodi conditionis indoles, ut vel ipsum consensum, non minus ac cessionis pretium incertum penitus reddat. Qua sane posita incertitudine perspicuum est, contractum nunquam perfectum evadere potuisse, veluti post *text. in leg. si inter stipulantem* 83 § 8 *si Stichum ff. de verb. obligat.* saepe in simili specie firmavit s. tribunal *cor. Falconerio dec.* 73 *n.* 3 *de miscell. in Vilnen. pecuniaria* 27 *januarii* 1744 *per tot. cor. Nunes, in Colonien. venditionis* 12 *junii* 1750 § 11 *cor. Caprara, et in confirmat.* 4 *junii* 1751 § 8 *cor. eodem, et in Faventina stipulationis contractus* 1 *junii* 1761 § 3 *cor. Parraciano.*

Verum enim vero etsi haec omnia deessent non ideo magis de cessione nominum constare poterat. Actor siquidem in praesenti judicio erat Antonius, qui talem conventionem locum habuisse affirmabat, qua ipse sibi quaesiverat socialium nominum medietatem ad Cajetanum pertinentem in summa scut. 4529 47 sub istius obligatione de praestanda eorumdem nominum existentia. Evidentissime igitur probari ab eo debebat conventio, quae cum ejusmodi foret, ut detrimentum non leve Cajetano inferret, eo idcirco graviores de illius perfectione exigebantur probationes. At id non praestabat Antonius. Utebatur ipse testimonio Angeli Figarii, qui manente societate scribae munere apud socios functus fuerat. Sed nulla ex testimonio hujusmodi erui probatio poterat de cessionis perfectione. Nam praeter quod Figarius testis erat unicus, accedebat insuper suspectis-
4 simum eum esse, utpote in praesens servitio Antonii addictum. Nec ullo in pretio haberi merebatur testis alter Josephus De Angelis, quippe qui non minus suspectus erat, quum hodie primum ap-
5 pareret ad litis opportunitatem conquisitus. Caeterum ambo hi testes aliis conflicabantur testibus atque ut fides ipsis adjungi vellet, quum nemo eorum quiquam afferret, unde coarctari posset, Cajetanum suum accomodasse consensum circa obligationem de praestanda socialium nominum existentia, id plane sufficiebat, ne cessionis perfectio dicenda esset probata. Ut namque jam supra animadversum est, tum demum perfecta atque absoluta cessio dici posset, si ex testibus evinceretur etiam quoad conditionem de nominum existentia consensum contrahentium intercessisse.

Remotis autem testibus, qui nihil probabant, levissima profecto erant caetera, ex quibus contractus perfectionem et consumationem erui posse Antonius propugnabat: leve in primis traditio a Cajetano facta eorum chirographorum, unde nomina debitorum scatebant. Haec namque monumentorum consignatio nihil per se
6 confert ad cessionis perfectionem probandam; quandoquidem procul etiam ab ulla nominum cessione tradi debitorum chirographa potuerunt Antonio, qui utpote socius jure meritoque ea sibi vindicabat. Nedum autem monumentorum traditio cessionem non probabat, sed illam insuper manifeste excludebat. Exploratum enim erat ex facto, haud omnia monumenta tradita esse Antonio, sed plura quoque
7 superfuisse penes Cajetanum praeter sociales libros, ex quibus pariter debitorum nomina profluebant. At si cessio revera expleta fuisset, nihil certe horum omnium apud Cajetanum remanere potuisset. Absonum quippe omnino esset, ut cessione absoluta Antonius nonnulla tantum monumenta recipere curasset, majoremque eorum partem relinquere voluisset. Quamobrem verum apparebat, quod a Cajetano dicebatur, ideo tantum post abruptum cessionis tractatum aliqua debitorum chirographa Antonio tradita extitisse, ut eo-

rum ope ipse quoque communibus nominibus condicendis intenderet.

Nec minus leve deprehendebatur alterum argumentum ex encyclicis desumptum, sive ex circularibus literis, quae rescissionem societatis, nominumque socialium cessionem nunciabant. Ultra quod enim circulares hujusmodi literae ex unius
8 Antonii facto manabant, nec satis constabat jam inde ab mense maii anni 1836 impressas fuisse, ut affirmabatur, illud urgebat, eas omnino adversari tum Cajetani, tum ipsius Antonii factis, quae et per id tempus et postea locum habuerunt. Haud enim in discrimen revocari poterat, quin post illud tempus Cajetanus per diuturnum fere quatuor mensium spatium, vidente, ac probante Antonio, jugiter socialibus nominibus condicendis vacaverit; quod plane fieri nullo modo potuisset, si vera ea essent, quae de nominum cessione erga Antonium enciyclicae praeseferebant. Omnino autem falsum erat quod asserebatur de pecunia Cajetano persoluta, neque mercibus eidem traditis in executionem contractus cessionis. Nimirum Antonius contendebat ipso dissolutae societatis die ex majori summa, quae exacta fuerat, Cajetanum scuta quingentum habuisse in partem pretii scut. 1500, quod erat pro cessione nominum constitutum, postmodum vero merces quoque eumdem recepisse in reliqui pretii solutionem. Sed ad scuta quingentum quod attinet, illorum solutionem luculenter refellebant vel ipsae cessionis syngraphae utrinque propositae. Ambae enim cessionis pretium constituunt non in scutis 1500, sed in scutis dumtaxat 1000; nec de soluta quantitate nummorum quingentum ulla ibi fit mentio, quae tamen omni procul dubio facta esset, si reapse locum habuisset. Praeterea solutionis commentum ex alio quoque profligabatur. Si namque ante cessionem pecunia reapse a socialibus debitoribus exacta fuisset, ea utique dividi ex aequo inter socios debuisset. Unde incredibile prorsus erat, ut Cajetanus exactos nummos imputare voluisset in cessionis causam, atque in ejus pretii partem accipere, simul ac illorum medietatem uti propriam vindicare sibi poterat. Quamquam nullimode constabat, ante cessionis tractatum pecuniam Cajetanum exegisse. Contra imo exactionem manifeste excludebat notula nominum a Figario exarata. Quod vero ad merces pertinet haec quidem receptae a Cajetano fuerant, sed habita fide de pretio, ut antea semper fieri consueverant. Non ergo merces traditae dici poterant in solutionem pretii pro nominum cessione: nam si id volitum fuisset haud omisisset Antonius palam aperteque declarare.

Nihili denique faciendum erat testimonium eorum, qui ideo perhibebant cessionem nominum fuisse absolutam, quia nempe Cajetanus eos miserat ad Antonium, ut huic nomina solverent. Ex his namque testibus alii nihil officiebant; siquidem quum essent in numero eorum, qui pecuniam societati deberent ex syngraphis necessario hinc remitti debuerunt ad Antonium, qui eas syngraphas retinebat. Alii vero contrarium probabant, utpote qui testimonium antea prolatum de perfecta nominum cessione penitus ut falsum retractaverant, inquientes se nunquam audivisse = *the il signor Cesari avesse ceduti i credi al medesimo Bolasco* = duo demum vel tres qui supererant utpote admodum suspecti, atque aliis etiam exceptionibus obnoxii omnino erant posthabendi. Quibus plane omnibus ita se habentibus nullimode probata dici poterat controversa nominum
9 cessio. Satis autem erat Cajetano reo convento vincere per non jus actoris, atque etiam quoquo modo rem in ancipiti versari. In qualibet namque dubietate pro-
10 nunciandum est contra cessionem, quae indubias exigit probationes *ad text. in leg. actor qui asseverat* 23 *cod. de probat, cor. Molines dec.* 646 *n.* 2 *cor. Lancetta dec.* 7 *n.* 1 *cor. Tanara dec.* 143 *n.* 1 *in Melevitana bonorum* 10 *januarii* 1738 § 5 *cor. Calcagnino, in Romana nullitatis contractus* 23 *februarii* 1643 § 3 *cor. Matthaeio,*

*in Neapolitana arrendamentorum* 11 *aprilis* 1754 § 4 *cor. Borull, et in Romana seu Liburnen. mercium* 9 *maii* 1760 § 3 *cor. Azzurri.*

At non solum non probata, sed exclusa imo dicenda erat nominum cessio. Omnem quippe fidem superat, si ea ad diem 26 aprilis perfecta revera esset, ut contenditur, non statim Antonium agere voluisse contra Cajetanum, ut ipsa exequutioni committeretur, sed id facere per diuturnum quatuor mensium intervallum distulisse. Praesertim vero quia quae toto hoc tempore gesta fuerunt, nullo prorsus pacto conciliari possunt cum absoluta nominum cessione. Caeterum adeo verum erat cessionem perfectam non fuisse, ut post ejus ineundae spem amissam non aliud Antonius curaverit, nisi ut a Cajetano major debitorum copia ad se mitteretur, quemadmodum eruebatur ex declaratione negociatoris Dominici Colafranceschi, qui omni suspicione vacabat, quique ita testatus fuerat = *il signor Antonio Bolasco venne più volte da me a pregarmi, che mi fossi messo di mezzo a conciliare la la pendenza della cessione dei crediti dei due negozii sociali, stimolandomi a persuadere voi, onde vi piegasse ad accudire e convenire nella cessione dei crediti nel modo da esso progettato; e siccome per mio mezzo ebbe una negativa, così in appresso è venuto tante altre volte prima che andasse in causa a pregarmi, che almeno aveste avuta la considerazione di non prendervi tutte le poste con l'esigenza dei crediti, e che per non rovinarlo vi foste accordato d' inviargli anche da esso una quantità di debitori* =. Hujus autem etsi unicum es-
11 set, gravissimum haberi debebat, quia illi adstipulabantur facta super expensa, quae resolutum cessionis tractatum arguebant. *Rot. in recent. dec.* 45 *n.* 12 *part.* 18, *cor. Ansaldo dec.* 306 *n.* 1 *cor. Tanara dec.* 57 *n.* 10 *et in nuperr. dec.* 82 *n.* 12 *tom.* 3.

Exclusa itaque controversa nominum cessione, sponte veluti sua consequebatur, ut imperari nequiret instrumenti stipulatio. Sed aeque decerni non poterat inhibitio ad hoc, ut Cajetanus ab exigendis nominibus interdiceretur. Haec siquidem nomina utpote socialia ad utrumque socium aequaliter pertinebant, ac propterea
12 Cajetanus prohibendus non erat ab illorum exactione. Notum enim est, quemlibet ex sociis in solidum agere posse adversus debitores ad socialia credita condicenda. *Jason. in leg. si unus n.* 2 *ff. de pact. Magon. dec. Lucen.* 5 *n.* 21, *Gratian. discept. for. cap.* 401 *n.* 45 *Jov. de contract. min. gloss.* 25 § 13 *n.* 637 *Michalor. de fratr. part.* 2 *cap.* 48 *n.* 19 *Zanch. de societ. part.* 2 *cap.* 9 *n.* 66 *et rot. in rec. dec.* 241 *n.* 1 *part.* 13 *et dec.* 422 *n.* 1 *part.* 19 *tom.* 2. Non ergo socialis hujusmodi potestas intercipi poterat ab Antonio, cui non aliud jus erat, nisi ad exactae pecuniae dimidium sibi vindicandum.

Et ita in strenuo partium certamine jus redditum est.

**R. P. D. D' AVELLA'**

ROMANA SOLUTIONIS MERCEDIS

*Veneris* 15 *Decembris* 1837.

ARGUMENTUM

In societatibus anonymis administri ex lege sunt ad nutum amovibiles. Eoque magis si nullum in nominatione expressum fuit tempus, quo muneris exercitium perdurare debeat. Etiamsi autem cautum sit, ne administri amoveri possint sine gravi causa, id intelligendum in casu, quo creata munera maneant, nunquam autem in casu, quo a societate domina, mutato administrationis modo, munera ipsa supprimantur.

*SUMMARIUM*

1. *Actori onus incumbit intentionem suam luculenter ostendere.*
2. *Et rigorosior quoque exigitur probatio, si de actione agatur, cui aperta resistat legis dispositio.*
3. *Ex lege commercii in societatibus ano-*

*nymis administri sunt ad nutum amovibiles.*

4. *Fortius autem id obtinet, si in nominatione nullum sit expressum tempus, quo muneris exercitium perdurare debeat.*
5. *In anonyma societate* - la banca Romana - *deliberationes rectorum a consilio ex statuta lege manere debent secretae.*
6. *Hinc cum in publicum non edantur nullum jus omnino ex iis oriri potest favore tertii cujuscumque, nisi expressa in contractu facta sit ad illas relatio.*
7. *Libri, scripturae confidentiales, et memorialia nullum in tertios jus transferunt.*
8. *Ab discretivo loquendi modo validissimum exurgit argumentum.*
9. *In societate anonyma si cautum fuit nonominatos administros amoveri non posse nisi ex gravi causa legittime cognita id intelligendam: dum in casu, quo a societate domina, mutato administrationis modo, munera ipsa supprimantur*, et n. 10 et 11.
12. *Quisque eodem jure utatur oportet, quod in alium statuit.*
13. *Quando agitur de intrinseca cujuslibet actus justititia, in medium proferri nequit duplicitas personae.*

## Decisio XCIII.

Instituta anno 1834 in urbe roma anonyma illa societate, quae *Banca Romana* nuncupatur, gestores a consilio *di reggenza* ad quinquennium nominati in Comitiis generalibus Lutetiae Parisiorum habitis solliciti in primis fuerunt subalternos administros renunciare, qui muneribus ad mensam fungerentur. Antequam vero ad nominationes procederent, prudens visum est iis tempus praefinire, ad quod intelligerentur officiales nominati, non quidem ut jus ad munus pro certo, ac determinato tempore exercendum in nominatos conferrent, et domino sive societati lex esset imposita munera interim haud supprimendi, verum ut nominationes eaedem ab ipsis rectoribus servarentur, quatenus domino, sive societati munera interim consistere haud displiceret. Qua de re in consessu diei 9 junii 1834 sequens capta est deliberatio, quae ne jus ullum tribuere officialibus valeret, secreta jugiter mansit = *tutte le nomine agl' impieghi saranno fatte per cinque anni, tempo della durata dell' amministrazione attuale, salvi i casi di destituzione per causa grave, che saranno decisi nella maniera istessa delle nomine* =.

Inter alios porro administros cum foret eligendus secretarius generalis, conlatum est hujusmodi munus spectatissimo viro Victorio Canel De la Garde, nominatione sequentibus verbis facta = *ho l'onore di parteciparvi, che voi siete stato nominato alle funzioni di segretario generale al consiglio superiore della Banca Romana a datare dal primo agosto prossimo. Il vostro appuntamento sarà fissato alla somma di scudi quattrocento romani. Voi avete inoltre un indennità di dimora in Roma ragguagliata a 450 franchi per anno* =. Ab hujusmodi nominationis litera, quae aliae omnes conceptae fuerunt, praeter illam artificis Victorii Granjot, quae expressam exhibet biennii mentionem, eo quod tempus ullum haud determinaret, nullamque relationem haberet ad captam in consessu diei 9 junii deliberationem, suapte natura sequebatur, eos administros fuisse ad nutum amovibiles. Et hanc sane amovibilitatem declaravit generalia comitia Romae habita anno 1835, quibus eques De la Garde adstitit tam uti secretarius generalis, quam uti socii cujusdam procurator; dum ad parcendos sumptus, et ad munerum inutilitatem est in iis actum deminuendis non minus quam duodecim administris, congrua indemnitate nonnisi liberaliter iisdem tributa, quique omnes, cognita rei justitia, siluere. Verum idem eques De la Garde, etsi penitus mutata fuisset pro bono societatis praecedens administrationis ratio, et ipsi rectores a consilio munus dimisissent *avanti l'assemblea*, novaque fuissent condita statuta, putans tamen quaesitum sibi jusse fuisse ad muneris exercitium pro solido quinquennii spatio, quiescere noluit deliberationi captae a poste-

rioribus aliis generalibus Comitiis, quibus ad sumptus magis parcendos munus quoque *di segretario generale* fuit suppressum, indemnitate equiti De la Garde aeque liberaliter data *di tre mesi d'onorario e spese di viaggio*; sed in judicio egit, ut manuteneretur = *nella nomina alle funzioni di segretario generale della Banca Romana cogli appuntamenti fissatigli a tutto il* 31 *luglio* 1839 *termine della durata di cinque anni dal giorno* 1 *agosto* 1834 *epoca della seguita installazione* =, reapse quemadmodum obtinuit a tribunali commercii. Aliter tamen sentiens ordo noster latam hac de re sententiam illico reprobavit, propositae quaestioni dato responso = *non esse locum solutioni praestationum, et extendatur decisio* =.

Nec poterat quaestio rectius definiri. Etenim quum eques De la Garde exequutionem asserti contractus postulando, ac ut per quinquennium, sibi ad diem 31 julii 1839 in munere ac stipendio secretarii generalis manuteneretur, actoris gereret personam, nemini dubium, quin onus probationis eidem incumberet, suam-
1 que intentionem ipse teneretur luculenter ostendere, cum per non jus actoris vincere reo convento satis sit *ad text. in leg.* 2 *et* 3 *cod. de iudic., et Constant. vot.* 196 *n.* 3, *rota dec.* 286 *n.* 1 *cor. Puteo*, *dec.* 693 *n.* 9 *cor. Lancetta*, *dec.* 103 *n.* 4 *cor. Rusconi*: quae probatio rigorosior in themate requirebatur, simul ut
2 petitio equitis De la Garde asserto contractui inniteretur, qui apertam juris dispositioni derogationem praeseferret, eo quod ex lege commercii vulgatissimum sit in societate anonyma, quali est examussim = *la Banca Romana* =, esse administros ad nutum amovibiles, ceu scriptum
3 est in art. 31 in codices commercii = *è amministrata la società anonima da commissionati temporanei amovibili, socii o non socii, salariati o gratuiti* =. In quolibet enim dubio cum actum quidquid, gestumque censeatur secundum juris dispositionem, ad declinandam inde amovibilitatem, quae ex commerciali jure descendi, tenebatur eques De la Garde plenas adeo, et concludentes afferre probationes de asserto ad quinquennium inito contractu, ut rem veluti in aprico ponerent, assensumque vel ab invitis exigere quodammodo viderentur.

Atqui non solum in probatione ista eques De la Garde penitus defecit, sed contrarium ab allatis per ipsum documentis inferre necessum erat. Petitionis namque fundamentum actui praecipue innitebatur, quo eques De la Garde fuit electus ad exercendum munus secretarii generalis. Jam vero litera nominationis inspecta, nullum in ea vestigium cernere datum erat iniit ad quinquennium contractus. At enim strictissime = *siete stato nominato alle funzioni di segretario generale al consesso superiore della Banca Romana a dutare dal primo agosto prossimo* =. At si tempore, muneris eo usque exercitium perdurare deberet, silet omnino actus nominationis, nil magis exinde
4 certum videbatur, quam ut quovis excluso ad quinquennium vel aliud tempus inito contractu, sartam tectamque actus nominationis amovibilitatem reliquisset, quae a commerciali codice statuitur: potissime quod nominatio principium exercitii explicaverit, nempe = *a datare dal primo agosto prossimo* =, de fine vero penitus siluerit; quandoquidem si ad certum reapse tempus conferri munus voluisset, nil tam obvium ac naturale, quam ejusmodi tempus determinare eodem orationis contextu, quo initium exercitii explicabatur.

Quin reponi valeret, debere munus intelligi conlatum ad formam deliberationis captae a consilio *di reggenza* sub die 9 junii 1834, qua fuit cautum = *tutte le nomine agl' impieghi saranno fatte per cinque anni, tempo della durata dell'amministrazione attuale, salvi i casi di destituzione per causa grave, che saranno decisi nella maniera stessa delle nomine* =, cum censeri debeat, ad officium electos haud aliter patriam, lares, propinquos, bonaque omnia deseruisse, quam

eidem deliberationi confisos. Animadvertendum namque prae primis erat, quod quaelibet vis tribui vellet memoratae deliberationi diei 9 junii 1834, ea tamen perperam traheretur ad jus in nominatis constituendum munera conlata ad quinquennium exercendi. Etenim sensu suo quisque conjiciebat, ejusmodi jus haud aliter in nominatis oriri potuisse, quam si vel nominatio expressam relationem habuisset ad eum deliberationis actum, vel deliberatio ipsa publici facta fuisset juris, ad hoc ut certiores fierent officiales nominandi, ad quod usque tempus muneris exercitium in eo conferretur.

At qui unum atque alterum omnino deerat in themate. Nec enim vel a longe se retulit nominatio ad deliberationem eam, nec deliberatio ipsa, ceu praescribebatur *dal regolamento interiore della Banca* in his verbis = *le deliberazioni del consiglio di reggenza dovranno restar segrete* =, fuit unquam edita in publicum, sed secreta jugiter mansit. Positis vero his facti circumstantiis, manifeste sequebatur, quod eques De la Garde nullum quaerere praesidium posset a deliberatione diei 9 junii 1834. Etsi enim rectores a consilio tunc temporis deliberaverint, nominationes ad quinquennium aetas censeri, simul ut tamen in actu nominationis nulla nec vaga quidem, aut generica relatio ad captum illud consilium fuit habita, simul ut insuper nunquam fuit ea deliberatio publice enunciata, suaderi profecto poterat nemo, quod ex ea deliberatione ortum in nominatis jus aliquod fuisset, utpote eidem deliberationi confisos. Ecquae enim confidentia potuit in re poni, quae debuit ignorari? Qui contractus concipi juxta deliberationem, quae nec fuit nominata, nec ad eam habita est ulla relatio? Optime huc traducenda jurisprudentia, quam de libris, et scripturis confidentialibus, et memorialibus nullum in tertios jus transferentibus tradit *Pardessus corso di giurisprud. comm. part.* 1 *cap.* 6 *sess.* 1 *n.* 59, *Delvinuert. inst. comm. pag.* 118 *n.* 7 *raccolta di dec. di giurispr. comm. Firenze tom.* 2 *pag.* 143, *rota dec.* 407 *n.* 9 *part.* 14 *recent.*, *dec.* 176 *n.* 9 *part.* 16, *dec.* 16 *n.* 57 *part.* 19.

Et firmissimum robur accipiebant haec omnia a nominatione ad biennium facta favore artificis Victorii Granjot in his verbis = *voi siete attaccato alla Banca Romana come incisore in taglio dolce a contare dal primo ottobre corrente coll'appuntamento di* 1800 *franchi all'anno. Il vostro contratto presso la Banca è di due anni* =. Simul ut enim patet, quod nisi ad certum determinatumque tempus iniri valuit contractus, et jus in nominatum conferri, fuit in nominationis literis tempus ipsum apertissime demonstratum, ab discretivo inde loquendi modo, quo aliae nominationes, et aeque illa equitis De la Garde, conceptae fuerunt, ineluctabile argumentum derivabat, quod in iis haud contractus ullus fuisset adstipulatus, sed firma stetisset amovibilitas a commerciali jure descendens.

Quamquam haud melior fiebat equitis De la Garde conditio, etsi fingere placeret, actum suae nominationis fore omnino interpretandum juxta deliberationem diei 9 junii 1834 intrinseca enim inspecta ejus deliberationis vi ac natura, fatuum prorsus contendere videbatur, rectores a consilio obligationem domino sive societati imponere voluisse munera constituta per quinquennium haud supprimendi, utilitas licet bonumque societatis aliud exigeret; sed ad summum nil aliud censeri poterat in ea deliberatione conclusum, quam ut si munera a domino sive societate haud supprimerentur, nefas ipsis esset pro quinquennium officiales nominatos dimittere, iisque alios substituere = *salvi i casi di destituzione per causa grave* = et recta cuique ratio id manifesto suadebat. Rectoribus enim a consilio, qui fuerant a domino sive societate ad administrandum electi, nulla inerat potestas, dominum sive societatem obligandi munera constituta ad quinquennium non supprimendi. Ac vicissim nec novum, congruum imo,

atque usitatum, ut corpus morale, et conlegium aliquod, quale examussim erat consilium *di reggenza*, leges quasdam condat haud ad jus aliquod in tertios transferendum, sed ut ab iis collegium ipsum regatur, singulisque de conlegio quaedam obligationes imponentur ad dissidia inter eos procul avertenda. Et contendere profecto poterat nemo, quod rectores a consilio, quin jus aliquod in nominatos conferrent super muneribus ad quinquennium non supprimendis, prudentissime inter se statuerent, ad quod usque tempus, si munera interim supprimere domino sive societati non placuisset, factae intelligi nominationes deberent. Quae enim confusio, quae partium studia, quae discordiarum semina haud potuissent secus inter ipsos rectores confoveri? Frequentissima profecto certatio de arbitratria amotione nominatorum officialium, ut iis vel familiares, vel amici, vel propinqui subrorogarentur. Ad haec porro studia removenda, quae animos regentium quam citius dissociassent, optime consilium est captum, ut = *le nomine agl' impieghi saranno fatte per cinque anni, tempo della durata dell'amministrazione attuale, salvi i casi di destituzione per causa grave* =, ut scilicet non liceret veteres, ac benemeritos administros ejicere, ac alios ad munerum exercitia nominare. At non inde deliberatum, non inde statutum, ut munera per quinquennium supprimi a domino sive societate haud possent.

Re enim vera de nominationibus ad quinquennium factis = *le nomine agl' impieghi* =, non de muneribus ad quinquennium creatis, duraturis, et minime
10 supprimendis disputatum est, ac deliberatum in consessu diei 9 junii 1834, et ideo certe de munerum duratione non fuit disputatum, quia rectoribus illis deerat potestas, legem domino sive societati imponere, ne tractu temporis modum administrationis variaret. Hinc facultas munera supprimendi penes dominum sive societatem mansit illaesa, nullumque vulnus accepit a deliberatione, quae vim tantummodo atque efficaciam nominationum, quantum in facultate rectorum erat, respicere potuit. Esto igitur quod nominatio ad munus secretarii generalis facta intelligi deberet juxta deliberationem diei 9 junii 1834. Esto quod Eques De la Garde, scientia de eadem deliberatione habita, nonnisi quam eidem deliberationi confisus munus acceptaverit. Ast non inde jus eidem ullum munus exercere, et consequi stipendia ad quinquennium postquam munus ipsum fuit a societate suppressum. Quantum enim equiti De la Garde jus denegari nequiret munus exercendi, et consequi stipendia, si ejectus sine causa fuisset a munere, munerisque exercitium fuisset alteri personae commissum, eatenus eques De la Garde eodem jure penitus destituebatur, simul ut domino sive societati placuit pro ejusdem societatis bono munus supprimere. In muneris enim supressione nulla existimationi aequitis De la Garde facta est injuria. Laesa insuper vel in minimum haud fuit fiducia, quam idem eques habere unquam potuit deliberationi diei 9 junii 1834, cum fiducia ipsa egredi nequiret vim nominationis, quatenus munera haud supprimerentur ex potestate domino sive societati jugiter reservata. Qua de rejicienda prorsus erat actio ab equite De la Garde instituta; cum nil minus ipse praesumeret, quam ut invito domino sive societate munus secretarii generalis ad quinquennium consisteret; dominus perinde prohiberi a famulo queat modum administrationis variare, numerumque famulorum minuere.

At praeter potestatis defectum haud descendisse rectores ad absurditatem tantam non solum ex superius deductis ma-
11 nifesto eruebatur, sed quoque oppido luculenter revincebant verba = *tempo della durata dell'amministrazione attuale* = cum enim rectoribus a consilio fuisset administratio ad quinquennium commissa, iis sane verbis indigitare rectores voluerunt, se tantummodo, quousque penes eos staret eadem administrationis ratio, actus nominationis haud fore revocaturos, ut mune-

ra in alias personas conferrent; neutiquam vero, quod dominus sive societas prohiberetur per quinquennium, novo administrationis modo indicto, parcere sumptibus, et munera, quae inutilia viderentur, supprimere. Quod si igitur in sui utilitatem ac bonum statuit dominus sive societas novam indicere administrationis rationem, ex qua plurima munera tanquam inutilia supprimebantur, necessitasque prodiit nova condendi statuta, ipsique rectores a consilio munus administrationis aeque animo dimiserunt *avanti l'assemblea*, conclamatum certe merito fuit in generalibus comitiis Romae habitis mense julio anni 1835 = . *L'assemblea decide, che ella non riconosce in alcun impiegato un diritto acquisito* = .

Cui justissimae decisioni *dell'assemblea generale* quemadmodum acquieverunt non non minus duodecim alii administri, eo magis equitem De la Garde quiescere debere perspectum patres habuerunt ex sui facto, atque agnitione. Adstitit enim iis Comitiis eques De la Garde uti secretarius generalis, nec querelam movit ullam, suoque silentio firmam ratamque eam deliberationem habuit. Adstitit praeterea uti socii cujusdam procurator, et dimissionis legem dicens in duodecim administros declinare non potuit ab eadem
12 lege in semetipsum ferenda *ad tit. ff. quod quisque juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Nec quadrabat responsio, quod eques De la Garde dimissionis legem tulisset non suo sed procuratorio nomine. Quando enim agitur de intrinseca cujuslibet actus justitia, in medium proferri nequit duplicitas personae, cum justitia non sit, nec idem actus ju-
13 stus censeri valeat in alios, reprobandus vero atque illicitus in semetipsum ex jurisprudentia, quam tradit s. ordo *in dec.* 83 § 4 *cor. Tanara, decis.* 75 *n.* 2 *cor. eminentissimo Isoard.*

Et ita etc. utrum etc. resolutum est.

R. P. D. D' AVELLA

ROMANA LITERAE CAMBIALIS

*Lunae* 8 *Januarii* 1838

ARGUMENTUM

Traens, acceptans aut cedens cambialem literam, omnes in solidum, adventa die, ad ejus solutionem tenentur. *Protextus*, cujus necessitas favore cedentis a lege inducta fuit, requirendus non est, quando constet, eum ab cedente fuisse remissum.

*SUMMARIUM*

1. *Cambialis literae gyratarius jus habet condicendi solutionem non solum ab acceptante sed etiam tum a trahente tum a cedente, qui omnes in solidum erga eum tenentur.*
2. *Necessitas protextus inducta fuit a lege favore cedentis.*
3. *Unusquisque juri suo valedicere potest.*
4. *Hinc protextus requirendus non est ubi pateat, ultro illum a cedente fuisse remissum.*
5. *Hujusce autem remissionis evidens argumentum oritur ex eo quod cedens etiamsi nullus emissus fuerit protextus, sponte solverit creditori cambialis nominis partem.*
6. *Ad novationem inducendam necessarius omnino est utriusque partis consensus.*

DECISIO XCIV.

Perseverante adhuc societate aromatum vendendorum in taberna sita *a Piazza Pollarola*, quae anno 1817 inter honestissimum virum Petrum Alexandrini, et Paulum Ricci fuerat inita, collybisticam literam sc. bismille *a dodici mesi data* favore Vincentii, qui ex germano fratre erat Pauli nepos, et socialis tabernae institor scripsit die 4 octobris anni 1833 pater ejus Leopoldus. Collybi porro literam accepto habuit Paulus, eamque in Petrum Alexandrini transtulit Vincentius *per valuta avuta.* At solutionis adventa die loco numerandae pecuniae creditorem Alexandrinum deprecatus est Vincentius per interpositam personam Valerii Persiani, ut

inducias concederet, protextumque contra principalem debitorem elevare praetermitteret. Adaesit creditor, et ventum sic est ad Idus januarii anni 1835, quibus de media tantummodo crediti parte fuit Alexandrinius a Vincentio satisfactus. Ire interim in praeceps caepit Pauli fortuna, unde cum plurimum sociale aes alienum cogeretur Alexandrinius propriis nummis dimittere, reliquam collybistici sui crediti partem studuit recuperare a Vincentio, ejusque patre Leopoldo. Renuentes sed vero eos invenit, tum protestationis defectum objicientes, tum quoque quod assentitus ipse fuerit, ut in socialia computa, novatione perinde facta, reliquum nomen transferretur. Necesse quamobrem Alexandrinio fuit apud judices tribunalis commercii diem dicere Paulo, Vincentio, et Leopoldo Ricci, ut in solidum damnarentur ad solutionem argenteorum mille, reapse quemadmodum obtinuit, auditis prius testibus a Vincentio, et Leopoldo inductis, qui fabulam penitus disjecerunt de residuo nomine in socialia computa translato cum Alexandrini consensu. Nec juvit Vincentio ad s. ordinem provocare, quoniam propositae quaestioni patres responsum dedere = *esse locum solutioni, et extendatur decisio.*

Rectum sane judicium. Expeditissima siquidem omniumque perspicua dum erat actio, quam Alexandrinius in Vincentium Ricci proposuerat, ut una cum patre Leopoldo, ac patruo Paulo in solidum damnaretur ad residui sui collybistici nominis solutionem in argenteis mille, eatenus irrelevantes visae sunt exceptiones, quibus Vincentius adnitebatur paratissimam actionem elidere. Nec ulla certe actio dari poterat ea magis expedita, qua literae cambialis solutionem reposcebat Alexandrinius, cui Leopoldus subscripserat *all'ordine S. P. del signor Vincenzo Ricci*, quamque Vincentius, accepto pretio, in ipsum Alexandrininm ejusdem literae possessorem transtulerat. Neminem enim latet, literae cambialis gyratario, qualis
1 erat Alexandrinius, jus esse solutionem condicendi non solum ab acceptante, sed quoque tum a trahente, qui collybi caput ad diem solutionis non deposuit penes acceptantem, quo nomini fieret satis, tum etiam a cedente, ceu patet ex nitida legis litera in art. 134 cod. comm. = *tutti coloro, che avranno firmata, accettata, o girata una cambiale, sono obbligati alla garanzia solidale verso il presentatore* = .

E conspectu vero actionis adeo perspicuae atque expeditae, cui Alexandrinius innitebatur paravit perperam Vincentius studia fori, viresque omnes, ut suasum prae primis patribus daret, a cambialis literae credito cecidisse Alexandrinium, ex quo protextum illico et tempestive contra debitorem principalem elevare praetermiserit. Quin enim quidquam detraheretur severae quidem, sed ad commercii utilitatem necessariae censurae, ut cambialis literae creditor ad sarta tecta contra cedentem jura servanda protextum emittere teneatur ad formam mercatoriae legis, supplerique defectus nequeat ab ullo aequipollenti actu, ruere in themate sua mole visa est objectio, simul ut necessitatem protextus ultro ac sponte fuisse a Vincentio remissam adeo luculenter in facto constabat, ut nil supra. Nec dubitatum sane unquam fuit, quin, quemadmodum defectus suppleri haud valet actu aequipollenti, ubi necessaria denunciatio non fuit a cedente remissa, aeque ita perperam de ipsius denunciationis defectu turbae ac clamores tollentur, ubi cedenti placuerit, requisitam ex lege de-
2 nunciationem remittere cum enim favore cedentis inducta certo certius fuerit protextus necessitas, ceu ad rem expedit *Merlin dizion. di giurispr. verbo protesto* § 1; ex notissima inde regula, quod
3 queat unusquisque juri suo valedicere *ad text. in leg.* 52 *ff. de min. et leg.* 25 *cod. de pact.* Nil magis manifestum atque evidens sequebatur, quam ut protextus haud
4 foret requirendus, ubi pateret, fuisse illum ultro a cedente remissum, ceu a doctrinam ejusmodi in commerciali jure satis vulgatam tradunt, atque illustrant *Ca-*

*sareg. in tract. il cambista istruito, Pardessus corso di diritto commerciale part.* 3 *lib.* 2 *cap.* 8 *sect.* 1 § 2, *conseguenze ed effetti del protesto art.* 2 *n.* 433 *Pothier diritto civile francese contratto di cambio part.* 1 *cap.* 5 § 4 *n.* 148, *Dalloz giurisprud. del secolo XIX verbo effetti di commercio, et dec. Aulae cassasionis Parisiensis die* 20 *junii* 1827.

Verum enim vero dum incontroversum rat in jure, cambialis literae credito nullum praejudicium inferri a protextus defectu, quando gyrans absque ulla ipsius protextus necessitate solutionem affert, aeque in facto ambigi non poterat, quin Vincentius necessitatem protextus Alexandrinio reapse remiserit. Rem namque probatissimam facit prae primis Valerius Persiani, qui tempore non suspecto, sive ipsa die, qua erat solvenda collybi litera, et elevandus protextus, de mandato Vincentii creditorem Alexandrinium rogavit = *di dilazionare poichè senza far protesto al più presto possibile anche in rate si sarebbe restituita detta somma* =. Id ipsum sed quoque ab agnitione, et facto Vincentii oppido luculenter confirmabatur. Etsi enim Alexandrinius, ut Vincentii precibus annueret, nullum emisisset protextum, sponte tamen suam obligationem Vincentius agnovit, dimidiamque debiti partem, sive argentea mille, creditori obtulit die 13 januarii 1835 post scilicet ultra quindecim menses ab indicendo ex lege protextu. Haud itaque dubitandum, quin vere de mandato Vincentii fuerit Alexandrinius rogatus = *di dilazionare, poichè senza far protesto al più presto possibile anche in rate si sarebbe restituita detta somma* =, simul ut nullo indicto protextu partiariam debiti solutionem Vincentius explevit.

Et perperam qui Vincentii jura tuebantur, praesentientes quantum fatalis illis foret solutio ab ipso facta argenteorum mille, suadere aggressi sunt, solutionem eam fuisse a Paulo confectam, neutiquam vero a Vincentio. Veritati enim haud congruere eorum assertionem prodibat aperte ab acceptilatione, quam a tergo, ut solet, literae collybisticae Alexandrinius exaravit de facta pecuniae numeratione *dal sig. Vincenzo Ricci.* Quin de fide atque honestate Alexandrinii alioquin perspectissima urbi universae et apud exteros quoque suspicari vel leviter poset; quandoquidem praesto erant testes Malanca et Stefani deponentes = *che nel giorno* 13 *genn.* 1835 *il sig. Alessandro fratello del sig. Vincenzo Ricci, e Giggio suo cugino* = argentea mille tulerunt = *dicendo averli presi dallo stesso sig. Vincenzo alla drogheria alla Pace, e che li mandava in conto della cambiale* =, Quibus sane probationibus ab Alexandrinio adductis de facta per Vincentium argenteorum mille solutione standum dubio procul erat, simul ut ad solutionem Paulo impingendam nihil praeter nudam assertionem a Vincentio proferretur, dum alioquin erat in comperto, quod si reapse argentea illa mille soluta a Paulo fuissent id invictissima facti probatione poterat Vincentius ostendere, in lucem scilicet edita acceptilatione altera, quam, ut naturale erat, et ipse quoque Paulus testatus est in computis cum Alexandrinio initis die 16 junii anni 1835, iis, qui pecuniam sibi repraesentarunt, idem Alexandrinius tradidit.

Nullius sed aeque roboris erat exceptio altera de residua nominis quantitate, quae modo ab Alexandrinio condicebatur, in socialia computa transfusione, novationis perinde ope, et habito debitore uno Paulo, Vincentii obligationem in auras abiisse. Ad tulciendam siquidem istiusmodi exceptionem proferebatur adnotatio Pauli manu facta in socialibus libris ad diem 12 junii anni 1835 in haec verba = *contanti ricevuti in sovvenzione dal nostro sig. Alessandrini e per esso dal sig. Vincenzo Ricci sin dal* 4 *ottobre* 1833 *scudi* 1000 =. At in primis si arcana verba, quibus concepta fuit adnotatio, haudquamquam ostendunt, relationem in iis fuisse a Paulo habitam ad collybisticum nomen, de quo modo erat controversia, operam certe per-

dere visus est Vincentius, dum revincere ex ea praesumebat, non de alio negocio Paulum fuisse loquutum, sed de novata examussim collybistici nominis obligatione, deque facta illius conversione in socialia computa. Quae Vincentii molimina in irritum cedere eo fortius debebant, simul ut novationi verba viderentur obstare, quibus fuit adnotatio concepta. Re enim vera exhibet adnotatio diem 12 junii anni 1835, refert vicissim in socialia computa conversionem ad diem 4 octobris 1833. At si conversio collybi in socialia computa locum vere habuit, et facta est in die adnotationis, ad eumdem diem referri conversio debuisset; ne intelligeretur autem conversio eadem vere facta jam inde a die 4 octobris anni 1833 insuperabile obstaculum parabat commercialium fructuum solutio ad diem protracta 13 junii 1835 scilicet post quoque adnotationis diem.

Quamquam nil persequi intererat Pauli factum ac voluntatem, simul ut haud constabat, assensum illi fuisse Alexandrinium. In suspectissimo tempore, quo Paulus decoctioni proximus eam adnotationem sua manu exaravit, secum forte ipse volutavit, nepotem Vincentium ab Alexandrinii actione redimere, seque unum solvendo imparem in arbitraria illa adnotatione devincere. At non inde novata obligatio; non inde praejudicium illatum collybistico nomini: non inde Vincentius a sua obligatione solutus. Necessarius in id erat Alexandrinii consensus *ad tit. ff et cod. de novat.*, eoque deficiente, quidquid Paulus proprio arbitrio adnotaverit, futile erat atque inane verbum penitus rejiciendum *ad text. in leg. 2 cod. de novat.*

Jurisprudentiam satis notam haud praeterire videbatur Vincentius, qui totus imo in eo erat, ut ostenderet, Alexandrinii consensum reapse intercesisse. Verum propositae intentioni minime satisfecit. Rei namque probatio responso innitebatur, quod ratiocinatori roganti quoad eam Pauli adnotationem dedit Alexandrinius in haec verba = *scrivi quel che trova e come trova* =. At verba ista revincere haud quaquam posse psaestitum ab Alexandrinio fuisse consensum, ut residuum collybi caput in socialia computa admitteretur, nec melius patebat, quam a ratione ab Alexandrinio adducta, ut Pauli adnotatio iisdem verbis eodemque modo transcriberetur, scilicet = *che vi avrebbe fatto le sue osservazioni, giacchè si poteva interpretare in due modi, e che gli fa faceva giuoco anchè per la criminale* = fatuum namque dictu erat, assensum praestitisse Alexandrinium Pauli facto, simul constabat, voluisse ipsum criminalem actionem adversus illud faotum instruere.

Et ita etc. utraque etc. definitum est.

**R. P. D. D' AVELLA'**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae 29 januarii 1838*

ARGUMENTUM

Societas negociationis recte probatur ex communione bonorum, que absque communi negociatione administrari nequirent. Ex sententiis a tribunali commercii latis competit exequutio personalis.

*SUMMARIUM*

1. *Hereditariorum bonorum communio ex quibus probetur.*
2. *Ex communione bonorum, quae absque communi negociatione administrari nequirent, societas negociationis omnino demonstratur.*
3. *Pro debito in causam societatis contracto omnes socii in solidum tenentur.*
4. *Etiamsi illud dimanet ex facto uniits socii.*
5. *Fortius si iste fuerit societatis institor.*
6. *Atque accedat utilis versio in societatis causam.*
7. *Etsi patrimoninm aere alieno sit obrutum, quousque tamen creditores bona illius non occupaverint socialis existit inter debitores negociatio ad omnes juris effectus.*
8. *Commercialis est actus merces emere ad*

*eas vel in natura vel fabrefactas postea vendendas.*

9. *Ex sententiis tribunalis commercii competit exequutio personalis.*

## Decisio XCV.

Thomas Bertinelli, qui post patris funus praeter communem mensam et habitationem communia quoque et indivisa retinuit cum fratre Paulo omnia hereditaria bona, quae inter una extabat cum furno, alteraque apotheca *di arte bianca*, pergens universa negocia gerere (ceu consueverat, dum pater adhuc erat in humanis) pluras privatas syngraphas, vulgo *boni*, pro conjuncta vi scutorum 1031 et obul 40 subscripsit favore Sanctis Cherubini ob frumentum ad exercenda communia cum Paulo negocia subministratum. Moritur sed vero Thomas, antequam dies veniret solutionis, et Cherubinius rogare illico curavit superstitem Paulum = *come andavano le cose del patrimonio, perchè era creditore di una vistosa somma per prezzo di grano vendutogli, e per il quale aveva secondo il solito firmato diversi boni il defunto Tommaso* =; cumque responsum habuisset = *che nella sola bottega in via Paradisi esistevano circa 40 rubbia di farina di grano istesso del sig. Cherubini etc., come pure che esistevano ancora 35 rubbia del grano stesso del signor Cherubini entro il granaio in piazza delle Carrette . . . che non avesse temuto nulla, perchè essso sarebbe stato intieramente soddisfatto* =, minime dubitavit, quin Paulus sociale nomen foret stata die soluturus. At alia mens ac voluntas Paulo inerat; unde Cherubinius longa mora pertaesus tum heredes Thomae Bertinelli; tum Paulum ipsum apud commercii judices vocavit, ut in solidum damnarentur ad solvendum frumenti pretium in scut. 1031 et obul 40, quemadmodum obtinuit, mandato quoque personali praeter realem in Paulum relaxato. Ex Pauli provocatione, quam s. ordo in comitiis diei 9 labentis mensis moderandam quoad mandatum personale censuit, edito rescripto = *quod executionem personalem servetur in suspensivo, in reliquis in devolutivo* =, causam hodie quoad meritum principale dirimendam patribus proposui, accepique responsum = *esse locum solutioni scut. 1031 et obul 40, et esse relaxandum mandatum etiam personale, et extendatur decisio* =.

Et merito. Extitisse enim inter Paulum atque Thomam bonorum ab hereditate patris profluentium communionem, adeo probatum erat in facto, ut nil supra. Fuit enim inter eos communis mensa, et habitatio; communia et indivisa retinuerunt
1 ipsi paterna bona, atque in his apothecas et panificium, quae integram fere hereditariam substantiam constituebant; quandoquidem apothecarum conductio communi utriusque nomine stipulata comperiebatur, atque in causa insuper conjunctim ab eis instituta contra alterum fratrem Josephum pro bonorum divisione huic offerentibus tertiam valoris partem, indivisae et communis hereditatis administratio fuit ex tribunalis decreto Paulo et Thomae simul concredita. Tot vero confluentibus in facto gravissimis circumstantiis, quae universalem quoque bonorum communionem revincere potuissent, dubitari minus poterat de communionis existentia inter Thomam ac Paulum quoad
2 hereditaria paterna bona, et consequenter quoad negociationem furni, et apothecarum; cum nonnisi negociatione communi ejusmodi bona administrari valerent. Optime *Ansald. de comm. et mercat. disc. 19 n. 8.* Nec praetereundum ad societatem negociationis magis confirmandam, post mortem Thomae apothecis et furno Paulum praefuisse: quippe Paulus fuit, qui ostendit Cherubinio, quantum frumenti existeret in furno, et promptuariis, quique Cherubinio affirmavit = *che non avesse temuto nulla, perchè egli sarebbe stato intieramente soddisfatto, essendovi ancora ad esigere non pochi crediti del negozio* =. Haec enim omnia, ut sensu suo quisque noscit, neque agi, ne-

que dici a Paulo poterant, si neutiquam ipse socius fuisset.

Cum vero de communione ac societate negociationis Thomam inter ac Paulum dubitari non posse videretur, nil inde magis certum ac suasum dari patribus poterat, quam ut pro aere alieno a Thoma contracta favore Santis Cherubini pro comparando frumento in communis et socialis cum Paulo negociationis causam quoque Paulus in solidum teneretur, quin excipere idem Paulus posset, se ex alieno facto non posse obligari. Consultissima
3 enim jura tradunt, pro debito in causam societatis contracto omnes socios in solidum obligari, eosque in solidum persequi a creditore posse, etsi illud dimanet
4 ex unius socii facto *Zanch. de societ. part. 2 cap. 10 n. 62, Rot. cor. Ansaldo dec. 612 n. 22; in Bononien. pecuniaria 21 aprilis 1820 § 8 cor. Martinez.* Potissime vero in themate, quo probatissimum erat, Thomam fuisse quoque socialium negociationum institorem, cum
5 ipse omnia gereret ac procuraret societatis negocia, ad tradita *per Gratian. disc. 852 n. 51, Ansald. de commerc. disc. 50. n. 28, Rot. cor. Olivatio dec. 539 n. 29 et seqq.* Quid vero cum his omnibus utilis quoque versio accederet in cau-
6 sam societatis, cum Paulus ipse post Thomae funus professus fuerit adhuc superesse = *40 rubbia di farina del grano stesso del sig. Cherubini nel farinaro, e circa 35 rubbia dello stesso grano entro il granajo in piazza delle carrette* = ? Æquitas certe non ferebat, ut Paulus frumento a Chembinio vendito qua socius modo frueretur, quin in solutum adhuc pretium satisfaceret, *ad text. in leg. 82 ff. pro socio, Zanch. de societ. part. 2 cap. 9 n. 25, s. Rota in Tyburtina pecuniaria 22 junii 1821 § 6 cor. Serlupi.*

Et inepte Paulus opponebat, obrutam aere alieno fuisse paternam hereditatem. Debita enim a patre relicta impedire neutiquam potuerunt, quin, donec creditores illius bona occuparent, communia ipsa
7 forent inter Thomam ac Paulum, et socialis inter eos existeret negociatio cum omnibus juris effectibus. Cum itaque creditores patrimonii ruinae pepercerint, illudque commune Paulus ac Thomas retinuerint, communionis et societatis effectus nequibat Paulus improbare. Nec perdite minus excipiebat, dissolutam fuisse societatem, eo quod apothecae ex decreto judicis adjudicatae fuerunt Thomae uxori. Nulla enim bonorum adjudicatio erga Thomae uxorem fuit a tribunalibus imperata, sed dotis tantummodo assecuratio, quae cum nunquam exequutioni fuisset commissa, dissolvere propterea ipsa non potuit, eam commercialem societatem, quae Thomam inter ac Paulum antea viguit, ceu jugiter reapse prosequuta est, et cum Thomae heredibus adhuc perseverare communis administratio clare oppido demonstrabat.

Quod si ex deductis justitia enitebat editi judicii quoad solidalem Pauli obligationem, justitia aeque elucebat quoad mandati relaxationem non realis tantum, sed personalis quoque. Dubitari enim non poterat, quin de re commerciali quaestio esset, simulac in propatulo erat, de pre-
8 tio frumenti agi ad panem conficiendum vendendumque comparati, ceu clare disponit mercatorii codicis lex = *la legge reputa atti di commercio qualunque compra di derrate, e mercanzie per rivenderle sia in natura, sia dopo averle lavorate e poste in opera* =. Hoc ipso vero quod de commerciali actu ageretur, unde firma stabat tribunalis commercialis jurisdictio, controverti neutiquam poterat, quin personali etiam executioni Paulus subjice-
9 retur ex altera mercatorii codicis lege, qua sancitur = *la esecuzione personale compete per i giudicati di commercio* =.

Et ita etc. utraque etc. definitum est.

R. P. D. BOFONDI

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae 19 februarii 1838*

ARGUMENTUM

Dispositio *leg.* 180 *ff de reg. jur.* declaratur, et quo in casu obtineat, definitur.

*SUMMARIUM*

1. *Qui depositum sua fide recepit, ad illius restitutionem est omnino adigendus.*
2. *Dispositio* leg. 180. ff de reg. jur. *obtinet quando* taxative *designata fuit persona cui mandatarius solveret non autem quando generice et* demonstrative, *itaut electio personae ipsi mandatario commissa fuerit.*
3. *Iterum lex illa loquitur de simplici passivo mandatario.*
4. *Idcirco non pertinet ad Argentarium, qui rem egit* bancariam, *atque uti commissarius habetur.*
5. *Commissarius enim respondere tenetur de commissionis implemento usque ad illius exitum.*
6. *Levissima quoque culpa praestanda est ab argentario.*

## Decisio XCVI.

Qui Romam petebat e Gallia eques Christophorus Hyppolitus De Rossel, pecuniam suam ad *undecim millia* argentea transmittendam curavit romano Trapezitae Lozzano et Lavaggi. Quae cum effecisset, ac Romae tandem et ipse advenisset, eamdem pecuniam recepta schedula penes Trapezitam reliquit depositam. Verum mutato postmodum consilio, rogabat epistolio Lozzanium = *di farmi acquistare in Napoli col mezzo del suo corrispondente per sei mila scudi di rendita di Napoli* =, nec non =, *tenere a mia disposizione per gli ultimi di novembre gli scudi cinquemila restanti* = Neapolitani reditus emptionem Lozzanius cemmisit Trapezitae alteri in ea civitate Falconet, qui ejusdem reditus administrationi praeerat, sed in ima epistolae cera post datum mandatum adjecit = *vi diremo in seguito se l'iscrizione resta in vostre mani, oppure debba esserci trasmessa, e sarà pensier nostro provvedervi del compimento di fondi per esser da voi addebitati in conto nostro dell' importo dell' enunciata rendita annua di scudi 380 colle spese di cui ci darete la nota* =. Probavit deinde emptionem, quam Falconettus peregisse scripserat, eique petiit expensarum rationem, vulgo = *la fattura* =, quam postea recepit pro emtione reditus = *di vostro ordine e conto* =. seque ejusdem reditus debitorem tum pro capite, tum pro expensis agnovit, denuo Falconettio injungens = *ritenendo il documento presso di voi fino al nostro avviso di mandarcelo* =. At nunquam reapse illud poposcit, donec plures post menses elapsos nuncium tandem accepit proximae Falconettii decoctionis. Quo deterritus nuncio sero nimis emptionis titulum requirebat. Eodem vero tempore quum Rosselius resciverit, haud fuisse reditus emptionem a Falconetto peractam, apud commercii judices Lozzanium, a quo interim reliqua quinque millia scuta receperat, vocavit, ut vel reditus schedas traderet, vel sexmillia altera solveret argentea, quae penes eum deposuerat. Vicit tunc Lozzanius, quem commerciales judices absolvendum esse censuere ab intentione actoris. Sed provocante Rossellio apud s. ordinem nostrum, ac me hodie mane patres de sententia requirente, rescriptum fuit = *esse locum solutioni vel traditioni inscriptionum, et extendatur decisio* =.

Cum enim depositi nomine Lozzanius a Rosellio recepisset vim undecim millium scutatorum nummum, quorum quinque tantum millia reddidisse constabat, nulla justa causa aderat, quamborem reliquorum sex millium recusari ipsi deponenti solutio deberet. Qui namque depositum sua fide recepit, ad illius restitutionem est omni prorsus modo compellendus ad verba *text. in leg.* 11 *cod. deposit. vel contra.* Quin recte ut depositi actionem effugeret Lozzanius, invocaret mandatum

a Rossellio acceptum neapolitani reditus comparandi gratia pro quantitate scutorum sex millium = *col mezzo del suo corrispondente* =, contendens ex inde ex notissima *leg.* 180 *ff. de reg.* juris censura solutione illius summae Falconettio ad reditum illum acquirendum facta se liberatum a quavis actione evasisse. Sed facili modo hujusmodi abjectatio diluebatur. Primum namque non eam certam designaverat Rossellius personam, cui Lozzanius solveret, ut ejus dici possit fuisse fidem sequutus, ac obventum inde damnum debeat unus ipse Rossellius substinere, sed generice tantum ac demonstrative innuisse = *il suo corrispondente* = ex eo arguebatur, quod hunc Lozzanius tantum noscebat, quem idcirco talem seligere ei incumbebat, qui datum mandatum fideliter adimpleret. Invocata igitur legis dispositio proficere nihil Lozzanio poterat, cum lex ageret de certa a mandante designata persona, cui mandatarius solveret, non de casu vero, quo personae electio ipsi commissa mandatario fuerat.

Deinde ratio altera in themate urgebat, quod Lozzanius in commissa sibi emptione haud quaqua haberi voluit uti simplex passivus mandatarius, de quo uno lex illa loquebatur, sed agere valuisse videtur rem, quam dicunt *bancariam*, in qua non simplicis passivi mandatarii personam argentarius induit, sed habetur veluti commissarius, qui proinde respondere tenetur de commissionis implementum ad ilsius usque exitum. Quod quidem apertissime eruebatur ex ipsius Lozzanii facto, qui scribens Falconettio ajebat = *sarà pensier nostro provvedervi del compimento di fondi per essere addebitati in conto nostro della enunciata rendita* =. Ipse unus suppositam emptionem probabat; ac Falconettium, qui rationem miserat jam perfectae acquisitionis = *di vostro ordine e conto* = in creditorem suum pro ea pecuniae quantitate agnoscebat. Quibus sane profiteri clarius Lozzanius nequivisset, se rem suam agendam mandasse Falconettio, ut inde ab hoc gestum, veluti a se factum sub assueta Trapezitarum mercede Rossellio traderet. Quod si vero Falconettius pro Lozzanio egit, ac haberi hic voluit uti rei commissarius, periculum oppido discrimenque rei gestae pro se subeat oportet, deque commissionis implemento ad exitum usque respondeat.

Caeterum hisce etiam sepositis, abnorma sane videbatur, ut Falconettii defectum substinere Rossellius deberet, qui omni culpa vacabat, quique Trapezitam istum minime noverat, dum contra Lozzanius unus adeo impense hominis hujusce fidem fuerat sequutus, ut non sine gravi culpa permiserit, quod retineret apud se = *il documento fino al nostro avviso di mandarcelo* =; istud praeterea nuncium plures per menses mittere neglexerit, donec excitatus ex imminenti illius decoctione fuerat. Verum quum peregisse emptionem Falconettus effinxerit = *col pagamento alla fine del corrente mese* =, si desis adeo Lozzanius non fuisset, priusquam pecuniam mitteret Neapolim, facili scire negocio valuisset, quam fraudem paraverat Falconettius. Atqui nihil horum omnium peregerat Lozzanius, et in utramque aurem obdormiens passus desidiose est deficere Falconettium, justum sane videbatur, ut negligentiae suae onus sustineret, quin hoc vertere in plane inscium, insontemque Rossellium posset. Scitissimum namque in foro, levissimam quoque culpam esse ab argentario praestandam, veluti tradunt *Golin. de procur. part.* 1 *cap.* 2 *n.* 3, *atque Ansald. de commerc. et Mercat. disc.* 62 *n.* 15. Quae cum ita essent, jus omne, atque aequitas postulabat, ut vel ad reliquam sexmillium scutorum depositam summam persolvendam Lozzanius adigeretur, vel ad exhibendas tradendasque tot pro eadem summa coempti neapolitani reditus inscriptiones.

Et ita jus datum est utraque parte contradicente.

ROMANA SOLUTIONIS

*Mercurii 4 aprilis* 1838

ARGUMENTUM

Institoria qualitas numquam praesumitur. Quid requiratur ut institor obligare praeponentem valeat, atque ut is, qui cum eo contraxit non peculiarem ejus fidem, sed praeponentis sequi videatur.

*SUMMARIUM*

1. *In tabernis distinguenda sunt locus, instrumenta, et exercitium, quae a tribus distinctis dominis possideri non raro contigit.*
2. *Actor plene in reo convento evincere debet institoriam qualitatem secus non praesumendam.*
3. *Institoria qualitas conciliari nequit in eo, qui rei administratae dominium habet.*
4. *Nec dari potest ab eo qui dominium non habet.*
5. *Ut institor obliget suum praeponentem copulative probandum est, quod palam pro institore ipse se gesserit, quod pro tali publice sit habitus, quod in contrahendo nomen institoris apposuerit, quodque cum eo contrahentes sciverint illum fuisse a domino negociationi praepositum.*
6. *Qui cum institore contrahit ne peculiarem ejus fidem sequi videatur cognoscat oportet institoriam ejus qualitatem.*
7. *Hinc inspiciendae ab eo sunt forma conditiones ac leges praepositionis.*
8. *Non omne quod cum institore geritur, praeponentem obligat, sed solum in quantum res gesta ad ipsius praepositionis objectum sese referat.*
9. *Ut exerceri valeat institoria actio requiritur, ut fines praepositionis ad instar mandati sedulo perpendantur.*
10. *Ut actio utilis de in rem verso exerceri possit non praesumptionibus sed probationibus demonstrandum est, et versurae factum, et quod ex ea locupletior evaserit is in quem actio instituitur.*
11. *Aliena credulitas aut calliditas praejudicium nemini afferre debet.*

## Decisio XCVII.

Quamvis Philippus Sebregondi ad reintegrandam suam nurum Theresiam Caroga de pretio dotalis cujusdam domus sui favore, sacratissimo auctorante principe, distructae, cessionem ex contractu anni 1832 promisisset duarum tabernarum, quas ad exercendam pistoriam ac pastillariam artem in urbe retinebat, attamen illas ad libitum regere et exercere, ut antea, continuavit. Proprio enim nomine emptiones venditiones usque explevit, omnia gessit, quae dietim occurrebant ad earum exercitium. Inter eos, qui cum Philippo rem habuere, fuit Paulus Calabresi qui 153 rubra frumenti ei vendidit de mense septembris anni 1836 habita fide de pretio praecedenter convento in quantitate scut. 1602. 4; quod ex pacto persolvendum fuisset *ad ogni richiesta del sig. Calabresi.* Hinc cum agnovisset in pessum ire Philippi fortunam, contra eum, et contra Theresiam in solidum egit coram commercii tribunali, cujus judices dum promotam actionem admiserunt contra Philippum, quoad Theresiam videndum particulariter decreverunt. Tunc Paulus contra Theresiam, ejusque virum Wisbertum Sebregondi certamen instauravit, sed non felici omine; fuit enim instantia rejecta. Provocavit incirco ad S. N. Ordinem, cujus definitioni cum hoc mane causam proposuerini, responsum retuli = *non esse locum solutioni, et extendatur decisio* =.

Recte perpendens Paulus difficultatem assequendi a latitante Philippo sui crediti solutionem, hanc obtinere tentabat a Theresia, contra quam cum nulla ei praesto esset directa vel personalis actio, ad praetoriam confugiebat aequitatem, duplicem admovens actionem, *institoriam* nempe, *et de in rem verso*, quarum utili exercitio causam praebuisse authumabat instrumentum anni 1832; vi cujus tabernarum dominium adeptum a Theresia putabat. Qua de re censebat, non alia veste Philippum versari deinceps potuisse

in eisdem tabernis, quam institorio nomine, proindeque praeponentem Theresiam teneri ex frumenti venditione, ac si ipsa contraxisset *leg.* 3 *cod. de instit. et exercit. act.* In deteriori autem casu suasum sibi habebat Paulus Theresiam effugere nunquam posse solutionem pretii illius frumenti, quod versum fuisse in ejus utilitatem retinebat, statim ac cesserat in exercitium tabernarum, quarum plenum dominium ex praecitato contractu Theresiam acquisivisse dicebat. At in falso supposito praecipuus consistebat Pauli error. Constabat enim ex contractu anni 1832, Philippum Nurui tantum cessisse tabernarum stylia, quae confundenda nullimode sunt cum eorum exercitio, quod etsi se Nurui cessurum Philippus promisisset, incontroversum attamen est in facto, quod nunquam cessit, sed jugiter apud se retinuit non obstante inito contracto, ex quo Theresiae favore ad summum derivabat jus agendi contra socerum pro possessione assequenda; sed possessione non capta et traditione non expleta, nulla aderat causa ac ratio, quare mulier, quae domina non erat, pro aliena apotheca exercenda, et pro aliena obligatione teneretur.

Nec implicabat certe, quod styliorum dominium transierat ex praecitato contractu in Theresiam, et quod exercitium 1 remanserit penes Philippum. Sedulo enim in tabernis sunt distinguenda locus, instrumenta, et exercitium, quae a tribus distinctis dominis possideri non raro contingit. Hoc adamussim evenit in casu, de quo agitur. Ex inito enim contractu de styliis disposuit Philippus favore Theresiae cum promissione curandi exercitii quoque volturam; quod nunquam fecit, cum proprio nomine, ac absque ulla Theresiae dependentia jugiter illud exercuerit. Nec clam, sed publice id peregit. Ipse in tabernarum conductione perseveravit. Eum Annonae praefectura agnovit constanter eas exercentem: Philippus, non Theresia de frumenti emptionibus assignationes jugiter dedit. Nonnulli, quos vocant *Orzaroli*, panem et pastillas continuo a Philippo emerunt, ut in propriis apotheeis revenderent. Publica tandem reputatio: quum enim Philippus constanter emptiones venditionesque expleret, prout quotidiana tabernarum necessitas expostulabat, nemo unquam, ne ipse quidem Paulus a longe dubitabat, quod institorio potius, quam domini nomine Philippus ageret, eoque fortius cum eisdem tabernis extraneus quidam Philippo fuerit praepositus, qui uti illius institutor palam habebatur.

Hisce in facto perpensis, facile apparebat, nullimode in casu procedere posse propositas actiones. Si enim uti dominus Philippus in tabernis versatus est, haberi ipse haud certe potest uti institor; et proinde frumentum ei traditum in peculiarem illius utilitatem, non in commodum Theresiae versum dicendum est, pro quo facit etiam juris praesumptio. Siquidem in foro certum est, teneri actorem plene in 2 reo convento evincere institoriam vel exercitoriam qualitatem, secus non praesumendam, *Malevitana depredationis super* 1 *dubio* 16 *martii* 1733 § 4 *cor. Aldovrando*, quae vero nullo modo conciliari potest in eo, qui rei administratae habet dominium, sicuti concedi nequit ab 3 eo, qui dominium non habet *ad text. in leg. quicumque* § 5 *non tamen omne ff. de instit. act., Marg. de mercat. lib.* 1 *cap.* 8 *tit.* 8 *n.* 30, *s. Rota cor. Falconerio dec.* 1 *n.* 4 *et seq. de societate.* Insuper certum quoque est in jure, institorem obligare non posse suum praeponentem, nisi copulative probetur, quod 5 palam cum institoris veste se gesserit, quod pro tali publice sit habitus, quod in contrahendo nomen institoris apposuerit, et quod cum eo contrahentes sciverint, eum fuisse a domino praepositum negociationi, veluti docet s. ordo *in dec.* 1 *n.* 5 *cor. Falconer. tit. de societ. et instit. act.*, *et in dec.* 417 *n.* 16 *cor. Olivatio.* Necesse quoque est, quod ille, qui cum institore 6 contrahit, ne peculiarem ejus fidem sequi videatur; cognoscat institoriam illius qualitatem *ad text. in leg.* 1 *ff. de exercit.*

*act.*, *et zoes, in pandect. ad eumd. tit. in prino. n.* 3, *et Constant. vot.* 157 *n.* 53;
7 quo in casu caute inspiciendae sunt forma et conditiones praepositionis, qua lege, quibus rebus, ad quod usque tempus, et an quasi procurator, vel quasi institor fuerit negociationi praepositus *leg.* 5 § 19 *de iust. act.*, *Peretius ad cod. hoc tit. n.* 13, ex evidenti ratione, quod non omne, quod cum institore gestum sit, obli-
8 gat praeponentem, sed solum in quantum res gesta ad ipsius praepositionis objectum sese referat. Uno verbo ut exerceri possit ratio institoria, requiritur, ut fines praepositionis ad instar mandati sedulo per-
9 pendantur *leg.* 11 § 11 *ff. cit. tit.*, cum extra limites procedere nequeat actio institoria, et aliae potius procedant actiones juxta casuum contingentiam.

At in casu nequidquam Paulus probaverat ad Theresiam reapse spectasse tabernarum dominium, nec a longe item probaverat, ipsam earum exercitio praeposuisse Philippum; quod si etiam probavisset, et haud tamen demonstraverat se caute incubuisse in inspiciendis ipsius institoris facultatibus, atque, hisce permittentibus, se frumentum tradidisse, ut fidem Theresiae potius, quam Philippi sequeretur. E contra ex factis superius enucleatis constat aperte, ipsum Paulum jugiter retinuisse contrahentem Philippum, uti tabernarum dominum, ejusque unius fidem sequi voluisse instrumenti venditione. Concludendum propterea est, sibi potius devinxisse personam Philippi, quam Theresiae, quae cum nunquam obtinuerit tabernarum dominium, nec fuerit unquam in contractibus a Philippo initis nominata erga Paulum nullimode dici potest, ad ea quae perpendet *s. ordo in dec.* 71 *n.* 2 *et* 3 *cor. Emerix junior.*

Exclusa igitur ex facto et in jure institoria Philippi qualitate, non recte propugnabat Paulus, Theresiam, etsi non mandaverit frumenti emptionem, nihilominus sibi obligatam censendam esse ex ea circumstantia, quod *in ejus utilitatem versum fuerit* frumentum, de cujus pretio condicendo praesens agitur controversia. Ut subsidiaria haec actia utiliter exerceri posset,
10 non praesumptionibus sed probationibus demonstrandum prius Paulo erat, frumentum in peculiarem Theresiae utilitatem versum reapse fuisse, et ex eo locupletiorem ipsam evasisse. At id probare fere impossibile in casu videbatur. Ipsemet enim Paulus ille est, qui clamat traditum frumentum inservisse pro conficiendo pane, ac pastillis, quorum fabrefactio cum procul dubio se referat ad ipsarum tabernarum exercitium, quod sibi reservasse Philippum jam vidimus, clare ostendit ipse nullum commodum Theresiae attulisse, quae uti simplex styliorum domina nullam habuit partem in earum tabernarum exercitio. Neque forte objiciat Paulus, quod suae bonae fidei damnum parare haud debeat Philippi calliditas. Seposita enim qualibet indagine super ejus bona fide, quae, resupina saltem concurrente ejus oscitantia, pacifice admitti nequiret, redibat juris regula, quod nequit Theresiae praejudicium afferre nec
11 Pauli credulitas, nec Philippi calliditas. Etenim Paulus dum frumentum tradidit, curiosius inquirere debebat de ipsius frumenti usu, et si probare quivisset, ipsum reapse consumptum fuisse in Theresiae utilitatem, utiliter tunc hodiernam potuisset excitare controversiam, quam in casu inutiliter exercere PP. mei decreverunt ex deficiente adamussim probatione versionis frumenti in utilitatem Theresiae.

Et ita etc. utraque etc.

E. P. D. BOFONDI

ROMANA

*Lunae* 18 *junii* 1838

ARGUMENTUM

Locata taberna una cum styliis, mercibus, aliisque rebus omnibus per modum unius et quasi unum corpus efformantibus, etsi aestimatio intercesserit, ex jure atque ex Urbis consuetudine tum merces et res ipse tum eae quae locatione durante ad progressivam

negociationem subrogatae fuerunt a conductore, manent semper in dominio locatoris, adeoque uti propriae, finito contractu, sunt ei una cum taberna restituendae.

*SUMMARIUM*

1. *Locata taberna cum styliis et mercibus, aliisque rebus ibi existentibus per modum unius, iisdemque legibus et pactis, finito contractu, conductor sicuti tabernam et stylia ita res caeteras omnes ei traditas restituere locatori debet.*
2. *Per subrogationem res, rerumque ipsarum dominium haud immutatur.*
3. *Ubi subrogationis pactum adest, vel de re agitur in qua subrogatio cadere potest, subrogata eadem ex jure censetur cum illa in cujus locum subrogatur.*
4. *Si taberna resque aliae unum et universale corpus constituant, ope quoque subrogationis idem corpus manere censetur, atque in ejusdem proprietate, qui rerum initio traditarum dominium habebat.*
5. *Ex juris praesumptione si merces a locatore traditae fuerint aestimatae earum dominium et periculum in conductorem translatum videtur.*
6. *At cessat praesumptio, quando facto constat merces conductori traditas fuisse cum expresso locationis titulo, qui precariam possessionem non autem dominii translationem importat.*
7. *Ex consuetudine Urbis locata taberna una cum mercibus aliisque rebus ad instar corporis universalis ad progressivam negociationem destinati, tum merces et res istae, tum eae quae durante locatione subrogatae fuerunt manent omnes et semper sub locatoris dominio.*
8. *In hujusmodi autem contractibus nisi contrarium demonstretur, id actum intelligitur, quod moris est et consuetudinis.*
9. *Quae ab jure mercatorio constituta sunt ad excludendam vindicationem rerum in decoctoris patrimonio repertarum obtinent in casu venditionis.*
10. *Neque idcirco casum respiciunt in quo, deficiente dominii translatione, non agatur de vera rei venditae vindicatione, sed de ejusdem restitutione facienda illi, qui eam precario utendam tradiderat.*
11. *Sindaci et commissarius unam habent rerum decoctoris cognitionem et administrationem.*
12. *Nec sunt arbitratores juris alicujus.*
13. *Id enim pertinet ad judices ordinarios.*

## DECISIO XCVIII.

Pistoriae tabernae, quae styliis, mercibus, aliisque rebusinstructae ad fratres Guglielmi partim, partim vero ad heredes Peverini ac conjuges Zoccola pertinebant duplici stipulatione ita conductionis titulo anno 1835 fratribus Joani, ac Carolo Ceschetti concessae fuerunt, uti ipsi, qui stylia, merces, aliaque, quae in tabernis reperiebantur, aestimata conducebant, in locationes exitu omne adamussim restituere tenerentur = *piuttosto migliorato che deteriorato* =. Res conductorum nec ab initio bene cessisse videntur, sed deinde adeo in deteriorem conditionem adductae fuerunt, ut conductores et ipsi creditoribus pressi delituerint. Quo factum, ut, declarata decotione, mercatorum judices creditoribus instantibus per modum assecurationis Paschalem Guglielmi alterum e tabernarum dominis elegerunt, ut eas cum instrumentis, mercibus, aliisque adnexis aestimaret, ac depositi loco ad tribunalis nutum retineret.

Post haec vero cum praeter tabernas, ac stylia, quae dominis restituere concursus syndaci non detrectarunt, scuta quoque 1214 et ob 14 ipse retineret, vel ex pretio mercium, vel ob numeratam pecuniam in tabernis repertam, creditores ut ea restitueret a Paschali petierunt. Obsistentem Paschalem ob mercium, ac pecuniarum, quod proferebat, dominium, ad restitutionem depositi damnavit judicum mercatorum sententia, quam sacer ordo noster ita confirmavit, ut salvum tamen esset jus eidem Paschali *agendi in congruo judicio super proprietate prout et quatenus de jure.* Orta rejudicata Paschalis pecuniam penes mensam nummulariam s. Spiritus statim deposuit. Ac paullo post coram commercii judicibus iterum instetit, ut attenta mercium, nominum,

ac pecuniarum in tabernis decotionis actu existentium proprietate, pecunia sibi adjudicaretur, indictis nummullariae ministris, ne pecuniam alteri traderent. Re discussa, judices dum inhibitioni locum fieri non posse decernebant, rerum vindicationis quaestionem demandarunt *agli atti del fallimento*. Judicium quidem haud Paschali placuit, qui ad nostrum ordinem provocare non dubitavit, neque perperam. Proposita namque a me hac mane quaestione, patres rem dirimere censuerunt rescripto = *esse locum consignationi, et extendatur decisio* =.

Cum incontroversum undique appareret, locatione conductione finita, vel rescissa, locatori jus penitus competere rem sibi vindicandi, cujus dominium extra conductoris, qui foro cessit, patrimonium manere censetur; *Salgad. laberint. credit. p.* 1 *cap.* 8 *n.* 98, *Azun. diz. di comm. verb. giudizio di concorso*; id tantum inquirendum esse videbatur, utrum merclum, nominum debitorum, ac pecuniarum, quae conductionis actu ad fratres Ceschetti una cum tabernis tradita sunt, dominium in locatoribus etiam per mercium, aliarumque rerum necessario obventam subrogationem ita jugiter permansisset, ut ipsi non pro credito urgere, sed pro rerum vindicatione ac traditione agere valerent, seu potius, rerum aestimatarum dominium in conductores initio ita migrasset, ut locatores creditum tantum atque actionem creditoribus aliis aeque communem producerent. Patres vero tum pactis conventis, tum urbis consuetudine inspectis, se obtinere non poterant, quominus, retento jugi in locatoribus mercium licet subrogatarum dominio, eorum favore pro consignatione ferrent judicium. Et revera animadvertebant in primis, tabernas cum styliis ac mercibus, aliasque res per modum unius, atque quasi unum corpus fuisse locatas, atque adeo traditas, ut deberentur = *il tutto rendersi e ristituirsi piuttosto migliorato che deteriorato* =, data facultate = *ai proprietarii di poter riconoscere a loro piacimento l'esistenza dei suddivisati capitali, e trovandoli deteriorati e mancanti, procedere a quelle determinazioni che più opportune crederanno etc.* = Quod si vero ex contractus ejus-
1 modi litera, atque pactis omnibus aperte scateret, non tabernas tantum cum styliis locatas ex una parte, ac merces, pecunias, aliasque res aestimatas ex altera seorsim traditas fuisse, sed omnia una simul eodem modo, iisdemque legibus fuisse conductoribus precario atque ad locationis tempus concessa, nulla certo aderat causa, quare qui tabernas, styliaque uti propria locatoribus restituerat, caeterarum rerum ac mercium traditionem detrectaret.

Nec obstat, quod eadem capita, eaedem merces, ac pecuniae, quae initio traditae sunt, in tabernis reperiri non po-
2 tuerint, ob successariam subrogationem. Notissimum enim est, per subrogationem res, rerumque ipsarum dominium haud immutari; sed ubi pactum subrogandi adest, ac de re agatur, in qua subroga-
3 tio cadere potest, res subrogata eadem cum illa, in cujus locum subrogatur, penitus censetur ex tutissimo jure, quod tradit sacer ordo *post Pacif. de salvian. dec.* 125; praesertim cum res una cum taberna, aliisque corpus unum atque universale constituant; hoc enim casu cor-
4 pus ope quoque subrogationis idem manere censetur, atque in ejusdem proprietate, qui rerum initio traditarum dominium habebat, ceu post *card. De Luca. lib.* 8 *de cred. dis.* 35 *n.* 3 *et* 9, tradit *De Jorio Giurispr. di commercio lib.* 4 *tit.* 9, *et Rota in Romana societatis super primo dubio diei* 26 *junii* 1824 *cor. Reverendissimo P. D. meo De Cursiis.*

Nec juge mercium dominium apud locatorem excludi poterat ex eo quod merces aestimatae traditae fuerant; quasi exin-
5 de dominium ac rerum periculum ad conductorem translatum censendum fuisset ex juris praesumptione, de qua disserit *text. in leg.* 14 *ff. quibus modis.* Quod enim per praesumptionem tantum infertur ex jure, veritati cedat oportet; ac si

jurisprudentia in casu obtinere potuisset, quoties res ac merces aestimatae generatim traditae fuissent, absona prorsus vi-
6 debatur in casu, quo merces conductori traditae sunt cum expresso locationis scilicet titulo, qui precariam possessionem, minime vero dominii translationem importat. *leg.* 39 *ff. locati, et Rota in Romana locationis* 9 *junii* 1828 *cor. R. P. D. meo Muzzarelli.*

Caeterum si contractus verba ac pacta mercium, aliarumque id genus locationem ac proinde earum in locatoribus juge dominium evincant, id eo magis admittatur opportet, quippe et urbis quoque nostrae consuetudo suppetit, ex quo tabernae alicujus dominus, dum eam una cum
7 mercibus, aliisque rebus alicui locat, ita locare censetur, ut capitalia ad instar corporis universalis ad progressivam negociationem destinata, etsi una alteri subrogata sint, eadem tamen retineantur, et sub dominio locatorum, qui ideo, locatione durante, tabernarum non solum domini sunt, sed = *dei rispettivi capitali, stigli, merci e tutt'altro in esse esistenti* =, ceu quamplurimi urbis negociatores apertissime profitebatur. Quod vero in hujusmodi conctractibus, pactisque inter-
8 pretandis, nisi contrarium probetur, id actum intelligatur, quod moris et consuetudinis est, docet *textus in leg.* 31 § *quia assidua ff. de aedilit. edict., leg.* 16 *cod. loc. et conduct.*

Verum enim vero nec jurisprudentiae hujusmodi adversari videntur, quae ex mercatorio jure proponebantur, unde rerum vindicatio haud competeret, nisi res vel in transvectionis puncto, vel eadem ipsa in natura apud decoctoris patrimonium reperiantur. Constabat siquidem leges illas, ac doctores de casu loquutos
9 fuisse, quo rerum vera emptio venditio intercesserit, et quando mercium, quae naturaliter vel fictione juris in possessionem decoctoris censentur, confusae ita sint, ut ad earum vindicationem identitatis probatio necessario penitus requiretur. Exploratum ideo erat, quod quae in venditionis casu constituta sunt ad vindicationem excludendam, aptanda certo
10 non essent in themate, quo, dominii translatione minime sequuta, haud de vera rei venditae vindicatione, sed de ejusdem potius restitutione agi videtur illi facienda, qui res precario utendas tradiderat *ad text. in leg. procuratoris* 5 § *merces* 4 *ff. de trib. act.*, atque ex communis juris regula. Nec objiciendum, quaestionem de rerum restitutione seu vindicatione haud modo, sed ad syndacorum concursus, ac judicis commissarii
11 cognitionem deferendam fuisse. Syndaci enim, ac vir commissarius, qui unam decoctoris rerum cognitionem, atque ad-
12 ministrationem habent, juris alicujus arbitratores esse nequeunt, nilque potius habetur in foro, juris alicujus ac privilegii vel a domino vel a creditore aliquo adducti cognitionem ad judices ordinarios
13 penitus spectare. Praesertim vero in casu, quo ex rejudicata Paschali sartum tectum expresse fuerat *jus agendi in congruo judicio super proprietate.* Hoo namque judicato accedente, incivile admodum erat, ut quaestionis definitio, pecuniae que jure impetrata traditio amplius defineretur.

Et ita resolutum est, utraque etc.

**R. P. D. D' AVELLA'**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 22 *junii* 1838

ARGUMENTUM

De literis requisitorialibus ab extero missis, usura centesima etiam inter mercatores immodica declaratur, atque ad semissem reducitur. Anathocismi vitium est, quando initio usurae usurarum contrahuntur; non autem quando usurae, jam decursae et non solutae ad liquidum et in caput rediguntur, ex iisque percipiuntur fructus.

*SUMMARIUM*

1. *Nunquam praesumitur, quod quis velit in proprium damnum quidquam vel agere, vel omittere.*

2. *Ex lege Liburni obtinente terminus in literis requisitorialibus ad exteros missis non decurrit a die intimationis sed a die* della consegna al direttore della regia posta.
3. *Negocia tantummodo ad decoctoris patrimonium pertinentia, non autem aliena in statu activo et passivo ipsius decocti describenda sunt.*
4. *Usura ultra legitimum modum a lege damnatur.*
5. *Usura centesima etiam inter mercatores est immodica.*
6. *Ad judicis officium pertinet eam ad legitimum modum reducere.*
7. *Ex prudenti autem ejus arbitrio reducitur in casu ad semissem.*
8. *Hetruscae leges etsi ex commercii favore non requirant interpellationem requisitorum castrensium non ideo tamen censendae sunt usuras ultra legitimum modum permittere.*
9. *Anathocismi vitium adest quando initio usurae usurarum conventae fuerunt,*
10. *Ast exulat, quando usurae jam decursae et non solutae, fiant liquidae et reducantur in caput, tunc enim licet ex iis fructus percipere.*
11. *Decoctor ex intercepta commercii ratione usuras percipere non potest.*

## Decisio IC.

Rosa Tomarozzi cum mercaturam exerceret, lanarum quoque negociationem suscepit anno 1814 sarcinas complures mittens ad Thomam Spagnolacchi Liburni degentem, ut commercio inito, quod vocant = *di commissione* =, earum venditionem procuret, data eidem fide praestandi nummi unius in singulos centum et menses pro pecuniis, quas ante venditam mercem in suum commodum repraesentare debuisset. Res ab initio concorditer processit. At exturbari postea caepit, eo quod abnueret Rosa imminuto mercis pretio sese accommodare, certosque ad vendendum, quos invenire haud datum erat, limites praefiniret, insisteret vicissim Thomas, ut repraehesentatas pecunias recuperaret. Ad conciliandā disparata ejusmodi negocia Rosa potestatem Thomae dedit lanarum partem sub pignore tradere argentario Mospignotti recepta submministratione argenteorum quatuormille in partialem sui crediti satisfactionem. Hujusmodi facultate usus reapse fuit Thomas, remque cum Mospignotto gestam, ratam, atque acceptam habuit Tomarotia. Verum praeter quod istiusmodi temperamentum ingravescenti quotidie necessitate prospicere nequiret, cum Rosa continuo traheret collybisticas literas, unde augebatur in dies creditum Thomae, et continuae erant ipsius querelae, et etiam minimae de reliqua merce, quae emptorem non inveniebat, qualem Rosa exoptabat, ad hastam exponenda, grave illud imminebat, quod esset quanto ocyus pecunia Mospignotto restituenda redempto pignore. Hinc Thomas, qui favore Mospignotti suam quoque personalem, et realem obligationem emiserat, non praetermisit Rosam rogare, ut eam pecuniae vim transmitteret, sed inania retulit promissa; et factum propterea, quod Thomas necessitate pressus restituendae Mospignotto pecuniae, et dimittendi aeris alieni, quod pro solutionibus Rosae commodo explendis contrahere debuit, foro cedere coactus fuerit.

Syndacus decotioni deputatus vidit sui muneris esse, creditum vindicare, quod Thomas in Rosam habebat; utque rite in hac re procederet, leges loci apprime servavit; tresque intimationes, totidemque literas requisitoriales ad Rosam transmisit cum praefixione termini ad solvendum, quo elapso fieret mercis licitatio, quae reapsa, terminis in Rosae silentio elapsis, locum habuit ex judicis decreto; ceu itidem paullo pridem egerat Mospignottus, pignus sub corona vendens. Instetit post haec Syndacus patrimonii apud Rosam, ut residuum nomen dimitteret, sed ipsa perstit in mora: unde Spagnolacchius, qui interim restitui ad commercium obtinuit, eam est vadatus apud judices commercii urbis, ut rependeret vim sc. 4376. Varia in hanc rem interlocutoria decreta edidit tribunal, quorum postremum cum respiceret deputationem periti pro liquidando

credito, additis injunctionibus nonnullis quae jura ab actore deducta maxime laedebant, eidem non potuit Spagnolacchius acquiescere, sed provocationem apud nostrum auditorium interposuit, propositaque hac mane quaestione responsum a patribus datum est = *constare de credito favore Thomae in summa liquidanda, et ad dominum ponentem pro deputatione periti ratiocinatoris ad effectum liquidandi creditum juxta instructiones dandas, et extendatur decisio* =.

E conspectu siquidem computi a Spagnolacchio exhibiti nullum inerat dubium, quin ipsius favore de credito in genere constaret. Etsi enim quaedam corrigenda viderentur, unde probari in specie neutiquam poterat, quod illud ad vim assurgeret sc. 4376, ictu tamen oculi comperiebatur, ex ineunda post mendis rite correctis nova liquidatione haud creditum extingui, sed minui tantummodo. Re enim vera ut quodcumque Thomae creditum submoveret, seque imo illius creditricem efficeret, perperam in primis Rosa contendebat, teneri Spagnolacchium haud de vili et exiguo mercis pretio, sive a Syndaco patrimonii, sive a Mospignotto ad hastam retracto, rationem exhibere, verum de eo longe majori, quod ad mercem quod attinet a Syndaco venditam poterat commode Spagnolacchius reperire ante suam decoctionem, si operam ipse ad vendendum impendisset, qua diligens paterfamilias, et juxta illimitatas facultates a Rosa impertitas; ad mercem vero quod attinet a Mospignotto sub corona positam, quod ephemerides sive = *listini* = venditionis tempore obtinentes exhibebant. Etenim si sermo instituatur de lanarum sarcinis Syndaco distractis, non solum a verosimili aberat, quod Spagnolacchius, qui ex repraesentatis pecuniis creditor summae ingentis evaserat, quique sollicitus jugiter steterat apud Rosam de suis pecuniis recuperandis, voluisset in proprium damnum earum venditionem retardare, sed probatissimum quoque erat, datas in antecessum a Rosa absque ullo limite facultates (quae alioquin intelligendae videbantur de majori vel minori lucro, quod nunquam reperiri potuit, haud vero quod jacturam Rosa pateretur) fuisse postea intra certos fines ab eadem Rosa cohibitas, adeo ut calumniae proximum esset, de dolo et culpa Spagnolacchium succensere, si mercem reperibili pretio haud vendiderat.

Et fuit sane Rosa, quae per virum Franciscum scripsit die 13 junii 1818 = *in quanto alla vendita dè miei generi come vi scrissi con altra mia non intendo che sia inibita, ma non voglio vendere a rovina* =. Fuit etiam Rosa, quae in altero epistolio diei 17 mensis ejusdem dixit = *vengono a costare costì poste le vissane pezze 40 e le sopravvissane pezze 43, come potete credere, che possa prestare il consenso a vendersi pezze 32? E come la vostra amicizia lo vuole esigere da me?* Fuit prostremo Rosa, quae die 25 insequentis julii Spagnolacchio nunciavit =. *Risolvo di non vendere a minor prezzo delle pezze 42 per le vissane, e pezze 54 per le sopravissane. Riguardo poi alle poche Spagnole vi limito il prezzo di pezze 53* =. At si exploratum ex his erat ex facto et voluntate Thomaratiae, quae commercii vicibus renuit sese accommodare invenditam stetisse mercem ante Spagnolacchii decoctionem, et quovis inde dolo vel culpa fuisse Spagnolacchium expertem, nil equidem tam firmum ac stabile retineri poterat, quam ut vilius pretium, quod in publica mercis licitatione intercessit, damno Thomarotiae cederet.

Nec declinare hanc censuram poterat Thomarotia nullitatem alienationis objurgans, eo quod contra Praxeos leges, seque neutiquam prius interpellata, fuisset expleta. Constabat namque in facto, Syndacum decotionis sub die 20 augusti anno 1820 coram liburnensibus commercii judicibus instetisse, ut terminus Thomarotiae praefiniretur = *a ritirare 25 balle lana previo il saldo corrente, qual termine spirato autorizzarsi il signor comparente, a procedere alla vendita*

*delle medesime alla pubblica subasta* =. Constabat praeterea, requisitam ab eodem Spagnolacchio literam rogatoriam = *all'uditore della camera della città di Roma per la notificazione del presente atto e la citazione a comparire per giorno certo* = ex tribunalis decreto fuisse exceptam, et reapse Romam transmissam. Constabat postremo ex Rosae contumacia denuo, ac tertia vice literas requisitoriales fuisse renovatas, et debite transmissas ac expeditas; nec prius licitationem fuisse actam, quam cunctis terminis in Rosae silentio elapsis. Quae cum ita se haberent in facto, audiri non merebatur Thomarotia, quae alioquin per unum atque alterum epistolium a Spagnolacchio conscriptum monita jam pridem fuerat de futura mercis subhastatione, dum acta licitationis in discrimen adducebat ex defectu notificationis literarum requisitorialium. Utrum enim nec ne literae requisitoriales notificatae fuerint Tomarotiae, vel intimationem ipsa dissimulaverit, haud erat a Syndaco decotionis inquirendum; suo quippe muneri ipse satisfecit, dum literas requisitoriales transmittere curavit, valideque inde potuit ad subhastationem
2 procedere post terminos haud a die notificationis decurrendos, verum a die = *della consegna al direttore della regia posta* =, ceu disponit lex, quae obtinet Liburni, et qua etiam generaliter statuitur, ut retineri debeat = *che i tribunali stranieri non abbiano accolte ed eseguite le lettere rogatorie* =, quoties = *nei termini da fissarsi dai tribunali non sia pervenuta la responsiva dai tribunali o governi stranieri* =.

Haud secus vero sentiendum de pretio lanarum, quas Mospignottus distraxit. Male siquidem propugnabat Thomarotia, quod cum Mospignottus merces pigneratas distraxerit, se neutiquam ad formam legis prius interpellata, ideo damno Spagnolacchii cedere jactura deberet, quam passa ipsa fuit in earumdem mercium subhastatione. Simul ut enim quovis dubio vocabat, Spagnolacchium nonisi ex Thomarotiae mandato lanarum sarcinas numero 48 in pignus Mospignotto dedisse, nemo non videbat, quod si quid vitii in expleta a Mospignotto subhastatione intercessit, id a Spagnolacchio haud esset praestandum, quum is de facto alieno teneri neutiquam posset, sed peculiariter in Mospignottum de hoc agere Thomarotia deberet. Et nugatorie resumebatur pignus ante factam distractionem fuisse redemptum. Qui fieri enim poterat, ut pignus redimeretur, si Thomarotia pecuniam ad redimendam quaesitam a Spagnolacchio transmisit nunquam? Et inani conatu pignoris redemptio inferebatur ab epistolio Spagnolacchii diei 2 decembris anni 1828; quippe in eo dixit tantummodo, se debere juxta pacta conventa pignus redimere, et non dixit illud reapse redimisse. Minus obstabat quod Mospignottus Thomarotiae scripsisset = *noi non abbiamo vostre lane* =. Ita enim forte scripsit Mospignottus, vel quia se dominum mercis putavit, eo quod termini fatales ad redimendum excesserant, vel quia in pignoris constitutione non Thomarotiam, sed unum Spagnolacchium voluit agnoscere. Officere demum neutiquam poterat, quod in edito a Spagnolacchio statu activo et passivo sui credito ipse non adscripsisset 48 sarcinas lanae Mospignotto traditas, nec vicissim sui debito potuisset pecuniam mutuo acce-
3 ptam. Latet enim neminem, negocia tantummodo, quae patrimonim decocti respiciunt, haud vero aliena in statu activo et passivo ipsius decocti esse describenda, ideoque cum sarcinae Mospignotto traditae, et mutuata ab eo pecunia negocium non Spagnolacchii respicerent, sed unius Tomarotiae, consonum prorsus, ut pignus Mospignotto traditum adhuc vigens ob non factam illius redemptionem referri neutiquam a Spagnolacchio deberet in statu activo et passivo sui patrimonii. Caeterum omne in hac re dubium eliminabat epistola, quam die 4 martii anni 1820 ad Spagnolacchium scripsit Tomarotia, quando quidem manifesto ex ea scatebat, pignus ad illam diem nondum

fuisse redemptum, et minitari Mospignottum pignoris distractionem, ceu prostat ex verbis = *ogni ulteriore minaccia di vendita alla tromba non è richiesta nè dall'amicizia nostra, nè dall'equità, nè dalla comune intelligenza, nè tampoco dalla comune nazionalità fra voi, signore, e li signori Mospignotti, ed il mio signor Checco . . . . . pregate adunque i signori Mospignotti a nome anche del signor Checco ad avere maggiore sofferenza . . . . In qualunque evento è bene che vi dichiari, che questa loro vendita, se andrà bene fra voi ed essi, non puole; nè deve riconoscersi da me* =. Rebus vero ita se habentibus, justissime patres decreverunt, et peritus in liquidatione ineunda illud pretium calculare deberet, quod revera in actu venditionis sive a Syndaco patrimonii, sive a Mospignotto fuit repertum.

Ad usuras autem centesimas quod attinet, quas contendebat Spagnolacchius sui favore esse calculandas ex peculiari inita pactione, justum, et aequum patres putarunt perito injungere, ut eas decurtaret ad rationem scutorum sex in singula centum, eodemque sub modo credito Tomarotiae usuras poneret pro solutionibus, quas ipsa favore Spagnolacchii explevisset. Usura enim ultra legitimum modum damnatur a lege, quae jubet ex-
4 presse, ut *usurae supra legitimum modum solutae quasi sors indebita repetuntur. ad text. in leg. si non sortem* 25
5 *ff. de condict. indebiti.* At immodica et exorbitans etiam inter mercatores judicanda erat usurarum quantitas ad rationem scut. 12 in singula centum, ideoque cum ad officium judicis spectet, legitimum
6 modum usuris imponere, recte inde prudenti utens arbitrio censuit s. ordo, conventam fructuum quantitatem in scutis
7 sex cohibere, ceu majorem summam quoque a mercatoribus exigi non posse saepe alias definivit. Nec poterat Spagnolacchius praesidium ullum sibi mutuari ex consuetudine, quae inter Liburnenses mercatores viget, centesimas usuras percipiendi. Ejusmodi enim consuetudo, quae potius abusus et corruptela erat vocanda, licitam non valet reddere conventionem, quae usurariam pravitatem exhibeat; si-
8 que commercii favor, et privilegium tanti habitum est ab hetruscis legibus, ut procul ab interpellatione requisitorum castrentium, quod apud nos esset impermissum, conveniri fructus queant, intelligi id debet intra modum legitimum, non quidem ut arbitrium suppetat effrene usuras pacisci.

Cum autem in usu sit apud mercatores, in singulos annos rationes expungere, et quod reliquum est caput sive ex fructibus conflatum adnotare ad creditum frugiferum pro anno insequenti, idem patres servandum a perito instructionem dedere, ut praeter fructus ad semissem rationem unoquoque anno calculandos frugiferum quoque haberet pro anno insequenti quod ex anteriori reliquum fuit sive ex sorte, sive ex semissalibus fructibus. Considerarunt enim, hujusmodi reliquum unum sortis aeque frugiferae caput constituere procul ab anatocismi vitia; quippe locum id tantummodo habet, dum ab initio con-
9 tractus usurae usurarum fuerunt depactae; et exulat omnino, dum usurae decursae et non solutae liquidae factae sunt, et in caput redactae, cum hoc in ca-
10 su percipi fructus licite queant, tanquam ex nova radice producti, ex doctrina, quam tradit *Leotard. de usur. quaest.* 6. *n.* 14 *et seqq.*, et firmat *Rota dec.* 383 *n.* 5 *cor. Ansaldo, in assisien. legati super fructibus* 3 *julii* 1747 § 2 *cor. Canilliac, interamnen. dotis* 5 *julii* 1762 § 8 *cor. Riminaldo, in Romana pecuniaria* 22 *nov.* 1822 § 8 *cor. R. P. D. De Cursis.*

Denique cum ex decotione commercii ratio fuerit Spagnolacchio intercepta, ex qua usuras posset percipere *S. Rota in*
11 *dec. romana immissionis* 18 *martii* 1825 § 15 *cor. R. P. D. De Cursiis*, Patres propterea merito existimarunt Perito injungere, ut memoratas usuras ad diem primam decoctionis, et inde a die,

qua Spagnolacchius commercio fuit restitutus, usque ad diem inchoati judicii ipsius credito adscriberet.

Et ita etc, utraque ec. definitum est.

**R. P. D. DE CURSIIS**

ROMANA SOLUTIONIS

*Lunae* 6 *augusti* 1838

ARGUMENTUM

Superior decisio XCVII infirmatur. Venditis apobtecae styliis et avviamento, atque nihilo ab venditore sibi reservato, venditum hoc ipso intelligitur ejusdem apothecae exercitium.

*SUMMARIUM*

1. *Sine exercitio seu negociatione negocium concipi nequit.*
2. *Cum quis vendidit stylia et avviamentum apothecae nihilque sibi in ea reservatum voluit, hoc ipso constat venditum quoque fuisse ejusdem apothecae exercitium.*
3. *Stylia et avviamentum apothecae sine ejus exercitio manent prorsus ociosa et sterilia.*
4. *Penes duos in solidum ejusdem rei dominium stare non potest.*
5. *Continuata possessio post initam venditionem congrue referri nequit ad dominium.*
6. *Tacitum mandatum aequiparatur expresso.*
7. *Illud autem optime praesumitur ex scientia et patientia ipsius domini.*
8. *Voltura apothecae in publicis annonae codicibus sicuti per se dominium inducere non potest, ita ejus defectus dominium auferre nequit, quod quis legitimo contractu ex oneroso iitulo sibi quaesivit.*
9. *Qui autem hunc contractum novit, legitime cum acquirente sive cum ejus institore contrahit, quin sollicitus esse debeat de facta vel non facta inscriptione in publicis annonae codicibus.*
10. *Praeponens ex facto sui institoris obligatur.*

## Decisio C.

Ingruentibus creditoribus cum non posset satisfacere Philippus Sebregondi nisi ex venditione apothecarum, quas ad pistoriam et pastillariam exercendam artem in urbis platea, quam dicunt *madama* possidebat, illas alienare statuit. Quamobrem Theresia Carrega Philippi Nurus, ejusque vir Wisbertus Sebregondi cum perspicerent magnam utilitatem fore percepturos ex tabernarum acquisitione, supplicem libellum Ssmo Principi porrexerunt ad veniam obtinendam quamdam dotalem domum vendendi, pretiumque illius erogandi = *nell'acquisto di due bene avviati ed uniti negozii di maccheroneria e forno* =, quae ab eodem Philippo libere possidebantur. Annuit pontifex, injuncto tamen judici capitolino onere expendendi prius exposita *super actuali statu negocii et avviamenti*, ne in mulierem damnum ingereretur, eaque lege et conditione, ut negocium praedictum inscriberetur nomine ipsius mulieris in regestris praesidentiae Annonae. Sedulo rem rimatus est judex exequutorialis, qui cum comperuisset, solum styliorum valorem ab accito perito constitutum in quantitate nummorum 1932 excedere dotalis domus pretium, hujusque annum redditum scut. circiter 80 longe superari a tabernarum redditibus, quos idem peritus definiverat in argenteos 240, potestatem fecit petitam vendendi domum = *sostituendo al detto vincolo di dote - fondo dotale li due negozii* = prout; eo ipso auctorante, repetitum fuit in emptionis venditionis tabulis kalendis februarii anni 1832 solemniter scriptis, quorum vi Philippus Nurui vendidit = *li due negozii con tutti e singoli li stigli e loro avviamento, con tutti e singoli i suoi diritti azioni e ragioni, niente per se da oggi in poi riservato ad averli e goderli anche colla piena clausula del costituto e precario in forma etc.* =, eo quoque pacto, ut credita et debita illuc usque existentia damno et commodo cedere debenent unius Philippi, qui proinde a molestis emptricem se liberaturum promisit.

Cum itaque ex dotalibus juribus vi initi instrumenti plenum apothecarum domi-

nium adepta fuerit Theresia, cum ipsa-met eisdem directe praeesse nequiret, socero pro diuturna ejus experientia in illa negociationis specie versatissimo emptarum tabernarum curam concredidit. Valuit proinde Philippus, qua Theresiae institor, omnia gerere, quae quotidianum earum exercitium postulabat. Idcirco anno 1836 ad ipsarum instructionem frumento cum indiguisset, rubra 153 emit Philippus a Paulo Calabresi, habita fide de pretio, de quo paciscentes praecedenter convenerant in summa sc. 1602. 4 eidem solvendo = *ad ogni richiesta del sig. Calabresi* = Petiit hic solutionem, sed incassum; qua de re convenire Philippum debuit apud commercii tribunal, ad quod rapuit et Theresiam Actionem admiserunt judices quoad Philippum; Theresiae vero causam differendam existimarunt seorsim igitur contra illam, ejusque virum instituere certamen debuit Paulus, sed infelici exitu. Nec meliori fortuna pugnavit coram S. N. Ordine, ad quem appellaverat. Patres enim a me quaesiti in comitiis 4 superioris mensis Aprilis responsum dedere = *Non esse locum solutioni et extendatur decisio* = Sed non inde animum despondit Paulus; iterumque causa ad trutinam revocata, res ei benevertit; nam iidem Patres a me hac mane rogati responderunt - *Recedendum a decisis, et extendatur nova decisio*:

Nec aequa deerat causa mutati consilii. Praecedens siquidem resolutio falso hoc laborabat supposito, nempe ex inito contractu cessa, venditaque Theresiae fuisse stylia tantum quibus instructae erant tabernae, non autem earum exercitium. At contextu contractus melius inspecto, et ad trutinam revocatis iis quoque, quae conventionem praeivere, facile apparuit, contractus initus, ut ex sequutura permutatione majorem mulier utilitatem perciperet. Pro hac enim componenda cum familiae necessitatibus in precibus SSmo Principe porrectis oratores mentionem fecerunt *di due bene avviati ed uniti negozii*. Ad ipsam utilitatem quoque respexit venia Pontificia ea conditione concessa, ut dotali domui apothecae una cum earum exercitio adficerentur. Proinde voluit SSmus Princeps, antea diligentius inquiri in actualem statum negocii et avviamenti, scilicet in apothe-
1 carum exercitium, cum sine exercitio, seu negociatione negocium concipi non possit, prout ab etimologica ipsius vocabuli significatione desumitur *cap. 10 forus de verb. signific.*, *Calvin. Lexicon. jur. verb. negocium*, cum in exercitio dumtaxat apothecarum finis praecipuus sit constituendus. Re quidem vera Judex Capitolinus antequam exequutioni mandaret Pontificium Rescriptum, de verificando tabernarum exercitio praecipue sollicitus fuit, = *ed avendo rinvenuto dalle bollette del macinato che fa uno spiano mensile di Rubbia* 80 =, in quo tantum consistit tabernarum exercitium, induxit in animum = *che lo stato attuale del negozio è ottimo, e l' avviamento del medesimo è florido* =, causaque, ut par erat, cognita, juxta Pontificis mentem permisit dotalis domus alienationem = *sostituendo al detto vincolo di dote e fondo dotale li due negozii col loro avviamento* =, in quo erat et exercitium, cum ab hoc illud unice suam repetat originem ac diuturnitatem.

Reapse praeter stylia et avviamentum exercitium quoque Theresiae cessum fuisse a Philippo per instrumentum anni 1832 facile demonstratur e pacto, quo idem Phi-
2 lippus voluit nihil esse debere = *per se da oggi in poi riservato* =, seque voluit extraneum in posterum habendum. Si igitur nil sibi reservatum declaravit Philippus, necessario concludi debet, exercitium quoque venditum fuisse Theresiae, in quam veluti tabernarum emptricem transire necessario debuere jura quoque venditis apothecis inhaerentia, quae ad venditorem pertinebant. Nec attenta indole rei subrogatae diversimode res procedere poterat. Fructus Theresie favore gignebat vendita domus. Si praeter stylia et avviamentum cessum haud fuisset apo-

thecarum exercitium, sterilis dos evasisset, cum fructuum nomine nihil promis-
3 sum in instrumento legatur. Proinde cum stylia et avviamentum sine exercitio inutilia et ociosa prorsus maneant, nuda eorum cessio admitti prorsus non debet, praecipue cum compensandorum dotalium quoque fructuum rationem habuerit Judex Capitolinus, qui animadvertens per cessionem fundi dotalis scuta saltem 80 gignentis Theresiam acquisituram = *i detti due negozii che in vista della località sono per rendergli una somma annuale molto maggiore* = nempe = *almeno di scudi* 240 *come dalla dichiarazione del perito* = petitam dotalis domus venditionem permisit.

Firmo igitur pacto, quod nihil in posterum apud venditorem Philippum ma-
4 nere deberet, firmo juris principio, quod in solidum, penes duos rei dominium stare non possit, ut docet *Ulpianus in leg.* 3 § *si duobus ff comod.*, necessario dici debet, Philippum nullo prorsus titulo in tabernarum exercitio versatum fuisse, et propterea praesumi oportere, ipsarum negociationem, ipsa mandante, et consentiente Theresia, exercuisse, praesertim cum continuata illius possessio post initam venditionem congrue referri ne-
5 queat ad dominium, de quo non constat, ut docuit *S. Rota in nuperr. dec.* 15 *n.* 30 *part.* 7. Nec vero Philippo necessarium erat expressum Theresiae
6 mandatum ad Apothecas administrandas. Nemini ignotum est tacitam mandatum in jure aequiparari mandato expresso. Ipsius taciti mandati interventus facile autem psaesumitur ex scientia, et patientia ipsius Theresiae, quae cum communem mensam, et cohabitationem sem-
7 per cum Socero retinuerit, uti domina et praeponens haberi debet, prout idem S. Ordo constituit *in dec.* 43 *n.* 17 *cor. Ansaldo*, proindeque teneri servare conteactus, quos apothecarum causa institor Philippus inierat.

Nec relevat, quod in publicis Annonae codicibus deficiat Theresiae favore apothecarum voltura, et quod idem actum non fuerit quoad locationis contractum. Quamvis utramque volturam praescripserit SSmi Principis rescriptum, et exequutoriale ipsius decretum, videbant attamen PP. mei, nihil istum defectum in themate afficere, cum duo isti actus requisiti tantum fuerint, ut tuta magis magisque fieret Theresia a periculo, ne Annonae Tribunal ab exercendis illis apothecis foeminam excluderet, vel eam a materiali earum usu locator expelleret. Insuper perpendebant PP., quod ipsorum actuum
8 concursus cum in Theresiam nunquam apothecarum dominium inducere valuisset, ita ex rationis congruitate nec eorum defectus privare illam quibat dominio, quod vi publici solemnisque instrumenti ex oneroso titulo eidem Theresiae fuerat adeptum. Nec objiciatur, ipsius transcriptionis defectum impedimento esse debuisse, quominus Philippi fidei Calabresius suum fundamentum concrederet. Vix enim ex publico juratoque instrumento eidem compertum apparuit, apothecarum dominium vi Decreti SSmi Principis ex dotis causa pleno jure ad Theresiam spe-
9 ctare, indifferens omnino ei esse debuit, an ejus vel alterius nomine obsignatum in Annonae codicibus fuerit apothecarum exercitium. Proinde prudenter retineri potest, ipsum, dum frumentum pro Apothecarum exercitio tradidit fidem Theresiae, et non institoris Philippi sequi voluisse; nam semel agnito ipso dominio penes Theresiam, illud exclusum omnino a Philippo rite arguere debebat ex non ignota juris regula, quod penes duos contextim rei dominium consistere non possit.

Qua propter sibi imputet Theresia, si profusum hominem praeposuit suis apothecis; sed ex hoc haud recuset Calabresio pretium frumenti, quod ejus in-
10 stitor ab illo emit pro earum exercitio, ex constanti juris regula, quod praeponens semper obligetur ex facto sui institoris *ad text. in leg.* 1 *et* 5 *ff. de Instit. act.*, *leg. si institorem ff si certum petat*, § *eadem ratione Instit. lib.* 4 *tit.* 5. 6. 7.

Et ita ec. utraque ec.

B. P. D. BOFONDI

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 14 *Decembris* 1838

ARGUMENTUM

Particularem avaream rei dominus perferre debet. Quomodo perpassa procella et avarea ab navarcho legitime probetur.

SUMMARIUM

1. *Damnum ex casu fortuito marisque tempestate asportandae rei obventum ab ejus domino perferri debet.*
2. *Nemo de vi majori tenetur.*
3. *Avarea particularis ab rei domino perfertur.*
4. *Navarchi Diarium, in quo casuum varietas adnotatur omnem sibi vindicat fidem.*
5. *Ratio sive* il testimoniale: *quam defert navarchus apud acta tribunalis vix oram tetigit ad legis normam verificata infortunii probationem probatam facit ex jure maritimo.*
6. *Haec autem relatio exhiberi debet intra viginti quatuor horarum spatium currens ab tempore, quo navarchus in locum venit, ubi trudendae sunt merces.*
7. *In examine autem testium non verbuscula quaedam carpenda quoad rerum adjuncta, quum satis sit ut testes consentiant circa infortunii substantiam.*
8. *Eo minus de passo infortunio dubitari potest si constet eodem tempore marique alias quoque naves procella laborasse.*
9. *Probato infortunio navarchus de mercium defectu non amplius tenetur.*
10. *Atque onus probandi deperditionem accidisse ejus culpa vel dolo in adserentem trasfertur.*
11. *Eo vel magis, quando constet navarchum in paranda navi secundum regulas artis atque in itinere suscipiendo omnem curam adhibuisse.*
12. *Dolus et culpa nunquam praesumitur sed rigidissime probari debet.*

## Decisio CI.

Frumenti et orizae copiam, quam sibi comparaverat Augustinus Feoli Eridano portu = *Pontelagoscuro* = onerandam, atque in Urbe vehendam susceperat depacta mercede venetus navarchus Felix Fortunatus Lombardo. Navi idcirco intus et extra Venetiis accurate prius investigata, ac testimonio de ejus idoneitate ad navigationem obeundam relato e Gori sinu vela dedit ventis Navarchus octavo Idus Maji, postquam navigii tabulatum Storeis circum solidissime muniverat, veluti mos et ars requirebant, atque ut evectionis onus detrimento procul ferre datum esset. Verum insuperabili procellarnm impetu hominis providentia non juvit. Nam cum die decima secunda insequentis Junii strongylos insulam inter, et Parthenopeum sinum novis permearet, dira tempestas suborta est, quae illam vehementer adeo exagitavit, ut non parum relaxato, dissolutoque ex parte storearum tegumento, frumentum aqua commixtum in sentina immodice conflueret, quod ad diem usque vigesimam primam antlia et labellis erui continuo debuit.

Appulit interea navis prope Denariae insulam, ubi Navarchus perpassi infortunii probationem fecit, eamque renovare non praetermisit, quum ad Tyberis os gressum fecerit. Mox Urbem deventus sine mora Mercatorium Tribunal adiit, jacturae historiam apud acta ingenue patefaciens. Sed Augustinus, qui ex sibi tradito frumento rubra praeter triginta duo defecisse senserat, apud eumdem Triumviratum instetit, ut vel defectam copiam, aut illius pretium ederet Lombardus, qui vicissim depactae mercedis solutionem expostulavit in sc. 547. 80, trium oryzae sarcinarum pretio sponte oblato. Tum mercatorii Judices, indicta deperditi frumenti compensatione, residuam Novarcho mercedem scut. 141. 77 rependendam esse decreverunt. Verum huic profuit rem per provocationem ad S. Nostrum Ordinem deferre. Nam interrogati hodie Patres de sententia, rescripsere = *esse locum solutioni mercedis, detracto oryzae pretio, et extendatur Decisio.*

Siquidem in eo controversiae summa

residebat, utrum nempe frumenti defectus Navarchi culpae vel fraudi, seu potius infortunio damnoque fatali esset attribuendum. Si primum, planum erat de indemnitate Navarchum ipsum erga Augustinum teneri, quippe qui mercedis compensationem idcirco merito urgeret, sin alterum, mercedem ex integro Navarcho denegari non posse, etsi merces perierint. Quandoquidem non ambigui juris
1 est, damnum ex casu fortuito, sive turbine marisque tempestate asportandae rei obventum illius dominum, uti peculiarem avaream, perferre oportere; quum
2 nemo de vi majori teneatur, veluti *post text in leg.* 3 § 1 *ff Nautae Caup.* expresse cavet *Mercat. Cod. art.* 396. = *Le avarie particolari sono sopportate e pagate dal proprietario della co-*
3 *sa, che ha sofferto il danno* = Cui consonat *Rocca de Navibus n.* 57, *Azun giurispr. mercant. parola Capitano* § 15, *Baldasseron. Giurispr. maritt. la stessa parola capitano* § 57 *e parola Polizza di carico* § 3. Jam vero dum ex una Patres fatalis casus probationem exploratam habebant, fraudis suspicione aut culpa quavis expertem adeo Navarchum ex altera deprahendebant, ut in concredita mercium evectione earum vel ipso dominus solertiori cura haud usus forte fuisset.

Et ad primum quod attinet, liquebat ephemeride adnotata casuum varietas, et quam insudaverit Lombardus, ut vehementi fluctum jactationi resisteret, quae dum navigium quaqua versus concutiens naufragium minitabatur, rem adeo in discrimen adduxit, ut ad salutis spem arripiendam mercium jactus jam jam superesset, nisi in ventorum potestate sese offerre Navarchus potius prae fide sua delegisset. Ex quo tempestatis furore mirum non est, si adnotatum pariter venerit, aquarum permeationem, frumentique ptolationem in
4 sentinam magna copia contigisse. Quin de rei veritate dubitare sineret hujusmodi Diarium, quod quantum sibi vindicet fidem, neminem latet, docetque *Azun. Giurispr. mercant parola scrivano di nave* §§ 2 *et* 3.

Accedebat infortunii denunciatio, quam Denariae Insulae magistratui Lombardus exhibuit, mercatorii codici art. 239 rite obtemperans: nec non ad Tyberis oras illius met renovatio. Supremum vero rei fastigium imponere visa est declaratio, sive = *il testimoniale* =, quam, vix Romam petiverat, apud acta Commercii Tribunalis deferre ipse curavit, instans ut
5 sive nautae sive viatores quotquot forent ad legis tramites examini irent obnoxii, qui revera perpassi eventus historiam optime confirmarunt. Quam autem relationem juxta legis normam verificatam probationem probatam, ut ajunt, ex maritimo jure constituere palam est *Azun. Giurispr. mercant parola Consolato* § 7 *Baldasseron. Giurispr. maritt. parola prova di fortuna* § 11.

Perperam autem Augustinus declarationi vim detrahere adnitebatur sive quod infra vigintiquatuor horarum spatium confectam non fuisse assereret, sive quod
6 adducti testes sibi invicem contradicentes quodammodo referrent. Nam veritate longius aberrabat, quod de praeterlapso horarum curriculo insinuabatur, ad Tyberis os adventum cum Urbe commiscendo. Porro quum frumenti oryzaeque traditio Romae obtinere ex pacto convento debuisset, ibi vel declaratio peragenda necesse erat, propterea que istiusmodi actus termini nonnisi quam ex Navarchi ad Urbem adventu decurrere quibant. Quo constituto, facile quisque noscit, declarationem sine mora sub die secunda Julii exequutioni demandatam fuisse, unde objectionis futilibus apprime conjicitur. Quin meliori omine e testium examine verbuscu-
7 la quaedam carperentur quoad vaga rerum adjunctae semelac omnes unanimiter circa infortunii substantiam, ac intimam rei veritatem consentirent. Quod satis abunde visum est, ut legis voto obtemperatum dicatur. Nec praetereundum eodem tempore, marique quamplures alias

8 naves eamdem perpassas fuisse procellam. Ex quibus itaque junctis fatuitati proximum foret, infortunium, quo de agitur in discrimen adducere. Atqui eo indubie
9 constabilito, de mercium defectu Navarchi obligatio jam evanescit, ita codicis commercii art. 224 praecipiente. Onus autem probandi perditionem ex ejus cul-
10. pa dolove accidisse in asserentem transfertur ex doctrina *Baldasseroni Giurisprud. maritt. parola Capitano* § 30.

Verum neque res immutabatur, inspecta Navarchi methodo, dum navem mercibus oneravit. Imo vero cum omnimodam adhibuisse curam in itinere suscipiendo pateat, inexpugnabile Patribus argumentum ex eo consurgere visum est, quod mercium amissionem haud secus quam
11 infortunio adscribi posse suadet. Et sane postquam Lombardus navigium solide refici curaverat, nedum extrinsecus, sed intimiori quoque parte Venetiis perlustrari voluit, retulitque de idoneitate ad navigationem obeundam testimonium. Antequam vero iter carperet, atque onus super imponeretur; storeas tabulatui arctissime aptavit, ut tegumentum, quod-ajunt = *il Pajolo* =, frumentum praecipue servaret, quod sibi traditum erat = *alla rinfusa* =, ac revera recepit, cum ad evectionis onus substinendum navigium aptum fuerit renunciatum. Porro illius soliditatem frequentes vel ipsae vicissitudines probe commonstrarunt. Quandoquidem turbo et procella dum semel iterumque excitari caeperint, nil navigium pertulit, ac nihil innovatum in sentina, quippe quae exsiccata continuo apparuit. Jam vero aquam inspicere primum contigit, cum die nempe decima secunda junii gravior, vehementiorque tempestas suborta fuerit, quae hominum vitam posuit in ancipiti, et cujus majori vi navis compages utut solida resistere non valuit, quemadmodum recte quoque juris mercatorii, et artis nauticae periti ad rem conquisiti animadvertebant. Incassum igitur Feolius mercium defectum, qui casu fortuito confluisse palam erat, Navarchi culpae vel dolo tribuere conabatur; cum e contra scitissimum unicuique sit, sive dolum sive culpam neutiquam praesumi, sed ri-
12 gidissimo probationum genere indigitari, veluti *post arg. leg.* 5 *ff de edendo* docet *Azuni Giurisprud. mercant. parola colpa* § 11.

Demum posthabenda erant quae de quantitatis deperditi frumenti inverosimilitudine obtrudebantur. Praeter enim quamquod haud incredibilis hujusmodi copia primo intuitu appareat, quoties animadvertatur a die decima secunda ad vigesimam usque primam frumentum aqua commixtum ex sentina per siphonem extractum continuo fuisse; partim vero ob madefactionem non modice corruptum, partim autem ad instar corticis tabulatui adherens mansisse, dubietas quaevis insuper ex peritorum sententia repellebatur praetensam impossibilitatem omnimodo profligantium. Caeterum incivile erat absque probationum praesidio fraudis dolive suspicionem ingerere ob defectam in specie quantitatem, quum vicissim probatum undique patebat, infortunium in genere merces absumpsisse.

Et ita ec. utraque ec.

**R. P. D. BOFONDI**

ROMANA REPORTATIONIS FRUMENTI

*Veneris* 14 *decembris* 1838

ARGUMENTUM

Habes ex summario.

SUMMARIUM

1. *Fieri nequit debiti solutio propria debitoris re ab homine prorsus extraneo, qui nullum habeat a debitore ipso legitimum mandatum.*
2. *Haud quidem jure prohibetur tertio extraneo alterius debitum solvere, inscio etiam et inconsulto debitore.*
3. *At id facere ipse debet aere proprio non pecunia vel re debitoris.*
4. *Nemini enim licet de re aliena invito vel ignorante domino disponere.*
5. *Mandatum, ut res facti, non conjectu-*

*ris, sed certo aliquo facto comprobandum est.*

6. *Quod quovis modo ab decoctoris patrimonio ablatum fuit, inibi reportandum est.*

7. *Atque dumtaxat post reportationem si quod jus habet in re ablata experiri potest in congruo judicio qui abstulerat.*

## Decisio CII.

Decoctionem Caroli et Joannis fratrum Ceschetti pertimescens Paschalis Guglielmi sollicitus curavit ut quinquaginta frumenti rubra sibi ab illis debita quo valuisset pacto recuperaret. Qua de re Petro Ceschetti alter illorum fratre adstante, a quo horeorum claves Paschalis postulavit, *pridie kalendas octobris*, oneratis plaustris frumentum propria adduxit in horrea. Diu res bene se habuit, donec declarata per mercatorios judices *kalendis octobris* fratrum Ceschetti decoctione, patrimonii administrator ipse Paschalis extitit. Verum administratione expleta, constituti syndaci quid in decoctorum patrimonio gestum fuerat sedulo inquirentes frumentum ex ipso decocti patrimonio ablatum esse facile noverunt. Hinc illius reportationem coram commercii judicibus continuo postularunt, eamque iudices illi, despecta incompetentiae exceptione ab ipso Paschale opposita, decernere non dubitarunt. Mox contentio ex provocatione ad s. nostrum ordinem conscendit, de qua hodie Patres interrogati, respondere censuerunt = *esse locum reportationi, et extendatur decisio* =.

Quod nullo jure proprioque marte e fratrum Ceschetti decoctorum patrimonio frumentum Paschalis abstulerat, in idem patrimonium referre ipsum debere, compertissima atque incontroversa jura imperabant. Jam vero erat in facto exploratum, ab uno Petro Ceschetti decoctorum fratre Paschalem horreorum claves postulasse atque recepisse, uno quoque illo adstante onerasse frumentum, quod ad propria contulit horrea: erat quoque indubium nullum de reddendo frumento Petrum a fratribus habuisse mandatum. Quibus vero positis, quisquis sensu suo facile percipiebat, haud fieri ex jure unquam posse debiti solutionem propria debitorum, re ab homine prorsus extraneo, qui nullum ab debitore vel ipso reportaverit speciale mandatum, necessario a jure requisitum, ceu scriptum est in *leg. quodlibet debitum* 87 *ff de solut.*, *in leg. si procurator* 6 *ff de condict. indeb.*, traditque *Voet in pandect. lib.* 46 *tit.* 3 *n.* 1. Tantum igitur aberat, ut ex hujusmodi facto debiti expletam fuisse solutionem concludi valeret; imo oblationem potius curasse Paschalem retinendum videbatur, quae tamen nullo consistere jure potuisset.

Neque refragabat, quod haud sit in jure prohibitum tertio extraneo alterius de-
2 bitum inscio etiam in consultoque debitore solvere. Id namque tunc tantum permissum est, cum tertius aere proprio propriaque pecunia solvit, non autem de-
3 bitoris, cui quemadmodum debitum, ita et jus competit illud pecunia sua dimittendi, eodem prorsus modo, quo nemini licitum est de re aliena invito vel
4 ignorante domino disponere, ita nec alienum aes dissolvere propria debitoris pecunia, debitore vel ipso haud mandante. Quod probe sentiebant ipsius Paschalis defensores, qui proinde toti in eo erant ut Paschalis debitum solveret. Verum inani prorsus studio. Cum enim mandatum res facti videatur, non conjecturis vel levibus praesumptionibus, sed eloquenti
5 imo indubioque facto aliquo est comprobandum, *leg.* 1 *cod. de reb. alien. non alienand.*, *et s. Rota dec.* 905 *n.* 6 *coram Molines.* Porro nec mandati chartam, nec aliquod factum Paschalis attulerat, ex quo generale fratrum erga Petrum mandatum praesumere licuisset.

Quin fidendum rite fuisse Petro ipsi, qui modo se famulum, modo fratrum institorem ac generalem mandatarium bilingui ore dicebat. Tritum quippe nullam mereri fidem hominem, qui vario modo

deponit. Remoto igitur mandato, quidquid frumenti traditum a Petro fuit, haud sane erat debiti solutio, sed direptio vel ablatio, quam Paschalis ex debitorum proxima defectione commotus subletus quidem curavit, sed injuriose atque inutiliter; quandoquidem direptio illa praebere titulum nequibat, ut frumentum retine-
6 ret, quippe injuria gestum mole sua concidere sctissimum erat. Ex quo necessario sequebatur, frumenti quod Paschalis vel nullo vel invito prorsus jure sibi adsciverat, restitutionem vel reportationem effugere haud posse.

Perperam post haec multa miscebantur a Paschali, ut evinceret frumentum fuisse a se depositum in fratrum Ceschetti horreo, proptereaque nil aliud recepisse a Petro, praeter rem propriam, quae debita jam sibi a fratribus erat. Praeterquam quod enim haud multa disputatione opus videtur, num irregulare positum rite vindicare in defectione jam proxima deponens valeat, peremptorium in themate redibat, haud legitimo modo recuperatum a Paschale frumentum fuisse, indeque necessario descendebat, ut quod ipse illegitimo modo a decoctorum patrimonio habuerat, referret, vindicaturus
7 in posterum, si peculiare ei jus succurrat in suo congruo judicio experiundum.

Et ita etc. utraque etc.

**H. P. D. BOFONDI**

ROMANA REPORTATIONIS FRUMENTI SUPER CIRCUMSCRIPTIONE

*Veneris* 14 *Decembris* 1838

ARGUMENTUM

Habes ex summario.

SUMMARIUM

1. *Circumscriptio numquam decernenda nisi alter adsit ex tribus substantialibus defectibus* citationis *nempe*, mandati *vel jurisdictionis.*
2. *Commerciales judices jurisdictionem habent in rebus ad decocti patrimonium pertinentibus, ut inde apud eos distributio fiat inter creditores.*
3. *Hinc intra limites eorum potestatis est mandare reportationem rerum quae fuerint ab decocti patrimonio ablatae.*

DECISIO CIII.

Judicio compulsus Paschalis Guglielmi apud Commercii judices per Syndacos decoctionis fratrum Joannis ac Caroli Ceschetti, ut reportaret quinquaginta frumenti rubra, quae ab horum patrimonio subducere sibique adsciscere curaverat imminente jam defectione, mercatorii Tribunalis incompetentiam opposuit. Sed despecta tunc ab judicibus illis exceptione, jussaque frumenti reportatione, dum Paschalis provocavit a sententia ad S. Ordinem nostrum, actorum quoque circumscriptionem poposcit. Verum de sententia et hac super re requisiti PP. DD. responderunt = *Non esse locum circumscriptioni, et extendatur Decisio* =.

Et recte sane. Odiosissimum namque circumscriptionis remedium non alio est admittendum nisi quando constet dilucide atque evidenter actum judicium aliquo ex tribus substantialibus defectibus peccare *citationis* nempe, *mandati vel jurisdictionis.* Caruisse at vero jurisdictione commercii judices dum Paschalis defensores magno doctrinae apparatu sustinebant, non modo haud evidenter dilucideque commosrrabant, sed contra rem defendebant inexistentem. Indubium namque est, datam fuisse a lege commercialibus judici-
2 bus potestatem judicandi de rebus illis, quae pertinent ad decocti patrimonium, ut inde apud eos distributio fiat inter creditores, veluti ex edictali quae viget lege *diei* 1 *junii* 1821 *art.* 605. At vero dum commercii judices imperarunt, ut in dicto Ceschiettiorum patrimonio rediret quantum frumenti Paschalis nullo jure proprioque marte curaverat recupe-
3 rare, suam sane haud excesserunt potestatem, quae data adamusim eis a lege

est, ut decocti custodiant, praefiniant diribantque patrimonium.

Nec audiendus Paschalis erat dum propugnabat commerciali jurisdictioni haud pertinere quaestionem, in qua disceptabatur de validitate atque natura depositi, cum isthaec civili sit judicio communi e sententia amandanda. Etenim frumenti reportatio non indicebatur, eo quia descenderet istud ab natura seu inexistentia depositi, sed unum illud commerciales judices imperabant, ut rediret in patrimonium, quod ablatum nullo jure a Paschale fuerat. Uno verbo sententiam ipsi haud tulerant de alicujus actus validitate aut nullitate; sed mandarunt ut frumentum, quod Paschalis nullo suffultus titulo detinebat, quodque proprium adhuc defecti patrimonii erat ille restitueret. At istud agere commercii judices, veluti defectionis judices cum rite possent, circumscribendum ex jurisdictionis defectu eorum judicium PP. DD. merito sane haud censuerunt. Atque ita etc. utraque etc.

**R. P. D. BOFONDI**

ROMANA REPORTATIONIS FRUMENTI

*Lunae* 7 *Januarii* 1839

ARGUMENTUM

Habes ex summario.

SUMMARIUM

1. *Qui rem alienam sibi adscivit invito domino, vel ab eo accepit, qui nec dominus erat nec domini procurator, eam restituere omnino debet.*
2. *Testes pendente lite conquisiti fidem non merentur.*
3. *Nec qui deponunt inverisimilia.*
4. *Testis unicus qui is etiam amplissima dignitate praeditus nullam habet fidem.*
5. *Incredibile est, quod qui decotionem et fugam molitur, debita solvere antequam etiam eorum dies cesserit, curet, vel quid palam agat, quod secretum suum propositum patefaciat et* num. 6.
6. *Literae cambialis proprietas ex regulari* gyrata *per virtualem implicitamque venditionem* in gyratarium *transit.*
7. *Retractatio* gyratae *prorsus excluditur ab existentia literae cambialis penes* gyratarium.

DECISIO CIV.

Caeteros inter creditores, qui merces ad proxime decocturos fratres Joannem et Carolum Ceschetti in Urbe pistores, aliarumque rerum negociatores pertinentes abstulerant, sibique proprio marte adsciverant, et Petrum Cartoni recenseri compertum est. Is enim cum frumenti venditi causa plures a Ioanne subscriptas accepisset collybi literas, quarum alteram in vi scut. 825 persolvendam pridie kalendas octobris anni 1836 mox transtulerat in aromotarium Fridericium Pisoni = *per valuta avuta* =, priusquam solutionis dies veniret edoctus de imminenti Joannis decoctione, qui fugam jam arripuerat, ut rei suae prospiceret potitus clavibus, horreumque Joannis aggressus frumenti 94. Rubra indidem subtraxit. Realiquanto delituit, quia deputatus intes rim administrator Paschalis Gnglielmi alter ex creditoribus, qui frumentum aeque subtraxerant, in explenda mercium, aliarumque rerum descriptione frumentum sublatum reticuerat. Verum declarata a commercii Judicibus Joannis et Caroli fratrum Ceschetti decoctione, qui nominati sunt in decoctorum patrimonio syndaci res gestas ab administratore diligenter scrutati facile tandem comperierunt frumenti defectum, patratamque ejus subtractionem. Quamobrem vadatis distinctis libellis frumenti ablatores, Paschalis Guglielmi, pistor Vesci, ac Petrus Cartoni coram Tribunali Commercii condemnati singuli fuerunt ad illud in decoctorum patrimonium reportandum. Ex provocatione interposita convolarunt cuncti ad appellationis Judices, alter nempe Vescius ratione summae ad A. C. Conlegium, caeteri vero ad S. Ordinem Nostrum. Hinc quemadmodum quoad Paschalem exquisiti

de sententia Patres postridie Idus decembris elapsi anni responderunt *pro reportatione frumenti*; ita et quoad Petrum in hodierna Audientia idem Rescriptum tulerunt = *Esse locum reportationi frumenti et extendatur Decisio* =.

Ac merito. Qui enim alienam rem sibi adsciverit invito domino, vel ab altero, qui nec dominus erat, nec speciali pol-
1 lebat domini mandato, receperit, rem ipsam restituere certo tenetur ex notissimis juribus. Porro in themate constabat, quod, extortis clavibus, frumenti 94 rubrorum quantitatem ex Joannis horreo Cartonius abstulit, sibique addixit, absente inconsultoque Joanne vel ipso, quippe qui decoctioni proximum se videns fugam jam arripuerat. Nec de rei hujusce veritate dubium profecto movere licebat. Quandoquidem fidem de ea veluti de facto proprio perhibebant tum Petrus Ceschetti doctoris frater, qui erat in illius ministerio, tum Josephus Antonius Lasetti, qui pari modo Joannis servitio in furno erat addictus. Posito igitur subreptionis facto, haud decerni salva justitia non poterat frumenti ablati reportatio in Joannis jam foro cessi patrimonium. Ac frustra testibus hisce Cartonius opponebat, qui vel de nulla famuli resistentia quoad retentionem clavium penes Cartonium, mensuramque frumenti, uti muliercula quaedam faberque ferrarius; vel de consensu in id praestito ab ipso Petro Ceschetti, prout Canonicus quidam Salviani testabantur. Nam quoad primos nullam sibi vindicare fidem posse perspectum erat,
2 tum quia erant pendente lite conquisiti, tum quia inverisimilia deponebant. Inve-
3 risimile revera, ac incredibile videbatur, quod permitti Cartonio libenti animo voluisset, ut is nedum horrei claves retineret, sed et frumenti mensuram pro libito absolveret, nec domino adstante, nec ejus procuratore, nec gestore neque verò majorem fidem sibi conciliabat Canonici testimonium. Etenim praeterquam quod praesumi haud quibat, ut qui nullo praeditus erat vel speciali, vel generali *cum libera* fratris sui mandato, traditioni frumenti assentiretur, rem confi-
4 ciebat, quod cum Canonici testimonium unicum esset ac singulare, etiamsi praeclare curiae honore, aut eminenti dignitatae ille praefulsisset, nullam fidem sibi premerebat juxta notissimam censuram *Text. in leg. Jurisjurandum* 9 *Cod. de Test.*, quam sesse tradit *Rota* praesertim *in Verulana Defalchi die* 16 *januarii* 1835 *coram me.*

Perperam quoque inanique prorsus studio Cartonius contendebat, quod priusquam Joannes fugam capesseret, frumenti retrodationi erga ipsum convenisset pecuniae debitae loco, testimoniis in id adductis Philippi Ducrò, Petri de Petris, et Camilli Altobelli. In primis namque cum horum testium quisque in depositione sua unicus, ac singularis comperiretur, haud profecto erat audiendus ex mox relata juris censura. Nec insuper erat iisdem ulla fides adhibenda ex eo quod res narrabant, quae veritati minime congruebant. Qui enim fidem fallere, fugamque
5 jam moliebatur, praesumi hercle nequibat, ut vel solvendi debita impotentiam praesenti pecunia palam hinc et illinc, ac multo ante quam solutionis dies veniret, profiteri voluisset, vel consilium patefacere tradendi frumentum pecuniae loco; quod in pistore praesertim, qui frumentum non ad revendendum, sed ad panificium sibi comparaverat, periculosum admodum fuisset; quippe quia gravissimam imminentis decoctionis suae suspicionem ingessisset. Fortius quia nec id suasisset necessitas; quandoquidem frumentum tum vendi aliis percommode valuisset.

Eoque minus erant proniis auribus audiendi nonnulli ex Joannis famulis a Cartonio fervente lite expiscati, qui perhibebant, jam inde a die 26 septembris a Joanne mandatarium seu institorem constitutum Petrum ejus fratrem fuisse, op-
6 portunisque facultatibus honoratum. Rursus namque animadvertebatur, procul esse ab omni verosimilitudine, ut in fugae pervigilio Joannes coram hjusmodi fur-

furis testibus facultates in Petrum contulisset, adeoque fugam, quam tanto studio occulere curabat, voluisset palam ostendere; ut praeterea cordi ipsi fuisset negociis prospicere, quae sciebat in creditorum potestatem fore quam citissime perventura.

Denique asserta frumenti per debitorem facta traditio pecuniae loco ex eo quoque excludebatur, quod jam inde a die 10 maji 1836 collybi tesseram in Fridericum Pisoni aromatarium transferre Cartonius non dubitarat =*per valuta avuta*=. Hinc sequebatur, quo tempore obtinuit frumenti subreptio ad diem scilicet 30 septembris 1836 nec literae possessorem, nec proinde Joannis creditorem dici amplius Cartonium posse; sed literae ipsius proprietatem vi regularis versurae
7 seu ut inquiunt *gyratae*, per virtualem implicitamque venditionem in Pisonium legitime commigrasse juxta sanctionem Art. 130 et 131 Commercii Codicis. Quapropter si creditor jam diu esse desierit Cartonius, nec profecto literae solutionem condicere, nec frumentum pro pecunia accipere amplius integrum ei erat in manifestam caeterorum creditorum fraudem. Quae vero cum in jure certissima essent, nec inficias ibant, qui Cartonii partes tuebantur. Prae viribus tamen contendebant juris regulam haud tunc obtinere, ubi gyrantem inter ac gyratarium de retractanda gyrata convenerit, adeout literae solutionem gyrans ipse exigeret, atque condiceret. Verum enim vero seposita hac juris indagine, observabant Patres, haud concludenti modo in themate constare de hujusmodi retractatione seu rescissione. Nec gyratarii in id testimonium tanti erat habendum, ut rei minus verae suspicionem posset avertere. Jam vero si rescissionis, sive retractationis conventio revera intercessisset, haud idonea concipi valebat ratio, quare collybi tessera, quae
8 debitori, vel saltem ejus fratri die 30 septembris, quo frumentum traditum seu potius subtractum fuit, exhibenda erat, sed numquam exhibita nec commostrata, tradita Cartonio minime fuerit, sed penes gyratarium remanserit. Atqui compertum est, ad Kalendas octobris literam, de qua res est adhuc penes gyratarium mansisse; nec ante a Cartonio fuisse extinctam, quam die ipsa prima octobris. Quantum igitur a communi agendi methodo, ac commercii usu abhorret, ut debitor vel quisquis alius pro debitore gerat, solvere velit absque literae exhibitione, tantum a verisimilitudine aliena ac devia conspiciebatur confecta gyratae revocationis conventio. Hinc jure meritoque Patres, ne fraudibus in aliorum creditorum perniciem via nimis facilis pateret, frumenti reportationem in decoctoris patrimonium decernere arbitrati sunt.

Et ita utraque Parte contradicente re solutum est.

**R. P. D. D' AVELLA'**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 8 *Julii* 1839

ARGUMENTUM

Solutionum identitas nunquam praesumenda sed evidentissime probanda est, itaut sola in contrarium possibilitas eam excludat. Nonnulla habes de testibus, deque privatis mercatorum rationariis.

*SUMMARIUM*

1. *Privata rationaria praesertim inter mercatores atque de rebus ad mercaturam pertinentibus adversus scribentem et producentem absolutam constituunt probationem.*
2. *Syngrapha de recepto solutionem praesupponit, atque idem valet ac creditoris confessio.*
3. *Identitas solutionum evidentissime probanda est, itaut sola dubitatio ad eam excludendam sufficiat* et num. 8.
4. *Solutio scatens ex syngrapha de recepto ambiguis turbidisque exceptionibus nec infirmari nec elidi nec in dubitationem revocari omnino potest.*
5. *Temporum diversitas satis est per se ad excludendam solutionum identitatem.*
6. *Ob legis oculos tot obversantur solutiones, quot sunt acceptilationis syngraphae.*

7. *Error facti nunquam praesumitur et evidentissime probari debet.*
9. *Sicuti ex loci et temporis unitate actuum identitas arguitur, ita ex diversitate temporum locorum et personarum actuum discrimen infertur.*
10. *Duobus testibus alteri de auditu partis alteri de facto proprio eamdem rem conteste sermone deponentibus plena fides habetur.*
11. *Fortius si ad veritatem depositionis confirmandam adminicula accedant ex concomitantibus rerum adjunctis promanantia.*
12. *Testes adducti a reo convento, qui sibi defensionem parare non potest nisi post cognitam intentionem actoris, non subsunt exceptioni quod fuerint ad opportunitatem expiscati.*
13. *Ex fortuita solutarum quantitatum identitate haud rite infertur solutionum identitas.*
14. *Privata rationaria si inter mercatores fidem faciunt de iis quae in ipsis scripta sunt, nullam tamen fidem constituere possunt, quoad ea, quae ibi adnotata non reperiuntur.*
15. *Negativae probationi per se levissimae vis positivae tribui nequit.*

## Decisio CV.

Dominicus Calva pistrinum ut instrueret, quod exercendum susceperat, in Provincia Sabina, de tritico sibi comparando consilium subiit, quod Carolus Mastricola verum habebat, emitque inde primum majo mense superioris anni sex tritici rubra pretio una vice ex integro persoluto; postea vero in sequentibus mensibus Junio et Julio, habita de pretio fide, alia centum rubra comparavit, quae reapse venditor tradidit; neque in hanc causam solutiones interim defuere, sed ad hasce peragendas Dominicus modo sua, modo vicaria opera usus est, ita tamen quod si per se aliquid Carolo, exactoriique ejus persolvit, nullam unquam acceptilationem de numerata pecunia exarandam curaverit, quia satis sibi superque erat, ut in dati acceptique rationario solutio a Carolo notaretur; si vero per alium, syngrapham de pecunia Carolo persoluta conficiendam desideraverit, custodieritque penes se quam diligentissime, ut constaret, eum susceptum solutionis munus perfecisse.

Id autem fuit in causa, ut cum Carolus ex improviso incidisset in morbum, paucisque diebus vitam finivisset, Exequutores Testamentarii, quos ipse in elogio, cum quo decessit, designaverat, tantam pecuniae quantitatem a Dominico rependendam exposcerent, quantam ex rationario nondum fuisse persolutam ab ipsis deprehenderetur. Sed cum quantitas major peteretur ea, quae adhuc in obligatione esset, illico Dominicus duas syngraphas de recepto, unam scut. 66, alteram scut. 300, quae erant apud se de aliis solutionibus praeter in rationario notatas peractis exhibuit, promisitque deductis deducendis residuum veri nominis se fore soluturum quam primum. Exequutores testamentarii quum hujusmodi syngraphas aspernarentur, controversiam ad Commercii Tribunal definiendam detulere, petieruntque a Dominico reliqui pretii nomine scutatos nummos 596, et obul. 20, et sententia diei 12 maii praesentis anni eorum petitio fuit ex integro comprobata. Dominicus appellatione interposita ad nostrum ordinem confugit, quumque de moderatione appellationis esset in primis dimicandum, apparitoris ope scutatos nummos 230 et obul. 20, quot in calculo habitis binis solutionibus, quae a syngraphis de recepto scatebant, adhuc erant rependendi, Exequutoribus Testamentariis obtulit. Hinc noster ordo pro ea parte, qua alienum aes Dominicus inficiabatur, suspensivam appellationem concedere duxit opportunum. Hodierna vero Congregatione Rotali cum actio de ipso nominis jure fuerit ad examen revocata, responsum Patres dedere = *Quoad summam scut.* 230 *et ob.* 20 *provisum per oblationem realem, in reliquis non esse locum solutioni, et extendatur Decisio* =.

Multa sane magni ponderis argumen-

tà, nec non quamplurima rerum adjuncta in medium Dominicus proferebat, quibus praeter oblatam summam scut. 230 et ob. 20 nil quidquam Carolo debere Dominicus commostrabat. In primis quid tritici venditum, traditumque, quidve pretii hujusce emendi causa positum fuisset, certum utrumque, ut nil supra. Nam centum tritici rubra empta ac tradita, et pretii nomine scut. 1028 et ob. 20 solvenda fore, neuter litigantium in dubium revocabat. At in pretii parte scutatos nummos 432 persolutos a Dominico fuisse, vel idem dati acceptique rationarium, quod Carolus exaraverat, ostendit, et notula confirmat, quam ex eodem Actores deprompserunt, ac in jus detulere. Rationaria autem privata maxime inter Mercatores, et de rebus ad Mercaturam pertinentibus udversus eumdem
1 scribentem, ac producentem tantam constituere probationem, quanta dici vix maxima potest, certum in jure est atque exploratum *ad text. in leg.* 25 § *ult. ff de Probat. Ansald, de Commerc et mercat. disc. gen.* 248 *Ururio Dizion. unico Antic. lib. mercant.* § 10. Duas insuper, quae accessere solutiones, alteram videlicet scut. 66, alteram scut. 300 eamdem in causam pariter importandas nulla in animis Patrum suborta dubietas. Dominicus namque primum die 6 mensis junii superioris anni, deinde die 12 superioris mensis julii duplici distinctaque syngrapha praefatas solutiones se ad actum reduxisse commonstrat, quin de eorum authographa, et authentica forma ulla exceptio esset permota. Cum autem genuina
2 ac germana acceptilatio necessario praesupponat solutionem, hinc fit, ut syngraphae de recepto, quas Dominicus proferebat, in jure idem valeant ac creditoris confessio, quae nulla istius inficiatione potest infirmari *Text. in leg. Generaliter ff de numerat. pec.*

Perperam vero actores asserebant, binas hasce acceptilationes non distinctas diversasque solutiones, sed unas eademque rapraehesentare ac illas, quas venditoris rationarium descriptas exhibet sub diebus 9 et 23 mensis junii. Etenim ut vera ac certa identitas unius solutionis cum altera eruatur, in dubiis ac per necesse stringentibus rerum adjunctis atque argumentis demonstrandum est, solutiones, quas exhibent syngraphae de recepto, easdem indubitanter esse ac illas, quae extant in privato alicujus rationario, itaut univoca, concludens, et omnibus numeris de identitate scateat probatio; exindeque si dubia quoquo modo identitas su-
3 persit, id satis superque habeatur ad eamdem excludendam; quandoquidem solutio, quae syngrapha, et confessione creditoris certa est, ambiguis turbidisque exceptionibus neque infirmare, neque elidi, neque in
4 dubium ullo modo potest revocari, ceu perbelle simillime in themate *S. Ordo in Romana Pecuniaria* 5 *martii* 1792 § 2 *cor. Malvasia, et in confirmatoria* 5 *junii ejusdem anni* § 2 *cor. Eodem.*

Jam vero si agatur de solutione scut. 66, quae ex syngrapha Dominico tradita patet peracta sub die 6 junii 1838, asseri omnino non potest, nullum interesse discrimen hanc inter et alteram, quae in creditoris rationario notata est sub die 9 ejusdem junii. Omissa enim temporum diversitate, quae satis per se sufficeretad excludendam alterutrius identitatem, cum ex
5 facto deprachendatur, duplicem, distinctam, diversamque syngrapham Dominico fuisse traditam, alteram nempe die 6 junii, altera vero die 9 ejusdem mensis, atque utramque apud acta exhibitam fuisse, gravior certe probatio ad diversitatem revincendam nequibat adduci; quandoquidem tot ob oculos legis solutiones obver-
6 santur, quot sunt authographae, et authenticae formae acceptilationes. Nec quia ex rationario eruitur, Dominicum pariter sub die 11 junii numerasse argenteos nummos 66, argui poterat ex errore scribentis duplicem adnotatam fuisse solutionem, quando re ac factis non fuerit quam una.
7 Error enim facti numquam praesumitur, sed concludentissime probari debet, et sola in contrarium possibilitas efficax est

8 ad identitatem solutionum excludendam *Rot. cor. Lancetta dec.* 1195. *n.* 13.

Quod attinet vero solutionem scut. 300, quae prodit ex acceptilatione diei 12 julii, diversa haec comperiebatur ad evidentiam ab aliis duabus, quas Caroli rationarium exhibet factas, aliam scut. 100 sub die 23 junii, alteram scut. 200 sub die 3 julii ad diversitatem namque comprobandam confluebant tum *antecedentia* rerum adjuncta, tum *concomitantia*, ac *subsequentia* postremo. Quoad *antecedentia* siquidem aspernari non poterat testimonium Ignatii Caponera, qui inter peragendam Vincentio Bellucci Caroli exactori unica numeratione solutionem scut. 300 testando retnlit, quod = *in questa occasione mi disse il signor Bellucci, che avessi detto al signor Calva, che il suo fazzoletto bianco, in cui erano involti scudi cento, che il signor Calva gli aveva dati a Piazza Colonna, non lo aveva ritrovato* = Argentea ergo 100 Dominicus ex se persolvit, in foro Antonino tradidit, in albo sudario, quod amissum, erant involuta; et die 23 junii 1838 rependit, prout ex rationario hauritur; argentea e contra 300 a Caponera una tantum vice persoluta sunt, domi Caroli eidem Belluccio tradita nec in albo obvoluta aut nigro linteo data, et die 12 julii numerata sunt, prout ex Syngrapha de recepto ab ipsomet Bellucci exarata depraehenditur. Haec ergo actum unum et alterum utriusque solutionis adjunctorum antecedentium congeries esentiale quidem discrimen, nunquam vero identitatem interesse commostrat. Ergo et solutiones diversae. Nil enim in jure no-
9 tius, quod quemadmodum ex loci et temporis unitate identitas actuum arguitur, ita ex diversitate temporum, locorum, et personarum actuum discrimen inferatur *Gloss. in leg. Pannonius* § *reis ff de acquir. hered. Socc. jun. cons.* 24 *n.* 29 *lib.* 1, *Menoch. de Praesumpt. lib.* 8 *not,* 15. *n.* 22.

Relative vero ad *concomitantia* praeter caetera maxime notatu dignum alterum Pompeji testimonium. Narrat enim iste, cum Calva Carolum colloquentem se audivisse, confitentemque accepto quidem tulisse argentea 300 = *ma che nella moneta ricevuta aveva ritrovato* 8 *luigi calanti nel peso, e perciò lo preveniva che mandasse a ritirarli e sostituire altra moneta* = Et re quidem vera tertius adstipulatur testes Ghenzi nomine, qui Dominici mandato justi ponderis argentea Carolo attulit, aureis abrasis sibi restitutis. Hinc si sub idem tempus solutionis a Caponera factae argenteorum 300 una numeratione Carolus est fassus, neque 100, neque 200, bene vero = *di aver ricevuto scudi* 300, *che nella moneta ricevuta aveva trovato* 8 *luigi calanti* =, necessarie sequitur, taxative = *nella moneta ricevuta* = aureos abrasos fuisse repertos, ac per consequens solutionem scut. 300 revera unica quidem, non vero duplici numeratione fuisse peractam, atque hanc nihil commune habere cum aliis duabus, quas dijugiter, et antecedenter, prout ex rationario eruebatur, ad actum perductae fuere, aexistimandum. Duobus
10 enim testibus, alteri de auditu partis, alteri de facto proprio eamdem rem conteste sermone deponentibus si plena fides adhibenda *ad text. in leg.* 12 *de testibus*, fortius sane praestanda, quan-
11 do adminicula ex concomitantibus rerum adjunctis promanantia id, quod referunt, verum esse confirmant.

Demum ad *subsequentia* quod spectat, haec in lucem prodeunt ex ipsa Caroli iterata confessione, quam paucis diebus antequam et Roma, et ex hac vita decederet, peregerat. Fassus enim primum inter domesticas parietes Aloysio Brunetti, nihil sibi a Dominico deberi pro pretio Rubrorum centum tritici, quam argentea 200. Fassus praeterea id idem Petro Rosi, qui antea fuerat a Carolo interrogatus, num eumdem Dominicum idoneum haberet, si quid tritici habita fide de pretio venumdaretur, et fassus est, dum paucis mensibus praeterlapsis in eumdem Petrum Rosi incidit inquiens de

Dominico Calva = *non mi resta dare a saldo che* 230 *scudi* =. At si argentea 300, quae unica numeratione persoluta fuere, eadem omnino essent ac illa, quae duabus vicibus Dominicum persolvisse rationarium ostendit, fieri sane non potest, ut Carolus iterum iterumque fateretur, nihil amplius sibi deberi, quam scutatos nummos 200, cum reapse 332 adhuc rependendi supererant. Quapropter inter utrasque solutiones verum ac reale discrimen interesse concludendum, et Dominici nomen scut. 230 et obul. 20 esse, et praeterea nihil: cui nomini Patres merito provisum responderunt per oblationem realem ab eodem Dominico factam. Nec erat, cur testium fides in dubium revocaretur, essent perinde ad opportunitatem modo expiscati. Ad tres namque primos testes quod attinet, *Caponera*, *Pompei*, *et Ghenzi*, eorum depositio apud commerciales Judices primae actionis fuerat deducta; duo vero alii testes *Brunetti*, *et Rosi* hi robur tantummodo addunt priorum depositioni; et considerandum praeterea adductos esse haud ab Actore, ve-
12 rum a Reo Convento, qui nonnisi post cognitam Actoris intentionem potest sibi defensionem parare; ideoque exceptioni non suberant, quod ad opportunitatem essent expiscati, plenamque fidem sibi vindicabant.

Nec quidquam certe referebant, quod binae ille solutiones, alia scut. 100, alia 200 eamdem, ad unam summam relatis, quantitatem adamussim praeseferant ac illam 300, quam acceptilatio diei 12 julii persolutam fuisse commostrat. Nil namque futilius, quam ex fortuita solutarum quantitatum identitate identitatem pariter solutionum inferre, ceu ad rem *Nostri Ordinis cit. Decisio 5 martii* 1792 § 2 *cor. Malvasia, et in confirmat.* 15 *junii* § 6 *cor. Eodem.* Minus vero identitas solutionum, quae in quaestione sunt positae, ex eo poterat inferri, quod in privato Caroli rationario de receptis argenteis 300 nulla mentio injicitur. Privata enim rationaria si inter mercatores prae-
14 sertim fidem faciunt de iis, quae in ipsis descripta sunt, fidem tamen nullam constituere possunt quoad ea, quae in ipsis adnotata non reperiuntur, secus negativae probationi, quae levissima per se
15 est, vis positivae tribueretur contra omnia juris principia *ad text. in leg.* 21 *Cod. de Probat., et S. Rota in cit. Dec.* § 8 *cor. Malvasia, et in ejusdem cofirmat.* § 9 *cor. Eodem.*

Et ita etc. utraque etc. resolutum est.

**R. P. D. MARINI**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 8 *Julii* 1839

ARGUMENTUM

Superior decisio IC. infirmatur, confirmata tamen reductione centesimae usurae tanquam immodicae ad semissem.

SUMMARIUM

1. *Emptione venditione perfecta omne re venditae commodum et incommodum ad emptorem pertinet.*
2. *Conventio, quod, debitore pignus intra praefinitum tempus non redimente, liberum sit creditori illud pro suo lubitu distrahere, a jure reprobatur, cum vitium secumferat pacti* commissorii.
3. *Conventio adest inter apostolicam sedem et magnum Hetruriae ducem de modo exequendi literas rogatorias.*
4. *Hinc haud sufficit ut in Hetruria eae tradantur* - al direttore della regia posta - *sed oportet ut qui tradidit, aliquem constituat in urbe, qui auditorem camerae de ipsis huc perventis moneat, eas recuperet solutis omnibus expensis, earumque curet executionem.*
5. *Quod requiritur pro forma, non potest suppleri per equipollens.*
6. *In praejudicialibus scientia requiritur certa et specifica, nec sufficit praesumptiva et conjecturalis.*
7. *Usurae centesimae legitimum modum excedunt.*
8. *Tum ex veteri jure Hetruria obtinente tum ex mercatoriis gallorum legibus ibi numquam abrogatis usurae etiam in-*

*ter mercatores ultra rationem semissem porrigi nequeunt.*

9. *Et irrita est conventio, quae hunc usurarum modum excedat.*

10. *Anathocismi vitium est quando usurae usurarum fuerunt ab initio conventae non autem quando usurae insolutae ad liquidum perductae in caput redigantur.*

## DECISIO CVI.

Commercium, quod vocant = *di commissione* =, Rosa Tomarozzi, Romana negociatrix, uxor Francisci Brioni exercere consueverat cum Thoma Spagnolacchio Labrone mercaturam faciente. Merces quippe suas, ac praesertim lanas mulier ad eum mittebat, ut earumdem venditionem procuraret, certo sibi praemio retento; neque raro eveniebat, ut ante venditas quoque merces Thomarotia ad ipsum collybisticas literas persolvendas daret, qui tunc praerogatae pecuniae mercatorias usuras sibi asserebat. Ita sese habuerunt res ad annum usque 1819, quo Spagnolacchius foro cessit. Tunc Vincentius quidam Venditti syndacus deputatus fuit, qui obaerati patrimonii creditorum nomine possessionem susciperet. Hinc cum in Spagnolacchii promptuariis sarcinas 25 ex lanis ad Thomarotiam pertinentibus se reperisse asseret, muliere quamvis haud legitime monita, ad publicam hastam eas distrahere authumavit, ae deinceps dati acceptique rationes ad mulierem transmisit, in quibus debitricem erga patrimonium non tenuis summae eam constituebat. At quum Thomarotia debitum hoc agnoscere plane recusasset, ab ulteriori petitione abstinuit.

Post diuturnum septendecim annorum spatium, nempe anno 1836. Thomas Spagnolacchius ad sui patrimonii exercitium restitutus, diem dixit Thomarotiae apud urbanum commercii tribunal, postulans vim nummorum labronensium (*pezze di Livorno*) 4630. 17. 3 ad totum mensem julii 1821, fructusque exinde decursos. Petitionis hujusce fundamentum situm erat = *nel conto corrente* = ejusdem Spagnolacchii, in quo pro Sarcinis 48 lanarum ad Thomarotiam pertinentibus, quas pignori Spagnolacchius se tradidisse cuidam mercatori Mospignotio asserebat, nihil aliud mulieris credito adscriptum erat, quam *pezze* 2731. 15. 10, quot nempe mercator iste ex earumdem venditione retraxisse perhibebatur; ac pro sarcinis 25 a syndaco Venditti sub corona distractis vis dumtaxat *di pezze* 905. 15. 4 ejusdem mulieris credito attributa legebatur: contra vero Spagnolacchii credito ponebantur centesimae usurae, quamvis semisses tantummodo deberentur, usuraeque anni unius cujusque in caput frugiferum convertebantur. Super hisce, aliisque nominibus quum vehemens inter litigatores concertatio exarsisset, varia mercatorii Judices interlocutoria decreta protulere. Principio siquidem jussum fuit, et Periti viri pro rationum emendatione eligendi retinerent = *per basi generali* = singula dati acceptique nomina ibi recensita, cohibitis tamen usuris ad rationem semissem, ac anno unoquoque in sortem conversis. Mox imperatum fuit, ut Spagnolacchius patefaceret numerum sarcinarum Mospignotto traditarum, earumque identitatem cum illis, quas Mospignottus ad hastam distraxerat. Cumque Spagnolacchius exhibuisset tandem declarationem quamdam ipsius Mospignotti, tertium prodiit a mercatoriis judicibus interlocutorium decretum diei 22 decembris 1837, quo commissum fuit Perito jam electo, ut sarcinis 25 a syndaco Venditti perperam alienatis pretium maximum statueretur depromptum = *dai Listini* =, atque ut usurae Spagnolacchii credito adscriberentur usque ad diem decoctionis, in suspenso relictis aliis quousque de reintegratione ad commercii exercitium juxta legis censuram luculenter doceretur, in reliquis confirmata priori interlocutione. Provocavit exinde Spagnolacchius ad Nostrum ordinem, ponente R. P. D. meo De Avellà, atque in comitiis diei 22 junii superioris anni propitium obtinere valuit Re-

scriptum hisce verbis conceptum = *constare de credito favore Thomae in summa liquidanda, et ad D. Ponentem pro deputatione periti ratiocinatoris ad effectum liquidandi debitum juxta instructiones dandas* =. Quae sane instructiones congruebant cum prima mercatorii Tribunalis sententia interlocutoria. Haec definitio cum deinde confirmata fuisset in caetu diei 14 decembris, consentanea sententia in vulgus edita est. A qua Thomarotia cum appellationem interjecisset, causam hodierna die Patribus disceptandam proposui, qui responderunt = *Sententiam esse infirmandam, et extendatur decisio* =.

Principio quod attinet ad lanarum sarcinas 46, quae a Mospignotto ejusque sociis divenditae sub corona perhibentur die 15 martii 1822, contendebat Spagnolacchius istorum declarationi innixus, se, mandante Thomarotia, praefatam lanarum copiam illis tradidisse, et in earum causam summam recepisse *di pezze* 4330. 1. 8, ut sibi de pecunia a se praerogata satisfieret. Verum traditio isthaec probata minime videbatur. Fecerat quidem Spagnolacchio usque a mense septembris 1817 Thomarotia potestatem lanas Mospignotto tradendi, ut eidem Spagnolacchio persolverent = *tutte le vostre anticipazioni* =, adjectaque conditione, ut mercem distraherent = *al mio meglio, e colla mia intelligenza* =; promiserat atque vicissim Mospignottus die 31 augusti 1818, se, suosque socios Spagnolacchio praebituros = *per vostro conto, e per vostro debito quella somma, che crederemo conveniente* =.

Attamen probatum, ut par esset, non solum dici nullo modo poterat, Tomaratiae lanas Mospignotto revera traditas deinde fuisse a Spagnolacchio, sed excludi potius haud ambigue videbatur. Declaratio siquidem Mospignotti ac Sociorum, de qua supra est facta mentio, cum epistolis tum Spagnolacchii, tum ipsorum met adversa fronte pugnabat.

Declararunt namque isti, se die 3 junii 1818 sarcinas 21 lanarum ad Thomarotiam pertinentium pignori habuisse, literasque collybi emisse Florenorum 3700 implendas Tergesti, quas Spagnolacchius traxerat. At vero istiusmodi assertio conciliari nullo modo poterat cum epistola ejusdem Mospignotti die 7 insequentis septembris ad Thomarotiae virum scripta, ubi ajebat = *Il signor Tommaso Spagnolacchi non si è prevalso di alcuna somma da noi, nè ci ha fatto fin qui alcuna consegna di lana per vostro conto.*

Legebatur praeterea in supramemorata declaratione, quod, resoluto pignoris vinculo in sarcinis 21 lanarum ob sequutam solutionem Florenorum 3700, tunc quantitatem aliam sarcinarum 28 ad Thomarotiam spectantium die 23 septembris ejusdem anni 1818 Spagnolacchio habuisse, nec non harum 49 sarcinarum intuitu ipsos persolvisse *pezze* 4330. 1. 8. Verum id apprime refragabatur epistolis dierum 2. 9. et 16 insequentis decembris, in quibus Mospignottus ad Thomarotiae virum scribebat = *Non abbiamo noi vostre lane .... ci rincresce l'incaglio, che soffrono le vostre lane in mani del signor Spagnolacchi .... non mancheremo di coadjuvare le premure del signor Spagnolacchi per le lane vostre in sue mani* =.

Caeterum nullas omnino lanas Spagnolacchium tradidisse Mospignottis, adeoque illorum declarationem veritati nequaquam congruere, ex ejusdem Spagnolacchii literis haud ambigue colligi videbatur. Quandoquidem die 23 decembris 1818 ad virum Thomarotiae Spagnolacchius scribebat, se pecuniam a Mospignotto habuisse = *senza verun riguardo alla vostra onorata persona* =, Mospignottum voluisse = *biglietti miei* =, ac propterea loco pignoris = *un mio effetto* =, gemmarum nempe collectionem ad Spagnolacchium pertinentem. Querebatur insuper, sese abnoxium esse = *a tutti i pericoli delle lane* =, rogabatque Brionium, ut sibi facultatem tribueret distrahendi

lanas = *al vostro meglio* =, vel ut committeret Maspignotto=*di riceverle pagandomi i miei avanzi* =.

Ad excludendam vero jactatam lanarum traditionem erat summopere animadvertenda epistola, quam Spagnolacchius decoctioni proximus die 2 julii 1819 ad Brionium dedit. In ea quippe legebatur = *Vi sia d' avviso, che avendo veduto la quantità di tarme, che divoravano le vostre lane, ho dovuto scuoterle e ripulirle; fin oggi ho accomodate Balle* 48; *e vado a ripulire il resto* =; ex quibus sane verbis apparebat, lanas, de quibus agitur, in ejusdem Spagnolacchii promptuariis ad eam diem adhuc reperiri.

Neque objiciendum fieri potuisse, quod Spagnolacchius saltem post mensem julium lanas Mospignotto tradiderit, ut gemmarum collectionem recuperaret. Nam quum ipse nequaquam patefaceret, qua die reapse contigerit lanarum traditio, vehemens exinde exoriebatur suspicio post decoctionem locum habuisse; secus enim in statum activum et passivum, quem exhibuit apud acta die 4 novembris 1819 referre non omisisset debitum cum Mospignotto contractum *di pezze* 4330. 1. 8, ut vicissim 48 lanarum sarcinas, quas eidem pignori dederat.

At vero augebatur suspicio de diversitate lanarum si prae oculis haberentur auctionis acta a Mospignotto ejusque sociis expletae die 16 martii 1820. Lunae siquidem praeconis voci subjectae, atque in novem sortitiones distributae haud exhibebant sarcinas 48, quas Mospignottus a Spagnolacchio se recepisse asseruit, sed tantummodo 46, neque exibent signa, quae singulis lanarum sarcinis Thomarotiae erant adjecta. Praeterea hujusce venditionis acta nullo modo indigitabant, a qua persona proficisceretur merces, quae venui exponebatur, et in quam causam Mospignottus eam recepisset. Apparebat vero, unum ferme fuisse totius lanae emptorem Josephum Contessini, hominem per id temporis Mospignotto addictum. Ex quibus consequebatur, neque tuto affirmari posse, lanas, de quibus sermo est, ad Thomarotiam revera pertinuisse; neque istiusmodi lanarum auctionem doli suspicione carere.

Caeterum si attendenda esset Mospignotti, sociorumque declaratio, exinde colligeretur, lanas potius a Spagnolacchio eisdem divenditas fuisse pretio petiarum 4330. 1. 8; quum certum pretium eisdem praestitutum appareat pro earum pondere = *al netto valutate tutte assieme a pezze* 30 *il cento* =, additaque potestate illas redimendi = *colla facoltà accordata al signor Spagnolacchi di redimere in tutto o in parte le indicate lane al prezzo detto di sopra* = Quam profecto facultatem emptionis venditionis naturae omnino convenire, nemo est, qui non videat.

Quo posito per summam injuriam Spagnolacchius mulieris credito adscribere tantummodo authumaret pretium *di pezze* 2731. 15. 10, quod ex voluntaria talium lanarum venditione deinde Mospignottus assequutus est. Nam post perfectam emptionem venditionem omne commodum
1 et incommodum, quod rei venditae contingit, ad emptorem pertinere juris est exploratissimi § *Cum autem Inst. de empt. vendit. leg. quod saepe* 30 § *si res vendita* 4 *ff de contrah. empt.*

Quamobrem si lanas a Spagnolacchio emit Mospignottus pretio *di pezze* 4330. 1. 8, jacturam, quae in posteriori earumdem venditione facta est, perpeti unice deberet; recusare vero nequaquam posset Spagnolacchius, quominus Thomarotiae credito integram quantitatem *di pezze* 4330 1. 8 attribueret.

Neque item obligationi suae Spagnolacchius satisfacere dicendus erat, dum credito mulieris vim tantum *di pezze* 2931. 15. 10 adscribebat, etiamsi lanae pignori datae revera censerentur. Scatebat enim ex supradicta Mospignotti, sociorumque declaratione, apud eos remansisse = *le rimanenti balle* 48 *lane di Roma con facoltà di procurare anche la vendita al meglio del suo interesse* (nempe Spagnolacchii) *le quali essendo nel novem-*

*bre del* 1819 *mancato al commercio il prelodato signor Spagnolacchi, e così essendo divenuto inabile a ritirarle da noi giusta* il pattuito, *furono da noi medesimi dopo aver tentato in vano ogni altro mezzo di vendita, vendute al pubblico incanto nel mese di marzo dell' anno* 1820 *per stare a fronte delle suddette pezze* 4330 l. 8.

Atqui nihil aliud esse potuisse videbatur = *il pattuito* =, quam quod, Spagnolacchio intra praefinitum tempus lanas nequaquam redimente, liberum esset
2 Mospignotto eas prohibita distrahere. At conventiones hasce, quum vitium secum ferant *pacti commissorii* a jure reprobati, nullo in pretio haberi oportere, tralatitium est. *Merlin. de pign. lib.* 4 *tit.* 3 *quaest.* 95 *n.* 49 *Gait. de cred. cap.* 4 *quaest.* 1 *n.* 469 *Mangil. de subhast. quaest.* 160 *n.* 11 *Rota cor. Lancetta dec.* 818 *n.* 1 *et* 2.

Nec reponendum, si quid vitii in peracta a Mospignottis venditione intercessit, id a Spagnolacchio haud esse praestandum; quum is de facto alieno neutiquam teneatur, proindeque Thomarotiam adversus Mospignottum ipsum ejusque socios jus suum hac de re experiri debere. Perspicuum quippe est in themate, factum Mospignottii Spagnolacchio imputari omnino debere, quippe qui ex Thomarotiae mandato non aliter ejus lanas pignori dare potuerat Mospignotto, quam = *per esitarle al mio meglio e colla mia intelligenza* =. Quapropter si Spagnolacchius, hac conditione neglecta, Mospignotto Thomarotiae lanas pignori tradidit, atque imo potestatem eidem fecit eas pro arbitrio distrahendi, se ipso irrequisito, ubi intra tempus statutum pignus non reluisset, profecto mandati fines Spagnolacchium excessisse, atque erga Thomarotiam ad quanti interest eum teneri, res est evidentissima.

Sequens erat nomen alterum sarcinarum 25, quas sub hasta vendidit mense junio 1821 Vincentius Venditti, syndacus obaerato Spagnolacchii patrimonio deputatus. Adscripsit Spagnolacchius harum lanarum pretium in dati acceptique rationibus Thomarotiae in quantitate dumtaxat *di pezze* 905. 15. 4, quas syndacus Venditti ex illarum venditione collegit. At Patres censuerunt alienationem hanc haud recte factam fuisse. Ut enim rite procederet venditio, trina debitoris monitio, trina judicis decreta super praefixione termini ad reluendum, trium demum ejusmodi actuum denunciationes omnino requirebantur.

Verum in hisce omnibus, ac praesertim in decretis debitori denunciandis, praescriptum legis adimpletum nequaquam fuisse Patres judicarunt. Literas enim rogatorias praesidis supremi consilii justitiae Florentiae directas ad R. P. D. generalem Rev. Camerae Auditorem pro decretis Thomarotia in Urbe indicendis tradidit syndacus = *al direttore della Regia Posta* = Florentiae; quin praeterea se sollicitum praebuerit, ut ad mulieris notitiam revera referentur. At id fortasse satis fuisset, si de extero debitore ageretur commorante in Ditione, cum qua nullum tractatum habuisset Magnus Hetruriae Dux super reciproca denunciatione actuum judicialium: quamvis hoc quoque in themate acriter contendebant Thomarotiae defensores, ex alio capite peccasse syndacum Venditti in legem magni Hetruriae Ducis diei 6 septembris 1815, quatenus haec observari jubebat articulos 83 ad 90. praxis Hetruriae praecipientis edictorum certis in locis affixionem, eorumque insertionem = *nei pubblici fogli* =. At res erat de casu a praefata lege contemplato prorsus diverso. Paucis enim post diebus ab illius legis publicatione conventio inita est inter Apostolicam sedem, et magnum Hetruriae Ducem
3 super modo exequendi literas rogatorias. Haud itaque satis erat, ut literas hasce syndacus traderet = *al direttore della Regia Posta* =; sed requirebatur, ut ali-
4 quem in Urbe constitueret, qui R. P. D. Camerae Auditorem moneret de literis rogatoriis huc perventis, nec aliter recupe-

randis, quam *per consegna*, sumptusque omnes praerogaret necessario solvendas actuario atque apparitori pro earumdem literarum exequutione, ceu publicus administer ex officio testatus est, idque confirmabat observantia, qui nemo ita se gessisse syndacus ipse Venditti ostendebatur, cum cuidam in Urbe commoranti Florentinorum tribunalium decreta significanda curavit. Quodque oscitanter omisisset quoad Thomarotiam exinde factum, ut literae rogatoriae pro denunciandis decretis liburnensis tribunalis in nostro literarum diribitorio usque ad externam diem ociosae remanserint.

Nec rem mutabat, ex epistolari commercio Thomarotiam de ineunda lanarum venditione certiorem fieri potuisse, quod enim
5 requiritur pro forma, non potest suppleri per equipollens; atque in materia valde praejudiciali scientia requiritur certa, et
6 specifica, quum praesumptiva, ac conjecturalis minime sufficiat. *Rota cor. Ansaldo dec.* 443 *n.* 19 *ed in nuperr. dec.* 266 *n.* 3 *tom.* 8.

Ex hactenus consideratis Patres duxerunt, tam venditionem sarcinarum 48, de qua supra, quam venditionem aliam sarcinarum 25 perperam factas fuisse. Ex quo sequens esse deberet, ut Spagnolacchius ad refundendum maximum pretium adigeretur = *risultante da Listini* =; sed cum ex facto constaret, lanas, de quibus agitur, vetustiores fuisse proindeque minus pretiosas, censuerunt Patres pro unaquaque venditione a Spagnolacchio reprachesentandum esse pretium *medium* dumtaxat tunc emergens = *dai Listini* =, atque insuper decima quoque parte imminutum.

Judicarunt praeterea Patres, injuria in calculatione Spagnolacchium sibi adscripsisse usuras centesimas; easdemque ad semissalem mensuram esse redigendas. Nam usuras centesimas, sive = *dell' uno per cento al mese* =, quae centesimo mense sortem aequant, legitimum modum exce-
7 dere, est in comperto. Atque inspecto tum veteri jure in Hetruria obtinente, de quo Baldasseronius in opere *Leggi e costumi del Cambio part.* 1 *art.* 12 § 4 *et* 5,
8 tum mercatoriis Gallorum institutis, quae nunquam ibi abrogata perhibentur, usurae etiam inter negociatores ultra rationem secuncem porrigi nequaquam poterant. Inanissime idcirco usuras centesimas sibi Spagnolacchius arrogabat ob conventionem ea de re cum Thomarotia initam;
9 quae etsi satis superque probaretur, nihili tamen facienda esset *ad Textum in leg.* 9 *ff de usuris et fructibus.*

Visum itaque Patribus est, Spagnolacchii calculationem ex tribus hactenus perpensis nominibus (quae jactatum ejus creditum potissime constituebant) esse emendandam. Non censuerunt vero propitias aures Thomarotiae praeberae dum conquerebatur, Spagnolacchium pro annorum numero tot computa distinxisse, ut usurae primi anni in caput conversae novas usuras progignerent, perinde ac si absque Anatocismi vitio id fieri nequaquam potuerit. Quippe locum id tantummodo sibi vindicare, quum usurae usurarum
10 fuerunt ab initio in stipulationem deductae, minime vero quando usurae insolutae ad liquidum perductae in caput rediguntur post *Leotard. de usur. quaest.* 5 *n.* 14 *et seq.* docet. *Rot. dec.* 383 *n.* 5 *cor. Ansaldo, in Assisien Legati super Fructibus* 3 *julii* 1747 § 2 *cor. Canilliac, in Romana pecuniaria* 22 *nov.* 1822 § 8 *cor. R. P. D. De Cursiis.*

Neque item jure obsistere Thomarotia comperiebatur, quominus Spagnolacchii credito usurae adscriberentur (quatenus revera creditum aliquod frugiferum superfuisset) posteriores = *alla sua riabilitazione* =, quam obnixe denegabat: sequutam siquidem fuisse hujusce hominis restitutionem ad exercitium suorum jurium ambigi non posse videbatur, statim ac in judicio sine ulla contradictione reperitur.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. MUZZARELLI

PISAUREN. RESTITUTIONIS NI INTEGRUM

*Lunae* 16 *Septembris* 1839

ARGUMENTUM

Irritae sunt cambiales literae a minoribus vel mulieribus mercaturae operam minime dantibus subscriptae. Artifices, etsi elaborandas merces minutatim emere consueverint, inter mercatores et negociatores haud recensentur.

*SUMMARIUM*

1. *Nullae sunt cambiales literae subscriptae a mulieribus vel minoribus, qui mercaturam non exerceant.*
2. *Qui domi privatim artem exercet nec unquam publicum habuit tabernam, nec in puplicorum negociatorum albo adscriptus fuit inter mercatores censeri nequit.*
3. *Non unus paucive negociationis actus sufficiunt sed opus est habituali negociationis exercitatione, ut quis mercator vel negociator habeatur.*
4. *Ex una cambialium literarum subscriptione mercatoria qualitas haud probatur.*
5. *Artifices, licet merces nonnullas ad ipsorum artificia idoneas identitatem emere consueverint, inter negociatores minime recensentur.*

## Decisio CVII.

Ex tribus collybi literis, quas singulas pro scut. 51 et ob. 25. Pisaurenses conjuges Carolina Fradelloni muliebrium ornamentorum opifex, et Odoardus Michelini publicus aromatum negociator die 10 augusti anni 1834 favore judaeorum fratrum Perugia in Senogalliensibus nundinis pro emptis mercibus scripserant, alteram et alteram, quum solutionis dies advenerint, religiose persolverunt, tertia vero, quae ad exitum mensis octobris solvi debuisset, propter Odoardi inopiam penitus insoluta remansit. Istud itaque nomen creditores apud Anconitanum Commercii Tribunal adversus Carolinam condixerunt, ac personale mandatum postulaverunt. Publicam negociationem sese nunquam exercuisse, praedictaque merces non sibi, sed viro venditas fuisse, eum proinde unum collybistici nominis debitorem renuntiari debere, ipsa, positionibus ea propter delatis, contendebat. Verum ii Judidici, positionibus prorsus rejectis, definitivam sententiam creditorum postulationi omnino consonam pronunciaverunt, illamque appellationis Judices confirmaverunt. At extraordinarium remedium Restitutionis in integrum, circumscriptionis postulatione rejecta, Signaturae Tribunal Carolinae concessit. Et hodie mane S. Ordo Noster propositae instantiae respondit = *Esse locum restitutioni in integrum et extendatur Decisio* =.

Et sane in art. 108 edictalis legis commercialis apertissime constitutum est = *le lettere di cambio sottoscritte da minori*
1 *non negozianti, e donne non esercenti mercatura pubblica sono nulle a loro riguardo, salvi i diritti rispettivi delle Parti perciò che si è convenuto a loro vantaggio a termini di ragione* = sed Carolinam muliebrium ornamentorum artificium tum ante tum post nuptias cum Odoardo contractas domi privatim exercuisse, nunquam vero publicae mercaturae operam dedisse, constabat. Nunquam enim publicam tabernam ornamentis mu-
2 liebribus instructam habuisse, nunquam in publicorum negociatorum albo inscriptam fuisse, nunquam vectigal persolvisse a quocumque mercatore praestandum Petrus Scacciani Pisaurensis Conlegii mercatorum Praeses perhibuit. Quum igitur ex hujusmodi testimonio, cui plena fides non adhiberi nequivisset, mercatoria Carolinae qualitas penitus excluderetur, collybi literam, de qua disputabatur, nulliter ab ea scriptam fuisse, ex recitatae legis censura manifestissimum erat.

Fortius quum complures, et aeque insuspecti testes Petro adstipulabantur. Nam Dominicus Giangolini, Cajetanus Togni, Pacificus Maccolini, Ferdinandus Romiti, Andreas Cristini, qui utpote Carolinae concives, et Pisauri jugiter degen-

tes plenam rei scientiam habere, ac de publica voce testimonium tuto perhibere valebant ingenue declaraverunt, = *che Carolina Fradelloni moglie di Odoardo Michelini di Pesaro esercita attualmente, siccome ha esercitato in passato, il suo mestiere di Modista, lavorando in casa di sua dimora senza insegna di fuori, nè averla tenuta mai nè in passato nè adesso, ma avendo semplicemente lavorato, e lavora ora per conto de' suoi avventori ricevendone commissione, nè avendo mai venduto merci all' ingrosso, o a minuto, nè formato lavori per proprio conto ad oggetto di rivenderli e farne un traffico, ma aver sempre prestata l' opera sua in lavorazione di cose relative all' arte sua, cosicchè non è stata mai reputata negoziantessa, ma semplice artista privata di mode, tali essendo ancora tutte le altre modiste di Pesaro, cioè Carolina Pieroni Tamburini, Assunta Imperadori, Luigia Bonnini, Marietta Spellini, ad eccezione della signora Valburga Barberini, che è modista Negoziante* =.

Idemque Marianna Ronconi, Margharita Evangelisti, Theresia Paganelli, Juditha Girometti, Agnes Scipioni, Anna Maria Massari, Johanna Cristiani, Aloysia Trasarti ex certa scientia factoque proprio confirmarunt. Siquidem testificatae sunt, = *che essendo state avventrici fin da quando era giovane, ed essendole tuttora della signora Carolina Fradelloni maritata al signor Odoardo Michelini, che fa il mestiere di modista in questa città, non ha mai ritenuto oggetti di mercanzia o in grande o in piccolo, e che lavora gli oggetti, che noi le portiamo, e se manca qualche cosa di fodera o di accompagno, o l'abbiamo comprato noi stesse, o le abbiamo data commissione di comprarla, anticipandole i danari per la spesa, com' è costume anche colle altre che fanno le modiste in questa città* =. Quamobrem Carolina muliebrium dumtaxat ornamentorum artificio, non item mercaturae operam dedisse, magis magisque erat in compertis.

Quin officeret Joannis Passeri Modi, et Andreae Ricci testimonium, qui asseveraverant = *essere a loro cognizione acquistata per pubblica fama, che Carolina Fradelloni moglie di Odoardo Michelini di questa città di Pesaro ha qui esercitato ed esercita pubblicamente l' arte di modista comprando merci adattate al suo mestiere per ridurre in diverse forme, è quindi venderle a proprio conto, cioè a dire Cappelli, Cuffie, ad altri oggetti di abbigliamento muliebre* =. Illud enim fidei praedictorum testium, qui tum quantitate, tum qualitate praestabant, praeferri nequevisset. Eoque minus quia Riccius et Modius suspectissimi erant, siquidem alter Conjugum Michelini creditor erat, alter fratrum Perugia procurator fuerat. Nec item testimonium obstabat Rosae Muccioli Grazia, quae affirmaverat, = *che due anni circa a questa parte non rammentando il giorno e mese preciso, ma ricordandosi bensì essere avvenuto quanto appresso, primache la nominata Carolina si sposasse ad Odoardo Michelini, comprò essa medesima dalla detta Carolina un abito di seta nero, non che fettuccie di seta, fiori ed altre cose, che alla circostanza gli occorrevano, e che la stessa Fradelloni teneva vendibili* =. Nam assertus emptionis venditionis contractus tempus omnino diversum respiciebat, proindeque testimonium illud absonum a themate penitus erat. Et caeteroquin Carolina ex hoc uno quod vestem, vittasque sericas, et flores Rosae semel vendidisset, mercatrix censeri nequivisset. Quandoquidem unus paucive
3 negociationis actus satis non sunt ut mercator vel negociator aliquispiam censeatur, sed habituali opus est negociationis exercitatione ad expressam censuram art. 1 aedictalis legis commercialis = *Sono commercianti quelli, i quali esercitano atti di commercio, e ne fanno la loro professione abituale* =.

Pariterque nihili faciendum erat testimonium Conjugum Pasotti, qui non nulla muliebria ornamenta a Carolina emisse testificati fuerant. Nam et quoad illud animadversio recurrebat, Carolinam ex hoc uno negociatricem censeri non posse, quod alterum alterumve negociationis actum identidem exercuerit. Praeterea nulla praedictis conjugibus fides adhiberi poterat; quia conjugum Michelini debitores erant, imo judicialem pignorationem passi fuerant. Et aeque spernendum erat testimonium Antonii Magi proxenetae, qui Carolinam publice mercaturae operam Pisauri dedisse asserebat. Vilissimi namque proxenetae fidem insuspectissime fidei Praesidis Conlegii Mercatorum praeferre injuriosum profecto fuisset. Ex quo denique Carolina nonnullas merces a Bonifantio mediolanensi negociatore comparasset, et pro illarum pretio collybi literam una cum viro subscripsisset, publicam negociationem exercuisse perperam concludebatur. Nec enim illas mercandi gratia emptas ab ea fuisse constabat. Et caeteroquin eo ipso, quod pro mercibus ab uxore emptis maritus collybi literam scripserit, ipsam mercatoria qualitate destitutam fuisse liquebat. Quandoquidem ex collybisticarum literarum subscriptione mercatoriam qualitatem probatam censeri non posse, nemo nescit, et hoc ipsum, quod agitur, judicium aperte demonstrat.

Ex quo autem in art. 602 saepedictae legis commercialis constitutum est = *la legge reputa atti di Commercio qualunque compra di derrate e mercanzie per rivenderle sia in natura, sia dopo averle lavorate e poste in opera, e anche per locarne semplicemente l' uso* =, et Carolina merces ad artificium suum fortasse opportunas quandoquidem minutatim emerit, ipsam publicae negociationi assiduam operam dedisse concludi nequibat. Etenim artifices inter et negociatores caute distinguendum esse, et illos, licet merces nonnullas ad ipsorum artificia idoneas identidem emere consueverint, non ideo tamen uti negociatores habendos esse, docet *Conciolius ad stat. Eugubinum lib. 5 vol. 1 § 3*, ubi ait = *Qui rem emit, et mutata forma illam revendit, puta emendo ut faciat sagulos, chartam ut faciat libros, lignamina ut faciat scranna, tabulas et similia, non dicitur proprie Mercator sed artifex* = Idemque tradit *Ansuetus de comm. discept. gen. § 54.* Neque hujusmodi doctrinae neotericae legis commercialis censura refragatur; sed imo istam intelligi, et interpretari debere, ut artifices cum negociatoribus, haud confundantur, et illi ex hoc uno, quod merces ad artificium idoneas comparaverint, inter mercatores non accenseantur manifestissimum est. Reque vera supremus Gallorum Judex de intelligentia rogatus censurae art. 628, Gallici Codicis Commercialis, quae censurae praedicti art. 602 Pontificiae legis commerciales ad verbum omnino consonat, anno 1811 respondit = *sono stato più volte consultato, o signori, del senso che si deve dare alla parola Commerciante nel caso dell' applicazione dell' art. 69 del Codice di Commercio, ed ho risposto sempre, che si debbono considerare tali tutti i Negozianti, Banchieri, Fabbricatori, e Mercanti. Non sembra però, che debba collocarsi nella medesima classe il semplice artista, il quale lavora soltanto a misura de' comandi, che riceve, e che del suo stato non fa una speciale speculazione* = Nec secus censuit Jurisconsultus Sanguinetti, qui *in opere de Jurisprud. Comm. vol. 2 fol. 426 art. 1.* Artifices a Negociatoribus probe distinguendos esse, illosque licet elaborandas merces emere minutatim consueverint, nunquam tamen inter Mercatores et Negociatores recenseri posse, monuit. Quum itaque Carolina neque habitualem, neque publicam mercaturam unquam exercuerit, sed muliebrium ornamentorum artificio dumtaxat; opportunis mercibus minutatim aliquando emptis, operam dederit, publicae negociatricis qualitate, qua ad collybisticum nomen valide, legitimeque contrahendum opus fuisset, destitutam prorsus fuisse, proindeque collybi literam nullam, irritam-

que quoad ipsam omnino fuisse liquebat. Quum autem susceptae obligationis titulus corrueret et caeteroquin merces, ex quarum pretio collybi litera scripta fuit, neque ab illa emptas fuisse, neque in ipsius opificii utilitatem versas fuisse constaret, res a Tribunalibus Anconitanis judicata revocari pernecesse debebat. Fortius, licet quicquam ambiguitatis superfuisset, inexpertae mulieri, quae vix majorennem aetatem attigerat, et viri imperio subjecta erat, opitulari ex aequitate debuisset.

Et ita etc, utraque etc. VV. OO. DD. jus redditum est.

**R. P. D. ALBERGHINI**

**ROMANA SEU TYBURTINA EXHIBITIONIS**

*Lunae* 1 *Septembris* 1839

ARGUMENTUM

Nemo ex jure cogi debet ad arcana, quae possidet, quarumcumque artium vel machinarum patefacienda, eorumque edocendum usum.

*SUMMARIUM*

1. *Post perfactum contractum nefas est novam obligationem alteri ex contrahentibus imponere, ejusque conditionem facere.*
2. *Pacta conventa sunt religiose servanda.*
3. *Qui artificii arcana possidet, ea invitus aliis communicare eorumque usum edocere numquam cogi debet.*
4. *Ut omnium artium, ita machinarum arcana studiose semper custodiuntur, et proprietas existimantur eorum qui ea didicerunt.*
5. *Quando contrahentes nihil ad propriam indemnitatem caverunt tunc locus potest esse aequo judicis arbitrio in id interponendo.*
6. *Numquam autem, quando contrahentes quam idoneam existimarunt cautionem sibi stipulati fuerint.*
7. *Post perfectum contractum non est locus paenitentiae.*
8. *Frustra quis quaeritur. nulla adducta concludenti probatione, de alicujus artificis imperitia, qui periti famam jam antea sibi est adeptus.*
9. *Fortius si qui queritur experimentum ab ipso artifice oblatum recusat.*

## Decisio CVIII.

Extat prope Tibur in veteri Mecaenatis Villa amplum Opificium ferro fundendo, atque elaborando destinatum, quod jam pridem a societate exercetur nota nominibus *Graziosi*, et *Carlandi*. Ad opificii hujus incrementum ac perfectionem nihil magis conferre posse visum est, quam si quae apud exteros celebrantur machinamenta, in ipsum inveherentur. Anno itaque 1837 consilium socii caeperunt peritum hominem arcessendi, qui et novas machinas extrueret, et Opificio praeesse posset. Fama apud eos valde commendabat Josephum Berthe, qui jam alias in aliis regionibus machinas construxerat atque perfecerat. Hunc itaque per interpositam personam e loco, ubi morabatur, ad Tiburis civitatem evocarunt, apertisque invicem animis, quum post res omnes sedulo exploratas facile unusquisque propositis utrinque conditionibus annuisset, eodem anno 1837 die 1 julii confectae fuerunt conventionis tabulae quibus Berthius obligationem in se suscepit = *di dirigere la costruzione di tre articoli, cioè Forge alla francese, Cilindro, e macchine a filar ferro, e di procurare gli Artisti atti e capaci non solo per la costruzione, ed impianto dei macchinismi occorrenti, che dovranno essere eseguiti secondo i migliori, ed i più economici metodi, che si conoscono in giornata, ma anche alla fabbricazione degli articoli relativi, quali dovranno per lo meno uguagliare quelli delle fabbriche francesi le più accreditate in Europa* =; cautumque praeterea fuit, ut post novorum operum exstructionem, cujus tempus praefinitum extitit = *a due anni da oggi colla tolleranza di quattro mesi salve disgrazie* =, idem Berthius suscipere in se deberet = *la direzione totale di quelli non solo, ma degli al-*

*tri ancora, che attualmente esistono nello stabilimento* =, atque etiam = *dedicarsi interamente al buon andamento di tutto lo stabilimento, della disciplina dei Lavoranti, e sorvegliare la regolarità dei ricevimenti, e spedizioni* =.

Vicissim autem Socii, susceptis in se sumptibus ad res omnes conficiendas necessariis, promiserunt Berthio, donec opera conficerentur, = *annui Franchi cinque mila, un discreto alloggio, e ventiquattro some di combustibili* =; post opera vero confecta = *l' annuo assegnamento di quattromila Franchi, e più il cinque per cento utili netti, che dai tre articoli si ricaveranno* =. Atque ut de recta illorum constructione cauti essent, voluerunt, ut Berthius relinqueret - *nella Cassa dello stabilimento mille Franchi all' anno a garanzia del perfetto andamento delle nuove costruzioni* =, de qua pecuniarum vi ipse disponere posset, vix ac innotuisset, constructiones recte se habere = *a forma delle sue promesse* =; pepigeruntque insuper, ut = *se per difetto di lui, o dei costruttori da lui condotti le Forge, o il Cilindro, o le macchine a filar ferro mancassero lo scopo ripromesso* =, quae intercesserat conventio rescissa ac tanquam non facta haberetur. Hisce legibus re conciliata, Berthius ut datam fidem impleret, nulla interposita mora Galliam petiit ad fabros et operarios idoneos inveniendos, eosque mercede conducendos. Postquam autem istos invenit, debuit, mandantibus sociis, eorum profectionem remorari, quum asiana lues per id temporis Romae, et in propinquis urbis longe lateque grassaretur. Sed eo morbo feliciter tandem depulso, Tyburtinam Civitatem ineunte decembri mense Berthius repetiit, adducta secum familia sua, caepitque novorum operum extructioni manus admovere.

Dum vero haec ab eo peragebantur, forte paenituerat socios fiduciae, quam in illo collocaverant. Verebantur quippe, ne suscepta operum extructio male ad extremum cederet. Hac itaque formidine ducti, ut aliquo pacto sibi prospicerent, censuerunt contractus exequutionem praepedire, donec Peritorum virorum judicio constitisset, prosperum tutumque omnino futurum esse eorumdem operum exitum. Hinc a Berthio petierunt, ut novarum machinarum artificium omne describeret, exhiberetque = *il piano di esecuzione* = ad hoc, ut Peritorum examini subjici posset. Doluit id vehementer Berthio, qui probe sensit, quo tenderet hujusmodi petitio; quumque de descriptione, ac prospectu operum tradendis obligationem nullam in se suscepisse animadverteret, petitioni vehementer obstitit, atque interjecta protestatione, se nunquam id facturum esse declaravit. Sed hac visa protestatione, statim Socii vadimonio indicto apud Judices, qui de re mercatoria jus in Urbe reddunt, postularunt, ut terminus Berthio praestitueretur = *all'effetto di esibire e consegnare agl' Istanti, ed ai rispettivi artisti il piano di esecuzione necessario conforme alle convenzioni ed ai principii dell' arte, onde procedere ulteriormente ed al più presto alla regolare costruzione, che dovrà esso stesso dirigere delle tre macchine ec., scorso il quale, e non esibito detto piano d' esecuzione, o questo riconosciuto erroneo, inopportuno, e tale, che non corrisponda ai principii dell' arte, ed alle assunte obbligazioni dichiarare rescisso l' enunciato contratto* =. Inutiliter tamen. Nam Juridici illi sententia lata postulatum hujusmodi penitus rejecerunt. Nec quicquam sociis profuit, causam ex provocatione detulisse ad Sacrum Tribunal. Nam quum de sententiae illius viribus acta hodie fuerit disquisitio, responsum datum est = *Nvn esse locum exhibitioni et extendatur Decisio* =.

Plane quaestio omnis in eo erat, utrum nec ne admitti actio deberet, qua socii *Graziosi* et *Carlandi* postulabant, ut Berthius adigeretur ad exhibendos modulos, nec non enucleatam descriptionem, et prospectum novarum machinarum, seu ut inquiunt = *il piano di esecuzione* = atque

admittendam quidem actionem esse acerrime propugnabant, qui sociorum partes tuebantur; idque tum ex jure, inspecta nimirum consuetudine et contractus indole, tum maxime ex aequitate. Sed neutrum Patribus probari posse visum est. Et revera ad primum quod attinet, ipsa juris ratio vetabat, quominus actio pro exhibitione admitti posset. Nullam enim obligationem Berthius in se suscepit ad modulos, atque ad descriptionem operis exhibendam. Expensis siquidem propositionibus, quae contractum praecesserunt, atque ipsa contractus stipulatione, nihil prorsus in his cautum invenitur, quod ad exhibitionem pertineat = *del piano di esecuzione* =. Nec regerendum nulla ad hoc expressa cautione opus esse, quum consuetudo, et artis regulae exigant, ut prospectus excquutionis, atque moduli exhibeantur. Tam longe enim a vero id abest, ut facto suo agnoverunt vel ipsi socii, qui per annum integrum ab inito contractu nil minus cogitarunt, quam prospectum et descriptionem operis a Berthio postulare; quod equidem facere non praetermisissent, si controversa exhibitio, quae suapte indole ante omnia peragi debebat, vel expresse cauta fuisset, vel tacite atque ex ipsa contractus vel consuetudinis vi inducta esset. Quum igitur nulla neque expressa, neque tacita obligatio adsit ad novarum machinarum prospectum exhibendum, non est plane ut Berthius ad exhibitionem compelli valeat; quandoquidem post perfectum contractum
1 nefas prorsus est novam obligationem alteri ex contrahentibus imponere, ejusque conditionem deteriorem facere.

Eo autem magis proposita actio admitti non debebat, quo certius erat, ei aperte resistere contractus leges. In hunc quippe finem exhibitio a sociis petebatur, ut nimirum machinarum prospectus Peritorum examini subjiceretur, utque tanquam irrita haberetur conventio, si ex illorum judicio prospectus idem non recte se haberet, timerique posset, ne nova opera extruenda eam revera allatura forent opificio utilitatem, quae initio fuerat promissa. Sed hujusmodi intentio manifeste adversatur contractus legibus. Nam pro recta novarum machinarum exequutione hanc sibi socii cautionem pepigerunt, ut nempe Berthius, donec opera confecta essent, summam libellarum gallicarum 1000 in opificii aerario quotannis relinqueret = *Rilascerà* (ita conceptis verbis cautum legibus in art. 4) *nella Casa dello stabilimento mille Franchi all' anno a garanzia del perfetto andamento delle nuove costruzioni, e verificatesi a forma delle sue promesse potrà disporre delle somme non percette* =. Nec satis. Quandoquidem voluerunt praeterea, ut post machinas extructas si forte constaret, aliquam ex illis propositum finem nequaquam attigisse, tunc contractus rescinderetur. Sic enim se habet pactum dissertissimum in art. 6. = *I signori Graziosi e Carlandi ripongono tutta la loro fiducia nella parola d'onore data loro dal signor Berthe della sicura riuscita nelle sue promesse; ma se per difetto di lui, o dei Costruttori da lui condotti le Forge, o il Cilindro, o le Macchine a filar ferro maneassero lo scopo ripromesso, intendono che il presente contratto sia come non avvenuto* =. Si itaque rescissionem contractus in eum solummodo casum pepigerunt, quo opera extruenda = *mancassero lo scopo ripromesso* =, expectent socii oportet, ut opera haec extructa revera sint, antequam de contractus rescissione verba faciant, nec interim se Berthio molestos praebeant, ut contra pactum supra memoratum ad descriptionem operis exhibendam compellatur. Pacta enim conventa ludibrio haberi nequeunt,
2 sed sunt religiose servanda *Text. in leg.* 7 § *ait Praetor ff de Pactis.*

His vero aliud etiam adjungebatur, quod non minus suadebat, controversam exhibitionem = *del piano d' esecuzione* = esse omnino denegandam. Per eam siquidem ita artificium omne machinarum exponi ac describi debet, ut non a so-

ciis tantum (quod forte justum esset, nec ipse Berthius oppugnat) sed ab aliis etiam percipi, et cognosci valeat. At nemo est qui non videat, quam absonum sit, et a juris ratione prorsus devium, ut qui artificii arcana possidet, invitus teneatur ea aliis communicare, eorumque edocere usum. Nam ut artium omnium, ita etiam machinarum arcana studiose semper custodiuntur, et tanquam vera proprietas existimantur eorum, qui ea didicerunt. Unde si nefas semper est, e re sua quemquam detrudere, aeque nefas esse debet, arcanae artis possessorem adigere, ut eam proferat. Quin prosit regerere, rem in themate esse de machinis haud nunc primum inventis, neque plane incognitis. Etsi enim machinae, de quibus agitur, cognitae sint, artificium tamen, quod in illis extruendis, rectequ exercendis adhiberi debet, non aeque omnibus patet, imo inter arcana haberi communiter solet. Atque hoc eo magis dicendum est, quia Berthius promisit, se machinas extructurum = *in un metodo diverso dall' attuale, e perciò oltremodo più vantaggioso* =; quae sane methodus merito prorsus inter arcana artis habetur. Tanto igitur minus controversa operis exhibitio probari debet, quo clarius liquet, idem hoc esse ac Berthium sua proprietate expoliare.

Demonstrabant haec profecto exhibitionem *del piano d' esecuzione* = ex jure peti a sociis nequaquam posse. Nec magis peti ipsa poterat ex aequitate; ad consulendum videlicet indemnitati sociorum, qui cum gravibus constructionis sumptibus maneant expositi, nemini non aequum videri debet, ut etiam ab initio tuti sint de recta operis exequutione, ne secus ingens detrimentum capiant, si forte machinae vitiosae postea comperiantur. Nam si nihil socii cavissent quoad propriam indemnitatem, tunc sane locus esse posset aequo Judicis arbitrio in id interponendo. Sed quum ipsi cautiones, quas idoneas existimarunt, jam sibi stipulati fuerint, nulla plane ratio subest, ut ex aequo Judicis arbitrio nova cautio addatur. Praesertim quum illa, quae petitur, adversa fronte pugnet cum cautionibus depactis. Nam si semper difficile est, ut eae cautiones probentur, quas contrahentes, cum facile possent, pacisci tamen noluerunt; certe longe difficilius, imo nullo pacto ferendum videtur, ut illae probari debeant: quae aliis jam depactis omnino adversantur. Quin vel minimum absit, valde levis momenti esse cautiones, quas socii sibi pepigerunt. Contra imo adeo graves ipsae apparent, ut difficile non parum videatur, alias magis ad rem idoneas invenire.

Nam pro indemnitate sociorum, rectaque machinarum exequutione nedum volita fuit solemnis Berthii promissio = *sulla parola d' onore* =, sed requisitum etiam est, ut mercedis conventae pars in opificii aerario quotannis deponeretur, utque insuper contractus rescinderetur, si vel Berthii, vel aliorum operariorum vitio aliqua ex machinis propositam utilitatem nequaquam esset allatura. Qua sane re, ut quisque per se intelligit, nihil gravius excogitari poterat. Nam si machinae in aliquo defecissent, Berthius, qui non obscurum nomen in re machinaria sibi comparaverat, quique relicto munere, quo in extera regione fungebatur, se, familiamque suam in commodis et sumptibus longi itineris commiserat, ut Pontificiam Ditionem peteret, ibique maneret, nedum mercedis parte privatus esset, sed famam praeterea amisisset, omnique munere destitutus illico fuisset. Tantae autem jacturae cum credi non possit facile Berthium se se, familiamque suam exponere volusse, perspicuum hinc fit in eo, quod socii ad propriam indemnitatem stipulati fuerunt, optimam, numerisque omnibus absolutam cautionem adesse. Caeterum utcumque aliter se res habere posset, imputare sibi socii deberent, si meliorem cautionem sibi stipulari neglexerunt. Nescire enim non poterant, post perfectum contractum haud locum esse paenitentiae; quandoquidem ut perpetuo

jure sancitum est, quod semel placuit amplius displicere non potest *Textus in cap.* 21 *de reg. juris in* 6 *et in leg. sicut* 5 *cod. de obligat. et act.*

Fac tamen hisce non obstantibus arbitrio Judicis locum esse posse pro nova sociorum cautione. At urgens, et idonea semper ratio praesto esse deberet ad arbitrium ipsum interponendum. Si reapse ex post facto tanta emersisset Berthii imperitia, ut pertimescendum esset, ne inutilibus sumptibus socii exponerentur, tunc profecto haud improbandum foret, ut nova cautio ab illo praeberetur. Verum de hoc non satis constare videtur. Nam de antecedenti Berthii peritia plura sunt monumenta, quae indubiam fidem perhibent.
8 Ex iis enim, quae in medium afferuntur, manifeste liquet, illum plura industriae suae specimina praebuisse, et alias aliis locis machinas vel extruxisse, vel in meliorem conditionem per eum fuisse adductas; itaut et opificiis praepositus fuerit, et industria hominis famam sibi comparaverit. Contra autem nihil in medium profertur, unde ejus inscitia probata dici possit. Nam quod socii conqueruntur = *delle Caldaie* = et = *del Port' albero* = perperam fabre factis, de carbonis usu inutiliter habito, ac de retardata operum exequutione, haec quidem omnia ejusmodi sunt, ut nihil valeant ad imperitiam demonstrandam. Ac sane quod attinet ad constructionem = *delle Caldaie* = et = *del Port' albero* =, quum haec minime pertineant ad nova opera = *Forge alla Francese, Cilindro, e Macchine a filar ferro* =, quae unice Berthius extruenda suscepit, etiamsi perperam fabre facta dici possent, nullum inde argumentum erui valet ad inscitiam ostendendam pro iis machinis quae revera extrui debent. Praeterea vitiosa illorum operum constructio nullo adhuc experimento comprobata manet. Imo quum periculum, quod apud Commercii Judices
9 ultro Berthius obtulerat faciendum, socii recusaverint, non immerito existimari potest, nihil vere perperam fabre facti in memoratis operibus adesse.

Ad alterum vero quod spectat, nihil itidem prodest ad objectam imperitiam probandam quod in exercenda machina nuncupata = *Forno di seconda fusione* = loco = *del carbone fossile depurato* = Berthius usus fuerit carbone communi non enim ipse ignorabat, quod alioquin fabris etiam, atque operariis ultimi ordinis ignotum non est, illam tantum carbonis speciem, et non alteram adhiberi solere ad eam machinam exercendam; sed hujus alterius speciei usus experimenti dumtaxat gratia ab illo habitus est, tunc cum adhuc in opificio copia non aderat = *del carbone fossile depurato* =. Tandem inutiliter socii queruntur de retardata operum exequutione remoratam reapse fuisse. Deinde tametsi probatum id esset, nihil tamen conferret ad imperitiae probationem, de qua hic solummodo quaeritur. His ergo omnibus ita se habentibus, quum exhibitio = *del piano d'esecuzione* = a sociis petita neque ex jure probari debeat, quippe manifeste pugnat cum contractus legibus, quas socii ipsi pepigerunt; neque ex aequitate admitti possunt, quippe nulla idonea praesto est ratio ad hujusmodi arbitrium interponendum, minime hinc dubitandum Patribus visum est, quin sententia tribunalis commercii, quo sociorum actio fuit rejecta, comprobari omnino deberet, utpote justitiae atque ipsis aequitatis regulis apprime consentanea.

Et ita in acri Partium conflictu decisum est.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET REVOCATIONIS SENTENTIÆ TRIBUNALIS COMMERCII

*Lunae* 16 *Decembris* 1839

ARGUMENTUM

Cum in causis commercialibus adversus arbitramentales sententias ex pacto inter partes convento inappellabiles provocari nequeat ad ordinarios commercii judices sed dumtaxat apud supremam signaturam possit vel peti restitutio in integrum vel querela nullitatis proponi, cumque praeses tribunalis commercii infra triduum pure et simpliciter earum ordinem executorium relaxare debebat, sententia ejusdem tribunalis commercii quae ordinem hunc executorium a praeside relaxatum nullum irritumque declaravit, ex jurisdictionis defectu circumscribitur.

*SUMMARIUM*

1. *Manifestus est citationis defectus, si vadimonium indictum fuit non rei conventi personae sed ejus procuratori ad lites.*
2. *Hinc sententia est circumscribenda.*
3. *Et pariter si vadimonium constitutum fuit non ad tertiam diem ut lex praecepit sed ad breviorem terminum.*
4. *In causis commercialibus nulla peti ac concedi potest suspensio.*
5. *Adeoque judices ad eam concedendam jurisdictione carent.*
6. *Si partes pacto convento appellationi nuncium miserunt, arbitramentales sententiae sunt inappellabiles.*
7. *Adeoque etiam in re mercatoria adversus eas provocare non licet ad ordinarios judices, sed dumtaxat apud supremam signaturam vel peti potest restitutio in integrum, vel nullitatis querela proponi.*
8. *Dispositio* § 1782 *judiciarii codicis respicit arbitramentales sententias in civilibus non autem in commercialibus latas.*
9. *Itemque non obtinet quando ordo exequutorius superaccesserit.*
10. *Nec pariter quando agitur de sententiis adversus quas provocare non liceat.*
11. *In sententiis arbitramentalibus de re mercatoria ordo exequutorius a tribunalis commercii praeside infra triduum a productione sententiae pure et simpliciter relaxari debet.*
12. *Hinc tribunalis commercii sententia, quae hunc ordinem nullum irritum atque effectu carentem declaravit, et jurisdictionis defectu circumscribitur.*
13. *Suprema signatura dum etiam nullitatem aut restitutionem in integrum decernit, effectum reijudicatae suspendere omnino non potest.*

## Decisio CIX.

Societatem ad aromata, aliaque id genus mercanda, et utriusque nomine nuncupandam Petrus Alessandrini honestissimus et prudentissimus in Urbe negociator, et Paulus Ricci, taberna ea propter conducta in Platea, quam dicunt = *dei Pollaroli* =, anno 1818 coiverunt. Subinde autem sociale alterum aromatopolium in vico = *di Cacciabove* = instituerunt, quod placuit habendum esse = *come una diramazione della società di droghe in piazza pollaroli* =. Tertium denique aromatopolium in via = *di Tormillina* =, seu = *della Pace* = postmodum instruxerunt, eidemque societati manciparunt. Sed anno 1834 sociales tabernas a Riccio infideliter administrari, Alessandrinius non temere suspicavit. Quamobrem e re sua duxit societatem dirimere: et revera proximo anno 1835 dirempta fuit. Nec tamen ad mensem aprilis anni 1837 sociales rationes redditae fuerant. Quo circa Riccium in jus apud Commercii Tribunal Alessandrinius vocavit, et arbitros juxta censuram juris in re commerciali obtinentis utrinque eligi vel ex officio deputari postulavit = *per formare lo stato attivo e passivo del già sociale negozio dal* 1 *aprile* 1834 *a tutto il* 4 *luglio* 1835, *liquidare il rispettivo credito e debito dei socii, ricevere il rendiconto dell' Istante nella sua qualità di stralcista della cessata Ditta Paolo Ricci ed Alessandrini, con tutte quelle cautele che sono dalle leggi prescritte, pronunziare quindi la loro arbitramentale sentenza.*

Vincentium Titoli Alessandrinius elegit: Riccius Franciscum Cagiati; eisque munus dirimendi infra bimensem controversias omnes, quae ex dissoluta societate conflagraverant, vel conflagraturae forent praedictum Tribunal commisit; praetereaque facultatem tribuit nominandi tertium arbitrum, si forte ipsi in contraria suffragia ivissent. Et hujusmodi munus uterque arbiter habuit acceptum. Dum autem in iilas Alexandrinius et Riccius compromiserunt, solemne nuncium communi placito, et jurisjurandi relligione interposita, remisserunt = *a qualunque appello potesse competere a ciascuna delle Parti dalla sentenza, che sarà pronunciata dagli arbitri, e dal terzo che sarà nominato in caso di discrepanza; volendo che il di loro giudizio sia inappellabile* =.

Post complures comperendinationes, post plurima hinc inde deducta praedicti arbitri, et Franciscus de Romanis, quem sibi tributis usi facultatibus adsciverunt, sententiam die 30 januarii novissimi tulerunt, per quam sociales tabernas in vico = *di Cacciabove* =, et in via = *di Tormellina* =, seu = *della Pace* = principi tabernae in platea = *dei Pollaroli* = mancipatas fuisse declararunt: sociale utriusque caput Alexandrinio utpote Riccii creditori adjudicarunt; praetereaque istum illius debitorem in summa scut. 2125 et ob. 68 $^{1}/_{4}$ renunciarunt. Ejusmodi sententiam Alexandrinius postera die 31 ad acta Tribunalis Commercii detulit, et illiusce Tribunalis Praeses proxima die 1 februarii ordinem exequutorium rite, legitimeque relaxavit.

At Riccius Alexandrinii procuratori vadimodium ad proximam diem apud idem metipsum Tribunal indixit, et rem ab arbitris judicatam nullam, irritamque declarari postulavit. Et sententia prodiit, quae ordinem exequutorium ab ejusdem Tribunalis Praeside relaxatum nullum irritumque declaravit. Adversus hujusmodi sententiam ad S. Ordinem nostrum Alexandrinius provocavit, eamque circumscribi, sin minus revocari postulavit. Et hodie mane Patres rescripserunt = *Esse locum circumscriptioni et extendatur Decisio* =.

Duplex enim occurrebat *citationis et Jurisdictionis* defectus. Et sane quoad *citationem* in § 781 codicis judiciarii apertissime constitutum est, quod = *si verifica il difetto di citazione, quando fu omessa la citazione introduttiva del giu-*
1 *dizio, ossia quando il reo convenuto non fu citato in principio di lite nè in persona nè al domicilio, nè alla sua dimora nè in altro luogo determinato dalla Legge.* = At Riccius vadimonium non Alexandrinio, sed ejus procuratori ad lites imposuit. Ergo citationis defectus manifestissimus est; proptereaque sententiam sine legitima citatione pronunciatam
2 circumscriptionis gladio delendam esse liquebat. Fortius quum vadimonium ad proximam diem constitutum fuisset, licet juxta censuram § 477 praedicti codicis ad tertiam diem constitui debuisset = *Il termine a comparire per quelli che hanno dimora o domicilio nello stato sarà di tre giorni avanti li Governatori ec. ed avanti i Tribunali di Commercio* =. Ex quo sane defectu altera aeque valida ratio superaccedebat, quare Patres pro sententiae circumscriptione rescriberent ad ea, que in similibus censuit *supremum Signaturae Tribunal in Romana Circumscriptionis et appellationis* 20 *novembris* 1828 *cor. R. P. D. Grossi*, *et in Romana seu Parmen. Circumscriptionis* 27 *novembris* 1827 *cor. Eodem utrobique* § 1

Graviora sunt, quae ad *jurisdictionis* defectum pertinent, adeo quidem ut ad sententiae circumscriptionem satis per se superque fuissent. Et in primis quum judices per illam jusserint, quod = *l'Ordinanza* (nempe ordo arbitramentalis rei judicatae exequutorius a Praeside legitime relaxatus) *non abbia a sortire alcun effetto e valore* = suae jurisdictionis limites praetergressi manifeste fuerunt. Quandoquidem in § 1156 supradicti Codicis judiciarii constitutum est, quod

= *non potrà implorarsi, nè ordinarsi al-*
4 *cuna sospensione nelle cause di commercio* =. Jam vero de causa commerciali res in themate erat. Et praedicti exequutorii ordines effectus ii judices omnino suspenderunt. Imo ordinem ipsum everterunt, et quodammodo obliterarunt. Ju-
5 risdictione igitur abusi fuerunt, quam lex non modo non tribuerat, sed potius apertissime denegaverat.

Praeterea Riccius, et Alexandrinius dum in Titolium, et Cagiatium compromiserunt; solemne nuncium communi placito, et jurisjurandi relligione interposita, remiserunt = *a qualunque appello potesse competere a ciascuna delle Parti dalla sentenza che sarà pronunciata dagli arbitri e dal terzo che sarà nominato in caso di discrepanza volendo ed intendendo, che il loro giudizio sia inappella-*
6 *bile* =. Quae itaque prodiit arbitramentalis sententia, rei judicatae vices nacta fuit juxta censuram § 1776 saepedicti codicis judiciarii = *Il giudizio degli arbitri sarà inappellabile, se le Parti hanno rinunciato all' appello nell' atto del compromesso* =. Quamobrem Riccio nefas profecto erat adversus illam ad ordinarium Commercii Tribunal provocare; sed extra-
7 ordinarium remedium restitutionis in integrum a Supremo Signaturae Tribunali implorare, vel nullitatis querelam apud illud proponere, si et quatenus de jure debuisset. Quandoquidem in § 338 ejusdem codicis judiciarii constitutum est, quod = *il Tribunale Supremo di Segnatura conosce e giudica in nome e vece del Sommo Pontefice le dimande di annullamento o circoscrizione degli atti giudiziali, e delle sentenze, le dimande di nuovo appello pienamente devolutivo in grado di ristituzione in intero* =; et in § 790 = *Le nullità delle sentenze inappellabili per gli stessi difetti sostanziali si propongono in via di ricorso per annullamento o circoscrizione al Tribunale Supremo della Segnatura* =; ac denique in § 345 = *nelle cause commerciali non si ricorre al Tribunale Supremo della Segnatura. Da questa regola viene eccettuata la sola domanda di annullamento dopo la regiudicata* =. Tribunal igitur Commercii jurisdictionem non suam tunc usurpavit, quum de viribus rei ab arbitris judicata cognovit; eam namque, jurisdictionem usurpavit, quae uni Signaturae tribunali est a legibus attributa. Ergo sine jurisdictione sententiam, de qua hodie disputabatur, pronunciavit. Ergo haec omnino circumscribi debebat.

Neque obstabat censura § 1782 codicis judiciarii, in quo scilicet constitutum = *le nullità anche sostanziali si deducono avanti il Tribunale civile, che deve pronunciare la esecuzione della sentenza. Se il tribunale riconosce, che la sentenza è nulla, dichiara che la medesima non può essere eseguita* = Nam absona penitus a themate erat; tum nempe quia sententias
8 respicit ab arbitris in civilibus non in commercialibus pronunciatas, et in themate de arbitramentali sententia res erat in commercialibus lata, tum et fortius, quia illa sententias respicit arbitramentales, quibus ordo exequutorius nondum super-
9 raccesserit, et in themate de arbitramentali sententia agebatur, quam Praeses Tribunalis Commercii exequutioni demandandam esse rite, legitimeque jusserat; tum denique quia illa puras putasque sententias respicet, adversus quas provoca-
10 re licet, et in themate de arbitramentali sententia res serat, cui Riccius et Alexandrinius rei judicatae vires communi solemnique placito tribuerant.

Et perperam obiiciebatur, ordinem exequutorium rite, legitimeque relaxatum non fuisse, ac proinde arbitramentalem sententiam perinde ac perfectam rem judicatam haberi nequivisse. Nam quidquid sit de sententiis arbitramentalibus in re civili pronunciatis, id profecto juris quoad sententias arbitramentales in commercialibus latas obtinet, ut exequutorius ordo a Tribunalis Commercii Praeside pure simpliciterque infra triduum post senten-
11 tiae productionem relaxari valeat, et imo

debeat. Apertissimus est textus in art. 60 legis edictalis in re commerciali vigentis = *La sentenza degli arbitri è resa esecutiva senz' alcuna modificazione, ed è trascritta sui registri in virtù di un ordine del Presidente del Tribunale, il quale è tenuto di darlo puro e semplice nel termine di tre giorni dal deposito della sentenza nella Cancelleria* = Rite igitur legitimeque Tribunalis Praeses diei 1 mensis februarii ordinem relaxavit exequutorium arbitramentalis sententiae, qua die 30 anteacti mensis Januarii pronunciata, et postera die 31 ad acta delata fuerat. Quamobrem perfectae reijudicatae vires nactam omnino fuisse, inficias iri nequibat.

Quibus ita se habentibus, altera quoque ratio adstipulabatur, quare sententia Tribunalis commercii circumscribenda tutissimo consilio foret. Quum enim illud mandaverit, ut exequutorius ordo = *non abbia a sortire alcun effetto e valore* =, quum nempe vetuerit quominus arbitramentalis sententia suum sortiret effectum, Tribunalis signaturae jurisdictionem non modo usurpavit, sed etiam lege penitus refragante, praeteriit. Nam ne Signaturae quidem Tribunali metipsi rerum judica-
13 tarum effectus suspendere fas est, ad apertissimam censuram § 106 codicis judiciarii = *Li ricorsi al Tribunale Supremo per l' annullamento o per la ristituzione in intiero non avranno mai effetto sospensivo. Qualunque inibizione venisse chiesta ed accordata sarebbe nulla di pieno diritto, e di niun valore* = Abnormis igitur et exorbitans sententia omnibus praxeos legibus refragantibus, pronunciata circumscriptionis gladio deleri profecto debebat.

Post haec Patres disquirendum non esse censuerunt, rite ne an irrite prorogationes arbitris datae fuerint, jure ne vel injuria rationes negociorum ante mensem aprilem gestorum dispunxerint, juste ne vel in juste aromatopolia ad vicum = *di Cacciabove* =, et ad viam = *di Tormellina* = seu = *della Pace* = principi aromatopolio ad plateam = *dei Pol. laroli* = mancipata fuisse, et ad primaevam societateac a Riccio, et Alexandrinio initam pertinuisse censuerint. Haec siquidem, aliaque id genus complurima, quae hinc inde deducebantur, ad intrinseca pertinebant merita justitiae vel in justitiae sententiae arbitramentalis, de qua post circumscriptionem sententiae Tribunalis Commercii disserere supervacaneum penitus fuisset; quum judicatum nec revocari, nec reformari valeat, quod ipso jure nullum irritumque renuntiatum fuerit, proptereaque perinde haberi debeat, ac si nunquam prodiisset.

Et ita etc. Utraque etc.

**R. P. D. D' AVELLA'**

ROMANA DECOCTIONIS

*Lenae* 20 *Januarii* 1840

ARGUMENTUM

Ea expenduntur atque enucleantur, quae lex requirit ad decoctionem constituendam declarandamque.

*SUMMARIUM*

1. *Ex lege commercii negociator qui a solutionibus cessat, est in statu decotionis.*
2. *Quamvis autem ita decoctio judicis ministrario renuncietur, necessaria tamen est judicis sententia, ut de ea legitime constat.*
3. *Judicibus commercialibus facta est potestas de in dicenda cujuscumque decotione sive ex officio sive ad alicujus creditoris petitionem.*
4. *Absoluta solutionum intermissio evidentem exibet decoctionis probationem, quippe quae certo declarat debitorem solvendo non esse.*
5. *Fortius si solutionum intermissioni accedat debitoris latitatio.*
6. *Hinc a lege statutum decotionis primordium ab eo ipso temporis puncto, ex quo debitor latitavit.*

## Decisio CX.

Innocentius Lizzani, publicus in Urbe rei lintearìae mercator, jam usque a die 11. julii 1838 a peragendis cujuslibet generis solutionibus omnino defecit. Hoc fuit in causa, ut creditores sublata solutionis spe, literas collybisticas sine mora contestando denunciarent, dein vadimonia quam plurima debitori deferrent, sententias denique a Commercii Tribunali consequerentur, exequendasque impetrarent. Hisce ad exequutionis actum licet perductis, cum sciret Innocentius, quid aeris alieni adhuc rependendum supererat, intelligeretque se parem hujusce solvendi nunquam futurum, lintearìam tabernam (custode miserrimis mercium reliquiis relicto) ex improviso deseruit. Pervulgata haec erant, et omnibus obvia, sed nemini magis, quam Tribunalis commercii Judicibus. Hi ergo ne delitescentis debitoris pessima agendi ratio caeteris mercatoribus exemplo esset ad imitandum, multoque magis muneri ne deessent suo, etsi nullus ex creditoribus proclamandam reposceret ipsius Lizzanii decoctionem, animadvertentes nihilominus = *che per disposizione di legge i Tribunali di Commercio sono tenuti a vegliare sulla condotta e stato de negozianti* = ideo = *per assicurare l' interesse di tutti i creditori* = die 15 januarii 1839 Innocentium *ex offcio* decoctum unanimi consentione renunciarunt. Post latam autem hujusmodi sententiam tabernam lintearìam Tribunalis actuarius, avitis testibus, petiit, ut signa de more mercibus apponerentur. Huc autem ubi perventum est, quum creditores omnia, ut sub hasta venundarentur, jam pridem asportanda curassent, praeter mercatoria rationaria vitiis omnibus referta, nec non perpaucas nullius momenti merces sacculo quodam inclusas obsignataseque, nihil repertum. Hinc haud multo post creditores, concione advocata, de dispertiendis inter se mercium reliquiis convenere. Inter haec tamen Lizzanius adversus decoctionis sententiam ad ordinem nostrum provocavit, unde Patres hoc mane interrogavi, quid de eadem decoctione sentirent, accepique responsum = *Esse locum decoctioni et extendatur Decisio* =.

Nil equidem mercaturae est fide utilius, ac magis necessarium. Hac enim posita viget mercatura, et prospere floret; et si remota est fides, necesse est, ut mercatura illico tabescat. Cum autem societas maximam utilitatem ex mercatura percipiat, fit inde ut ex una parte societatis bonum, et ex altera depactae fidei recusandae facilitas eo rigidiores juris cautiones requirerent, quo ad unum conservandum, ad alteram vero de medio tollendam apprime collimarent. Hinc consulto in aedictali Commercii Lege sub art. 431 sancitum reperimus = *Ogni commerciante che cessa di fare i suoi pagamenti è nello stato di fallimento* =. Itaque non ope sententiae a judice aut *ex officio* dictae, aut ad petitionem alicujus creditoris prolatae decoctus quis evadit, sed ab ipso juris ministerio renunciatur. Necessaria equidem est judicis sententia, ut legitime constet de decoctione, ac de passa ab aliquo capitis diminutione caeteris innotescat. Commissae autem decoctiones sive per fraudem ac dolum ejusdem debitoris, sive ob adversam fortunam teterrimus est effectus, et socialis unde ordo maxime turbatur. Ex hoc urgens juris necessitas Commercii Judicibus animadversionem demandandi de recta mercatorum agendi ratione, et munus iisdem imponere, quod = *tostochè il Tribunale di Commercio avrà cognizione del fallimento sia per dichiarazione del fallito, sia per la richiesta anche col mezzo di semplice memoria di qualche creditore, sia per la notorietà pubblica, ordinerà l' apposizione de' sigilli* =.

Quapropter cum neutiquam controverti nequiret, quin rei commercialis Judicibus facta sit potestas de indicenda cujuscumque decoctione, illud supererat inquirendum, utrum in themate confluc-

rent extrema, ut quis decoctus renuciet-
tur. Innotuit sed facile nullum deside-
rari. In primis enim expeditum erat in
facto, a die 11 julii 1838, Innocentium
a peragendis solutionibus omnino conquie-
visse, adeout aliis ingruentibus pecunia-
rum debitis, nil praeter verba dederit.
Ex quo judicia prope numero infinita
adversus Innocentium instituta, conde-
mnationes, sententiae, exequutiones su-
pra quam cuique credibile est. Certissi-
ma ergo erat Innocentii decoctio. Abso-
luta enim solutionum intermissio inelu-
4 ctabilem exhibet decoctionis probationem,
quippe quae certo declarat debitorem sol-
vendo non esse. *Locre in sue opere cui*
*tit. spirito del Cod. di Comm. tom.* 5
*lib.* 3 *dei fallimenti n.* 2 *cessazione de'*
*pagamenti pag.* 86. Ergo si morte civi-
li Innocentium esse plectendum Judices
existimarunt, de ea ad tramites legis ju
dicium est factum nam = *ogni commer-*
*ciante che cessa di fare i suoi pagamen-*
*ti è nello stato di fallimento* =, ceu scri-
ptum est in art. 431 codicis mercatorii.

Praeterea non una tantum ac simplex
solutionum adfuit intermissio, sed etiam,
ceu in facti narratione expositum est,
latitatio accessit. Inficiari non potest, quod
si debitor, cedente solutionis die, non
5 absolute, sed aliquantisper unam alte-
ramque solutionem moretur, non inde
decoctus queat renunciari. At cum quis
non solum a solvendis nominibus ex in-
tegro et absolute conquievit, sed insu-
per aphothecis clausis, foro relicto, de-
sertoque lare in latebras se conjecit,
suapte sane agendi ratione commostrat,
decoctionem propriam conscientia teneri
constrictam, ideoque cessionis a foro pri-
mordium ab eo ipso temporis momento,
6 ex quo debitor incaeperit delitescentium
numero sese detrudere, optimo jure est
a lege statutum. *Cod. di Comm. in Art.*
435 *Marrè corso di Diritto Comm. par.*
3 *dei Fallimenti cap.* 1 *n.* 2. Hinc cum
subjecto in themate adessent praecipua
decoctionis extrema, absoluta scilicet so-
lutionum intermissio, ac debitoris lati-
tatio, improbanda non erat, sed omnino
confirmanda decoctionis sententia a Com-
mercii Judicibus lata.

Frustra vero Lizzanius e latebris egres-
sus excipere conabatur, creditores inter
ac se initam concordiam quamdam fuis-
se, factamque a se pro iisdem bonorum
cessionem, perinde ac impedimento fuis-
set, quominus Tribunal Commerci *ex*
*officio* de decoctione ferret sententiam.
Quidquid enim sit de hac concordia, ac
successiva bonorum cessione, quam non
omnes creditores subscripserunt, et de
cujus observantia, et efficacia peculiaris
questio apud hunc ipsum S. Ordinem
pendet, dum utraque tamen praesupponat,
jam imparem solvendo debitorem fuisse,
eo quod nemo ad hanc procedit, nisi ut
creditorum impetum avertat, hinc ex hac
ipsa bonorum cessione tuto poterat infer-
ri, haud justam decoctionis declarandae
exceptionem ex ea oriri, sed validissimum
argumentum ex ea consurgere ad judicium
super decoctione ferendum, ut pote quae
ab ipso debitoris facto agnita, et proba-
ta comperiebatur.

Et ita ec. utraque ec.

**R. P. D. D' AVELLA'**

ROMANA DECOTIONIS

*Mercurii* 8 *aprilis* 1840

ARGUMENTUM

Habes in praecedenti decisione CX. quae in-
firmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Si publice interest, ut mercaturae fides*
*salva sit, non minus interest, ut de de-*
*cotione, scilicet de capite cujusque*
*civis minuendo consulto et cognita causa*
*non autem pro lubitu et per alicujus*
*aemulationem agatur.*
2. *Capitis enim appellatione vita, libertas,*
*civitas, familia et aestimatio conti-*
*nentur.*
3. *Si post initam bonorum cessionem, qua*
*solutiones antea peragendae evanue-*

*runt, nulla supervenit nova perficienda solutio, qua debitor defecisset, ejus decoctio proclamari omnino non potest.*

4. *Cessio vice fungitur solutionis.*

5 *Si cessum debitoris patrimonium nec par est nec futurum erit dimittendis creditorum nominibus, tunc debitor vere et proprie non est solvendo, adeoque ejus decoctio ex ipsa cessione eruitur et comprobatur.*

6. *Secus autem si ex cessis bonis nomina creditorum aut ex integro aut fere ex integro dimittuntur.*

## Decisio CXI.

Innocentius Lizzani cum haud modico aere alieno esset implicitus, vidissetque quam primum e foro se esse cessurum, plerisque creditorum convocatis proposuit, ut merces, nomina, tabernaeque suae mercimonium ope cessionis in solutum acciperent. Quae quidem cessio omnibus ex convocatis creditoribus arrisit, cum ad unam summam relatis mercibus ac nominibus = *risultava una cifra quasi del cento per cento a favore dei suddetti creditori* =, et accepto inde habita est die 7 novembris 1838. Rebus sic conciliatis, tabernaque una cum mercibus creditoribus cessa, Innocentius existimabat, quod vitae reliquias haud inustas exegisset teterrima decoctionis nota. Delusa sed vero spes fuit, quippe dissociatis creditorum animis, alii merces in solutum acceptas asportandas curarunt, alii autem ex condicto et clanculum colludentes Innocentii decoctionem provocarunt. Quorum temeritatem quamvis Innocentius duplici sententia A. C. potuerit ex parte compescere, cum istarum ope obtinuisset, ut ipsi cessionem observarent peractaeque exequutiones ex integro improbarentur, attamen cum divinari non posset, quod inscio se, nec in jus vocato de decoctione sua commercii judicibus fieret judicium, terminali sententia *ex officio* ab iisdem decoctus est renunciatus, priusquam quidquam de honoris sui discrimine rescivisset. Sed sententia perlata, statim Innocentius, ut ab decoctionis contumelia sese absergeret, ad nostrum ordinem appellavit. A quo quidem etsi probandam, confirmandamque praedictam sententiam, existimatum sit, prout ex decisione a me edita die 20 januarii 1840, hodie tamen cum novum factum esset periculum, pleniusque ac fusius ad trutinam omnia rerum adjuncta, ac nova documenta essent perpensa, editum est rescriptum = *Recedendum a decisis, et extendatur nova decisio.*

Etenim extrema necessaria ad decoctionem alicujus indicendam cum patres considerandum suscepissent, ea omnino deficere facile deprehenderunt. Et sane nemo est plectendus numquam satis vituperanda decoctionis nota, nisi constet evidentissime, a peragendis solutionibus prorsus acquievisse. Esto hinc quod tribunali commercii judicibus munus sit demandatum, ut de recta mercatorum agendi ratione possint animadvertere, esto quod iisdem facta potestas in jure sit, ut etiam *ex officio* ex mercatorum albo alicujus nomen possint delere, cum noverint, quempiam hoc abuti ad decipiendos fraudandosque creditores. Non inde tamen sequitur, ut ab ipsis pro lubito suo quispiam decoctus possit renunciari. Etiamsi enim publice intersit, ut mercaturae fides salva sit, quia nervus
1 reipublicae est, publice tamen non minus interest, ut de capite civis cujusdam deminuendo consulto quidem ac cognita causa, nunquam vero per alicujus aemulationem vel invidiam agatur. Caute equidem = *de capite civis romani nisi per maximum comitialium referunto* = sancitum erat in leg. XII. tabul. = *Capitis autem appellatione vita libertas, civitas,*
2 *familia et existimatio continetur, ut patet ex pluribus Ciceronis locis* = subdit *Cujacius observat.* 3 *cap.* 13.

Perspici jam vero a Patribus non potuit, quomodo ad tempus latae decoctionis sententiae adeo fama de Innocentii decoctione fuisset vulgata, ut ne muneri deesset suo, *ex officio* commercii tribunal conclamare decoctionem deberet. Postquam enim Innocentius creditoribus suis taber-

nam lintearìam una cum mercibus cesserat, et cessionem hujusmodi nonnulli ex creditoribus tacite conniventes, nonnulli
3 alii clare aperteque assentientes habuerunt accepto, nec una quidem litera collybistica est ab eodem trajecta, nulla adversus eumdem denunciatio contestata, nullus denique novae solutionis adscriptus dies venit, accessit. Itaque cum solutiones ante cessionem peragendae ipsius cessionis ope prorsus evanuissent, post initam vero cessionem a novis peragendis solutionibus non probaretur Innocentium defecisse, consequens omnino ut nulla causa subesset a legibus praefinita, ex qua Innocentii decoctio posset proclamari.

Utique a mercatoria ratione *Spizzichino e della Seta* post initam cessionem super mercibus Innocentii est exequutio perpatrata. Verum expeditum erat in facto, quod propter caeteros creditores mercatoria ratio merces tabernaeque mercimonium ad suum dimittendum nomen in solutum libenter acceperit. Cum itaque solutione tollatur obligatio, et cessio vice fungitur
4 solutionis *Scaccia de comm.* § 2 *gloss.* 5 *n.* 68 planum erat, nihil faciendam esse hujusmodi exequutionem, quae patrata deprachendebatur sive ex condicto, sive in fraudem aliorum creditorum.

Nec reponi poterat, ex bonorum cessione ab Innocentio facta evidentissime comprobari ipsius decoctionem. Ad hujusmodi namque objectum diluendum animadvertebant patres, aliud esse eam bonorum cessionem, quae licet peragatur, ingens nihilominus aes alienum superest dimittendum, aliud vero eam cujus vi creditores de nominibus suis *quasi un cento per cento* percipiunt. Primo casu sicuti cessum patrimonium debitoris nec est
5 nec futurum unquam erit in eo ut sit dimittendis creditorum nominibns par, et ideo debitor hoc in casu vere et proprie solvendo non est, hinc tuto concludi poterit, ex hujusmodi bonorum cessione decoctionem debitoris erui ac comprobari. At in altero, licet ad creditorum nomina dimittenda de patrimonio cedentis quidquam absit, aut hisce dimissis de eodem
6 nihil supersit, cum ex integro, aut fere ex integro nomina sint soluta, ex hoc ipso in solvendo debitor est, et nonnisi maxima cum injuria decoctor renunciaretur. Cum itaque postremo nos versemur in casu, et certae quidem cessionis, quae fuit sponte peracta, et aequo lubentique animo a creditorum plerisque accepto habita, et ab aliis nunquam detrectata, fieri sane non potest, ut haec vel ipsis creditoribus causam suppeditat ad decoctionem cedentis inferendam.

Nec oberat, quod de cessionis validitate lis adhuc esset sub judice. Nam ex alea judicii aut viribus consistet suis, aut corruet omnino. Si primum, de excludenda Innocentii decoctione causa dicta est. Si alterum, non inde decoctor necessario renunciandus. Cessione enim etiam de medio sublata, cum de tempore hujusce = *si formò un inventario del negozio descrivendo tutti i generi e crediti del negozio medesimo, dove risultava una cifra quasi del cento per cento* =, ac omnia tradita fuere = *ai due capi creditori signori Alther, e Salandri, i quali ne entrarono in possesso, ed esercitarono il negozio per quindi renderne conto al ceto de' creditori* =, hinc patet, Innocentium tunc temporis pecunia numerata fuisse quidem destitutum, sed neutiquam decoctum, cum aliud pro pecunia solvendi compos ac idoneus fuisset, quemadmodum constat, reapse creditoribus partim consentientibus partim haud cunctantibus numerasse.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. DE SILVESTRIIS

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

*Veneris* 14 *maji* 1840

ARGUMENTUM

Habes in Decisione CIX. quae confirmatur

*SUMMARIUM*

1. *Si partes pacto convento appellationi nuncium miserint, arbitramentalas sententiae sunt inappellabiles.*
2. *Hinc etiam in re mercatoria adversus eas provocare non licet, sed dumtaxat apud supremam signaturam vel pati potest restitutio in integrum vel proponi nullitatis querela.*
3. *Si igitur Tribunal Commercii de arbitramentali sententia inappellabili adeoque vim habenti rei judicatae cognovit, absque jurisdictione egit et est locus circumscriptioni.*
4. *In causis commercialibus nulla peti et concedi potest suspensio.*
6 *Ne supremae quidem signaturae reijudicatae effectus suspendere licet.*
6. *Arbitrorum sententia auctoritate Tribunalis mercatorii lata, et ab ejus Praeside ordine exequutorio munita ita habenda est, ac si idem ipsum tribunal eam tulisset.*
7. *Lata autem sententia, judex functus est officio suo, atque ad Tribunal appellationis pertinet de ejus viribus cognoscere vel ad supremam signaturam de recto actorum ordine*; et num. 13.
8. *Dispositio* § 1782 *judiciarii codicis respicit arbitramentales sententias latas in civilibus non autem in commercialibus.*
9. *Itemque eas, a quibus provocari licet.*
10. *Nec prorsus obtinet, quando ordo exequutorius superaccesserit.*
11. *In sententiis arbitramentalibus de re mercatoria ordo exequutorius ab tribunalis commercii Praeside pure et simpliciter relaxari debet.*
12. *Neque ad id opus est solemniis et formis requisitis ab jure civili in civilibus negotiis de producenda prius arbitrorum sententia deque parte citanda.*
14. *Deficit citatio, si indicta fuit non rei conventi personae sed ejus procuratori ad lites.*
15. *Hinc sententia est circumscribenda.*
16. *Pariterque si vadimonium constitutum fuit non ad tertiam diem ut lex praecipit sed ad breviorem terminum.*
17. *Cum querela nullitatis adversus rem judicatam proponitur, nova est causa, adeoque citanda est persona rei conventi, non procuratoris.*

## Decicio CXII.

Posteaquam honestissimus in urbe negociator Petrus Alessandrini societatem, quam ad aromata aliaque id genus vendenda jam ab anno 1818 cum Paulo Ricci iniverat, anno 1836 dirimere potius duxit, sollicitum quoque se praebuit, ut arbitri viri unanimi consensu electi a mercatorio tribunali probarentur, qui legum commercialium ad instar activum et passivum statum conficerent; rationum redditionem reciperent, atque arbitramentalem darent sententiam. Electis vero arbitris cum facultate tertium eligendi, si forte uterque arbiter in contrariam ivissent opinionem, in illos Alexandrinius ac Riccius adeo compromiserant, ut jurisjurandi relligione nuncium quoque emitterent = *a quulunque appello potesse competere a ciascuna delle parti dalla sentenza che sarà pronunciata dagli arbitri, e dal terzo che sarà nominato in caso di discrepanza volendo che il loro giudizio sia inappellabile* =. Diu remponderare arbitri visi sunt, qui tributis usi facultatibus, ut negotium maturius definirent, Franciscum De Romanis uti tertium arbitratorem adsciverunt. Et revera post multas comperendinationes biduo kalendas februarias superioris anni 1839 sententiam tandem edere ipsi curarunt, per quam sociales tabernas in vico = *Cacciabove* = et in via = *Tormillina* = principi tabernae = *a Piazza Pollarola* =, in qua initio socii versabantur, mancipatas fuisse declararunt: sociale utriusque caput Petro utpote alterius socii Pauli

Ricci creditori adjudicarunt; praetereaque Paulum debitorem in summa scut. 2125 et ob. 68 erga Petrum penitus renunciarunt. Sententia vero hujusmodi, quam postera die ad acta tribunalis commercii Petrus retulit, et quam tribunalis ejusdem Praeses de more exequutoriam reddidit, haud Paulo placuisse visa est, qui licet eam accepto habere in concedendo arbitrio, sacramento interposito, promisisset, deinde tamen improbare non dubitavit, ac citato tantum Petri procuratore, nullam atque irritam declarari coram iisdem judicibus mordicus contendit. Nec spes initio quidem cecidit; quandoquidem judices ordinem exequutorium nullius roboris fuisse sua decreverunt sententia. At res aliter cessit, cum Petrus, provocatione interposita, decreti hujusmodi circumscriptionem, sin minus revocationem coram ordine nostro petivit, qui rogante R. P. D. Meo Muzzarelli = *esse locum circumscriptioni* = illico definivit. Nec profuit, quod Paulus ab sibi inimica sententia appellationem interposuisset. Cum enim hac mane patres ipse rogassem = *an sententia rotalis sit confirmanda vel infirmanda in casu etc.* = haud haeserunt quominus rescriberent = *sententiam rotalem esse confirmandam, et extendatur decisio* =.

Decebat namque sententiam penitus confirmari, quae juris dispositioni adamussim haerendo ob jurisdictionis, ac citationis quoque defectum irritum declaravit tribunalis mercatorii judicium, quo arbitrium jamdiu *exequutorio* munitum decreto effectu omni carere demandatum est. Et revera quod ad jurisdictionem attinet, id quidem animadversum in primis est, adeo Petrum Alexandrini et Paulum Ricci in arbitros compromisisse, ut communi placito ac jurisjurandi relligione interposita nuncium remiserint = *a quodunque appello potesse competere a ciascuna delle parti dalla sentenza che sarà pronunciata dagli arbitri, e dal terzo il quale sarà nominato in caso di discrepanza; volendo ed intendendo che il loro giudicato sia inappellabile* = At quoties contrahentes adversus arbitrorum judicium haud provocare 1 hoc modo promiserint = *nell'atto del compromesso* =, judicium idem nulli appellationi obnoxium reijudicatae vires obtinere notissimi juris est juxta censuram legis in § 1776. At judicio in rem judicatam transacto, nec Paulo fas erat profecto ad ordinarium assequendum remedium suspensionis coram ordinario commercii tribunali astare, nec tribunali vel ipsi erat permissum quocumque modo de viribus ac validitate judicii exequutoriali decreto muniti iterum judicare. Quemadmodum enim contra rem judicatam ejusmodi restitutionis in integrum remedium 2 peteret, vel nullitatis querelam ad Signaturae tribunal proponere Paulus tantum potuisset, ita aeque restitutionis in integrum vel nullitatis petitionem contra commerciales res judicatas nulli alio quidem judici deferendam esse liquebat, nisi supremo Signaturae tribunali vel ipsi, cui soli jus est restitutiones in integrum concedere, ac intentiones cognoscere nullitatum in rebus commercialibus = *dopo la regiudicata* = ex apertissima dispositione legis ac praesertim capitis 345. Quod si ideo tribunal commercii, licet arbitramentalis sententia reijudicatae naturam 3 induisset, de ejusdem tamen viribus cognoscere non dubitavit, haud dubium adesse poterat, quin tribunal eam jurisdictionem usurpando, quae uni Signaturae a legibus est attributa, provinciam non suam ingressum fuisset, ideoque jurisdictione destitutum adeo nulliter pronunciasset, ut judicium circumscriptionis remedio penitus jure fuisset delendum.

Quod quidem eo tutius tenendum patribus videbatur, quippe commercii tribunal alienam jurisdictionem praetergressum eo procedere non dubitavit, ut ordinem arbitramentalis sententiae exequutorium effectu omni ac vi destitutum declararet. At dum apertissima lex est in 4 capite 1136; quae vetat = *nè possa implorarsi nè ordinarsi alcuna sospensione*

*nelle cause di commercio* =, haud minus notum in foro habemus ex capite 106, quod recursus quoque ad supremum Signaturae tribunal = *per l'annullamento, e per la restituzione in intiero non avranno mai effetto sospensivo* =, adeo
5 ut = *qualunque inibizione venisse chiesta ed accordata sarebbe nulla di pieno diritto e di niun valore* =. Quod si igitur mercatorii judices Signaturae tribunalis jurisdictionem non modo usurpare, sed adeo etiam, lege refragante, praeterire non dubitarunt, ut rei judicatae effectus suspensionem imperarent, quod nulli judici, ac ne Signaturae tribunali metipsi decernere erat permissum, nil aequius, nilque imo justius dari poterat, quamquod abnormis hujusmodi sententia, legibus praxeos omnibus refragrantibus pronunciata circumscriptionis deleretur remedio, ceu statuit in causa iam ab *R. P. D. Meo Muzzarelli lata decisio* § 6 *et* 10.

Caeterum in sententia ferenda plurimum apud patres potuisse videbatur, quod etiamsi momento temporis ea quidem seponeretur indago, utrum scilicet Pauli proposita intentio ejus naturae fuisset, ut coram Signaturae tribunali necessario deferri deberet, nec tamen melius ipse proficeret. Incontroversi enim juris est, arbitrorum sententiam auctoritate tribunalis
6 mercatorii latam, ac per praesidis medium juxta praxeos legem exequutoriis clausulis munitam ita retinendam, uti eam Tribunal mercatorium tulisset vel ipsum. At, sententia lata, Tribunal de viribus ac validitate ejusdem sententiae cognoscere, ejusque effectus praepedire non posse, manifestissimum erat. Postquam enim Tribunal suam edidit sententiam, officio suo functum nullam vel super justitia, vel super validitate redditi judici iterum dare posse sententiam, notissimi juris est, ac explorati aeque nil magis habetur in foro, quam quod, reddita sententia, negocii totius minus recte fortasse aediti cognitio judicibus tantum competat, qui vel de Appellatio-
7 nibus jus dicunt, vel qui in signaturae Tribunali de recto actorum vel judiciorum ordine cognoscunt ex tritissima regula, quam post legem tradunt unanimi consensu Doctores, ac signaturae ac Rotae decisiones, ac etiam *in Montis falisci subhastationis diei* 17 *februarii* 1834 § 4 *cor. R. P. D. meo Decano, et in Spoletana nullitatis subhastationis et adjudicationis diei* 7 *martii* 1834 § 10 *cor. R. P. D. meo de Retz.*

Ac inutili studio dispositionem Paulus invocaret art. 1782 codicis judiciarii, in quo judicii arbitrorum nullitates deducendas constitutum est = *avanti il Tribunale Civile deve pronunciare la esecuzione della sentenza; se il Tribunale riconosce che la sentenza è nulla, dichiara che la medesima non può essere eseguita* =, perinde si Articuli hujus ad instar Commercii Tribunali haud impermissum fuisset de nullitate sententiae cognoscere, quam Arbitri prius ediderant. Praeter enim quamquod in themate, quo de sententia res est ab arbitris in commer-
8 ciali negocio ac Tribunalis auctoritate absque appellationis spe judicata, haud aptari posse videretur legis censura, quae sententias respicit ab arbitris privata auctoritate electis in civili judicio pronunciatas, adversus quas provocare licebat; negocium penitus conficere videbatur,
9 quod ejusdem articuli censura facultatem de nullitatibus cognoscendis ante tantum judicibus tribuit, quam ipsi ordinem exequutorium concedant; Tribunali scilicet
10 = *che deve pronunciare la esecuzione della sentenza* =; minime vero judicibus, qui eam exequendam jamdiu mandarunt, quique ideo officio suo functi de eadem re iterum actis cognoscere nunquam valebant ex communissimo adagio.

Neque ex eo, quod ea haud servata fuerint, quae lex in capite 1773 de producenda prius arbitrorum sententia, ac de parte citanda disponit, utili studio regerere fas erat, ordinem exequutorium utpote haud legitime datum jure a Tribunali Commercii revocari potuisse. Quidquid namque in primis sit de sententiis arbi-

tramentalibus in jure civili pronunciatis, et in quibus citationem ac productionem antea fieri lex enixe prospexit, id profecto aptari non posse liquebat ad arbitramentalem sententiam in re commerciali latam, quae haud iisdem solemniis ac formis, sed ex apertissima dispositione art. 60 legis mercatoriae = *è resa*
11 *esecutiva senz' alcuna modificazione, ed è trascritta sui registri in virtù di un ordine del Presidente del Tribunale, il quale è tenuto di darlo puro e semplice nel termine di tre giorni dal deposito della sentenza in Cancelleria* =. Quare cum in themate (quo nulla requirebatur praeventiva citatio ac sententiae peculiaris productio) ordinem exequuto-
12 rium a Praeside Commercii Tribunalis tempestivo tempore, ac juxta art. 60 censuram datum fuisse constaret; haud quidem aderat ratio, cur ordo exequutorius adeo nullitatis incusaretur, ut arbitramentali sententiae judicati vires concedere nequivisset.

Verum enim vero quamvis illius dispositionis censura aptanda, idque ideo haud servatum ad unguem diceretur, quod lex in arbitrii exequutione praescribit, nec tamen meliori omine Pauli intentio excipienda fuisset. Posteaquam namque judex suam ediderat sententiam, etiamsi
13 ea, vel ex praetermisso actorum ordine, vel alia causa nullitate ex lege laborare videatur, nefas tamen esse notissimum est, ut ille, qui sententiam edidit, suoque officio functus est, de ejusdem judicii nullitate vel justitia iterum dignoscat, quam vel appellationis judici, vel Signaturae Tribunali tantum definire permittitur. Dum ideo Commercii Tribunal de arbitramentalis sententiae viribus ac validitate quidquid decernere duxit, quae suis auctoritate ac nomine fuerat lata, negocium iterum cognoscere voluisse erat censendum, quod jam fuerat penitus confectum, proindeque bis in idem judicando jurisdictione destitutum sententiam edìdisse, quam suis viribus consistere nec jus nec ulla patitur ratio.

At quemadmodum jurisdictionis defectus adeo in aprico erat, ut ad sententiae circumscriptionem imperandam satis per se superque fuisset, ita vero nec minus apertus erat citationis defectus. Lex enim in Capite 281 citationis defectum
14 existere non solum sancivit = *se fu omessa la citazione introduttiva del giudizio* =, verum etiam si litis initio Reus Conventus = *non fu citato nè in persona, nè alla sua dimora, nè altro luogo determinato dalla legge* =. Quare cum incontroversum sit, Paulum dum nullitatis querelam instaurare duxit, quin in Petro vadimonium indiceret, ejus Procuratorem tantum in judicium vocasse, planum quidem erat, sententiam sine legi-
15 tima citatione pronunciatam circumscriptionis gladio delendam fuisse. Atque eo magis quia vadimonium licet ex legis litera in Capite 477 ad tertiam diem saltem constitui deberet, ad proximam tamen diem tantum constitutum fuisset. Hoc
16 enim casu pro circumscriptione judicium ferendum esse, in similibus saepissime rescripsit Signaturae Tribunal *in Romana Circumscriptionis et Appellationis die* 20 *novembris* 1828 *cor. R. P. D. Grossi*, et notat *decisio in causa edita ab R. P. D. Meo Muzzarelli* § 5. Atque ineptissime ut citationis defectum denegaret ad regulam confugeret Pauli defensor, unde quoties de nullitate res est actorum coram judicibus petenda, apud quos pendet contentio, Procuratori tantum vadimonium indicere licet. Iterum enim Patres observabant, causam, quae arbitrium respiciebat, exequutorio ordine concesso penitus confectam coram Commercii Tribunali, cujus auctoritate ordo
17 editus est, haud amplius *pendentem* dici potuisse. Quoties ideo Paulus novam de nullitate querelam proponere voluisset, id nisi legitima accedente citatione ad Petrum indicta facere eum nequivisse apertissimum erat.

Quod si vero sententia Tribunalis Commercii, qua arbitrium omni effectu carere constitutum est, ipso jure ob jurisdictionis ac citationis defectum circumscri-

ptioni obnoxia erat, supervacanea quidem Patribus visa sunt, quae super ejusdem sententiae justitia, vel super arbitrii validitate utrinque disputabantur. Quemadmodum enim de justitia haud disputare fas erat judicati, quod cum nullum renunciatum sit, perinde haberi debet; ac si nunquam prodiisset: ita de arbitramentalis sententiae in rem judicatam transactae validitate inquirere nefas videbatur, quam Signaturae tantum Tribunali datum erat cognoscere.

Et ita relatione habita ad Decisionem ac Sententiam ab R. P. D. meo Muzzarelli nudius tertius editam jus datum est in strenuo partium certamine.

**R. P. D. DE CURSIIS**

ROMANA INSTITUTORIAE

*Veneris* 13 *Maji* 1840

ARGUMENTUM

Institoria qualitas numquam praesumenda sed evidentissime demonstranda est. Institor praeponentem non obligat ultra ea, quibus praepositus fuit, et qui cum eo contrahit ejus facultates et praepositionis leges scrutari tenetur, non enim ignorantiam causari potest, ut praeponentem obligatum habeat, si quid cum institore praeter easdem facultates et leges contraxit.

*SUMMARIUM*

1. *Qui universae negociationi praepositus fuit, unus renunciari potest institor, unusque idcirco ex initis a se contractibus socios obligare.*
2. *Institor non obligat preponentem ultra ea quae respiciunt negocium cui fuit praepositus nec ultra facultates eidem impertitas.*
3. *Excusari non debet qui cum institore contrahit ex eo quod ignoraverit sub qua forma et lege fuerit ille gestioni praepositus.*
4. *Unusquisque enim facultates ejus scrutari tenetur cum quo est contracturus.*
5. *Lex commercialis de publicanda societate afficit dumtaxat personas sociorum, qui ex publicationis defectu inter se soliditatem amittunt lucrorum ac damnorum communionem, non autem tertios ad effectum eos liberandi ab onere investigandi facultatis ejus, cum quo sunt contracturi.*
6. *Quoad istos autem publicatio tunc tantum necessaria est, cum agitur de coarctandis vel ampliandis originariis facultatibus.*
7. *Socius etsi ex societatis contractu appareat contrahendi potestate destitutus, obligare tamen valet societatem, quia tertius cum eo contrahens ignarus esse potuit hujusce inter socios peculiaris conventionis.*
8. *At quod de socio dicitur, dici nequit de institore qui in societatem nunquam adscitus fuerit.*
9. *Institoria qualitas utpote praejudicialis evidentissimas concludentesque requirit probationes.*
10. *Aliud est administratoris, aliud institoris officium.*
11. *Ad inducendum praeponentis consensum, non solum positiva scientia sed probari etiam debet concursus actorum, ex quibus scateat eum approbasse quae sub institorio nomine acta fuerint.*
12. *Ubi necessaria est scientia specifica, per praesumptionem suppleri non potest.*

## Decisio CXIII.

Juris prudentiae studio mercaturae industriam adjungere studens Marcellus Fabiani, alter ex S. Palatii Apostolici patronis de Conlegio socialem instruxit tabernam = *in via della Colonna* = ad linteorum pannorumque exercendam negociationem cum Petro Giovannetti, qui aliam postea tabernam aperuit *alla Maddalena*, ejusdem generis mercaturae sub ratione *Giovannetti e figli*. Cum vero exortae inter Marcellum et Petrum ob id fuissent contentiones, ad rem componendam die 1 decembris 1818 privata exarata fuit apocha, vi cujus in posterum sociales declaratae fuere duo praecitatae tabernae, quarum alterius ad plateam *alla Maddalena* directio commissa fuit Aloysio Giovannetti Petri filio, et alterius ad viam *della Colonna* exercitium

reservatum fuit eidem Petro, cui privative quoque concreditum fuit onus explendi = *le commissioni per la provista e andamento dei due negozii* =, et obsignandi = *le sole cambiali relative alla società* =. Res bene coepit usque ad annum 1838, in quo sub mense octobris ad praecedentium annorum exemplum expletum fuit computum generale actae negociationes, a quo apparuit immissum caput non imminutum, lucrum imo ejus anni ad vim scut. 802. 16 conscendisse. At post longum adeo temporis spatium die 16 mensis maji sequentis anni ex improviso fugam arripuit Aloysius, et ex creditorum concursu brevi innotuit, aes alienum ab eodem relictum ad immanem assurgere quantitatem quadraginta et amplius mille nummorum. Maxima fuit creditorum concitatio, qui malo medelam quaerentes, praesupposita in profugo institoris qualitate, putarunt suas actiones tuto dirigere se posse in ejus praeponentes Petrum Giovannetti patrem, illiusque socium Marcellum Fabiani. Indicto librorum sequestro, facile ab iis, qui in mercatorum negociis jus dicunt, decoctionem utriusque tabernae declarari obtinuerunt, nec non pronunciari super existentia societatis collectivo nomine quoad praecitatas tabernas inter Petrum, et Marcellum, et super institoria Aloysii qualitate; qua propter praeponentes in solidum damnati fuerunt dimittendis nominibus, quae ab Aloysio contracta probarentur. Cum ab editis sententiis Petrus, ac Marcellus ad S. Nostrum Ordinem provocassent, de earum justitia separatis libellis cognitio assumpta fuit, et quum hodie comperendinata fuit definitio circa tabernarum decoctionem, quod attinet ad praetensam institoriam Aloysii qualitatem rescriptum prodiit = *Non esse locum actioni institoriae pro debitis ab Aloysio contractis, et extendatur Decisio* =.

Utut ponatur societatem inter Fabianum et Petrum Giovannetti conciliatam ad speciem earum pertinere, quae initae dicuntur = *in nome collettivo* =, nihilominus haud teneri censuerunt PP. Fabianum obligatione satisfaciendi debitis ab Aloysio contractis, et ad exercitium tabernae *alla Maddalena* spectantibus, ac proinde non esse locum adversus eum institoriae actioni. Attendendam prae primis esse societatis apocham ipsi viderunt, ex qua constat facultatem emendi merces, et literas collybisticas obsignandi uni Petro fuisse reservatam, neque Aloysio aliam potestatem fuisse factam, nisi minutatim distrahendi merces in taberna ipsa *alla Maddalena* expositas = *le commissioni* = (ita apocha cautum apertis verbis) *da farsi per la provista ed andamento dei due negozii si dovranno fare dal solo Pietro Giovannetti. La firma è riservata al solo Giovannetti, che firmerà le sole cambiali relative alla società* =. Universae igitur negociationi praepositus fue-
1 rat Petrus, qui idcirco unus renunciari Institor poterat, quique exinde unus ex initis a se contractibus obligare socium Marcellum potuisset, veluti tradunt *Rogron Cod. di Comm. lib.* 1 *tit.* 3 *not.* 1 *art.* 31, *Dalloz au mot Société sect.* 1 *art.* 5 *n.* 3, *Malepeyre traité de Sociétés commer. tit.* 2 *chap.* 1 *sect.* 2 § 1 *de la gestion de societé en nom collectif. pag.* 121. Facile ex hinc deducebatur, quod cum literae collybistice, de quibus agitur, obsignatae fuerint ab Aloysio, ab eo scilicet, qui nulla ad id potiebatur facultate ex sociorum placito, societatem obligare nequibant ad earum dimissionem, et frustra proinde agentes creditores adversus Fabianum suam actionem direxerunt.

Et revera compertissimum in jure est, quod Institor obligare praeponentem nequit non solum ultra ea, quae negocium respiciunt, cui fuit praepositus, sed nec ultra facultates quidem, quae eidem fue-
2 re impertitae, itaut *si proposui ad mercium distractionem, tenebor nomine ejus ex empto actione; item si forte ad emendum (eum) proposuero, tenebor dumtaxat ex vendito, sed neque si ad emen-*

*dum et ille emerit, debebit teneri*, veluti Ulpianus docuit *in leg.* 5 § 11 *ff de Instit. act.* et confirmant *Ansald. de Comm. et Mercat. disc.* 45 *n.* 3 *et seq. et S. Rota in Dec.* 708 *cor. Molines.* Si igitur citra praepositionis fines haud valent Institoris contractus, manifesta exinde scatet nullitas obligationum, quas forte inire potuit Aloysius, qui institoria destitutus qualitate in simplici ministerio versabatur. Excusari autem nec posse videbantur creditores, quod forte ignoraverint, sub qua forma vel lege fuisset 3 Aloysius praepositus gestioni tabernae *alla Maddalena*; unusquisque enim ejus facultates scrutari tenetur, cum quo est contracturus, ad notissimam regulam, de qua 4 *text. in leg.* 19 *ff de Reg. jur. Menoch. de Praesumpt. lib.* 3 *praes.* 88 *n.* 3 *Ancharan. cons.* 332 *n.* 4 *Felin. de Societ. Cap.* 30 *n.* 8 *Capyc. Galeot. de Instit. et Soc. in re Comm. Controv.* 70 *lib.* 2 *n.* 16 *Mantic. de Tacit. lib.* 16 *tit.* 22 *n.* 8 *Ansald. disc.* 46 *n.* 11 *et* 12 *Massa ad Dec.* 3 *com. chart. n.* 45 *Genug. de Merc. dec.* 14 *n.* 87 *Rota Florentina apud Ambros. Dec.* 16 *tom.* 4 *n.* 7, *et S. Rota in dec.* 402 *n.* 11 *cor. Dunozet, dec.* 93 § 5 *cor. Crispo, in Fulginaten. Pecuniaria* 17 *junii* 1787 § *cum itaque cor. Vicecomite.*

Dubitari nec poterat de socialis Apochae veritate, tametsi apud acta exhibita non fuerit, nisi hujusce judicii occasione. Eidem enim fidem plene conciliant depositiones Petri Cartoni, qui adstitit, quando societas inita fuit, Cajetani Ardinghi, qui anxium vidit Marcellum de Apocha perquirenda, quo primum nuncium accepit fugae ab Aloysio abreptae, et Guillelmi Terziani deponentis se praecitatam Apocham prae manibus habuisse ab anno usque 1832, quo munus ei concreditum fuit generale conficiendi computum actae negociationis. Accedebat cognita Fabiani integritas, quae quamlibet excludebat suspicionem de Apocha in creditorum fraudem recenter fabrefacta; et rei culmen ponebat factum, quod actores non modo cognitam habuerunt apocham ante incaeptum judicium, ut constat ex responsionibus coram judice datis ad petitiones, sed eam etiam postea agnoverunt in judicio, suamque fecerunt, ut ex sententia a Judicibus Commercii reddita in hac ipsa quaestione plane scatet. Itaque non amplius integra res est, nec proinde creditoribus licet in discrimen adducere fidem, ac veritatem istius documenti.

Frustra defectum publicationis Apochae objiciebant creditores ad id invocantes art. 41 et 42 vigentis legis, queis sub nullitatis poena evulgatio requiritur. In primis enim haec legis commercialis censura afficere videbatur sociorum tantum 5 personas, qui juxta doctrinam *Locré tit. de la Société art.* 41 *n.* 4 ex publicationis defectu inter se soliditatem amittunt, nec amplius habent lucrorum, ac damnorum communicationem; non item ea videbatur referri posse ad tertios ad effectum eos liberandi ab onere investigandi facultates illius, cum quo sint contracturi. Firma retenta hac obligatione, facile comperiebatur, quod si creditores ei paruissent, compertum oppido eisdem fuisset, simplicis administri officium obisse Aloysium in taberna *alla Maddalena.* Nec id publicatione indigebat, cum publica- 6 tio necessaria videatur tantum in casu, quo coarctari vel ampliari contigerit originarias facultates, ad ea quae tradunt *Pajett. Cons.* 199 *n.* 55 *Capyc. Galeot. cit. controv.* 70 *lib.* 2 *n.* 14 *Castrens. cons.* 104 *n.* 1 *Ansald. de Comm. disc.* 46 *n.* 33 *Massa ad Dec. Chart. obs.* 74 *n.* 45 *et* 46 *in Thes. Ombros. dec.* 16 *n.* 15 *tom.* 4. Videbant insuper PP. non agi in themate de socio, qui licet ex societatis contractu destitutus appareat contrahendi potestate, socios tamen omnes in so- 7 lidum obligare valet. Utique si Fabianus Petri socius obligationes contraxisset, et collybisticas literas obsignasset, quamquam non Fabianus, sed unus Petrus ex inita

per apocham conventione potestatem haberet obligandi societatem, obligata nihilominus censeri societas posset, quoniam tertius cum socio contraxisset ignarus peculiaris conventionis, quae inter socios intercessisset, et ex qua designaretur socius, qui unus praeditus esset facultate contrahendi societatis nomine, et sustinere deberet institoris personam. At vero in praesenti specie quaeritur, teneatur nec ne unus ex sociis obligationibus
8 initis non ab altero socio, sed ab homine, qui in societatem adscitus non fuerat, neque ejus particeps ulla pro parte erat, quique operam dumtaxat uti tabernae administer pro vendendis mercibus praestabat. Pervulgatum utique erat, Fabianum, et Petrum Giovannetti societatem inivisse, ac jamdiu inter eos extare societas coeperat; at cum Aloysio quemadmodum contracta reapse societas non fuerat, ita nec rumor erat, nisi de sociis Petro et Marcello. Quod si convenit commercii favorem summum apud omnes esse, non tamen usque eo favere commercio aequum est, ut quisque valeat actionem in alterum acquirere ex obligatione, quam alter contraxerit, qui in ministerio tantum est, neque debeat explorare facultates ejus, cum quo contractum est initurus.

Nec probatum erat Aloysium pro Institore habitum publice fuisse. Scitum est,
9 institoriae qualitatis utpote nimis praeju dicialis probationes requiri indubias, ex actibus scilicet profluentes claris, dilucidis et concludentibus, prout tradunt *Rocca disput. jur. sel. cap.* 102 *n.* 1, *et Rot. Florentina apud Ombr. dec.* 54 *n.* 138 *et S. Rota dec.* 708 *n.* 12 *cor. Molines dec.* 1 *n.* 4 *tit. de Societ. cor. Falconerio, dec.* 106 *n.* 13 *et* 15 *cor. Olivatio, in Ferrarien. Immissionis* 25 *martii* 1753 *n.* 14 *cor. Vicecomite, in Romana Reddit. Rat.* 13 *maji* 1834 § 6 *cor. R. P. D. meo Bofondi*, cum aliud sit administratoris, aliud Institoris officium
10 prout docent *Apyc. Galeot. controv.* 70 *n.* 11 *cit. Ombros. dec.* 34 *n.* 38 *tom.* 8; et S. Tribunal *in cit. dec. n.* 6 *cor. Falconerio.* At illae probationes omnino deficiebant. Contrarium imo statuebatur per judicialem testium depositionem, quae jam inde ab anno 1832 locum habuit. Lacessitus idem Aloysius, adductis testibus probare valuit se fuisse = *dal padre preposto ad assistere alla vendita nel negozio in Piazza alla Maddalena* =. Accedit factum creditorum, qui syngraphas venditarum mercium, seu = *Fatture* =, vario fere in dies nomine inscripserunt, neque ulla ex iis adest, in qua adnotatum sit, quod merces traditae Aloysio fuerint qua institori societatis.

Perperam praesumebatur, institoriam qualitatem ex tacito Fabiani consensu Aloysium acquisivisse. Praeterquamquod Institor praesupponi non debet, qui administrator jam fuit solemniter agnitus acto judicio, accedit quod demonstratum non erat ut oportebat, Fabianum habuisse certam scientiam earum rerum, quae ab Aloysio gerebantur, neque quidquam adducebatur, unde palam esset Aloysii facta per illum fuisse approbata. Et alioquin ex jure non solum positiva ea probanda, non praesumenda est scientia,
11 sed probandus est etiam concursus actorum, ex quibus scateat praeponentis approbatio eorum, quae sub institorio nomine acta fuerint, veluti animadvertit *Ansald. in dec.* 14 *n.* 12 *S. Rota in dec.* 64 *n.* 6 *in Recent. part.* 17 *et in cit. dec.* 1 *n.* 11 *cor. Falconerio.* Nec quicquam arguere licet ex inverisimilitudine quod per decem annorum fugam ignorari a Marcello nequiverint, quae ab Aloysio gerebantur. Id enim ad summum induceret praesumptam in Marcellum scien-
12 tiam, quae supplere non potest specificam scientiam in themate necessariam ad ea, quae *S. Rota* perpendit *in dec.* 793 *n.* 5 *cor. Molines, decis.* 417 *n.* 14 *cor. Olivatio.* Dispunctiones rationum, quae identidem intercedebant, cum ab uno Petro socio exhiberentur, nihil concludebant in casu, neque ex iis Aloysius institor apparebat. Desumi id nec pote-

rat ab descriptis generatim nominibus sive introitus sive exitus ; nec a bona fide, qua illa subscripsit Marcellus ; neque possibile erat , quod ipse illud agnosceret , quod post ultimum computum anno 1838 exaratum omnia fere nomina contracta probentur.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. MARINI

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 15 *maji* 1840

Argumentum habes in superiori Decisione CVI. quae confirmatur.

SUMMARIUM

1. *Conventio de distrahendo pignore pro arbitrio creditoris si praefinito tempore debitor illud non redimat irrita est , utpote vitium praeseferens pacti* commissorii.
2. *Distinguendum est officium* commissionarii *erga tertios cum quibus contraxit ab sua obligatione erga* Committentem.
3. Commissionarius *is est qui nomine proprio aut sociali rem* committentis *gerit.*
4. *Adeoque obligatur erga tertios cum quibus contraxit per inde ac si de re propria contraheret.*
5. *Quod speciale mandati genus in hoc differt ab ordinario mandato , ut* committens *neque obligetur erga eos , neque eos obstrictos habeat , cum quibus* commissionarius *proprio nomine contraxit.*
6. *Qui mandati fines transgreditur erga mandantem ad quanti interest tenetur.*
7. *Ex conventione inter apostolicam sedem et magnum Hetruriae Ducem de modo exequendi Literas rogatorias , non sufficit ut eae in Hetruria tradantur* al Direttore della Regia Posta , *sed qui tradidit curare debet per aliquem in Urbe earum recuperationem atque exequutionem.*
8. *Quod requiritur pro forma non potest suppleri per aequipollens.*
9. *In praejudicialibus scientia requiritur non praesumptive sed certa et specifica.*
10. *Usurae centesimae tanquam immodicae etsi conventae reducuntur ad semisse inspecto etiam jure in Hetruria obtinente.*
11. *Anathocismi vitium est quando usurae usurarum conventae fuerunt ab initio non autem quando usurae insolutae ad liquidum perductae in caput redigantur.*

DECISIO CXIV.

Thomas Spagnolacchius , qui merces ac praesertim lanas a Rosa Tomarotia , romana negociatrice, uxore Francisci Brioni accipere consueverat , ut certo sibi retento premio vendendas Labrone curaret, nonnullasque interim collybisticas literas ab hac foemina missas persolveret , quum creditorem se perhiberet juxta = *il conto corrente* = in vi nummorum lubronensium (*pezze*) 4630. 17. 3. ad totum mensem julium 1820 , post lapsum 15 fere annorum hanc summam coram mercatorio Urbis Tribunali adversus Thomarotiam una cum fructibus postulavit. Judices illi post diversas interlocutiones , Peritis pro rationum dispunctione eligendis normas praescripserunt , ex quibus Actoris creditum subvertebatur. Quapropter provocationem iste ad nostrum ordinem interposuit , sententiamque obtinuit ab R. P. D. meo de Avellà in vulgus editam , qua statuebatur = *constare de credito favore Thomae in summa liquidanda* = , peritumque ratiocinatorem deputandum esse , ut referat juxta instructiones dandas , quae sane instructiones Thomae Spagnolacchio propitiae eo summatim redibant , ut pro sarcinis 46 lanarum ad Thomarotiam pertinentibus , quas pignori Spagnolacchius se tradidisse cuidam mercatori Mospignotto asserebat , nihil aliud mulieris credito adscriberetur , quam *pezze* 2731. 15. 10 , quot nempe mercator iste ex earumdem venditione retraxisse perhibebatur ; ac pro sarcinis 25 post decoctionem Spagnolacchii a Syndico Venditti sub corona distractis , vis dumtaxat *di pezze* 905. 15. 4 adnotaretur : usurae vero quas sibi centesimas attribuerat Spagnolacchius , cohiberentur ad rationem

semissem; atque usurae anni unius cujusque in caput frugiferum converterentur. Ab hac sententia cum provocasset Thomarotia, controversiam die 8 julii superioris anni 1839 Patribus dirimendam proposui, qui responderunt = *Sententiam esse infirmandam et extendatur Decisio* = Mox causa novo examini subjecta in comitiis diei 24 januarii hujus anni, rescriptum prodiit = *Dilata et coadjuventur probationes tum super conventione in traditione* 46 *sarcinarum, quam super earumdem identitate in actu venditionis* =. Ulteriores deinde Thomae concessae sunt induciae a Patrum benignitate in coetu diei 27 martii; tandem ad trutinam quaestione hodie revocata, responsum est = *in decisis, et extendatur nova Decisio* =.

Non probari, ut par esset, Thomam Spagnolacchium sarcinas 46 lanarum ad Thomarotiam spectantium Mospignotto, ejusque sociis revera tradidisse, sed potius excludi, recte animadvertebat superior mea Decisio § 3 *et seq.* Sane declararunt isti; se die 3 junii 1818 sarcinas 21 lanarum a Spagnolacchio pignori habuisse, literasque collybi recepisse Florenorum 3700 implendas Tergeste, quas Spagnolacchius traxerat: resoluto deinde pignoris vinculo in praedictis sarcinis 21 lanarum ob sequutam Flor. 3700 solutionem, die 23 septembris ejusdem anni 1818 habuisse a Spagnolacchio alias sarcinas 28 ad eamdem Thomarotiam pertinentes atque intuitu harum 49 sarcinarum (e quibus deinde unam se restituisse ajebant) vim di pezze 4351. 1. 8 Spagnolacchio sese suppeditasse ut prima ex hisce traditionibus excludebatur ab epistola ipsius Mospignotti scripta ad Thomarotiae virum die 7 septembris illius anni, in qua legebatur = *Il signor Tommaso Spagnolacchi non si è prevalso di alcuna somma da noi: nè ci ha fatto fin quì alcuna consegna per vostro conto* = Utramque vero traditionem refellebant ejusdem Mospignotti posteriores epistolae dierum 2. 9 et 16 insequentis decembris, in quibus ajebant = *Non abbiamo noi vostre lane ..... Ci rincresce l'incaglio, che soffrono le vostre lane in mani del signor Spagnolacchi .... Non mancheremo di coadjuvare le premure del signor Spagnolacchi per le lane vostre in sue mani* = Nec extitisse lanas penes Mospignottum argui poterat ex Brionii epistola diei 28 novembris 1818, in qua Brionius consilium praebebat de signis sarcinarum mutandis, transferendisque lanis in novum promptuarium; namque ea epistola respondet epistolae Mospignotti diei 18 novembris ejusdem anni, ubi iste loquebatur de lanis = *in mano Spagnolacchi* =, atque exinde explicabatur etiam alia Mospignotti epistola diei 2 decembris, in qua Brionii consilium respuebat. Ad excludendam insuper lanarum traditionem accedebant quoque ipsius Spagnolacchii epistolae; namque iste die 23 decembris 1818 ad Thomarotiae virum scribebat, se a Mospignotto pecuniam habuisse = *senza verun riguardo alla vostra onorata persona* =, Mospignottum voluisse = *biglietti miei* =, insuperque loco pignoris = *un mio effetto* =, gemmarum nempe collectionem; praeterea sese obnoxium esse conquerebatur = *a tutti i pericoli delle lane* =, instabatque, ut sibi potestatem faceret vendendi lanas = *al vostro meglio* =, vel ut Mospignotto mandaret = *di riceverle pagandomi i miei avanzi* =. Praesto erat alia ejusdem Spagnolacchii epistola, notatu dignissima, qua ipse die 2 julii 1818, imminente ejus decoctione, scribebat ad Brionium = *vi sia d' avviso, che avendo veduto la quantità di tarme, che divorano le vostre lane, ho dovuto scuoterle e ripulirle; finoggi ho accommodato Balle* 48, *e vado ripulire il resto* =: quae sane verba lanas hasce in promptuariis Spagnolacchii adhuc reperiri ostendebant. Nec fieri potuisse videbatur, quod ad recuperandam gemmarum collectionem Mospignottus post mensem julium lanas tradiderit. Etenim cum traditionis dies, ut oporteret, satis demon-

strata minime sit; ac caeteroquin in statu activo et passivo apud acta exhibito die 4 novembris 1819 nulla inveniatur mentio neque de debito nummorum 4330. 1. 8 erga Mospignottum contracto, neque de sarcini 48 pignori datis, vehementer erat suspicandum, decocto demum Spagnolacchio, lanarum traditionem contigiss. Nihili vero faciendae videbantur ad adstruendam traditionem lanarum attestationes nuper allatae Josephi Contesini, tum quia ipse addictus est Mospignottis, tum quia lanas ipse acquisivit.

At vero ne de earumdem quidem identitate satis luculenter constabat; quando quidem ex actis auctiones per Mospignottum initae die 16 martii 1820 haud sarcinas 48, quot Mospignottus a Spagnolacchio se recepisse declaravit, sed 46 dumtaxat sub hasta distractae apparebant; neque lanarum origo, neque signa indicabantur, ex quibus a Thomarotia eas proficisci patefieret; unus vero deprehendebatur emptor lanae ferme totius, nimirum Joseph Contesini, qui, ut supra dictum est, tunc ipsius Mospignotti erat administer; unde merito arguebat praecedens *Decisio*, neque satis demonstrari lanarum identitatem, neque ab auctione fuisse doli suspicionem.

Praeterea ex declaratione Mospignotti, sociorumque erui videbatur venditas pro pretio *di pezze* 4330. 1. 8, potius quam pignori datas lanas a Spagnolacchio fuisse, quum pretium pro earum pondere constitutum fuerit = *al netto valutate a pezze* 30 *il cento* =, atque a Mospignotto numeratum usque ad ultimum quadrantem: quod nemo negaverit venditioni magis quam pignori convenire: huc vero addebatur facultas naturae emptionis venditionis apprime congruens = *di redimere o in tutto o in parte le indicate lane al prezzo detto di sopra* =. Quibus ita se habentibus Thomarotiae credito tota vis nummorum 4330. 1. 8. nequaquam vero minor summa ex auctione redacta erat adscribenda, cum ex notissimo jure post emptionem venditionem perfectam omne commodum et incommodum rei venditae ad emptorem pertineat.

Caeterum Patres id potissime considerabant, quod licet ambigi non posset de traditione atque identitate lanarum, eas que titulo non venditionis, sed pignoris tradita fuisse, haud idcirco tamen Spagnolacchius obligationi suae satisfecisse existimari poterat, dum Thomarotiae credito vim dumtaxat nummorum 2731. 15. 10 adnotavit; namque ex saepe memorata Mospignotti declaratione colligebatur, eos retinuisse apud se = *le rimanenti balle* 38 *di lana di Roma con facoltà di procurare anche la vendita al meglio del suo interesse* (nempe Spagnolacchii), *le quali, essendo nel novembre dell'anno* 1819 *mancato al commercio il prefato signor Spagnolacchi, e così essendo divenuto inabile a ritirarle da noi, giusta il* pattuito *furono da noi medesimi dopo d' aver tentato indarno ogni altro mezzo di vendita vendute al pubblico incanto . . . . per stare a fronte delle suddette pezze* 4330. 1. 8. Jam vero ejusmodi fuisse videbatur *il pattuito*, ut nisi lanas intra praefinitum tempus Spagnolacchius redimeret, ad earumdem distractionem pro arbitrio posset a Mospignotto deveniri. At neminem latet conventiones hasce utpote secumferentes *pacti commissorii* vitium, minime esse attendendas; neque vero probare Spagnolacchius valuit, diversum fuisse hujusmodi *pattuito*; quamvis ad rem in aprico ponendam haud ita breve temporis spatium ab indulgentia Patrum habuerit; dum caeteroquin ex codicibus, quos ipse ut mercator retinere debebat, veritas hauriri facile potuisset. Ferendus itaque non erat Spagnolacchius, dum, necessariis istis probationibus destitutus, Thomarotiam judicio aggrediebatur ad vim pecuniae non tenuem condicendam *ad text. in l. 42 ff de R. S.*

Perperam vero, nec sine summa contradictione Spagnolacchius contendebat, Thomarotiam adversus Mospignottum jus

suum experiri debere, si vitium aliquod irrepsit in lanarum distractione. Contextim namque ipse asseverabat, se uti *Commissionarium proprio nomine* lanas Mospignotto tradidisse; atque hoc modo explicare nitebatur, cur Thomarotiae nomen minime occurrat neque in Codicibus Pensitatorum Labronis, neque in Mospignotti declaratione; et cur iste ad Brionium scribens jugiter affirmaverit, se ejusdem lanas minime habere. Quod si ita est, si Mospignottus cum uno Spagnolacchio contraxit; si eumdem dumtaxat proprio nomine sibi voluit obstrictum; inanissime modo protuebatur, Thomarotiam teneri adversus Mospignottum de venditionis nullitate judicium instituere. Inspectis enim mercatoriis institutis, distinguendum est
2 officium *Commissionarii* erga tertios, cum quibus contraxit, ab obligationibus, quei devincitur erga *Committentem*. *Commissionarius* juxta *art.* 86 *Cod. Comm.* is est qui = *in nome suo proprio o sotto un nome sociale* = rem *Committentis* gerit.
3 Ex qua definitione consequitur, ipsum obligari erga tertios, cum quibus contra-
4 hit, perinde ac si de re propria contraheret; atque in hoc potissimum differre sociale hoc mandati genus pro celeritate ac facilitate commerciorum inventum ab ordinario Mandati contractu, nempe ut
5 *Committens* neque obligetur erga tertios, neque eos obstrictos habeat, cum quibus *Commissionarius* proprio nomine contrahit, ceu tradunt *Dalloz Giurispr. del Secolo XIX. tom. 4 verbo Commiss. Perdessus corso di diritto comm. tom. 1 tit.* 6 *cap.* 4 § 564 *Darincourt. instit. di diritt. comm. tom. 1. tit. 5. p.* 131. Quo posito juris principio palam est, ad Spagnolacchium unice spectare, ut adversus Mospignottum de nullitate venditionis jus experiatur. Nam Thomarotia in Mospignottum agere non posset, nisi ex juribus ipsius *Commissionarii*, proindeque iisdem exceptionibus subesse deberet, quas adversus ipsum Mospignottus posset afferre, ut scite animadvertit *Dalloz loc. cit.* Ut quod attinet ad obligationes et jura *Committentem* inter et *Commissionarium* vires suas exerit commu nis juris dispositio.

Porro autem Spagnolacchius ex Thomarotiae mandato non aliter lanas pignori dare poterat, quam = *per esitarle al mio meglio, e colla mia intelligenza* = Quamobrem si hac conditione pessumdata, lanas Mospignotto pignori tradidit; facta insuper potestate easdem, se ipso irrequisito, pro lubitu alienandi ubi pignus intra certam diem redemptum non fuis-
6 set, palam est, Spagnolacchium fines mandati transgressum fuisse; ideoque erga Thomarotiam ad quanti interest teneri *leg. diligenter* 5 § 1 *et* 2 *leg.* 46 *leg. ult. ff mandati vel contra.*

Hactenus de sarcinis 46, quod vero spectat ad reliquas 25 sarcinas a Syndico Venditti mense junio 1821 praeconis voci subjectas, rursus Patres judicarunt, non esse Spagnolacchii debito adscribendam quantitatem tantummodo *di pezze* 903. 15. 4. ex venditione collectam, cum perperam venditio isthaec processerit, deficiente trina debitoris monitione, trino judicis Decreto super praefixione termini ad reluendum, trina demum actum eorumdem denunciatione. Neque legis praescripto satisfactum dici poterat per literas rogatorias a Praeside Supremi Consilii Justitiae Florentiae directas ad R. P. D. Rev. Cam. Auditorem pro decretis Thomarotiae in Urbe indicendis. Eas enim tradidit Syndicus = *al direttore della Regia Posta* = Florentiae, quin curaverit, ut ad mulieris notitiam deferrentur. Nam cum inter Apostolicam sedem, ac Magnum Hetruriae Ducem adesset conventio inita usque a mense septembri 1816 super reciproca denunciatione actuum judicialium, non satis erat, ut Syndicus eas traderet moderatori = *della Regia Posta* =, sed requirebatur insuper, ut aliquem Romae constitueret, qui R. P. D. Cam. Auditore moneret de literis rogatoriis hac perventis, nec aliter recuperandis, quam *per consegna*, expensasque necessarias pro earumdem exequutione praerogaret, ceu liquebat ex publici ministri testimo-

nio, cujus fides in discrimen non erat adducenda, tum quia testabatur de re ad proprium officium pertinente, tum quia ejus testimonium observantia confirmabatur. Quin imo vel ipse Syndicus Venditti hoc modo ita se gessisse apparebat, cum Decreta Tribunalium Hetruscorum cuidam in Urbe degenti significanda curavit. At vero quum de hoc incuriosum quoad Thomarotiam sese praebuerit, exinde accidit, ut rogatoriae literae, de quibus sermo est, in urbano literarum Diribitorio pulverulentae jacuerint. Et perperam objiciebatur Encyclica Primarii status Administri diei 1 martii 1825, ex qua erui contendebant Spagnolacchii Defensores conventionem praefatam a die 23 septembris 1824 abrogatam fuisse; sat enim erat, quod conventio adhuc viguerit mense junio 1820, quo lanae a Syndico Venditti sub corona divenditae sunt. Caeterum Hetrusca Tribunalia nunquam recusarse denunciationem Actorum Tribunalium Pontificiae Ditionis in ea conventione adamussim spectatam, sed illorum exequutionem, ab eadem Encyclica non ambigue eruebatur. Neque item abesse poterat alia Encyclica Emi a Secretis status super exequutione conventionis inter Sanctam Sedem, et Ditionem Austriacam, ubi modus statuitur praerogandi ac repetendi sumptus pro denunciatione actuum judicialium; nam cum in conventione inter S. Sedem et M. Hetruriae Ducem anni 1816 nihil de ea cautum fuerit, sequens erat, ut observantia, de qua supra est facta mentio, esset omnino attendenda.

Nec rem mutabat, quod fortasse Thomarotia ex commercio epistolari cognoscere potuerit futuram lanarum venditionem. Scitum quippe est, per aequipol-
8 lens suppleri non posse, quod praecipitur pro forma; ac caeteroquin in re praejudiciali scientiam non praesumptivam, sed specificam certamque requiri, ut per-
9 pendit prima mea *Decisio* § 19.

Quae huc usque animadversa sunt, ostendebant, tam venditionem sarcinarum 46 quam aliam sarcinarum 25 perperam processisse. Quamvis autem idcirco Spagnolacchii debito ad scribendum esset pretium maximum scatens = *dai Listini* =, tamen ob vetustatem lanarum medium tantummodo pretium, imminutum quoque decima parte eidem esse imputandum rursus Patres censuerunt.

Ad usuras vero quod attinet (licet satis superque probata dici posset conventio de *centesimis* persolvendis), tamen conventionem hanc servandam non esse, et ad
10 rationem secuncem usuras esse cohibendas, tum inspecto veteri jure, quod vigebat in Hetruria, teste Baldasseronio in opere, cui titulus = *Leggi e Costumi del Cambio part.* 1 *art.* 12 § 4 *et* 5 =, tum inspectis Gallorum institutis ibi adhuc obtinentibus, denuo Patribus visum est. Itaque Spagnolacchii calculatio ex tribus hisce nominibus ejusdem creditum potissime constituentibus erat emendanda.

Repraehendendus autem non videbatur Spagnolacchius ex eo quod pro singulis annis computa distinxerit, ut usurae uniuscujusque anni in caput frugiferum redigerentur. Siquidem Anatocismi vitium, quod Thomarotia huic exprobabat, tunc locum habet, quum usurae usurarum ab
11 initio in stipulationem deductae fuerunt, minime vero quando praeteritae usurae ad liquidum allatae in caput convertuntur, ceu ex juribus ibi recensitis arguit prior mea *Decisio* § *penult.* Nec item erant eidem denegandae, quatenus post emendationem trium nominum praedictorum creditum aliquod frugiferum superesset, usurae posteriores = *alla sua riabilitazione* =, de qua dubitari non posse videbatur, quum in judicio sit absque ulla contradictione.

Et ita ec. utraque ec.

R. P. D. BOFONDI

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 5 *junii* 1840

ARGUMENTUM

Habes ex summario.

SUMMARIUM

1. *Ex jure, dispunctis rationibus, societatis utilia aequis portionibus inter socios dividi debent.*
2. *Indignum est socios in socium diram furti querelam proponere.*
3. *Tunc dumtaxat furti crimine in socium agi potest, si ipse dolo malo pecuniam ad caeteros socios spectantem amoverit, nunquam autem si portionem suam palam exegerit.*
4. *Articulus* 592 *Codicis Criminalis praecipit ne actori liceat, selecta via criminali, ad tribunal civile confugere.*
5. *Art.* 597 *ejusdem Codicis prohibet criminis reo, pendenti criminali judicio, ad hoc intercipiendum actoris voluntarii vestem induere in judicio civili.*

## Decisio CXV.

Complures inter oblatores, qui Typographiae Cameralis redempturam inhiabant, primus ac melior repertus est Joseph Giovenale. Hic autem societatem coiverat cum Barone Vincentio Grazioli, Advocoto Petro Benvenuti, ac Philippo Baldassari. Vix ac adjudicata definitive redemptio fuit, societatis pacta privata syngrapha eos inter conventa complexa est. Dispertita sunt onera, ac officia simul divisa: Baroni Vincentio quaestoris officium tributum: Philippus Typographiae directioni praepositus: Josepho ratiocinatoris partes addictae: advocato Petro consulentis officium commissum. Inde actum de pecunia in rem socialem immittenda. Baro Vincentius, utpote omnium sociorum ditissimus, pro cautione tribuebat 9000 argentea in tot *consolidatis*, atque insuper se repraehesentaturum pretium instrumentorum, quae ad typographicam artem sunt necessaria, expromittebat. Illinc quincunces, hinc sexunces usuras a socii aliis sibi adstipulabat. Item sociorum unusquisque (Philippo excepto, cujus opera plurimi aestimabatur) bismille argenteos nummos ad sumptus faciendos in societatem conferebat. Utilia vero sic erant dividenda, ut prius quarta pars lucri daretur Baroni in reintegrationem pecuniae, quam pro instrumentis comparandis impendisset, reliquum postea inter socios aequis partibus divideretur. Adjiciebatur postremo pactum, ut quotannis sub mense Octobris rationes dispungerentur, quo inter socios utilia partirentur.

Re ita constituta, sub initio quidem cuncta processerunt mira sociorum concordia, adeo ut labente anno 1835, sub mense octobris computa quoque ducta sint, ac lucrum sociale ex pacto inter eos divisum. At non multo post dissidiis, jurgiisque acerbissimis exortis Philippum inter caeterosque socios, supremum Principem ille adivit, ad Tribunalia confugit. Interea contra socios ille petivit apud Commercii Judices productionem rationum annorum 1836 ac 1837: et cum nosset, praegrandia lucra a societate eo tempore habita fuisse, a quibusdam societatis debitoribus vim scut. 4661. 77 exegit; quod ne dolo egisse videretur, sociis aliis sollicitus nunciavit. Sed nil opportunius contingere sibi posse socii visi sunt, ut Philippi intentionem prorsus eluderent: extemplo enim furti crimine illum accusarunt. Mox urgente Philippo rationis exhibitionem alterius quoque anni 1838, rei conventi ad eam evitandam furti querelam opposuerunt, contendentes quod in civili actione esset sistendum, donec super furti crimine judicium prolatum non esset. Sed rejecta hujusmodi exceptione, Judices Philippi petitioni plauserunt consultissima sententia, quae in rem abiit judicatam. Panditis ergo rationibus annorum 1836. 1837. ac 1838; patuit utilia societatis ad ingentem summam scutorum 54543. 36. assurgere. Hinc

Philippus eosdem judices iterum adivit petitum, ut imputatis in portiouem suam pecuniis exactis, residuum traderetur. Verum Triumviri illi, mutato consilio, rati sunt, criminalem actionem, quam nihil rationum exhibitioni antea afficere censuerunt, solutioni modo obstare; quapropter decreverunt, quod = *si dovesse soprassedere in causa fino all' esito del giudizio criminale* =. Provocatum est ab hac sententia ad Nostrum Ordinem, qui cum rem non satis perspicuam probatamque comperiisset, postridie nonas maii nuper elapsi rescripsit = *Dilatu et coadjuventur probationes super nominibus exigendis* =. Hodie vero de sententia iterum Patres rogati responderunt = *Esse locum consignationi utilium, imputatis pecuniis per Philippum exactis in scut.* 4661. 77 *et esse relaxandum mandatum pro scutis* 3494. 56, *et quoad partitas scutorum* 15946. 59, *et scutorum* 1587. 47 *videatur particulariter* =.

Atque rectissime quidem. Prostabat enim ex societatis contractu, quotannis rationes dispungendas esse, ut unicuique sociorum aequa utilium portio tribueretur. Quod cum exploratissimnm esset, nec Socii vel ipsi inficias ire poterant. Nec ulla de caetero idonea suppetebat ratio, quare esset a conventione desciscendum, quae non modo juri non repugnaret, sed naturae imo societatis esset adeo consentanea, ut sine explicita etiam contrahentium declaratione subintelligeretur adjecta *ad text. in leg. si non fuerint* 29 *ff pro socio*, *Rota in Terracinen. Societatis super Redditione ration. et Divisione* 11 *martii* 1771 § 6 *cor. Card. Cornelio*, *et in confirmat. diei* 28 *junii ejusdem anni cor. Eodem.* Quod si igitur sive ex pacto sive ex jure ambigi nequiret, quin societatis utilia aequis portionibus dividi inter socios deberent, unum tantum erat inquirendum, quid videlicet ad Philippum pertineret. Porro constabat ex rationibus a Barone Vincentio exhibitis, societatis utilia spatio annorum 1836 1837 ac 1838 summam scut. 54543. 36 conflare. Hinc quamvis pro nunc deducendum esset creditum, quod nondum a Rev. Camera exactum dicebatur in scut. 15946. 59, nec non alia scuta 5987 45, quae impensa asserebantur = *in aumento di capitali oltre quelli acquistati nel primo impianto dal Signor Baron Grazioli* =, de quibus particulariter erit in posterum videndum juxta S. Ordinis rescriptum, superesset nihilominus socialium utilium nomine summa scut. 32604. 32, qua in quatuor partes divisa, portio, quae ad Philippum pertineret, ad vim scut. 8156. 33 assurgeret. Hinc imputatis pecuniis per eum exactis in scut. 4661. 77, patebit illico superesse adhuc scuta 3494. 56, quorum proinde solutio non posset nisi invita prorsus justitia instanti socio denegari.

Neque audiendi erant Socii dum contendebant, quod pridie kalendas octobris anni 1838 initis calculis, Philippus sine conquestu probasset, in sociali arca extare dumtaxat scuta 9242. 72, quorum quadrantem eum majori debito suo compensare ipse non dubitavit; quod rursus haud inspiciendum, quid in arcam inde pervenit, cum hoc novae rationum dispunctionis petendae fundamentum constituisset. In primis enim animadvertebatur, socialis arcae statum, cum in una arcarii socii fide consistat, haud quidem praeseferre certo posse, quid socialium utilium nomine fuerit ab eo revera exactum. Quapropter etiamsi Philippus quadrantem pecuniae, quae asservabatur in arca, vel percepisset, vel cum majori suo debito erga socios compensasset, non inde tamen sequeretur, rem ita eum agnovisse, ac probasse, ut ab exhibendis reddendisve rationibus, et a vera utilium quantitate tradenda liberare socios voluisset. Caeterum exceptionem penitus eliminabat subsequuta in vim reijudicatae dati acceptique rationum productio, quae cum compraehenderet annos 1836. 1837. et 1838, unde intentionis suae fundamentum constituit Philippus, haud certe spectandum erat, quid exeunte septem-

bri anni 1838, vel die inchoati judicii reperiretur in arca, sed clarissime evincendum, quid a Barone Vincentio procul ab omni ejus dolo et culpa vel socordia exigi nequiverit. Quod cum non satis praestiterit Vincentius, qui alioquin probandi onere premebatur, uno alterove nomine excepto, de quibus seorsim erit disputatio, jure optimo praesumendum est, caetera nomina exacta fuisse, pecuniasque coaluisse in societatis arcam. Quod eo vel fortius retinendum erat, quia ex nominibus exigendis nonnulla jam fuisse revera exacta luculenter ostendebat Philippus vel ipse, legitimis adductis monumentis. Nil igitur justitiae, aequitatique magis congruum videri poterat, quam ut quadrantis utilium solutionem pro nunc in scutis 3494. 56 Philippus consequeretur.

Quin vel minimum obstaret judici criminalis contestatio. Primo enim demirari satis nequibant religiosissimi Patres,
2 dum animadvertebant, socios in socium, quos inter fraterna conjunctio et charitas intercedere debet, protulisse tum dire furti querelam: eoque indignius, quo certum, ita demum furti crimine in so-
3 cium agi posse, si dolo malo pecuniam ad caeteros socios spectantem amoverit, non aeque vero si portionem suam palam, publice exegerit, uti eleganter docet *Ulpianus in leg.* 61 *ff pro socio*. Porro non solum Philippus ne obulum quidem sociorum dolo malo contrectavit, sibique arrogavit (in quo furtum constitit), sed quidquid a debitoribus exegerat, sociisque protinus nunciaverat, longe minus erat ejus portione utilium, quae redemptura per tres annos produxerat, quaeque Socii vel occultaverant, vel tradere Philippo renuerant, ac pro quibus idcirco agere hic judicio debuit, ut exhibitionem rationum accepti et impensi, vulgo = *bilanci* = proferrent. Caeterum nulla occurrebat idonea ratio, quare, pendente criminali judicio, supersederi in judicio civili deberet. Censura *art.* 592 *ac* 597 *Codicis Criminalis*, quam frustra invocabant, minime ad rem praesentem spectare facile comperiebatur: non articulus
4 592, qui praecipit tantum, ne actori liceat, selecta via criminali, ad tribunal civile confugere: non articulus alter 597 prohibens criminis reo, pendente criminali judicio, actoris voluntarii vestem in-
5 duere in judicio civili ad intercipiendam criminalem actionem. Nec enim Philippus actor unquam in judicio criminali fuit, nec post querelam judicio civili egit in socios. Multo ante furti querelam vades ipse dederat sociis pro productione rationum annorum 1836. et 1837; ac si postea petivit, ut exhiberentur simul rationes alterius anni 1838, haec potius praecedentis judicii prosequutio, quam nova actio instituta ad criminale intercipiendum judicium censeri debet. Huc re perducta, haud hercules ferendum Patres judicabant, ut sub obtentu criminis furti socius repelleretur a perceptione utilium socialium, quae ex pacto aequis portionibus dividi debent.

Quae cum ita essent, merito Patres decreverunt esse locum consignationi utilium, despecta prorsus dilatoria exceptione pendentis criminalis judicii, quod intercipere nullo pacto poterat expeditissimam civilem Philippi actionem pro utilium socialium divisione.

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. D'AVELLA'

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 3 *julii* 1840

ARGUMENTUM

Quando et quomodo admitti et intelligi possit tacita Institoria.

SUMMARIUM

1. *Ex mercatorio jure sive collybi literae sive* i biglietti o pagherò all' ordine *praeseferre debent nomen ejus, qui solvere debet.*
2. *Hinc ad solutionem cogi nunquam potest ille, cujus nomen in istiusmodi syngraphis desideratur.*

3. *Qui non institorio, sed privato ac particulari nomine subscripsit, se ipsum non praeponentem aut societatem obligasse videtur, quoties constat ex jugi observantia, ipsum institoriam qualitatem adhibuisse dum qua institor contraxerat.*
4. *Tacita institoria non protenditur ultra facta, super quibus sciente et patiente sive domino sive consocio fuit exercita.*
5. *Quamvis autem inscio etiam domino vel socio tacita institoria admitti posset, in casu dumtaxat intelligenda esset, quo negotii necessitas urgeret.*
6. *Actio de in rem verso judicium ordinarium constituens confundi nequit cum judicio exequutivo pro solutione cambialis literae.*

## Decisio CXVI.

Patruo Aloysio Valenti, et Nepoti Francisco praeter patrimonium cuique particulare, et proprio inde nomine ab uno quoque seorsim administratum, commune fuit artis murariae exercitium, cujus obligationes ne confunderentur cum privatis uniuscujusque negociationibus, ab utroque ideo socio subscribebantur. Prospere quidem negocia muraria progrediebantur, cum ad novembrim anni 1836 introitus exitum superaret in conspicua vi scutorum 8682. 75, ad novembrim vero insequentis anni 1837 superaret in scutis 5294. 61. Res sed vero Aloysii privata ibat in praeceps, unde factum, quod Aloysius post arcam socialem in suos usus penitus absumptam pecuniam quaereret, subscriptis in id, et in commercium prolatis plurimis Syngraphis, seu = *biglietti all'ordine* =, et potissime quatuor sub die 26 junii 1837 vim conjunctam constituentibus scut. 2600 cum fidejussione solidali Francisci Gallina, qui caeteroquin summae medietatem fuit consequutus, et Aloysii propterea interesse nonnisi ad alterum dimidium coercebatur. Statutis solutioni diebus integre Gallina Syngraphas dimisit, pandito tamen animo = *di rivalersene contro il sig. Luigi Valenti* =; quumque interim tum Aloysio, tum Francisco Valenti oeconomus datus esset vir Eminentissimus Cardinalis Polidori, idem Gallina die 5 februarii anni 1838 apud Commercii Tribunal judicium in personam Emi Economi inchoavit contra unum Aloysium, postulans solutionem scut. 900 pro medietate = *dell' importo di tre cambiali* =; dies namque nondum venerat solutionis quartae Syngraphae, = *dal sig. Luigi Valenti accettate: e pagate dall' Istante per l' intiero per onor di firma: e per la detta somma sentirsi rilasciare l'ordine esecutorio da eseguirsi realmente contro il patrimonio, beni, ed effetti del suddetto sig. Valenti, e personalmente contro il Valenti medesimo.*

Quievit sed vero Gallina per duos ferme annos instituto judicio penitus desertо; rediit autem die 24 januarii praesentis anni apud eosdem Judices Commercii in jus aeque in personam Emi Economi non unum Aloysium vocans, sed etiam Franciscum Valenti = *al pagamento di scudi* 1300 *per altrettanti pagati per onor di firma importo di merci* =; et ad fulciendam actionem Syngraphas detulit, quibus ipsemet cum uno Aloysio subscripserat. Cum nulla oppositio facta fuisset ad tutandum Francisci interesse, hic quoque una cum patruo Aloysio fuit damnatus ad summae solutionem per Gallinam petitae. Vir Emus Economus istud rescivit, atque haud praetermisit pro interesse Francisci ad S. Ordinem provocare. Cum autem duo curatores ad lites a Sacratissimo Principe essent interim dati, unus pro Aloysio, alter pro Francisco, hujus petitionem, ut infirmaretur quoad Franciscum sententia Tribunalis Commercii, haud haeserunt Patres excipere, dato responso = *Non esse locum solutioni scut.* 1300 *contra Franciscum, et extendatur Decisio* =.

Nullibi enim melius, quam praesenti controversia aptari poterat vetus effatum = *ex facto jus oritur* =. Probatissimum nemque cum esset in facto, Aloysium et Franciscum Valenti patrimonium cuique

particulare seorsim proprio nomine administrasse: vicissim vero sociales rei murariae obligationes ab utroque fuisse subscriptas, ceu dubitari non sinebant actus plurimi, qui si privatum cujusque interesse respicerent, comperiebantur ab unoquoque proprio nomine adstipulati, si vero pro re sociali fuerant initi, non desiderabatur in iis utriusque subscriptio, adeout tria distincta patrimonia forent consideranda, unum Aloysii, alterum Francisci, unicuique particulare, tertium vero super re muraria utrique commune: facile in omnium oculos insiliebat, actionem adversus Franciscum a Gallina institutum, ut ab eo condiceret controversam summam argenteorum 1300 esse omnino rejiciendam. Re enim vera actio, quam experitur Gallina = *pel pagamento di scudi* 1300 *per altrettanti pagati per onore di sua firma, come da documenti, di cui in atti* =, est mere exequutiva et Syngraphis tota innitur, quibus idem Gallina cum uno Aloysio subscripsit. Hoc ipso autem quod Franciscus Syngraphis neutiquam subscripsit, quae fundamentum institutae actionis constituunt, nemo est, qui non videat, nullum posse intelligi initum contractum inter ipsum Franciscum et Gallina, sed quamlibet e converso Francisci obligationem deficere, qua in eum agere queat Gallina, ut relevationem obtineat = *per altrettanti pagati per onor di sua firma* =.

Notissimum namque est ex mercatorio jure, sive collybi literas, sive = *i bi-*
1 *glietti, o pagherò all' ordine* = debere omnino indigitare = *il nome di colui che deve pagare* =, ceu cautum expresse *in art.* 103 *del Regolamento provisorio di Commercio*, sique propterea in Syn-
2 graphis, de quibus modo est controversia, desideratur omnino nomen Francisci Valenti, plane sequitur, cum ad solutionem haud quaquam obligari potuisse. Nec recte opponebat Gallina, teneri Franciscum sive ex subscriptione patrui Aloysii, qua socialis rei murariae administratoris, sive etiam institoris, sive actione de in rem verso ob factam ab Aloysio in rem socialem pecuniae erogationem. Quod attinet namque Aloysii subscriptionem, haec in primis haud nomine institorio facta deprachenditur, sed privato et particulari, scilicet = *Luigi Valenti accetto* =; unde perspicuum, quod Aloysius non societatem sed se unum dumtaxat obligare intellexit; nec ferendum propterea, ut Gallina, qui fidem Aloysii privatam fuit sequutus, modo contenderet, se cum Aloysio contraxisse qua societatis institore. Et potissime id tenendum, simulat,
3 ceu superius est consideratum, erat in facto probatissimum, privatas obligationes sive Aloysii, sive Francisci proprio nomine ab unoquoque fuisse susceptas; eas vero, quae socialem rem murariam respicerent, subscribi ab utroque socio consuevisse. Stante enim hac jugi et nunquam interrupta observantia, ex qua constat, quod obligationes in rem privatam ab unoquoque susceptae proprio nomine inirentur, sociales vero ab utroque socio subscriberentur, de controversis inde Syngraphis, quas proprio et privato nomine Aloysius signavit, sentiendum omnino erat, quod haud in causam societatis, sed in rem sui privatam fuissent ab eodem Aloysio subscriptae.

Difficultate autem nullam poterat super hac re ingerere Aloysii declaratio = *che le quattro cambiali etc. sebbene avendo la sola firma mia possano apparire di mio solo conto, e debito particolare, non ostante la pura verità si è, che sono state da me tratte per conto ed a debito degli affari murarii in società col mio nepote Francesco etc., attesochè sono io alla testa, alla direzione ed amministrazione de' suddetti affari murarii etc.* Etenim si Aloysio subscriptio non obest Francisco in Syngraphis, aeque etiam obesse non potest in declaratione, eo vel magis quod antidatae et simulationis suspicione, ut Gallinae gratificaretur, oppido vehementer laborat. Declaratio siquidem si scripta revera fuisset eadem ipsa die, quam exhibet, 26

junii 1837, qua Aloysius et Gallina Syngraphas = *all' ordine* = subscripserunt, datum non est intelligere, cur Gallina dum die 31 sequentis anni 1833 schedam dimisit argenteorum 700, sollicitus quidem fuisset animum pandere = *di rivalersene* =, sed dumtaxat = *contro il sig. Luigi Valenti* =; concipi minus poterat, quod idem Gallina, dum mense Februarii anni 1838 judicium inchoavit pro indemnitate trium schedarum, quas ipse impleverat = *per onor di sua firma* =, unum Aloysium fuisset persequutus; nec non quoque, quod eam declarationem studiose occultaverit, et nonnisi nudius tertius ad acta detulerit, adeout videatur, vel ipsum Gallina de illius efficacia quamplurimum dubitare.

Et nihil certe poterat Gallina in ea declaratione confidere, etiamsi exarata retineatur ad diem 26 junii 1837. Innititur enim declaratio in institoria Aloysii qualitate. Institor jam vero non fuit Aloysius cum expressa et libera aeris potissime alieni contrahendi facultate, sed tacita tantum institoria in eo reperitur, quae
4 suapte natura nequit protendi ultra facta, super quibus sciente et patiente sive domino sive consocio fuit exercita, atque in themate non exescit vigilantiam super laborariis, et rectam ea conficiendi rationem, et consulere quoque, ut caementa aliqua ad artis murariae exercitium necessaria in promptu essent ac parata, ita tamen ut non unus Aloysius contractus et obligationes iniret, sed cum interventu, et subscriptione nepotis Francisci, ceu testatam rem faciunt initae pro re sociali obligationes, quae omnes ab utroque socio subscriptae reperiuntur, et prodit quoque ab ipsa studiosa declaratione; quoniam si inquit Aloysius = *per il quale (Francesco) se non si è trovato presente alla stipulazione delle suddette Cambiali, e non vi ha apposta anche la sua firma, ho supplito io medesimo colla firma mia* =, videtur hoc ipso implicite concedere, initas ante acto tempore sociales obligationes etiam manu Francisci fuisse signatas. Itaque quum tacita Aloysii institoria inter certos fines esset coercita, nec protenderetur ad obligationes pro re sociali ineundas sine interventu et subscriptione Francisci, plane sequitur, ex facta ab Aloysio ultra fines tacite institoriae schedarum = *all' ordine* = subscriptione obligari Franciscum non potuisse.

Accedit potissime, quod etiamsi tacita institoria non desideraretur in Aloysio quoad facultatem contrahendi aeris alieni in causam societatis, inscio prorsus altero socio, facultas tamen isthaec non aliter, neque ultra poterat exerceri, quam
5 in tantum urgeret negocii necessitas, ad ea quae docet *Zanch. de Societ. part. 2 cap. 10 n. 110 S. Rota in dec. 64 n. 10 et seq. part. 17 Rec. et cor. Falconerio de Societ. dec. 1 n. 5.* Qui fieri autem poterat, ut ad diem 26 junii anni 1837 necessarium omnino esset pro re muraria pecuniam quaerere in argenteis 1300, si ad novembrim superioris anni introitus exitum superaverat in praegrandi summa scut. 8682. 75; si rursus ad novembrim ejusdem anni 1837 utilia socialia evecta fuerunt ad vim scut. 5294. 61? Nec refert, quod arca socialis fuisset ab Aloysio penitus absumpta in proprios usus. Defectus enim pecuniae ad muraria absolvenda negocia cum ex arbitrario et prorsus illicito Aloysii facto derivaret, suppleri ab eodem Aloysio debebat propriis obligationibus, neutiquam vero socialibus, cum ad socium Franciscum quod attinet non secus sit res considerandа, quam si arca socialis memoratis utilibus redundaret.

Deteriori autem consilio diffugium quaerebat Gallina in actione de in rem verso. Quominus namque in primis isthaec inquisitio susciperetur, indoles vetabat instituti judicii = *per il pagamento di scudi 130 per altrettanti pagati per onore di sua firma* =, quod, ceu notatum est superius, est mere exequutivum, et unice fundatur in vi et efficacia schedarum = *all' ordine* =, quibus Aloysius

et Gallina subscripserunt : actio e converso de in rem verso judicium constituit ordinarium, quod nil habet commune cum vi et efficacia schedarum, sed unice fundatur in utili pecuniae erogatione in causam societatis. In congrua igitur et separata judicii sede erat a Gallina actio isthaec proponenda neutiquam vero in praesenti, in qua unice quaerebatur, num ex subscriptione patrui Aloysii potuisset Franciscus obligari.

Etiamsi vero de in rem verso posset in praesenti judicio cognosci, ex defectu tamen probationum rejici prorsus debuisset istiusmodi exceptio. Libri enim sociales non extant, quam ad totum annum 1836, qui utilia societatis evehunt ad eamdem diem ad scuta 8682. 75. A sequentibus vero kalendis januariis ad totum ferme novembrim anni 1837 non extant quam informia quaedam folia ab Aloysio confecta, in quibus si ipse adnotavit in introitu controversam pecuniae summam, eamque in exitum opposuit, non inde tamen probata dici potest utilis versio, simul ut fuit reapse ab Aloysio ab sumpta in proprios usus, cum debitor societatis se ipsum renunciaverit in vi scut. 5294. 61. Inepte opponebatur, agnovisse Franciscum, ut controversae schedae in statu passivo societatis referrentur, dum praesens fuit confectioni ab Aloysio factae apud ratiocinatorem Pelagallo indivisi status activi et passivi. Praeter quod enim de Francisci praesentia unus ratiocinator Hiestaller testaretur, considerandum erat, nullam Francisci ratihabitionem inferri exinde posse; quandoquidem quum adhuc essent expungendae rationes gestae ab Aloysio administrationis ab anno 1835, ad diem 27 junii 1837, Franciscus nil poterat opponere contra aes alienum, quod Aloysius sociali rei murariae impingebat, atque uti idcirco non prohibetur Franciscus in redditione rationum ab Aloysio exhibenda controversum aes alienum repellere, eo quod sine necessitate contractum, cum ad exitum anni 1836 utilia socialia eveherentur ad vim scut. 8682. 75, ad novembrim vero anni 1837 existerent in summa scut. 5294. 61, ita ex Francisci praesentia nulla ejus adhaesio vel ratihabitio argui potest, atque inferri, ut idem controversum aes alienum socialem rem murariam debeat praegravare.

Et ita etc. utraque etc. definitum est.

### R. P. D. ALBERGHINI

### BONONIEN. EXEQUUTIONIS CONCORDIAE

*Lunae* 20 *julii* 1840

#### ARGUMENTUM

Habes in Decisione LIV. quae infirmatur.

#### SUMMARIUM

1. *Ex jure civili quae a majori creditorum parte accepto habita sunt obligant etiam creditores dissentientes.*
2. *Ex jure mercatorio concordia creditorum etiam quoad dissentientes confirmanda est quoties tum ratione nominum, tum ratione personarum concurrant extrema a lege praescripta.*
3. *Fortius si ea fuerit justa et utilis.*
4. *Jus concordiam proponendi ex mercatoriis legibus personale est, ac decocto dumtaxat debitori pertinet non autem alii extraneo.*
5. *Id tamen non ita accipiendum, ut quam debitor concordiam proponere potest, ab alio ejus nomine proponi nequeat.*
6. *Ex jure enim, quod quis per se ipsum et per alium facere potest.*
7. *Fortius si agatur de uxore, quae ob individuam vitae consuetudinem una eademque habetur cum viro persona.*
8. *Uxor a proponenda concordia arcetur ob subtractionem pecuniarum, quae intercessisse dicitur ex praesumptione.* L. Quintus Mutius.
9. *Quae tamen praesumptio cessat si mulier doceat undenam pecuniam honeste sibi quaesierit.*
10. *In concursu nullo jure imposita est jurandi necessitas creditoribus, qui debent dumtaxat veritatem nominum confirmare.*
11. *Pauci creditores absentes aut nullo in pretio haberi debent aut consentientibus adjungi.*

12. *Contrariae auctoritates pertinent ad casum primae convocationis, post quam si adhuc absint et cognitae conventioni sese intra praefinitum terminum non opponant, inter consentientes sunt adnumerandi.*
13. *Oppositio autem ad impediendam confirmationem concordiae fieri omnino debet intra terminum octo dierum.*
14. *Quod obtinet tam in casu concordiae jam probatae a creditoribus, quam dilatae super ea deliberationis.*
15. *In dubio respondendum est pro observantia concordiae.*
16. *Praesertim si jamdiu ad exequutionem perducta ea fuerit, ne unius alteriusque dissensu post juge ejusdem silentium ea omnia evertantur, quae jam absoluta fuerunt.*

## Decisio CXVII.

Plurima commercii infortunia in eam conditionem insperato adduxerunt Philippum Panni mercatorem Bononiensem, ut quum exeunte anno 1829, foro ac bonis cedere cogeretur, satius ipse existimaverit, relicta mercatoria taberna, quam exercebat, fugam extemplo arripere, seque ad exteram ditionem recipere. Re vix cognita, coactus illico extitit creditorum concursus, prodiitque non ita multo post sententia, qua renunciata fuit Pannii decoctio, simulque jussa ejus traditio in publicam custodiam. Mox vero urgentibus creditoribus, qui fraudem suspicabantur, criminalis quoque inquisitio in eumdem uti dolosum decoctorem instituta fuerit, novumque mandatum *de capiendo* in ipsum latitantem a Tribunali Criminali relaxatum. Sed in tanta fortunae inclementia, tantoque honoris discrimine haud defuit Pannio amantissima uxor Archangela Brunelli, quae apprime conscia de viri innocentia nil intentatum reliquit, ut illi succurreret, nec dubitavit in id propria etiam bona conferre. In quo sane eximium ipsa praebuit specimen conjugalis amoris, quo erga virum suum flagrabat. Nam ut ait Poeta (*lib. 5 Tristium*) = *Cum Deus innotuit, non se subducere nimbo*, = *Id demum est pietas, id conjugalis amor* =. Adiit itaque mulier Cardinalem Bononiae Legatum, concordiamque obtulit, qua paratam se exhibuit = *di acquistare con vistoso suo scapito, e colla parziale distrazione delle sue doti tutto il complesso delle sostanze del fondo fallito* =, et intra certum temporis spatium hypothecariis ac privilegiariis creditoribus omnino satisfacere, chirographariis vero scuta quadraginta in singula centum persolvere, dummodo sibi tribueretur = *in correspettività la salvezza e la ripristinazione del proprio marito, unico scopo del suo amore per la pace e tranquillità della sua famiglia* =.

Quum concordiae hujus utilitas evidens visa fuerit nedum Eminentissimo Legato, sed etiam Judicibus Commercii Bononiae, quorum arbitrio mulieris preces fuerunt ablegatae, mandatum protinus est, ut res ad exitum perduceretur. Hinc Commercii Tribunal post quaesitam ab Archangela idoneam fidejussionem, et post nomina cujusque creditoris confirmata die 27 maji anni 1830, vel ipsis patrimonii Syndacis id petentibus, decretum edidit, quo praestituta fuit dies 7 insequentis julii, ut Chirographarii omnes creditores simul congregati communi consilio de proposita concordia deliberarent. De hoc decreto moniti statim omnes fuerunt per publica programmata, per ephemerides, et per literas encyclicas, resque ipsi debitori denunciata solemniter extitit. Adventa autem praestituta die 7 julii, quum creditores ferme omnes in unum convenissent, major quidem eorum pars propositae concordiae assentita fuit, ut quoniam in assentienbus defuerunt = *i tre quarti della totalità delle somme dovute* = prout art. 516 Mercatorii Codicis exigitur, nulla tum capi potuit deliberatio, quae proinde differri debuit. Quum vero intra terminum octo dierum a lege praefinitum ex creditoribus omnibus quorum nomina ad aestimatione pertingebant scutorum 58551. 52, tresdecim sollummodo

in oppositione perseveraverint, qui tot nomina exibebant ad vim usque scut. 12617. 68, nulla amplius dubitatio fuit, quin conventio legitime inita, et a creditoribus accepto habita dicenda esset. Quamobrem die 19 ejusdem mensis julii Commercii Judices unanimi consensione sententiam tulerunt, qua dum propositam ab Archangela concordiam plene comprobarunt, simul statuerunt, ut a dissidentibus etiam creditoribus ea foret abservanda. Ab hujusmodi sententia provocarunt decem ex creditoribus dissentientibus, adversus quos quum caeteri consentientes protestationem de damnis interjecissent, vix quatuor superfuerunt, qui litem prosequerentur, mercatoriae scilicet Rationes Caroli Kolb, Martini Thiss, Fratrum Ockler, et Barandalh.

Ab his itaque actum in Sacro Auditorio fuit appellationioni judicium. At re non satis perspecta die 3 septembris anni 1830 rescriptum prodiit = *Nihil de Circumscritione : non esse locum exequutioni Concordiae et extendatur Decisio* =, prout patet ex Decisione, quam R. P. D. Meus De Cursiis Decanus ad eam diem evulgavit. Etsi vero resolutio isthaec confirmata fuerit die 7 januarii 1831 alio Rescripto = *in decisis expediatur* =, adeo tamen creditores nihil in ea confidere visi sunt, ut maluerint rem cum Archangela componere, litique valedicere. Hinc autem factum, ut anno 1832 sententia Tribunalis Commercii prodierit, qua decoctionis judicium resolutum dixit, in cujus vim Archangelae tradita fuit universa viri substantia, et creditores singuli sui nominis Symbolam ab ea receperunt ad tramites concordiae. Atque huic sententiae alia quoque accessit Tribunalis Criminalis, quae decoctum Pannium a suspicione qualibet dolosae decoctionis immunem declaravit. Sic itaque res omnes compositae videbantur, et uxor amantissima de viri sui liberatione tandem laetabatur, quando repente conventionem infectam facere aggressus est alter ex creditoribus Joannes Theodorus Bakefin, qui pro credito, quo pollet ad vim scut. 1651. 62 licet intra praestitutum a lege terminum concordiam nequaquam impugnasset, oblatam tamen ab Archangela solutionem recusavit, judiciumque jam extinctum ad vitam revocare statuit. Nam appellatione interposita a sententia Judicum Bononiensium, qui conciliationem probarunt, post varia judicia perperam instituta, quae circumscriptionis remedio deleta fuerunt, id demum impetrare potuit a S. Tribunali, ut proprio nempe nomine fas sibi esset judicium illud prosequi, cui alii creditores appellantes nuncium jam miserant. Cumque Rotalem Sententiam coram Reverendissimo Decano expedire curaverit, coactam se videre debuit Archangela appellationem ab ea interponere, et controversiam jam finitam rursus instaurare. Non male tamen ei hodie cessit judicii fortuna. Nam interrogati a me Patres de sententiae illius confirmatione vel infirmatione responsum dederunt = *sententiam esse infirmandam quoad exequtionem concordiae et extendatur Decisio* =.

Dum de rotalis sententiae viribus quaerebatur, non aliud plane in disputationem veniebat nisi id, quod respiceret exequutionem concordiae. Quod enim ad circumscriptionem attinet, nulla amplius de ea contentio inter partes aderat. Jam vero perspicuum videbatur, immerito prorsus a praecedenti Sententia denegatam fuisse concordiae exequutionem. Sive enim quaestio dirimi velit ad tramites civilium legum, sive inspectis legibus de commercio latis, aeque semper certum manet, propositam ab Archangela concordiam rite recteque initam ac probatam fuisse, eamque proinde esse omnino exequendam. Plane ad civiles leges quod pertinet, non est dubium, quin ex communi jure ea concordia, quae a majori creditorum parte accepto habita fuerit, suis viribus consistere debeat, et alios etiam obliget creditores qui assensum suum non praebuerunt; siquidem quod placuit

majori parti, id ratum sit oportet *Leg. Juris gentium* § *fin. ff de pact. Rocca de decoct. Mercat. adnot.* 62 *Pacif. de Salv. interdict. insp.* 3 *cap.* 2 *n.* 408 *et* 409. *Ansald. de comm. et mercat. disc.* 11 *n.* 2 *et Rota in Romana Concursus de Farus super adjudicatione bonorum* 6 *julii* 1746 § 6 *cor. Molino, in Anconitana seu Pisauren. Remissionis Debiti* 22 *junii* 1771 § 2 *cor. Delalm, et in Anconitana Reductionis Debiti et Dilationis* 2 *junii* 1786 § 3 *cor. Malvasia.* Unde cum ex facto constet, majorem partem ex Chirographariis creditoribus accepto habuisse concordiam ab uxore decocti Philippi Panni oblatam, qua propositum fuit, ut singulorum credita redigerentur = *al quaranta per cento* =, non utique dubitandum, quin ipsa etiam a Balfenio servari debeat.

Sed aeque concordia servanda est, si ad tramites earum legum expendatur, quae de re mercatoria a Sa. Me. Pontifice Pio VII anno 1821 fuerunt promulgatae. 2 Nam ad diem 19 julii 1830, qua a Judicibus Commercii Bononiae confirmata fuit concordia, de qua agitur, exploratum est, jam ea omnia intercessisse, quae tum quoad creditorum numerum, tum quoad nominum quantitatem a mercatoria lege requiruntur ad hoc, ut concordia ipsa rite recteque inita dici posset, et a majori parte accepto habita. Ex creditoribus enim nonaginta sex, qui summam attingebant scut. 58551. 42 soli tresdecim, quorum nomina vim haud excedebant scut. 12618. 68 in oppositione perseverarunt ope nunciationis ab art. 517 Mercatorii Codicis praescriptae. Quapropter si tam ratione personarum, quam ratione nominum extrema volita intercesserant pro concordiae confirmatione, non est plane ambigendum, quin jure optimo comprobata ipsa fuerit, atque observari omnino debeat a cunctis decocti patrimonii creditoribus juxta censuram § 518 praefati Codicis, ubi ita cautum habetur = *Il trattato sarà omologato entro otto giorni dalla sentenza sulle opposizioni. L' omologazione lo renderà obbligatorio per tutti i creditori* =. Praesertim vero quia non modo justa fuit concordia, sed etiam admodum 3 utilis. Per eam siquidem creditores chirographarii in tuto ponere valuerunt = *il quaranta per cento* =, dum alioquin vix quartam proprii crediti partem consequi potuissent. Nam ex patrimonii universi aestimatione, quae ad vim pertingebat scut. 27912. 23 subductis scutis ferme 10000 pro privilegiariis et hypothecariis creditoribus, quod reliquum est, si distribuatur inter chirographarios, qui quantitatem praeseferunt scut. 58551. 46 vim plane reddit oblata summa longe minorem. Quo itaque certius constat de concordiae justitia et utilitate, eo minus fieri potest, ut ipsa exequutioni committi non debeat.

Infirmissima porro sunt quae ad concordiae exequutionem denegandam a Balfenio objiciuntur. Perperam enim ipse urget, ex juris communis dispositione triplici tantum in casu obtinere, ut quod major creditorum pars statuit, minorem quoque reluctantem obliget; iisque casibus exceptis fieri prorsus non posse, ut pars minor majoris voluntatem sequi debeat; quum nefas sit alteri per alterum iniquam conditionem inferri. Nam utut id verum dici possit, sicuti tamen inter casus exceptos ille adamussim recensetur decocti debitoris, qui fugitivus latitet, prout in themate contigit, fateri idcirco semper oportet, concordiam, de qua res est, ex causa communis utilitatis a majori creditorum parte probatam afficere, atque obligare etiam minorem. Quin objcii possit, creditores certo loco, die, et hora in unum non convenisse. Nam exceptio isthaec facto repugnat, veluti monumenta in medium adducta demonstrant. Nec minus perperam Balfenius contendit, jus concordiam proponendi 4 juxta mercatorias leges personale esse, ac decocto dumtaxat debitori competere, non vero alii extraneo. Nam si debitor concordiam proponere valet, nulla pla- 5 ne ratio subest, cur ab alio etiam ejus

nomine idipsum fieri nequeat; quum imo
6 perpetuum in jure sit, ut possit quis per alium facere, quod potest facere per se ipsum *Cap. Potest* 68 *et Cap. qui facit* 72 *de Reg. Jur. in* 6. Potissimum vero in specie, quum de uxo-
7 re agatur, quae propter individuam vitae consuetudinem una eademque cum viro persona est censenda, itaut concordia ab ea oblata videri perinde debeat, ac si ab ipso viro proposita fuerit. Nec ullimode pertimescendum, ut facile via fraudibus sterni possit, si ad concordiam proponendam uxor pro decocto viro admittatur. Nam contra ex facto liquet, meliorem omnino exinde evasisse creditorum conditionem.

Leviora autem omnino videntur, quae post haec opponuntur. Leve in primis, quod etiamsi jus concordiae proponendae uxori competeret, eo tamen juvari ipsa nequiret, tum ob subtractionem pecuniarum, tum ob dolosam viri decoctionem, quae impedimento est, ne ulla conventio decoctum inter et creditores perficiatur juxta sanctionem art. 515 Mercatorii Codicis, ubi ita cavetur = *Se l' esame degli atti, libri, e carte del fallito presenta qualche presunzione di Bancarotta, non potrà esser fatto alcun trattato tra il fallito, e i creditori sotto pena di nullità* =. Nam ad primum quod attinet, ideo subtractio pecuniarum in-
8 tercessisse dicitur, quia juxta praesumptionem legis *Quintus Mucius ff de donat. inter vir. et uxor.*, et censuram art. 540 et 541 mercatorii Codicis quidquid uxor habet, ex viri pecunia habuisse creditur. Verum tum demum praesumptio isthaec obtinet, si mulier non do-
9 ceat, undenam honeste sibi quaesierit. Atqui Archangela satis docet, aliunde quam ex substantia viri pecuniam habuisse. Nam praeter conspicuam dotem scutorum decemmillium habuit etiam ex hereditate primi conjugis Josephi Milani Bellotti dimidium usufructus, unde annua scuta redeunt tercentum supra quinquaginta Omnino igitur conticescat oportet objecta legis praesumptio, et subtractionis pecuniarum incusatio. Ad alterum vero quod spectat, etsi in decoctionis initio aliqua fraudis suspicio locum reapse habuerit, injustam tamen hanc suspicionem, quam ipsimet congregati creditores postea abjecerunt, teste Syndacorum relatione, plane dehinc a medio sustulit Sententia anno 1834 a Tribunali Criminali prolata, quae fraudem omnem abfuisse declaravit. Quamobrem nihil minus proponi valet, quam quod concordia locum habere nequiverit ob dolosam decoctionem.

Nec rectius excipitur, quod seposita etiam decoctionis fraude, conventio tamen prodesse Archangelae non posset, tum quia diligens nominum exploratio praemissa non fuit, ut in mercatorio Codice praecipitur; tum quia ad diem 9 julii, qua congregatio habita est, haud quaquam concursus adfuit tot creditorum, quorum nomina vim implerent = *dei tre quarti della totalità delle somme dovute* =. Nam quod creditorum nomina diligenter prius explorata non fuerint, id quidem non modo luculenter, ut par esset, non probatur, sed contrarium imo evincitur ex testimonio Cancellari Bononiensis, qui refert, ea omnia rite fuisse adimpleta, qaae lex requirit pro nominum verificatione. Atque hoc plane confirmatur ex facto eorumdem creditorum, qui nulla unquam facta exceptionis hujus oppositione ultro siverunt, ut de conventione ineunda ageretur. Nec quia juramentum praestitum non fuit, id ullatenus obesse potest. Nam nullo jure imposita
10 est jurandi necessitas creditoribus, qui solummodo debent veritatem nominum confirmare. Quod vero in creditoribus assentientibus defuerint = *i tre quarti della totalità delle somme dovute* =, id utique verum est ad diem 7 julii, non item vero postea; quippe tresdecim dumtaxat creditores in oppositione perstiterunt, quorum nomina non modo quartam totius aeris alieni partem non superabant, sed nequaquam attingebant. Nec certe

contendi potest, quod dissidentium numero accensendi etiam sint creditores absentes. Nam id justitiae non minus quam aequitati repugnaret. Pauci enim creditores, qui abfuerunt, aut nullo in
11 calculo haberi debent, aut consentientibus sunt adjungendi. Quin obsint quae contra congeruntur auctoritates. Nam hae ad casum pertinent primae convocatio-
12 nis, ubi creditores illi, qui non interfuerunt, haberi haud in merito possunt tanquam dissentientes. Ast si ipsi post primum conventum adhuc absunt, et cognita conventione, intra praestitutum tempus appositionem rite facere praetermittunt, necessario inter assentientes veniunt numerandi.

Nihil igitur est, cur inita concordia tanquam irrita traduci hodie possit. Caeterum et si aliquid minus regulare in ea ineunda intercessisset, vitium tamen hoc remissum dicendum esset quoad Balfenium, qui nullum oppositionis actum intra terminum a lege prafinitum indicere confirmationem impediendam exigit, ut intra spatium octo dierum oppositionis actus denuncietur. Ita enim conceptis verbis cautum legitur in Art. 507 = *I*
13 *creditori che persistessero nelle opposizioni al concordato, saranno abbligati di far notificare le loro opposizioni ai Sindaci ed al fallito entro il termine perentorio di otto giorni* =. Unde cum id impletum a Balenio nequaquam fuerit, non est plane, ut ipse nunc concordiae exequutioni sese opponere valeat. Quin regeri possit, oppositionis actum a lege requisitum dumtaxat esse, ubi concordia probata jam sit a majori parte creditorum, quorum nomina dodrantem excedunt totius summae debitae, non item vero ubi super concordia ipsa nulla capta sit deliberatio. Satis enim est prae oculis habere dispositionem supracitati art.
14 517, ut illico pateat generalem eam esse, et utrumque respicere casum in praecedenti art. 516 contemplatum; nimirum, et quod concordia probata a creditoribus jam fuerit, et quod deliberatio super ea fuerit dilata. Nec sane rem aliter interpretati sunt tresdecim illi creditores, qui in oppositione persistere voluerunt, quique intra praestitutum octo dierum terminum oppositionis actum rite denunciarunt; quod equidem ab ipsis factum non fuisset, si in casu dilatae deliberationis nulla ex jure adesset necessitas oppositionis denunciandae.

Vix denique refutandum, quod objicitur, vel ipsam nempe Archangelam facto suo concordiam repudiasse, dum dissidentes creditores dimisit = *col settanta per cento* = Nam. quae ad id evincendum in medium afferuntur monumenta contrarium omnino ostendunt; et si mulier aliquid ultro persolvit dissidentibus creditoribus, id plane factum ab eo fuit in correspectivitatem renunciationis, quam creditores ipsi emiserunt. Haec itaque omnia quum ita se habeant, non utique in discrimen amplius revocandum, quin controversa concordia exequutioni committi debeat, tam si civiles, quam si mercatoriae leges spectentur. Quamquam etsi res dubia videri posset, in ipsa tamen
15 ambiguitate judicium ferendum esset pro exclusione nullitatis, ac pro concordiae observantia, tum quia nullitas in dubio rejici semper debet, tum quia de conventione agitur jam ad exquutionem perducta quoad alios omnes creditores, itaut nimis acerbum, ac prope inhumanum foret, ex unius Balfenii dissensu rem jam un-
16 dique absolutam labefactare, penitusque evertere. Potissimum quum de eo creditore res sit, qui acta omnia diuturno silentio comprobare visus est, quique nunc mutato consilio satagit judicio proficere ab aliis instituto, ac deinde repudiato. Quibus plane circumstantiis concurrentibus, omnis aequi bonique ratio suggerit, ut quaevis interpretatio sumi hodie debeat ad concordiam sustinendam, ejusque exequutionem imperandam.

Et ita resolutum est in strenuo Partium certamine.

R. P. D. BONINI

RAVENNATEN PECUNIARIA

*Lunae* 3 *augusti* 1840

ARGUMENTUM

Una *protextus* denunciatio non sufficit ad petendam liberationem a molestiis.

*SUMMARIUM*

1. *Locus fieri nequit liberationi a molestiis, ubi molestiae non adsint.*
2. *Protestatio in defectu solutionis literae cambialis nil aliud praesefert quam nudam jurium reservationem.*
3. *Qui cambialem literam* gyrat, *fidejussoris personam induit erga ejusdem possessorem.*
4. *Hinc, non probatis molestiis, nulla ei praesto est actio ad assequendam liberationem.*
5. *Qui ab alio vult judicio petere liberationem a molestiis, litem ab actore introductam denunciare ei debet.*
6. *Deficiente igitur denuncianda lite, deficit praecipuum petendae obtinendaeque liberationis a molestiis fundamentum.*
7. *Lex mercatoria statuit terminum quindecim dierum a die interjectae protestationis, intra quem possessores literae cambialis contra cedentes seu* gyrantes *agere debeant.*
8. *Ast quoad* gyrantes *ad obtinendum* - il regresso - *idem terminus incipit ab insequenti die post oblatum ipsis citatorium libellum.*
9. *Ex quo praefixionis termini discrimine eruitur, commercialem legem* gyrantibus *actionem pro liberatione a molestiis non tribuisse nisi molestiae reapse per oblatum libellum fuerint illatae.*
10. *Quapropter ex recepta undique sententia protestationis denunciatio non sufficit ad petendam liberationem a molestiis.*
11. *Commerciales leges cambialem literam cedentibus nullam aliam tribuunt actionem praeter illam quam vocant* - di garanzia -.

## Decisio CXVIII.

Collybi literam pro argenteis nummis 474 scripsit anno 1838 Antonius Spinazzi a Marchione Paulo Carandinio solvendam = *all'ordine S. P. del Signor Antonio Ghiberti* =, eamque a Carandinio accepto habitam transtulit mox Ghibertius in Franciscum Rodriguez. Adventa solutionis dies; quae erat postrema mensis octobris praefati anni, aliquantulum cunctatus est Carandinius in numeranda pecunia. Quamobrem cambialis literae possessor Rodriguez protestationem de more interjecit, eamque nunciavit nedum Carandinio et Spinazzio, verum etiam Ghibertio, ut contra omnes ex lege sibi obligatos jura sua sarta tecta servaret. Satis id vero, ut Ghibertius censuerit jus sibi quaesitum ad postulandam liberationem a molestiis a Carandinio et Spinazzio, quos idcirco nulla interjecta mora ad Mercatorium Ravennae Tribunal accivit. Et reis conventis vadimonium deserentibus, instantiam suam excipi facile obtinuit, ut Garandinius cambialem literam interim extinxerit. Delata sed causa ad Bononiense Appellationis Tribunal, illico sententia contumacialis revocata est, absolutique dimissi sunt rei conventi. Nec diversum judicium hodie reddidit Ordo Noster, a quo rescriptum prodiit = *Non esse locum liberationi a molestiis* =

Dum namque ipsemet fateretur Ghibertius, a nemine unquam collybisticae literae titulo fuisse judicio lacessitum, patebat sane, nullam ex ratardata ejusdem literae satisfactione eum pertulisse molestiam. Quare propositae ab eodem actionis fundamentum prorsus deficere in comperto item erat liberationi quippe a mo-
1 lestiis, ubi molestiae non adsint, locum fieri non posse ipsa quidem recta ratio suadet. Quin referret, interjectam a Francisco Rodriguez protestatione et Ghibertio fuisse nunciatam scitum enim est, protestationem in defectu solutionis literarum collybi emissam nil aliud praese-
2 ferre, praeter simplicem nudamque jurium reservationem, quemadmodum tradunt *Heinec. Element. jur. Camb. Cap.*

14 § 28 *Strik. disput.* 18 *tom.* 7 *cap.* 14 § 70 *et Frank. instit. jur. camb. lib.* 1 *sect.* 4 *tit.* 1 § 3. Et aliud revera ope nunciatae protestationis agere in themate noluisse Rodriguez, quam jura sua sarta tecta et in Ghibertium servare, expresse patefecerat in ipsa intimatione, quam ei transmittere adhunc unum effectum edixerat, nimirum = *acciò non potesse allegarne ignoranza ; e per ritenerlo responsabile e garante di tutti li danni e conseguenze a termini di legge*, con riserva *di poter agire tanto contro il notificato, quanto contro chiunque altro di ragione* =.

Quum igitur in protestatione Ghibertio nuncianda longe fuerit Rodriguez, ut quidpiam ab eo postulaverit, ullamque in eum proposuerit actionem, in quo judiciales molestiae consistunt, nullum sane jus ex actu illo desumere valebat Ghibertius ad liberationem a molestiis poscendam, ejusque instantiam rejici omnino debebat tum ex juris communis censura, tum etiam ex regulis praxeos. Rejicienda scilicet erat Ghibertii postulatio ex juris communis censura. Cum enim is ex facta cambialis literae translatione fidejussoris per-
3 sonam erga ejusdem literae possessorem indueret juxta sanctionem art. 134 codicis commercialis, sequebatur hinc, nullam actionem, ne ad libarationem
4 quidem assequendam, ei praesto esse non probatis molestiis, *ad Text. in leg. Lucius* 38 *in fin. ff Mandati, et in leg.* 10 *Cod. eod.* Improbandaque rursus erat Ghibertii postulatio ex regulis praxeos. Cautum quippe quum sit in § 860 judiciarii vigentis Codicis, eum, qui velit
5 = *chiamare un terzo per costringerlo a prestargli la garanzia o la liberazione dalle molestie* = debere = *denunciargli la lite introdotta dall'Attore* =, facile est intelligere, quod deficiente lite, quam denunciare oportet, postulan-
6 dae, assequendaeque liberationis a molestiis praecipuum requisitum deficiat.

Nec praesidium ullum capere valuisset Ghibertius ex legibus commercialibus. Nedum enim ab eo, quod commune jus et praxis regulae hoc desuper articulo disponunt, commerciales sanctiones non desciscunt, sed cohaerent imo apertissime. Statuit re quidem vera mercatorius Codex in art. 159 terminum quindecim dierum, intra quem literarum cambialium possessores agere debent con-
7 tra cedentes seu gyrantes, a die interjectae protestationis incipere. Verum non item statuit quoad terminum, intra quem agere debent e converso gyrantes ipsi ad obtinendum = *il regresso* = ab aliis, qui
8 erga eos obligati sunt. Hunc enim terminum nonnisi ab insequenti die post oblatum ipsis citatorium libellum incipere decernit. = *A loro riguardo (sic in art.* 161 *in fin.) il termine corre dal giorno successivo alla data della citazione in giudizio* =. Atqui ex hac discrepantia vel ipsa in termini praefixione ad agendum luculenter eruitur, actionem
9 pro liberatione a molestiis tribuere commerciales leges cambialium literarum gyrantibus noluisse, nisi molestiae sint revera eisdem illatae per oblationem citatorii libelli; secus enim nulla extitisset ratio, quamobrem pro aliis a die protestationis, pro aliis a die transmissae citationis terminus ad agendum incipere deberet. Caeterum in collybi literis peculiaris imo urget ratio, cur liberationem a molestiis, antequam per oblationem libelli molestiae fuerint illatae, postulare non debeant gyrantes, utut eis sit protestatio nunciata. Cum enim cambialis literae possessori ad solutionem assequendam alterum quemlibet ex coobligatis post nunciatam cunctis protestationem persequi liceat, aliis neglectis; injustum foret actionem gyrantibus tribuere ad obtinendam liberationem a molestiis, quae non modo eis non sunt illatae, sed nec unquam fortasse inferendae forent. Quibus adamussim de caussis
10 uno ore Gallici Doctores tradunt, protestationis denunciationem ad poscendam liberationem a molestiis non esse satis

*Devizart sub art.* 11 *de Cambio*, *Dupuis tract. di lettere di cambio cap.* 14 *n.* 23 *et Marrè del dritto commerciale pag.* 279 *tom.* 1 *part.* 1 § 352.

Hinc vero frustra nitebatur Ghibertius propositae a se actionis indolem invertere, non tam liberationem a molestiis, quam potius susceptae ab Carandinio et Spinazzio obligationis implementum sese ursisse contendens. Neque in facto enim, neque in jure proposita consistebat exceptio. Ad factum reapse quod obtinet, sat erat prae oculis habere oblatum ab eo libellum ut intuenti innotesceret, liberationem a molestiis eum postulasse; siquidem Carandinium et Spinazzium in jus vocaverat = *per sentirsi condannare alla liberazione delle molestie inferite e da inferirsi all' Istante in dipendenza del protesto di una cambiale di scudi* 474, *e per l' effetto di detta liberazione condannarsi solidalmente al pagamento di detti scudi* 474 *ad effetto di estinguere la cambiale protestata* = In jure autem occurrebat, nul-
11 lam aliam actionem praeter illam, quam vocant = *di garanzia* = commerciales leges tribuere iis, qui cambiales literas cesserint, adeout ne volens quidem diversam instituere Ghibertius potuisset actionem ab ea, quam proposuit, liberationis nempe a molestiis.

Et ita utraque etc.

**R. P. D. BOFONDI**

ROMANA LIQUIDATIONIS ET CIRCUMSCRIPTIONIS

*Lunae* 3 *augusti* 1840

ARGUMENTUM

Exequutio sententiae ab Commercii tribunali latae, atque controversiarum definitio, quae exinde oriuntur, non ad commerciales sed ad ordinarios judices pertinet.

*SUMMARIUM*

1. *Tum ex Pontificiis legibus tum ex jure ubique locorum constituto non ad commerciales sed ad ordinarios judices pertinet cognoscere de exequutione sententiae ab tribunali commercii latae, deque controversiis quae exinde oriuntur* et n. 3 et 4.
2. *Hinc nefas est mercatoriis judicibus sententiam ferre de oblatione reali in vim judicati peractae* et n. 9
5. *Lex quoad negatam judicibus commercii potestatem cognoscendi de exequutione sententiae nullam facit distinctionem inter coactivas exequutiones et voluntarias.*
6. *Sicuti pignoratio dici nequit voluntaria sententiae exequutio, ita nec oblatio realis.*
7. *Velle absolute non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini*
8. *Nec qui exequitur sententiam judicis.*

DECISIO CXIX.

Orta re Sacri Ordinis nostri judicata, qua Petrus Cartoni damnatus est ad reportanda 94 frumenti rubra ab horreo abducta decoctorum Caroli et Joannis fratrum Ceschetti, veluti ostendit *Decisio Romana Reportationis frumenti coram me die* 7 *januarii superioris anni edita*, eamdem ipse frumenti quantitatem mox, sub die scilicet 23 julii ejusdem anni offerre provisionalibus Syndacis sollicitum se praebuit. At recusata a Syndacis hujusmodi oblatione, postera die judicium Petrus instituit pro illius validitate coram altero ex turnis Congregationis Civilis A. C., cujus vero ut jurisdictionem declinarent Syndaci, contextim et ipsi eadem die institerunt apud Commercii Tribunal pro oblationis realis nullitate, et liquidatione pretii. Prodiit primo sententia A. C., quae validitatem oblationis realis probavit. Latum deinde a Tribunali Commercii judicium, quo nullo habito respectu vel ad oblationem realem, vel ad sententiam A. C. competens pro peragenda pretii liquidatione se dicere non dubitavit. Provocavit Petrus ad S. Ordinem Nostrum, ac commercialis judicii circumscriptionem, sin minus infirmationem petivit. Qua de re de sententia hodie rogati Patres rescripserunt = *Esse locum circumscriptioni, et extendatur Decisio* =.

Cum enim quaestionis summa consisteret in eo, utrum scilicet cognitio causae super oblationis realis validitate in vim commercialis reijudicatae ad Tribunal Commercii vel potius ad civile seu ordinarium judicium pertineret, res oppido videbatur haud difficilis definitu, si perpenderetur, oblationem realem in themate nil aliud esse quam exequutionem reijudicatae frumenti in patrimonium decoctorum reportationem imperantis. Porro
1 de sententiae vel reijudicatae exequutione dignoscere haud licere mercatoribus Judicibus clarissime constitutum est tum edictali lege diei 1 junii 1821 contexta Commercii Codici, tum reformatoria praxeos lege Sacratissimi Principis, quo sospite vivimus. Cautum in prima sub § 11 = *L'esecuzione dei giudicati di commercio, e la decisione delle quistioni alli medesimi relative appartiene ai Tribunali ordinarii* =. Sancitum in altera sub § 962. = *I Tribunali di commercio non possono conoscere dell'esecuzione dei giudicati, nè delle controversie ad esse relative. Il conoscerne e giudicarne appartiene ai Tribunali Civili* =. Ac in specie adamussim oblationis realis in vim sententiae peractae nefas esse mer-
2 catoribus Judicibus de ea judicium ferre, tradit gallicus Juriconsultus Dallotius in suo opere = *Raccolta alfabetica dei Decreti e Decisioni delle corti di Francia e dei Paesi Bassi V. competenze = offerte reali = validità = pag.* 442.

Nec deerat consultissima legis ratio. Cum enim hujusmodi Tribunalia generatim mercatoribus hominibus conflaren
3 tur, qui disciplinae juris, regularumque forentium non semper fuissent gnari, prudentissime ideo noluit lex gravissimum iisdem committere munus difiniendi super judicatorum exequutionibus controversias, quae subtiles percrebro, atque salebrosas juris quaestiones involvunt. Nec aequum praeterea, ut qui rebus negociisve suis fortasse nimium distinentur, multitudine quoque definiendarum quaestionum ab eorum instituto prorsus deflectentium praegravarentur. Onus denique hujusmodi a functionibus judicis plures absterreret, quorum caeteroquin in rebus commercialibus cognitio atque consilium quantum sit aestimationis, utilitatisque nemo est quem lateat. Qua de re ubique loco-
4 rum, in quibus in honore est commercii codex, constantissime judicatum, hujusmodi controversias a Commercii Judicibus definiri minime posse, testibus apud Gallo *Locrè* in suo opere = *Spirito del Cod. di Comm. vol.* 8 *pag.* 440 *ediz. di Milano* – ac laudatus *Dalloz* in citato opere = *Raccolta dei Decreti ec.* =. Ita quoque penes nostrates definivit *Signatura Justitiae in Romana Circumscriptionis* 10 *januarii* 1828 §§ 3 *et* 4 *cor. Olivieri, et in Romana Pertinentiae Causae* 28 *februarii* 1828 § 1 *cor. Galimberti.*

Quin recte objiceretur, oblationem etsi oneris dissolvendi gratia a sententia impositi peractam, nihilominus recenseri haud posse coactivas inter exequutiones, de quibus videtur lex fuisse loquuta. Primo enim generatim lex de exequutione
5 loquitur = *l'esecuzione dei giudicati* =, nulla facta inter voluntarias et coactivas exequutiones distinctione: nec ferenda distinctio a lege minime inducta juxta notissimum juris adagium = *quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* =. Caeterum qui per sententiam ad aliquid praestandum vel debitum solvendum fuerit condemnatus, si media id oblatione praestiterit vel solverit, sententiam exequi non secus diceretur, quam si bonorum pignorationem passus exinde fuisset. Quemadmodum vero pignoratio-
6 nem voluntariam esse sententiae exequutionem nemo dixerit, ita quoque de oblatione reali erat dicendum. Atque uti velle absolute non creditur, qui obsequitur
7 imperio patris vel domini, monente *Ulpiano leg.* 4 *ff de reg. jur.*, ita eo vel minus qui exequitur sententiam judicis, cui resisti non potest. Quidquid enim ju-
8 bente judice per condemnatum sit, haud sponte sed quadam necessitate consequen-

tiae fieri censetur, ceu docent *Tiraquell. de utroq. retr. tit.* 1 § 1 *gloss.* 18 *n.* 67 *et seq. Guttier. de gabell. quaest.* 11 *n.* 5.

Ac frustra regerebatur, rem non esse in themate de sententiae exequutione, sed de judicio liquidationis, quae coram mandati judice facienda est. Nam cum res judicata reportandum a Cartonio frumentum constituisset in patrimonium decoctorum, ac frumentum reapse Cartonius obtulisset Syndacis, qui illud recusarunt, palam est, quaestionem super rejudicata ortam fuisse, scilicet super validitate oblationis realis. Nec aliud a Syndacis vel ipsis postulatum coram Commercii Judicibus. Institerunt illi quippe = *a sentire dichiarare non ammissibile l' offerta del dì* 26 *corrente, e perciò liquidare il prezzo nella quantità di Rubbia* 94. Ex quo luce clarius patebat, contentionem praecipue in eo versari, utrum recte vel non
9 res judicata fuisset per oblationem realem exequutioni commissa, quod quidem erat a Tribunali civili inspiciendum, non vero a mercatoribus Judicibus, qui ex superius animadversis jurisdictione penitus destituebantur.

Quae cum ita se haberent, circumscriptionis gladio non poterat non deleri sententia ab Judicibus, qui competentes non erant, proindeque sine jurisdictione prolata.

Et ita resolutum est utraque etc.

**R. P. D. MARINI**

ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 2 *augusti* 1840

ARGUMENTUM

Superior Decisio CXIV infirmatur, confirmata tamen reductione centesimae usurae ad semissem. Nonnulla habes de contractu *commissionis*, deque pacto et modo distrahendi a creditore pignoris, quod ab debitore intra praefinitum tempus non redimatur.

SUMMARIUM

1. *Apud oppignorantem manet rei oppignoratae dominium.*
2. *Rei pignori tradendae aestimatio solet praemitti, ut cognoscatur quantum nummorum tuto possit suppeditari.*
3. *Pactum ut, nisi intra certum tempus creditori satisfiat, liceat pignus vendere, a jure permittitur.*
4. *Tunc enim, distracto pignore, suppetit debitori actio ad id condicendum quod praeter debitum ex pignore collectum est.*
5. *Nec vitium praesefert pacti* commissorii, *quod secumfert ut non soluto intra praefinitum tempus debito, pignus committatur creditori, ejusque fiat, quamvis superet crediti quantitatem, quod a legibus reprobatur.*
6. Committens *qui non respondet* Commissionario *de rebus à se gestis eum admonenti, censendus est omnia adprobasse.*
7. *Post adimpletum mandatum uti commodum ita damnum quod libet ad mandantem pertinet.*
8. *Idemque obtinet in mercatoriis* Commissionibus.
9. *Praevia denunciatio non requiritur, quando praefinita fuit certa restitutioni dies, eaque frustra elapsa, pignoris conventa distractio, modo pignus sub hasta publica distrahatur.*
10. *Quando pro distrahendo pignore denunciatio requiritur, ea sufficit etiam extrajudicialis.*
11. *Licet initio debitor cum alio unice contraxisset de pignore, si tamen postea hoc a pignoratario traditum sit alteri, qui traditionem fateatur, in hunc alterum judicio agere potest ipse debitor ob irritam ejusdem pignoris distractionem ab eo factam.*
12. Commissionarius *ob pecunias ab se praerogatas privilegium habet super mercibus* ab committente *transmissis ut satisfactionem consequatur.*
13. *Pro iisque devenire potest ad earumdem mercium venditionem absque ulla citationis et judicii solemnitate.*
14. *Quod privilegium licet vectorum peculiare videatur, ex communi doctrina* ad Commissionarios *extenditur.*
15. *Ex jure communi autem si nulla intercessit pactio de pignore non alienan-*

*do , unica satis est denunciatio , ut ad ejus distractionem procedi possit.*

16. *Nec requiritur solemnis , cum lex praecipiat dumtaxat ut denunciatio fiat* testato , *id est adhibitis testibus.*

17. *Inter apostolicam sedem et magnum Hetruriae ducem ad annum usque* 1824 *tractatum intercessit super reciproca denunciatione actuum judicialium.*

18. *Quo tempore satis erat rogatorias literas mittere quarum denunciationem Tribunalium Praesides in extera regione curare debebant.*

19. *Usurae centensimae tanquam immodicae ad semissem reducendae sunt.*

20. *Idque etiam in Hetruria obtinet ex Gallicis legibus , quae ibi quoad hoc abrogatae numquam fuerunt.*

21. *Anathocismi vitium est, quando usurae usurarum conventae ab initio fuerunt , minime vero quando usurae insolutae ad liquidum perductae in caput redigantur.*

## Decisio CXX.

Quum Thomas Spagnolacchius, qui per annos nonnullos a Romana Negociatrice Rosa Thomarotia merces , ac praesertim lanas accipere consueverat, Labrone vendendas , literasque interim collybisticas ab hac foemina missas persolverat , exhibitis calculis , sese creditorem assereret nummorum labronensium (*pezze*) 4650. 17. 3 ad totum mensem julium 1821 , hanc summam a muliere petiit apud Judices de rebus mercatoriis Romae cognoscentes , qui per sententiam interlocutoriam certas pro rationum dispunctione normas praescripserunt. Delata causa ad S. Ordinem , sententia in vulgus edita est ab R. P. D. meo d' Avellà, qua *definitum fuit = constare de credito favore Thomae in summa liquidanda .... Peritumque ratiocinatorem deputandum , qui referat juxta instructiones dandas =*, nempe ut pro sarcinis 46 lanarum ad Thomarotiam spectantium, quas contendebat Spagnolacchius pignori dedisse cuidam mercatori Mospignotto , nihil aliud adnotandum esset credito mulieris , quam *pezze* 2731. 15. 10 , quot nempe mercator iste retraxerat ex earumdem venditione , ac pro sarcinis 25 post decoctionem Spagnolacchii a Syndico Venditti sub hasta divenditis summa tantum *di pezze* 905. 15. 4. Rosae credito adscriberetur : usurae vero, quas Spagnolacchius centesimas sibi juxta pactum conventum attribuerat , cohiberi deberent ad rationem secuncem , atque unoquoque anno exeunte , juxta mercatorum consuetudinem capiti frugifero adcrescerent. Ex provocatione per Thomarotiam interjecta causam die 8 julii superioris anni 1839 disceptandam Patribus exhibui , qui responderunt = *sententiam esse infirmandam et extendatur decisio* =. Redintegrato autem certamine die 24 januarii hujus anni dilata fuit causae resolutio , justumque coadjuvari probationes tam super conventione in traditione 46 sarcinarum , quam super earumdem identitate in actu venditionis. Mox in coetu diei 15 maji Patres steterunt in decisis, imperata tamen alterius Decisionis extensione , ut controversia majori ponderatione dirimeretur. Hinc in hodiernis Comitiis , ea ad severiorem trutinam revocata responsum prodiit = *Quoad Sarcinas* 48 *Mospignotto traditas , et* 21 *a Syndico venditas recedendum a decisis , in reliquis in decisis , et extendatur nova Decisio* =.

Principio satis compertum in facto Patribus videbatur , quod Spagnolacchius ut de credito , quo erga Thomarotiam pollebat , sibi ex parte satisfaceret (ea assentiente ac mandante) supramemoratam lanarum quantitatem Mospignotto , ejusque sociis revera tradidisse. Probabatur enim prae primis hujusmodi traditio Mospignotti , sociorumque declaratione , qui patulis verbis professi sunt , *che il sig. Tommaso Spagnolacchi ci consegnò nel giorno* 3 *giugno* 1818 *Balle* 21 *lana di Roma in lib.* 7827 *per libbre* 6570 *al netto per la nostra garanzia di Fiorini* 3700 *sue tratte ceduteci per Trieste. Saputo in seguito il pagamento alla scadenza dei suddetti Fiorini* 3700 *ci*

*fece allora nuova consegna nel dì* 23 *settembre di detto anno di Balle* 28 *lana di Roma in libre* 8653. 1. 6. *il cento sconto tre per cento, e così in tutto libbre* 4330. 1. 6. = Neque erat, cur honestis hisce mercatoribus amicitia non minus Spagnolacchio, quam Thomarotiae conjunctis qui rem adeo distincte, accurateque aperiebant, fides esset deneganda; praesertim quum causam, cur mentirentur, non solum non haberent, sed imo in proprium onus tenderet potius emissa declaratio.

Praeterea declarationi huic robur adjiciebant tum publici Telonii Codices, ubi lanarum una atque altera traditio Mospignotto, Sociisque a Spagnolacchio peracta eisdem adamussim diebus, eisdemque tum numeris tum pondere sarcinarum adnotata inveniebatur: tum commerciales ejusdem Spagnolacchii Libri, in quibus utriusque traditionis memoria occurrebat. Quin negocium facesseret nonnihil discriminis apparere inter declarationem praefatam, ac Spagnolacchii libros, quoad suppeditatae pecuniae quantitatem. Id enim fortasse accidit, quia Spagnolacchius in libris recensuit id, quod ob lanas tantum acceperat; Mospignottus autem in sua declaratione cumulaverat quidquid nummorum tum ob lanas, tum ob collectionem quandam gemmarum Spagnolacchio Praebuerat. Confirmabatur insuper sequuta traditio testimonio custodis promptuarii ad Mospignottum spectantis, ubi lanae istae ad licitationem usque asservatae sunt.

Caeterum rem hanc in propatulo ponebant quamplurimae tum Thomarotiae, tum Spagnolacchi epistolae. Scatebat enim ex hisce, quod Thomarotia postquam Spagnolacchio satisfactionem sui crediti efflagitanti frustra proposuerat, ut lanas omnes alteri Negociatori, ac *praesertim* Mospignotto traderet, ac cum eo negocium omne conciliaret, aliud deinde ei suggessit, nempe ut lanarum portionem pignori daret ad aliquam pecuniae vim obtinendam. Ita enim scribebat die 14 januarii 1818 = *Con porzione delle mie lane trovate il danaro necessario o presso Mospignotti, o presso la Società Greca .... qualunque sacrificio farete andrà a mio carico* =. Atque idipsum repetebat die 22 ejusdem mensis, die 26 februarii, die 30 martii, die 18 junii. Epistola vero die 29 augusti ejusdem anni a Thomarotia ad Spagnolacchium scripta haec habet notatu dignissima = *Avendo scritto, e raccomandatovi a codesti signori Mospignotti, che vi somministrassero qualche somma colle loro convenienze, mi hanno scritto cortesemente, che mi avrebbero favorito, ma che voi persistete a volere il vostro saldo totale. Vi prego dunque a desistere da questa vostra domanda, e fare il vostro interesse senza guastare il mio. Potete adunque passargli quel quantitativo di lane che vorrete, facendovi somministrare quel di più che potrà accordarsi* =. Atqui promisisse Mospignottum nonnullam pecuniae vim se praestiturum, hac tamen lege adjecta, nempe = *depositando tante lane in loro magazzeno; e con pagherò miei proprii a due mesi* =, nunciavit Thomarotiae Spagnolacchius per epistolam diei 14 septembris 1818, ac reapse pecuniam suppeditasse eruebatur ex epistola Thomarotiae diei 2 decembris 1818, quae ita Spagnolacchio ajebat = *Io dal canto mio ho indotto codesti buoni amici signori Mospignotti a somministrarvi qualche somma che vi occorreva. Essi lo hanno fatto* =.

Tandem ambiguitatem omnem ea de re summovebat ejusdem Thomarotiae epistola, qua Spagnolacchio referenti minas Mospignotti de lanis hastae subjiciendis respondebat = *ogni ulteriore minaccia di vendere le lane alla tromba o a prezzo reperibile non è richiesta dall' amicizia nostra, nè dalla equità, nè tampoco dalla comune nazionalità tra voi signori Mospignotti ed il mio signor Checco; pregate dunque instantemente i signori Mospignotti anche a*

*nome del signor Checco loro nazionale ad avere maggior sofferenza* =. Atqui dum tam anxie petebat mulier, ne a Mospignotto lanae venderentur, traditas ipsi antea fuisse necessario fatebatur.

Quae vero sequutam traditionem prima fronte videbantur excludere non difficili negocio explicabantur. Nam quod Mospignottus epistolis dierum 7 septembris, ac 2. 9 et 16 decembris 1818 Thomarotiae negaverit sese ejus lanas habuisse, fieri sane potuit, quia mercator iste potiusquam cum Thomarotia in extera Ditione degente, maluerat directo rem agere cum Spagnolacchio ejusdem Civitatis mercatore; itaut lanae ab ipso tanquam propriae deponerentur, ac praete rea traderentur = *Biglietti proprii a due mesi* = Ex quo etiam explicabatur Spagnolacchii epistola diei 23 septembris supramemorati anni 1818, quae nullo modo excludit lanas revera traditas fuisse. Nec pariter repugnat sequutae earumdem lanarum traditioni Spagnolacchii epistola diei 2 julii 1819, qua iste significabat se lanas a tineis expurgandas curasse. Etenim quum apud oppignorantem
1 permaneat rei oppignoratae dominium, merito se Spagnolacchius sollicitum praebebat, ut lanae incolumes servarentur: id quod sua quoque quam maxime intererat quum et ipse creditor esset Thomarotiae, personalique insuper obligatione erga Mospignottum devinceretur.

Ex eo autem quod in statu activo et passivo post decoctionem Spagnolacchii apud acta exhibito nulla inveniatur mentio neque de debito nummorum 4330. 40, neque de sarcinis 48 pignori datis; in dubium revocari posse non videbatur peracta lanarum traditio. Nam si lanarum mentio non occurrit, argumentum potius exurgeret jam factae traditionis; ideo autem fortasse mutuatae pecuniae mentio omissa est, quia negocium omne ad Thomarotiam pertinere, compositumque traditione lanarum putabatur.

Hactenus perpensa sequutam traditionem aprico in loco ponebant; eas vero non venditas, sed pignori datas fuisse ex multis colligebatur. Nam praeterquam quod id apparebat ex supramemorata Mospignotti, sociorumque daclaratione, epistolae tum Spagnolacchii, tum ipsius Thomarotiae hac super re dubitationi locum haud relinquebant. Quandoquidem in Spagnolacchii epistola, de qua superius est facta mentio, haec maximopere animadvertenda occurrebat = *I signori Mospignotti mi hanno dato parola di darmi tre sino a quattro mila pezze, depositando però tante lane in loro magazzino con dei pagherò miei proprii a due mesi .... non vogliono tenere schiavo il loro danaro; fintantochè Dio sa potrò trovare il vostro limite* =. Haud itaque res erat de lanis Mospignotto vendendis, sed pignori dandis; quod itaque reapse factum fuisse confirmabatur, tum ex cura, quam Spagnolacchius, ut supra dictum est, per epistolam diei 2 julii 1819 se suscepisse Thomarotiae narravit de expurgandis a tineis lanarum sarcinis 48; (ea adamusim quantitate, quae Mospignotto fuerat tradita), tum ex precibus ejusdem Thomarotiae, quae prostant in praefata ejus epistola diei 4. Quae omnia cum venditione conciliari nullo modo possunt, sed contra cum pignore apprime coherent.

Nec venditio inita potius quam pignus ex eo dici potest, quod lanae aestimatae fuerint = *al netto pezze trenta il cento* =, atque a Mospignotto haec summa numerata usque ad ultimum quadrantem; quum rei pignori tradendae aestimatio soleat praemitti, ut cognoscatur, quantum nummorum tuto possit suppeditari. Pactum vero = *di redimere o in tutto o in parte le indicate lane al prezzo detto di sopra* = verbis fortasse minus propriis expressum cum contractu pignoratitio congruit omnino, ut nempe, debitore acceptam pecuniam restituente, pignus reluatur. Quin succensendum sit Spagnolacchio, quod pepigerit, ut debito intra praefinitum tempus non soluto, ad pignoris distractionem Mospignottus posset pro-

cedere. Pactum enim, ut nisi intra cer-
3 tum tempus creditori satisfiat, liceat pignus venumdari, a jure permittitur. *Text. in leg.* 8 *ff de pign. act.* § 3 *leg.* 3 *Cod. de Jure dominii impetrando, Voet in Pandect. lib.* 20 *tit.* 1 *n.* 21, *Perez. in Cod. lib.* 8 *tit.* 28 *n.* 1, *Rich. univers. Jurisprud. lib.* 2 *tit.* 7. Nihil enim injustitiae vel asperitatis pactum istud praesefert: nam, distracto pignore, suppetit debitori actio ad condicendum quid-
4 quid praeter debitum ex pignore collectum est, ad differentiam pacti commissorii,
5 quod secumfert, ut debito intra certam diem non soluto, pignus creditori committatur, idest ejus fiat, quamvis res oppignorata superet crediti quantitatem; quod sane pactum, utpote justitiae, bonisque moribus adversum, merito a legibus nostris reprobatur *Voet in Pandect. lib.* 20 *tit.* 1 *n.* 25, *Perez. in Cod. lib.* 8 *tit.* 15 *n.* 4.

At vero in themate pactio isthaec, quam Spagnolacchius cum Mospignotto inivit, non solum a jure minime devia est, sed insuper Thomarotiae volntati apprime cohaerebat. Quandoquidem haec mulier amplissimam Spagnolacchio potestatem fecerat lanas pignori tradendi = *per qualunque tempo . . . . con qualunque perdita* =, atque ut ei magis visum fuisset = *regolatevi come credete* =, ceu patet ex epistolis diei 22 januarii, 26 februarii, 30 martii, 18 junii, 4 julii 1818. Ac nemo negaverit in tanta facultatum amplitudine concessam quoque fuisse Spagnolacchio, ut praedictum pactum iniret, sine quo difficillime pecuniam invenisset.

Huc accedebat, quod pactionem hanc Thomarotia approbasse non immerito existimari poterat. Nam quum Spagnolacchius per supramemoratam epistolam diei 14 septembris 1818 eidem nunciasset, rem cum Mospignotto Sociisque conciliatam fuisse, effluxisque duobus mensibus locum fore pignoris distractioni, Thomarotia nihil plane respondit. Atqui *Committentem*, qui non respondet *Com-*
6 *missario* de rebus a se gestis eum admonenti, censendum esse rem omnem approbasse, tradunt *Casareg. de Comm. disc.* 30 *n.* 63 *disc.* 102 *n.* 54 *disc.* 131 *n.* 7 *disc.* 223 *n.* 64 *Ricci ad Azun. Dict. univ. verbo Commiss.* § 14. Maxime vero in themate, ubi Thomarotia scripserat ad Spagnolacchium = *Avendo scritto ai signori Mospignotti che vi somministrassero ec. con le loro convenienze ec.* =. Epistola vero, quae non aliter Spagnolacchio facultatem tribuebat tradendi Mospignotto lanas, nisi = *per esitarle al mio meglio, e colla mia intelligenza* = scripta fuerat Thomarotia die 13 septembris 1817, quando nempe agebatur de transferendo Mandato, seu *Commissione* lanarum vendendarum Spagnolacchio in Mospignottum, vel alium negociatorem, minime vero quando multo post recusatam a Mospignottis *commissionem* res fuit de pignori danda lanarum parte, ut aliqua pecuniae vis obtineretur.

Quamobrem quum Spagnolacchius mandati fines nequaquam excessisset, nihil aliud curare debuisse videbatur; quum ex notissimo jure post mandatum adim-
7 pletum (idemque ex paritate rationis de mercatoriis *commissionibus* dicendum est) uti commodum, ita damnum quodlibet ad
8 mandantem pertineat ad *leg.* 20 *ff de instit. act. leg.* 6 § 1 *ff de negot. gest. leg.* 4 *Cod. quod cum eo, Casareg. de Comm. disc.* 5 *n.* 10 *et* 12, *Ansald. de Comm. disc.* 30 *n.* 5 *cit. Auctor ad Azun. verbo cit. n.* 8.

Quibus positis extranea depraehendebatur investigatio, utrum, qualibet citatione omissa, rite nec ne Mospignottus processerit ad pignoris distractionem. Principio praeviam denunciationem neutiquam
9 requiri, quando praefinita fuit certa restitutioni dies, eaque inutiliter elapsa, pignoris conventa distractio, modo publice, ac sub hasta pignus distrahatur, tenet *Richer. Jurisp. lib.* 2 *tit.* 7 § 1024 *et seqq.* Quidquid tamen de hoc sit, dici non poterat, denunciationem defuisse.

Nam Spagnolacchius die 2 februarii Thomarotiam monuit = *Sono per avvisarvi che li signori Mospignotti si sono determinati di mettere alla Tromba secondo gli affissi fatti per il* 15 *corrente delle vostre lane, che al medesimo avevo consegnate in addietro di vostro consenso* =, idque confirmavit deinde alia epistola diei 25 februarii, quam receptam fuisse a Thomarotia ostendunt istius literae diei 4 martii. Jam vero in iis etiam casibus, in quibus pro distrahendo pi-
10 gnore denunciatio requiritur, denunciationem etiam extrajudicialem satis esse docet praefatus *Richer. loc. cit.* § 1040 *Voet in Pandect. lib.* 20 *tit.* 1 *n.* 22.

Caeterum si Mospignottus perperam distractionem peregit, in eum judicio mulier jus suum experiatur; quod sane
11 facere non prohibetur (licet initio cum Spagnolacchio unice contraxisset Mospignottus); postquam ipse geminis emissis declarationibus lanarum traditionem sibi factam ultro libenterque professus est, ceu ad rem tradit *Auctor ad Azun. loc. cit.* § 12.

Haec quoad lanarum sarcinas 46; quod vero attinet ad alias sarcinas 25 a Syndico Venditti post decoctionem Spagnolacchii sub hasta distractas, considerabant potissimum Patres agi de credito ob pecunias a Spagnolacchio praerogatas super hisce adamussim lanis, quas Thomarotia ed eum transmisit, ut Labrone venderentur. Atqui hoc in casu privilegium competebat *Commissionario* ex censura
12 art. 93. Gallici Codicis mercatorii in Hetruria adhuc obtinentis, qui ita se habet = *Qualunque commissionato, che ha fatto delle anticipazioni sulle mercanzie, che gli sono state spedite da un altra piazza per esser vendute per conto di un committente, ha il privilegio per il rimborso delle anticipazioni, interressi, e spese sul valore delle mercanzie, se le medesime si trovano a sua disposizione ne' suoi magazzini, o in un deposito pubblico, e se prima di esser giunte può provare per mezzo di polizza di carico o di lettera di vettura la spedizione che glie n' è stata fatta* =. Quae sane legis dispositio respondet adamussim legi mercatoriae, quae viget in Ditione Pontificia § 88. Hoc autem secumfert hujusce privilegiis vis, ut pro
13 pecuniis praerogatis devenire possit *Commissionarius* ad mercium venditionem absque ulla citationes, judiciique solemnitate: ceu tradunt *Syrejus in Cod. art.* 106, *Dalloz. Giurispr. del Secolo XIX verbo Commiss. Auctor ad Azunium loc. cit.* § 25 *et seq.* Firmatumque haud semel fuit rebus judicatis Gallicorum Tribunalium. Quod privilegium
14 licet vectorum peculiare videatur, tamen ex doctrina praefati *Dalloz. loc. cit.*, aliorumque Interpretum *ad Commissionarios* quoque pro vendendis mercibus extendi non ambigue apparet. Hinc extranea evadebat investigatio, num ex juris communis dispositione rite recteque monita fuisset Thomarotia; quum ex praefato privilegio a mercatoriis legibus indulto haec controversia dijudicanda videatur.

Quod si communis juris censuram inspicere placeret, haud melior tamen fie-
15 ret Thomarotiae conditio: nam quum inter ipsam et Spagnolacchium minime intercessisset pactio de pignore non alienando, haud trina requirebatur, sed unica satis fuisset denunciatio, ut ad ejusdem distractionem posset procedi. At vero pluries minitatus fuerat Spagnolacchius, se lanas sub hasta venditurum; praesertim vero per epistolam diei 2 februarii anni 1820 id verbis dissertissimis mulieri significabat. Postquam enim dixerat a Mospignotto lanas propediem venditum iri = *alla Tromba* = subdebat = *farà lo stesso in seguito il mio Sindico per le rimanenti vostre lane, che restano presso di me* =.

Nec regerendum, solemnem denunciationem pro forma requiri: quum *lex* 4 *Cod. de ditract. pign.* nihil aliud praecipere videatur, nisi ut denunciatio fiat *testato*, id est adhibitis testibus, ne scilicet

ea de re dubitari possit, ceu observant *Brunemann. ad d. leg.*, *Donell. lib.* 8 *tit.* 28 *n.* 7.

Caeterum in themate trinas denunciationes, ac trina decreta lanarum licitationem praeivisse non immerito contendebatur. Rogatoriae enim literae ad R. P. D. Rev. Camerae Auditorem transmissae fuerunt pro Decretis Thomarotiae in Urbe indicendis. Qua in re Syndicus se conformasse videbatur legibus a Magno Hetruriae Duce editis diebus 6 et 23 septembris 1816, quarum ea summa erat, ut postquam rogatoriae literae traditae fuissent = *al Direttore della Regia Posta* =, nec exterorum Tribunalium Praesides responsionem ullam dedissent, contra exteros quoque acta prosequerentur ad normam art. 86 et 90. Hetrusci Codicis. Jam vero inter Apostolicam Sedem, 17 et Magnum Hetruriae Ducem tractatum intercessisse super reciproca denunciatione actuum judicialium, patet ex edictali lege diei 16 octobris 1816, eamque conventionem perrexisse ad annum usque 1824, ex alia edictali lege diei 1 martii 1825 aperte colligitur. Itaque anno 1821 (quo rogatoriae literae, de quibus sermo est transmisse fuerunt) vigebat adhuc supramemorata conventio; quae ferebat, 18 ut Hetruscorum Tribunalium acta Pontificiorum Tribunalium Praesides denuncianda curarent. Necesse vero nequaquam fuisse, ut hic in Urbe Procurator aliquis constitueretur, qui Praesulem Rev. Camerae Auditorem de adventis rogatoriis literis moneret, sumptusque necessarios praerogaret (quamvis hoc diligentiores aliqui factitaverint) apparet ex Declaratione nuper edita ab Emo a Secretis status ajente = *Il Tribunale rogato devè eseguire d' ufficio, e quindi ripetere le spese dal Tribunale rogante, allorchè gliene rimette la specifica insieme cogli atti già notificati* =. Caeterum diatribam hanc penitus eliminabat animadversio, quod de venditionis hujusce pretio Thomarotia injuria conquerebatur; quum venditio isthaec si locum non habuisset, et in decocti patrimonio lanae mansissent, longe minus compendium ipsa retulisset.

Quae cum ita se haberent, Patres judicarunt, tam quoad sarcinas 46, quam quoad sarcinas istas 25 nihil aliud Spagnolacchii debito esse adscribendum, quam quod fuit ex earumdem licitationem collectum. In reliquis vero praecedentibus resolutionibus album calculum adjecerunt. Centesimae namque usurae, quas Spagnolacchius in calculatione sibi attribue- 19 rat, immodicae rursus visae sunt, neque admittendae ultra rationem secuncem ex rationibus adductis in praecedenti mea Decisione § 21. Quin recte abjiceretur, edictali lege Magni Ducis Hetruriae diei 14 novembris 1814 gallica instituta in ea 20 Ditione fuisse abrogata, exceptis = *il Codice di Commercio*, *le leggi Ipotecarie*, *e le leggi sopra il Registro* = proindeque etiam Decretum Imperantis, quo mercatoriae usurae ad semissem rationem cohibitae fuerant; nam eo ipso quod mercatorius Codex servatus est etiam Decretum, quod mercatorias coercuit usuras, quodque mercatorii juris partem constituebat servatum videbatur.

Improbanda vero denuo visa non est tanquam anatocismi labe infecta methodus a Spagnolacchio adhibita, ut distin- 21 ctis computis pro numero annorum usurae anni uniuscujusque in caput frugiferum redigerentur. Quandoquidem anatocismi vitium tunc depraehendi, quum usurae usurarum ab initio in stipulationem deductae fuerunt, minime vero quando usurae insolutae ad liquidum allatae in caput convertuntur, ex juribus ibi recensitis arguit prior mea *Decisio* § *penult. et conf.* § *ult.*

Tandem justitiae congruere iterum depraehendebatur, ut Spagnolacchio adscriberentur usurae effluxae postquam suorum jurium civilium exercitium recuperavit; ut firmat utraque Decisio § *final.*

Et ita etc. utraque etc.

R. P. D. DE SILVESTRIS

ROMANA SEU BONONIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

*Lunae 3 augusti* 1840

ARGUMENTUM

Sub mandato creandi cambia potestas trahendi vel acceptandi cambiales literas continetur.

*SUMMARIUM*

1. *Qui ex mandato cambialem literam subscribit, mandantem obligat.*
2. *Clausula, quod mandatario liceat quidquid mandans ipse agere posset, absolutam tribuit eidem mandatario potestatem.*
3. *Ex clausula* cum libera administrandi facultate *mandatarius loco domini pene habetur.*
4. *Cambii nomen generale est, et recte accipitur vel pro literis cambialibus vel pro ipso cambio.*
5. *Sub tributa mandatario facultate creandi cambia intelligitur data potestas trahendi vel acceptandi cambiales literas.*
6. *Accessorium principalis negocii naturam sequitur.*
7. *Cui plus licet non debet, quod minus est, non licere.*
8. *Procurator, cui generaliter libera data est rerum administratio, potest exigere, novare, et aliud pro alio permutare.*
9. *Emptione venditione nondum rescissa, pretium recte petitur a venditore.*
10. *Judicium* exequutivum *non est exceptionibus retardandum, etsi de ea re institutum sit judicium* ordinarium.
11. *Contra tertios literae cambialis possessores proponi nequeunt exceptiones, quae forte contra originarium creditorem valerent.*

## Decisio CXXI.

Quae bona in Aemilia possidebat vir Princeps Pius Braschius Honestus ea dedit procuranda Joanni Petro Morellio Advocato Bononiensi. Duplex mandati instrumentum conscriptum est; alterum XVIII Kalendas decembris anni 1832, alterum XVI Kalendas martii anni 1833. Ampla potestas facta est procuratori, ut venderet, permutaret, nomina contraheret, id demum omne ageret, quod dominus ipse peregisset: diserte autem cautum est in secundo instrumento, ut procuratori liceret = *creare uno o più censi, cambii, o crediti fruttiferi* = Hisce munitus facultatibus inter caetera Morellius agere interim duxit cum Joanne Baptista Medrio de permutatione duorum fundorum *Fornace* et *Casino*, quos Braschio Medrius ipse anno 1831 in solutum dederat, cum sex praediis, quae ad Medrium pleno jure pertinebant in latifundio *Fienili* sita in agro Ravennatensi. Volvente mense februario anni 1834 Morellius permutationis Syngraphae subscripsit, eamque mox ad Braschium misit, qui permutationem omnino probavit. Interea temporis actum quoque est de creditoribus dimittendis, qui hypotheca pollebant super praediis latifundi *Fienili*, nec non de residuo pretio. Solvendo liquebat enim multo pluris Medrii fundos aestimari, quam Braschii fundos aestimarentur. Demum IX Kalendas novembris ejusdem anni Morellius solemne instrumentum permutationis stipulatus est, atque ita cavit, ut Braschii debitum ob praedia accepta, quae pluris aestimabantur, partim dissolveret pecunia post quadriennium numeranda, partim tribus collybi literis conscriptis procuratoris nomine singulis ad scuta 499 post annum repraehesentanda. Altera ex hisce literis a Medrio in Chisium translata est, a Chisio in Gargantinium, a Gargantinio in Deserenium mensae nummulariae Bononiensi Praefectum. At vero quum obligationis dies venisset, Morellius solutionem respuit, eo quod non amplius Braschii procurator foret, qui permutationem improbans mandatum jampridem revocaverat. Igitur postquam Deserenius protestatus est ob solutionis defectum literam cambialem, Chisius *gyratarius* extinxit, et mox vadatus est apud Triumviros, qui Bononiae inter mercatores jus dicunt, tum Morellium, qui li-

teras subscripserat, tum Braschium mandantem. Re mature perpensa judices Braschium condemnarunt, nec ei denegantes, ut, si quam actionem in Morellium haberet, hanc experiretur, Sententiam consultissimam Judices appellationis confirmarunt. At non animo cecidit Braschius, qui imo petiit a Signatura Justitiae actorum circumscriptionem, vel restitutionem in integrum. Nullitatis querelam Signatura rejecit, sed Braschium in integrum restituit adversus rem judicatam. Verumtamen rei cognitione ad nostrum ordinem ex lege delata, re judicatam hoc mane probare Patres censuerunt, ac ideo rescripserunt = *Esse locum solutioni literae cambialis, et extendatur Decisio* =.

Et jure quidem. Quae enim procuratorio licet nomine subscriptae sunt literae collybi mandantis obligationem inducere censentur ex notissima regula. Dum igitur majoris valoris causa, quem a Duce Braschio excepta praedia retinebant, in permutationis puncto collybi literam ejusdem Ducis nomine, pro quo nego-
1 cium explebat Joannes Antonius subscripsit, mandantem Ducem obligare eum exinde potuisse, manifestissimum erat, ex traditis post *text. in leg.* 60 *ff mand. vel contr. per Brunemann. in Cod.*, ac Rotam passim, ac praesertim, *in Romana Pecuniaria diei* 19 *februarii* 1836 § 6 *cor. R. P. D. meo Bofondi, et in Centumcell. Exequtionis Transactionis diei* 2 *maji* 1836 § 5 *cor. Rmo P. D. meo De Cursiis.* Quae sane cum perspectissima essent, nec Ducis defensores praeteribant, qui dum Joannem procuratorem fuisse, ac procuratorio nomine subscripsisse non denegabant, in eo toti dumtaxat erant, ut demonstrarent, Joannem Antonium speciali facultate caruisse literis cambialibus subscribendi, et ideo excessisse adeo fines mandati, qui diligenter custodiendi sunt, ut mandantem obligare nequiret. Verum, re sedulo perpensa, secus Patribus negocium cessisse visum est. Nam voluntatem a verbis meminiri animadvertebant in primis, adeo effraenata esse verba, quibus mandans usus est, ut nihil procuratori non videatur concessum. Et diserte Braschius cavit, ut id omne Morellio liceret, quod man-
2 dans ipse agere posset, quae verba procuratori absolutam potestatem tribuere recte monet Brunemannus *ad leg. Creditor* 60 *ff mandati vel contra.* Adest
3 etiam clausula *cum libera administrandi facultate*, cujus ea vis est, ut procurator loco domini pene habeatur *leg.* 9 *ff de acquir. rer. domin.* § *Nihil autem* 42 *Instit. de rerum divisione*, *leg.* 38 *ff de Procurat. et Gloss. ibi*, *et Gothofred. ad eamd. leg.*

Insuper nec expressum et speciale mandatum deesse videbatur literas cambiales *trahendi*, *vel acceptandi.* Nam in novissimo mandato Braschius Morellio po-
4 testatem fecit creandi cambia. Cambii autem nomen generale est, et recte accipitur vel pro literis cambialibus, vel pro ipso cambio. *Heinecc. elem. jur. camb. cap.* 1 § 8. Et perperam Braschius contendebat, hoc nomen propter adjecta verba *census et foenoris* haud posse trahi ad literas cambiales, sed stricte intelligendum esse *de cambio obliquo*, quod affine est mutuo cum usuris, quodque civilem dumtaxat obligationem continet, et pignora recipit, et hypothecas. Verba enim generalia interpretationem angustiorem admittere non posse Patribus videbatur, et eo minus in themate, quo effrenes clausulae, et integra mandantis oratio cuiquam legenti suadebant, omnimodam facultatem procuratori suo
5 Braschium concedere voluisse ac concessisse revera. Caeterum mandatum iisdem fere verbis conceptum auctoritatem Procuratori tribuisse cambiales literas trahendi, saepissime tradit ordo noster ac praesertim *in Romana Literae Cambialis* 2 *maji* 1836 *cor. R. P. D. meo Muzzarelli.*

Praeterea quae ex mandati verbis scatebant argumenta quoque et conjecturae confirmabant. Compertum enim Patribus

erat, cambialem negociationem pecuniae trajectitiae viguisse revera inter procuratorem et mandantem. Hoc nimirum suadebant epistolae, inter Braschium et Morellium, ubi hoc negociationis genus usitatum et consuetum vocatur. Quae omnia rectissime explicarent mandantis voluntatem, etiamsi mandati litera dubia foret, vel subobscura. Nec audiendus erat Dux Pius, dum se literas quidem traxisse admittebat, quas postea Morellius acceptabat; sed Morellium literas scripsisse, vel ab aliis scriptas acceptasse Ducem obligandi causa, mordicus denegabat. Licet enim cambiales literas trahendi, acceptandique consuetudo frequentior eos inter fuisset, hunc tamen morem nec perpetuum, nec constantem fuisse probat litera cambialis a Philippo Ferlinio tracta, quam Morellius procuratoris nomine acceptam habuit, et postea Braschius extinxit. Nec speciale in hoc negocio mandatum intercessisse probant epistolae hac in re datae; quia non ex mandato speciali Morellium literae cambiali subscripsisse constat, sed uti *procuratorem generalem* Braschii. Quod si ideo subscriptionem vel acceptationem hujusmodi dominum semel, iterumque haud improbasse, ac imo nomen dimisisse liquebat, incivile quidem erat, ut Dux Pius *ex mandato generali* literas cambiales trahendi acceptandique facultatem concessam Procuratori denegaret.

Verum in sententia ferenda id potissimum Patres movit, quod scilicet tres literae cambiales notae non modo fuerunt Viro Principi, verum et ex negotio a Duce cognito et probato suam derivarunt causam atque originem. Quandoquidem traditae hae quidem sunt in partem pretii praediorum, quae Morellius Ducis Braschi auctoritate a Medrio comparaverat. Exploratum in facto revera erat, Morellium cum viro Duce fundorum permutationem communicasse, pacta omnia eidem Duci significasse, qui permutationis syngraphum perlegerit, et adprobarit. At si Braschius consensit, ut fundos, qui plus valebant, Morellius a Medrio acciperet, necessario eam consensisse dicendum erat, ut procurator residuum pretium quoquo modo dissolveret. Itaque si Morellius literas cambiales tradens partem placiti pretii dissolvit, prout ex permutationis lege tenebatur, quisquis concipit, eum id fecisse, quod ex implicito saltem mandato perficere valebat. Si enim secus se res haberet, absurdum quidem oriretur, ut dum permutatio quoad caeteras conventiones valeret, quoad solutionem pretii, 6 ejusque solvendi modum non item valeret contra fori regulam, unde accessorium principalis negocii naturam sequi solet ex communi sententia, quam Rota saepissime docuit, ac praesertim *in Romana Transactionis diei* 3 *julii* 1835 § 3 *cor. cl. me. De Cupis*. Quod quidem sapientissimo consilio. Qui enim mandat ut quis permutet, emat, eo ipso ut pretium solvat mandare praesumitur. Quod si ideo Joannes Petrus, ut praesenti pecunia residuum pretium dissolveret, nomen contrahere, vel alio modo pecuniam quaerere poterat, haud quidem aderat ratio, cur ipse non potuerit aeque literas cambiales accepto habere, ita ut 7 Braschius post annum pecuniam repraehesentaret = *non debet enim cui plus licet, quod minus est non licere, leg.* 22 *ff de Regulis Juris* =.

Et inutili studio Braschius quaerebatur, solutionis modum in probata Syngrapha constitutum in instrumento deinde penitus fuisse immutatum, perinde ac si obligationem ipse servare minime exinde debuisset. Si namque tum solutione, tum etiam novatione tollitur obligatio, discrimen in extrinseca forma consistens nihi rei intrinsecus gestae detrahere manifestum erat, ac Morellius ideo dum priorem obligationem ex empto, vel praescriptis verbis in obligationem transfusit, quae e syngrapha oriebatur cambiali, nil equidem re ipsa ac intrinsecus immutare videbatur. Caeterum procuratorem, cui eneraliter libera administratio rerum con-

8 cessa est, exigere, novare, aliud pro alio permutare posse juris est non ambigui *ad text. in leg.* 58 *ff de Procurat.* Nec resumendum erat, hanc novationem exitiosam fuisse, quia procurator non tantum bona, sed et mandantis personam in discrimen adduxerit ex novatione per cambiales inducta. Cum enim litera cambialis ex obligatione civili manaret, jurisdictionem Tribunalis mercatorii, ac mercatorii privilegii consequentias per exceptionem, ac fori declinatoriam evitare Ducem potuisse liquebat ex notissima fori consuetudine. Quin officeret a Tribunali mercatorio datam sententiam haud circumscriptioni obnoxiam servari debuisse ex signaturae Rescripto. Cum enim id ex eo evenisse videbatur, praesertim quia Dux Pius tempestive declinatoriam non allegaverit, sibi dumtaxat imputare debet, si circumscriptionis querelam signatura Justitiae rejecit, ceu notavit prior signaturae *Decisio cor. R. P. D. Lippi.*

Quae cum ita sint deteriori studio ad incitas redactus Dux Pius, se permutationis quoque integrum contractum reprobasse contendebat, eo praesertim quod procurator in stipulatione instrumenti syngraphae privatae literam sequutus non sit, et mandati fines excesserit tum in caeteris conventionibus tum praesertim in pacto citius persolvendi pecuniam, quae nonnisi post biennium peti poterat. Praeter enim quam quod valde dubitandum erat, num revera deterior nec ne facta esset Ducis conditio, cui post literas cambiales traditas dilatio quadriennii concessa est ad residuum pretium numerandum, id urgebat profecto, Braschium de re perficienda ac Medrium scripsisse, adeout verosimile est, eam instrumenti apographum ante stipulationem potius perlegisse, omniaque accepta rataque habuisse. Jam vero argumentis quoque sepositis, unde permutationis a Morellio expletae adprobatio scatebat, rem conficere videbatur, quod permutationis instrumentum adhuc sua vi consisteret. Quemadmodum enim emptione venditione nondum rescis-
9 sa, pretium ab emptore recte petitur, ita Chisius jure postulare patebat cambialem literam extingui, quae in partem pretii tradita est. Quidquid igitur sit, utrum nec ne mandati fines in permutatione vel ipsa definienda Morellius excesserit, haud quidem impedimento hoc esse poterat, quominus in praesenti judicio Braschius interim adigeretur ad pretium. Nec officit, edito libello, giro nullitate vel rescissione permutationis in judicium jam Ducem Pium egisse. Explorati enim
10 juris est judicium *exequutivum* nullis exceptionibus esse retardandum, etsi de ea re institutum sit judicium *ordinarium, seu petitorium*, veluti caeteris missis, docet *Rota in Romana seu Callien. Pecuniaria* 19 *januarii* 1835 *cor. Rmo P. D. De Cursiis* §§ 6 *et seq.* Praesertim vero in casu, quo contra literae cambialis possessorem res est, qui oneroso titulo literam collybi sibi comparavit. Exceptionem enim contra creditorem pristinum fortasse proponendam, qui cum literae debitore contraxit, contra literae possessores tertios proponi non posse, ju-
11 ris est non ambigui, et tradit quoque *Rota dec.* 42 § *fin. cor. Emo Pianetti, ac in Aquipendien. Pecuniaria diei* 29 *januarii* 1836 § 1 *cor. R. P. D. meo De Avellà.* Proindeque etsi Morellium quid minus recte egisse dicatur in permutatione facienda, Ducem tamen vel adversus venditorem praedii permutati, vel adversus procuratorem vel ipsum jura sua tantum, peculiari instituto judicio experiri posse apertissimum erat.

Atque ita, Universa suffragante Aula, jus redditum est, pugnantibus contra Ducem Braschium tum Antonio Chigi, tum Joanne Petro Advocato Morelli.

R. P. D. D' AVELLA'

ROMANA VERIFICATIONIS CALCULORUM ET SOLUTIONIS SCUT. 1659 ET OB. 21 ½

*Mercurii* 16 *decembris* 1840

ARGUMENTUM

Habes ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Ex voluntaria executione sententia fit inappellabilis, et in rem judicatam transit.*
2. *Annuae inter socios computationes non generalem praeseferunt societatis rationem, sed potius sunt actus praeparatorii ad eam ineundam.*
3. *Agnitio calculorum non impedit quominus error postea emendetur si qui in iis irrepsisse deprachendatur.*
4. *Errantis enim nulla est voluntas.*
5. *Periti relatio ad id requiritur, ut tutius judicium ferri possit, quin ullam imponat necessitatem modo uno vel altero rem dirimendi.*

## Decisio CXXII.

In jure privativo vitreas et crystallinas condendi laminas, quod jam inde ab anno 1825 fuerat a Fisco assequutus, socium Vincentius Nelli adscivit Felicem Trocchi, et post hujus recessum Thomam Silvestrelli, qui collybi titulo illi credidit argentea 19000 ratatim exigenda ex utilibus ad ipsum Nellium pertinentibus. Ab anno autem 1833, studens Silvestrellius a societate recedere, jus suum transtulit in Joannem Nelli Vincentii fratrem, et Josephum Fajella, qui societatem illico sunt stipulati = *a perfetta metà* =. Elapso sed vero societatis quinquennio, cum Joannes premeretur rei domesticae angustiis, in id venit consilii, ut in consocium Fajella omnia sua socialia jura transferret. Hinc ad diem 9 aprilis anni 1839 apocha est inter eos conscripta, cujus in art. 1 cessit Nellius = *tutti e singoli capitali, comprese le mercanzie inerenti, ed occorrenti per l'esercizio della Fabbrica in conformità del Bilancio* = (quod ad exitum septembris superioris anni fuerat confectum), = *a cui il presente contratto si riferisce, e dovrà aver sempre relazione* =. In art. 4 fuit conventum, quod = *il prezzo de' capitali ceduti coll'art. 1 portato nel Bilancio, ossia nella parte attiva alla somma di scudi 7512. 76* = imminueretur ad argentea 5900 = *sia in virtù del minor valore avvenuto nei fabricati in comparazione di quello, con cui sono notati nel bilancio, sia in virtù delle mercanzie di lunga giacenza, sia in virtù della pronta realizzazione degli uni e delle altre, che il Signor Giovanni Nelli ottiene mediante il presente contratto* =: cautum in art. 7, ut cessio haberet = *il suo effetto col giorno 1 ottobre prossimo futuro* =; et Nellio propterea jus fuit reservatum consequendi = *gli utili che emergeranno dal Bilancio al 30 settembre prossimo suddetto* =.

Examen ratiocinii, quod normam praebuit pro determinando cessionis pretio, maturius Joannes postea suscepit, eique visum est gravissimis erroribus esse illud refertum, unde tentata in irritum compositione, cum jam advenisset dies ultima septembris anni 1839, qua cessabat ex pacto omne Joannis interesse in societate, egit ipse apud Judices Commercii edito libello, cujus summa erat, ut ab initio societatis = *a tutto lo spirato settembre* = universae expungerentur rationes tum capitum, tum lucrorum ad societatem pertinentium. Petitionem excepit Tribunal interlocutorio Decreto, quo = *per modo di provisione, e senza pregiudizio dei diritti delle Parti* = praefinivit = *al Fajella il termine di un mese ad effetto di esibire in atti il Bilancio generale, e lo stralcio definitivo della cessata società da redigersi secondo le regole ed i metodi di contabilità ec.* =. In exequutionem autem istiusmodi decreti protulit Fajella ratiocinium ad diem

ultimam septembris anni 1839, sed nonnisi repetitum ab altero praecedentis anni, atque instetit, ut decerneretur = *bene e validamente reso il conto suddetto, ed a ricevere in conseguenza il reliquato della parte utili in scudi* 196 29 *fattane legitima quietanza e finale a favore dell' Istante* =; novaque interlocutione Tribunal Nellio praefinivit spatium decem dierum = *per esaminare e dedurre in atti le osservazioni ed eccezioni, alle quali credesse soggetto il foglio e conteggio dal Fajella esibito* =.

Non praetermisit Nellius, intra terminum constitutum exceptiones proferre, et ursit = *sentire ordinare la verifica delle partite del Conteggio e Bilancio suddetto dandosi carico delle eccezioni indicate nel foglio prodotto, e delle altre che verranno date ec.* =; et quoniam ab ipso calculo per Fajellam edito, dummodo ab nonnullis juxta Nellii opinionem erroribus purgaretur, hujus creditum vim attingebat scut. 1659. 21, quoque inde solutionem istiusmodi summae Nellius expetivit. Distincto autem libello idem Nellius actionem instituit pro solutione scut. 1612. 76, quantum ex falsis et erroneis causis putabat, pretium cessionis ex scutis 7512. 76 fuisse imminutum ac scuta 5900. Adversus hanc postremam Nellii petitionem, actio perinde ea esset mere civilis et apud Judices ordinarios exercenda, instetit Fajella, velut ipse absolveretur = *dalla contraria suddetta domanda, perchè manca di azione il Signor Nelli* =, vel quod decerneretur = *nullo l' atto di citazione suddetto in contrario promossa per difetto di giurisdizione* =. In hoc rerum statu censuit Tribunal per aliam interlocutionem = *unite tutte le istanze* = Peritum Ratiocinatorem deputare = *all' effetto di esaminare tanto il Bilancio, che lo stralcio definitivo de' conti in atti prodotto, e riferire sulle diverse partite, ed articoli in essi contenuti di rispettivo credito e debito, avuto riguardo al contratto di cessione intercorso fra il Nelli ed il Fajella, non meno che agl' inventarii e capitali di pertinenza della società, ed esistenti nell' epoca in cui ebbe luogo la cessione suddetta, se siano stati questi erroneamente calcolati, o messi, o contemplati nel bilancio e stralcio definitivo* =. Ex provocatione per Fajellam ad S. Ordinem interposita duplex cognitio est a Patribus hodie suscepta, quarum altera respicit solutionem scut. 1612. 76 = *differenza di prezzo della cosa venduta* = a Nellio petitam, et ipsius judicii circumscriptionem a Fajella propositam, de qua agit seorsim contextualis Decisio; altera vero, de qua in praesenti, in eo versatur, utrum et per quod tempus examinandae sint, sociales rationes, nec non utrum de credito pronunc constaret favore Nellii in summa scut. 1659 et ob. 21, cui datum est responsum = *esse locum deputationi Periti ad effectum examinandi ratiocinia, vulgo „ bilancio, stralcio de' conti „ per totum tempus societatis, et extendatur Decisio* =.

Quae modo quaestio proponebatur, in eo praecipue considebat, utrum et a quo tempore examinandae essent sociales rationes. Provocavit namque Fajella a Tribunalis Commercii decreto, quo Peritus fuit deputatus = *ad effetto di esaminare tanto il bilancio, che lo stralcio definitivo de' conti in atti prodotto, e riferire sulle diverse partite, ed articoli in essi contenuti di rispettivo credito e debito ec.*; et provocavit proposita instantia = *declarari bene redditas esse rationes ex adverso petitas, et pro hujusmodi effectu non esse locum deputationi in causa, de qua agitur; et instantem absolvi ab omnibus ex adverso indebite petitis; sin minus esse locum dicti periti deputationi tantum pro examine calculi anni* 1838 *in* 1839, *et computi particularis anni ejusdem inter Instantem et Citatum quoad utilia taxative ad formam contractus diei* 9 *aprilis* 1839 =. Postulavit vicissim Nellius = *declarari esse locum deputationi Periti*

*ad effectum referendi super dispunctione rationum societatis, de qua agitur, habito respectu ad utilia, et capitalia, stylia, instrumenta, merces, expensas factas, caeteraque Instanti competentia vel initio societatis ejusdem acquisita, vel progressu aucta adformam reijudicatae Excellentissimi Tribunalis Commercii diei* 15 *novembris ec.* =.

Nil vero tam splendidum visum est Patribus, quam ut Nellius merito exposceret, remque judicatam, intrinsicamque rei justitiam in id invocaret, ut nedum sociales rationes examinari, atque expungi deberent, sed quoque, ut examen et dispunctio fieret per totum tempus societatis. Re enim vera judicio egit Joannes pro universali rationum dispunctione, quae totum societatis tempus complecteretur, et ad diem 15 novembris 1839 interlocutorium decretum latum est, quo Josepho Fajella terminus fuit praefinitus ad ejusmodi examussim universam rationem reddendam, scilicet = *ad esibire in atti il bilancio, e lo stralcio definitivo della società* =. Ab hoc autem decreto haud solum Fajella neutiquam provocavit, sed acceptum ultro illud habuit; et sponte est exequutus; quandoquidem intra terminum retulit ad acta = *il conto di cui si tratta in conformità della sentenza* =, atque ursit, ut decerneretur = *bene e validamente reso il conto suddetto* =; factumque est inde, ut Joanni praefiniretur = *il termine di giorni quindici per esaminare e dedurre in atti le osservazioni ed eccezioni, alle quali credesse soggetto il foglio e conteggio dal Fajella esibito* =. At si prorsus indubiam, quod ob non interpositam appellationem, factamque imo voluntariam memorati decreti exequutionem, illud evaserit omnino inappellabile, et in
1 rem judicatam abierit, profiteri necessum erat, tum ex rejudicata, tum ex facto ipsius Fajella disputari amplius non posse, quominus universalis peragenda sit rationum dispunctio a die initae societatis usque ad exitum; et rejecta per consequens Fajellae petitione; vir Peritus deputaretur, qui monumentis rite inspectis ac perlustratis prae sua peritia et honestate referret, num bene Fajella universales rationes exhibuerit ad formam reijudicatae, vel emendari eadem deberent juxta exceptiones per Nellium prolatas.

Intrinseca sed quoque rei justitia exigere videbatur, ut examen cohiberi neutiquam deberet ad ratiocinium anni 1839, ceu Fajella propugnabat in rem judicatam, factumque suum inciviliter insurgens, sed protendi vicissim ad ratiocinia omnium annorum, et ad universas cognoscendas rationes ab initio societatis usque ad ipsius dissolutionem. Ad determinandum siquidem cessionis pretium normam unice praebuit ratiocinium anni 1838, in quo calculationes annorum praecedentium fuerant repetitae. Eo quod vero contenderet Nellius, nec omnino spernenda viderentur, quae ipse afferebat, ut revinceret, ratiocinium anni 1838, plurimis erroribus, ac fallaciis esse refertum, nec leviter in eo capita et utilia fuisse depressa, erat inde prorsus necessarium, omnia ratiocinia ad examen revocare, ut dignosceretur, num ratiocinium, quod normam praebuit cessioni, justum esset vel non, utrum in eo error calculi adsit vel diminutio sive ex voluntaria causa sive ex negligentia proveniens. Nec quidquam certe obstat, quod ratiocinium anni 1838, ac illa quoque praecedentium annorum fuissent a sociis agnita et probata. Praeter quod enim annuae computationes inter socios factae haud generalem societatis rationem praeseferre videan-
2 tur, sed particulares potius dicendae sint, ac veluti actus praeparatorii ad ipsam ineundam generalem dispunctionem, illud omnino peremptorium accedebat, quod, si quid erroris in iis calculatio-
3 nibus irrepsit, nullum ad emendandum errorem posset obstaculum parare facta sociorum agnitio, cum errantis nullá sit voluntas, neque error veritati praejudi-

cium queat afferre *ad text. in leg.* 6 § *veritas ff de Offic. Praes. in leg.* 1 § *Nam ff quae sent. sine appell. leg. unic. Cod. de Err. Calc. Rota in Dec. Romana Supplementi justi pretii* 4 *februarii* 1833 § 5 *cor. R. P. D. Bofondi, in Perusina Pecuniaria* 8 *maji* 1835 *cor. R. P. D. De Retz.* In periti autem deputatione, qui universas sociales rationes cognosceret ab initio societatis, firmius ex eo erat haerendum, quod hujusmodi examen jura Josephi vel in minimum haud laederet, cum periti relatio ad id requiratur, ut tutius ferri judicium possit, quin ullam necessitatem imponat, modo uno vel altero rem dirimendi.

Ad creditum vero quod attinet, quod Nellius in scutis 1659 et ob. 21 sui favore derivabat ab ipso ratiocinio per Fajellam exhibito, dummodo corrigeretur tum in ea parte, qua fructus collybi erga Thomam Silvestrelli non debito Vincentii, sed ipsius Joannis adscripsit, tum in altera, qua utilia ex capitibus adhuc extantibus aestimavit haud = *a prezzo di tariffa* = sed = *a prezzo di costo* =, cum Peritus ad id fuerit deputatus, ut sociales omnes rationes expendat, et quoque per consequens referat, utrum ratiocinium a Fajella exhibitum emendari debeat, vel non juxta exceptiones a Nellio prolatas, haud justum inde Patribus visum est, ut interim Joseph ad illius solutionem damnaretur pro erroribus, quorum emendatio adhuc est incertum, utrum fieri debeat.

Et ita ec. utraque ec. resolutum est.

R. P. D. D'AVELLA'

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS ET SOLUTIONIS SCUT. 1612 76.

ARGUMENTUM

Ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Contractus et distractus societatis ejusdem est indolis et naturae.*
2. *Commercialis autem jurisdictio sese extendit ad omnia incidentia, connexa ac dependentia ab ipso contractu vel distractu.*
3. *Sicuti pariter ad omnes controversias, quae oriuntur ex stipulationibus inter mercatores non tantum pro earum observantia, sed etiam pro nullitate, vel rescissione vel reductione ad aequalitatem.*

DECISIO CXXIII.

In apocha diei 6 Aprilis anni 1839 Joannes Nelli, ceu latius exponit contemporanea Decisio, cessit consocio Fajella = *tutti e singoli Capitali* = privativae fabricationis vitrearum laminarum = *comprese le mercanzie inerenti, ed occorrenti per l' esercizio della Fabbrica in conformità del Bilancio* = ahni superioris, et conventum insuper fuit, quod etiamsi ex ratiocinio, quod normam praebuit cessioni, pretium = *de' capitali ceduti* = ad summam assurgeret scut. 7512. 76, hoc tamen imminueretur ad scuta 5900. = *sia in virtù del minor valore avvenuto nei fabbricati in comparazione di quello con cui sono notati nel bilancio, sia in virtù delle mercanzie di lunga giacenza, sia in virtù della pronta realizzazione degli uni e delle altre, che il signor Giovanni Nelli ottiene col presente contratto* =. Dum autem Nellius postulavit apud Judices Commercii, ut universas sociales rationes Fajella exhiberet, petiit quoque, quod = *atteso che nell' Apoca di cessione della interressenza della privativa Fabbricazione, e spaccio delle Lastre e Cristalli firmata li 9 aprile* 1839 *il citato in luogo di scudi* 7512. 76 *a quanto si stabilì in allora il credito dell' Istante, dichiarò di volergli pagare soltanto scudi* 5900 *col pretesto del minor valore avvenuto ai fabbricati, ed in vista della lunga giacenza delle mercanzie, le quali cose affatto non sussistendo, senza causa ed indebitamente si ritenne la somma di scudi* 1612. 76, *sentirsi perciò condannare al pagamento delli suddetti*

*scudi* 1612. 77. Exceptionem opposuit Fajella, quod istiusmodi cognitio ad unos ordinarios judices pertineret, ac declararet inde Tribunal, se jurisdictione carere Tribunal sed vero interlocutorium edidit decretum, quo = *unite tutte le istanze* = Peritum ratiocinatorem deputavit, tum = *all' effetto di esaminare tanto il bilancio che lo stralcio definitivo dei conti in atti prodotti* =, tum quoque ut recognosceret, num capita subjectum venditionis constituentia = *siano stati erroneamente calcolati, omessi, o contemplati nel bilancio e stralcio definitivo* =. Appellatione per Fajellam interposita, praeter quaestionem, de qua agit contextualis Decisio de universis recognoscendis socialibus rationibus ab initio societatis, disputatum est in praesenti, num memoratum interlocutorium decretum nullum declarari deberet, saltem relate ad petitionem scut. 1612. 76 ex defectu jurisdictionis; quod si vicissim meriti principalis cognitio esset suscipienda, num absolvendus vel condemnandus foret Fajella ad ipsius summae solutionem, et responsum a Patribus est datum = *non esse locum Circumscriptioni, in reliquis dilata post relationem Periti, et extendatur Decisio* =.

Summa equidem cum injuria nullitatem postulabat Fajella interlocutorii decreti relate ad petitionem scut. 1612. 76 ex defectu jurisdictionis. Haud enim illa interlocutione Commercii Tribunal aliquod judicium tulit super petita summa scut. 1612. 76 sed tantum = *per modo di provisione e senza pregiudizio delle Parti sulla competenza eziandio dell' azione* = peritum nominavit ad universas cognoscendas sociales rationes. Hoc ipso autem quod decretum neque admisit neque rejecit petitam solutionem, sartaque imo explicite servavit omnia Fajellae jura etiam = *sulla competenza dell' azione* =, incivilis omnino, ni prorsus fatua renuncianda erat ipsius Fajellae querela, ut decretum circumscriberetur super controversa solutione, quod haud unquam latum fuit, neque extitit in rerum natura.

Etiamsi vero Nellii petitionem quoquo modo lata interlocutio excepisset, ambigi haud tamen posse, videbatur de commerciali, jurisdictione. Actio enim per Nellium exercita ad summam condicendam scut. 1612. 76 ab Apocha profluit diei 9 aprilis 1839, qua omnia sua socialia jura in consocium Fajella distraxit, et a judicibus inde commercialibus cognosci debet, cum contractus, distractusque societatis ejusdem sint indolis
1 et naturae, ceu perbelle *Ansald. de Comm. disc.* 12 *n.* 14; nec dubium quoque, quin Commercialis jusisdictio sese extendat ad omnia incidentia, connexa et de-
2 pendentia ab ipso sive contractu, sive distractu ad tradita per *Ansald. de Commerc. disc. gen. n.* 6. Quin objici posset, quod ea petitione haud ageret Nellius pro observantia contractus, sed vicissim pro illius nullitate. Ex censura enim art. 601 Codicis Mercatorii queunt Commercii Judices judicium ferre = *di tutte le controversie relative alle obbligazioni e contrattazioni tra Negozianti, e Banchieri* =, et a generali propterea
3 legis locutione non immerito est arguendum, quod Commercialis jurisdictio ad omnes extendatur controversias, quae ex stipulatione oriuntur non tantum pro earum observantia, sed quoque pro earumdem nullitate, vel rescissione, ac reductione ad aequalitatem.

Quid vero si inspecta intimius Nellii petitione, ambigendum neutiquam foret, quin ea rectam potius et non erroneam conventionis exequutionem persequeretur, quam ipsius nullitatem vel rescissionem? Et non secus quidem se res habebat. Protuebatur quandoquidem Nellius ex ipso ratiocinio, quod normam praebuit cessioni, lucra socialia sibi debita ad diem 30 septembris 1838 consurgere ad argentea 7512. 76, et fuisse nihilominus contra rei veritatem in apocha cessionis constitutum quod summa isthaec reprae-

hesentaret = *il prezzo dei Capitali* = nec non quoque, ut cohiberetur ad scuta 5900 ex erroneis falsisque causis, scilicet = *in virtù del minor valore avvenuto ai fabbricati, in virtù delle mercanzie di lunga giacenza, in virtù della pronta realizzazione degli uni e delle altre, che il signor Giovanni Nelli ottiene mediante il presente contratto* =. Nemo hinc non videt, quod Nellii actio pro summa consequenda scut. 1612. 76 = *differenza di prezzo della cosa venduta* = haud nullitati conventionis innitatur, sed errori calculi, utrum scilicet summa scut. 7512 76 esset valor = *dei capitali ceduti* =, vel potius quota utilium; utrum aedificiorum aestimatio fuisset imminuta: utrum = *le mercanzie* = essent = *di lunga giacenza* =; nec dubitari per consequens poterat de commerciali jurisdictione in deputando perito, qui istiusmodi calculi errores recognosceret, atque emendaret. Eo quod vero nonnisi post rationes a Perito recognitas rectum poterat ferri judicium super vero cessionis pretio, non erat ideo interim solutio decernenda, et merito quoad solutionem a Nellio petitam sacer ordo rescripsit = *dilata post relationem Periti* =.

Et ita etc. utraque etc. resolutum est.

**R. P. D. ZACCHIA**

FOROLIVIEN. INCOMPETENTIAE

*Veneris* 8 *januarii* 1841

ARGUMENTUM

Tribunal commerciale cum sit exceptionis, de iis dumtaxat cognoscere potest, quae specifice in exceptione continentur, et formiter a lege sunt ei tributa, itaut in dubio pro incompetenti habeatur. De ejus autem incompetentia in controversiis mandantem inter et mandatarium late disseritur.

*SUMMARIUM*

1. *Ordinariam inter et commercialem jurisdictionem hoc est discrimen, ut ordinarius judex de omnibus cognoscat quae non sint formiter excepta, commercialis vero de iis tantum, quae sint ei formiter tributa.*
2. *Commerciale tribunal est exceptionis.*
3. *Adeoque ea dumtaxat judicat, quae specifice in exceptione continentur* et num. 5.
4. *In quavis competentiae dubitatione tribunal civile pro competenti habendum est.*
6. *Lex habet pro commercii actu quaevis* - impresa di somministrazione -.
7. *Id autem intelligendum dumtaxat de iis qui fuerint* - intraprendenti - *itaut commercialis obligatio inter creditores subministrationum, eorumque debitores committatur.*
8. *Minime vero inter redemptorem ejusque mandatarium.*
9. *Dum lex, quae commercialis jurisdictionis fines quo fieri potuisset coegit, ei tribuit* le controversie relative ad atti di commercio fra ogni sorte di persone, *non lato sensu sed strictim accipienda est de iis tantum controversiis, quae directe et ex ipso commerciali actu dimanent.*
10. *In commercii loquela aliud est mandatum et mandatarius, aliud commissio et commissionarius, itaut mandatum sit genus, commissio vero mandati species.*
11. *Atque haec habetur uti commercialis actus et foro mercatorio subest.*
12. Commissarius *definitur qui proprio nomine commissionem expedit.*
12. *Et qui habitualiter debet fungi munere recipiendi* commissiones *sua certa mercede.*
14. *Atque commerciales libros servare uti caeteri negociatores.*
15. *Sub nomine* - agenti - *aut* - commessi - *veniunt qui certa mercede sunt conducti et mercatoris famulatui addicti.*
16. *Sub nomine vero* - mercanti - *veniunt qui minutatim mercaturam faciunt.*
17. *Atque hi dumtaxat jurisdictioni commerciali subsunt ex art.* 604 *codicis commercii.*
18. *Ex sola personae qualitate jurisdictio commercialis haud derivat.*
19. *Molestiarum liberatio in eo foro expetenda est ubi actio principalis instituta fuit.*
20. *Defectus jurisdictionis ratione materiae vel valoris litis est prorsus insanabilis.*

## Decisio CXXIV.

Annonae militaris a Fisco auctione ad triennium ab anno 1829 proposita ad unam partem intendebat Franciscus Nicod Laplanche, ad aliam Peregrinus Zoli cum Vincentio Gratioli. Inde placuit utrinque Nicodii nomine pro integra Pontificia Militia tribus Divisionibus constante solam oblationem exhibere, et Zolius id perfecit praeditus Nicodii mandato. Varii antea intercesserunt de negocii dividendi modo tractatus; hisce primae Divisionis utilia Zolio, et Gratiolio adscribebantur. Sed de eorum tractatuum efficacia non est hic quaerendi locus. Verumtamen re impetrata, Zolium penitus submovere Nicodius sategit. Nam tertiae Divisionis compendium sine contradictore Nicodius fuit assequutus; secundae per commercialem remjudicatam obtinuit, ut Zolius Nicodii Cessionario Nuccio traderet. Nuper denique coram Commercii Foroliviensi Tribunali eumdem Zolium compulit, ut ipsi = *qual mandatario* = praefigeretur terminus = *a render conto della gestione relativa all' appalto del pane somministrato alle Truppe Pontificie della prima Divisione militare . . . . ed esercitato dal Citato qual mandatario del detto Istante* =. Sed declinatoriam fori commercialis in ista mere civili mandati actione a Reo Convento propositam illico excepit Tribunal, et incompetens sese renunciavit. Pro competentia vero decrevit appellationum Bononiensis Aula. Utriusque judicii in discrimine controversia S. Ordini hodie exhibita, responsum est. = *Constare de Incompetentia et extendatur Decisio* =.

In iis tantum negociis commercialis jurisdictio obtinet, quae lex taxative ejusmodi subjicit jurisdictioni. Profecto ordinariam inter ac commercialem jurisdi-
1 ctionem discrepantia consistit, ut ordinarius judex de omnibus cognoscat, quatenus non sint formiter excepta: commercialis vero ille de iis solummodo, quatenus ipsi sint formiter tributa. Pernotum est, commercialia Tribunalia esse
2 exceptionis: itaut nonnisi ea, quae in exceptione specifice continentur, neque-
3 ant judicare. Sic jam docuere *Ansaldus de Comm. et Mercat. disc. gen. n.* 59 *et seq. Locrè spirit. del Cod. di Comm. tit.* 4 *part.* 1 *prim. divis. prim. suddivis. Baldasseron. dizion. sub verb. Fallimento* § 20. *Marrè diritt. Comm. part.* 4 *cap.* 1 *Syrey Comm. art.* 631. Sic itidem nil magis expresse statutum est in vigenti praxeos censura siquidem art. 296 jubetur = *I Tribunali di Commercio sono Tribunali di eccezione: conoscono e decidono . . . . quelle cause soltanto che sono ad essi attribuite dal titolo unico lib.* 4 *del Regolamento Commerciale* =: ac art. 942 cavetur = *Se viene promossa una controversia, che non sia strettamente compresa nella disposizione dei* §§ 296 *e* 297, *i Giudici di Commercio dovranno dichiararsi incompetenti anche per officio* =. Ac demum pro generali norma in art. 931 positum est, ut in
4 quavis de competentia dubietate Tribunal Civile, hoc est ordinarium, pro competenti habeatur, atque solemniter *art. seq.* pronunciatur = *La stessa regola ha luogo, se nasce dubbio intorno alla competenza dei Tribunali di Commercio* =.

Plane hoc sapienter constitutum est, nam si paullulum remitteretur rigor, jam
5 interpretatio et arbitrium eo rem adduceret, ut communes quaestiones celeri commerciali methodo absolverentur. Quae methodus dum maximopere convenit Commercii bono, cujus interest judicia per quam cito confici, tam periculosa esset in negociis aliis, in quibus nimia praecipitantia non reparatur ex utilitate quam Commercium societati affert. Nihil itaque impentius duxere, quam relatarum legis sanctionum observantiam proclamare tum S. Ordo ut *in decis. Romana Praelationis* 13 *februarii* 1737 *et in Confirmat.* 8 *junii* 1838 *n.* 4 *cor. R. P. D. meo De Retz*, tum Signaturae Tribunal, *ut in Decis. Ferrarien. Circumscriptionis et Restitutionis in Integrum* 15

*septembris* 1835 *n.* 4 *cor. Galimberti.* Hisce in jure praejactis, controversiae definitio jam sponte manabat: nam in actione a Nicodio proposita Tribunalis Commercii nulla esse poterat jurisdictio, semel ac ipsa actio minime inter eas *in lib.* 4 *tit. unic.* Commercialis Regulae descriptas compraehenderetur.

Perperam admodum oggerebatur in illius libri § 602 prostare = *La legge reputa atti di commercio . . . . ogni impresa di somministrazione* =. Quamquam enim redemptura annonae militaris, quam privati a Fisco assequuntur, utique sit = *impresa di somministrazione* =, tamen commercialem actum ob id solummodo perficiunt, qui a Fisco redimunt, qui sublocant, quive uno verbo fuerint = *intraprendenti* =; hoc est qui proprio nomine subministrandi onus suscipiunt, et commercialis obligatio committitur inter creditores subministrationum, ac eorum debitores, veluti expendit *Rogron. in Cod. di Comm. spiegato lib.* 4 *tit.* 2. Atqui cum Nicodius Zolium persequatur non qua sub conductorem, non qua debitorem subministrationum, sed ut rationes reddat, tanquam suum mandatarium de redemptura annonae pro prima militum Divisione, palam admodum erat, quaestionem hujusmodi diversissima esse ab = *impresa di somministrazione* =, quae nulla inter Zolium ac Nicodium intercesserat.

Et vix erat audiendum, quod sicuti redemptura annonae actus commercialis sit, ita mandatarius annonarii erga hunc commercialem actum exerceat ex connexione principalis cum accessorio. Ubi enim lex non alios commerciales actus haberi sancivit praeter expresse designatos, incassum Nicodii oratores laborabant, ut ad non nominatos sive ratione connexionis sive congruitatis effectus commerciales protenderent. In quo perperam obtrudebatur *art.* 601 *dicti lib.* 4 ferens mercatorium Magistratum judicem esse *delle controversie fra ogni sorta di persone relative ad atti di Commercio* =. Optime dixit = *delle controversie relative ad atti di commercio* =; nam Tribunalia de controversiis, quae ex actibus manant, cognoscunt. Neque ulla in iis verbis extrui poterat cavillatio. Etenim postquam lex jussit, ut auctoritas mercatoria ad eas controversias porrigeretur, quae *soltanto*, quae *strettamente* commerciales sint, ita ut in dubio civiles existimari debeant, absurdum fuisset, expressionem illam = *relative ad atti di commercio* = in lato sensu accipere, perinde ac si omnis contentionis quocumque modo commercialem actum respicientis ad mercatorium Tribunal spectaret judicium. Imo hujusmodi latior interpretatio excludebatur ex illo = *fra ogni sorta di persone* =. Nemo enim censebit, ut lex, quae commercialis jurisdictionis fines quo fieri potuisset coegit, uno ictu personas non commerciales pro actu non commerciali ex inani ratione, quod hic aliquo modo ad commercialem sese posset referre, voluisset illi jurisdictioni subjicere. Sequebatur igitur, ut dum dixerat = *le controversie relative ad atti di Commercio* =; eae essent intelligendae controversiae, quae directe, et ex ipso actu commerciali manarent, ceu affabre expendunt *Pardessus corso di diritt. Comm. Bruxelles* 1833 *tom.* 1 *part.* 3 *tit.* 3 *cap.* 3 *litt. h. del deposito n.* 942 *Dalloz Giurispr. verbo Depositi lib.* 1 *art.* 2 *tom.* 9. *Locrè lib.* 4 *tit.* 2 *divis.* 2 § 1 *n.* 2.

Inter Nicodium autem et Zolium actum commercialem fuisse perfectum deterius propugnabatur, quum non aliud ille contenderet, quam Zolium suum fuisse mandatarium in annonae redemptura primae Divisionis militaris exercenda. Quoniam aut dicendum est, mandata omnia commercialem actum constituere, aut omnino concedendum, nihil commercialis adfuisse, etsi Zolium Nicodii mandatarium fuisse admitteretur. Pariter nec jurisdictio commercialis deducebatur ex art. 602 ejusdem lib. 4 concepto = *La legge reputa atti di commercio ogni impresa ..... di commissione* =; et adamussim = *dei*

*Commissionarii in genere* = eamdem commercialem Regulam egisse in sect. I. tit. VI. efferebatur. Nam in commercii loquela aliud est mandatarius, aliud prorsus *commissio*, et *commissionarius*. Mandatum genus est, *commissio* autem mandati species. Haec profecto uti commercialis actus habetur, ut mercatorio subest
11 foro, veluti affabre discriminat *Baldasseron. dizion. di Giurispr. maritt. e comm. sub verbo Mandante, Mandato n. 7.*

*Commissionarius* porro definitur, qui
12 proprio nomine *commissionem* expedit, ut *in cit. sect.* 1 *art.* 86; is insuper habitualiter fungi munere debet recipien-
13 di *commissiones* sub certa mercede, seu = *provvisione* =; adigiturque commercia-
14 les libros rite servare, uti negociatores caeteri, ceu docet *idem Baldasseron. cit. loc. et seq.* § 8, *Rogron. Cod. Comm. spiegat. art.* 91. Atqui nec Zolius instituto Negociator est, eoque minus vacat alienis *commissionibus* obeundis, et solum a Nicodio uti amicus, uti privatus quilibet, mandato accepto non suo, sed Nicodii ipsius nomine sine ulla mercede ad licitationem redempturae accesserat. Quamobrem etsi Nicodius demonstrare valebit, cessionem de annona ad primam militum Divisionem subministranda temere Zolium erga Gratiolium iniisse, sic illius Divisionis compendium ad se quoque pertinere; eamdemque Zolium administrasse; semper tamen firmissimum maneret, quod Zolius tanquam Nicodii *commissionarius* non esset censendus, qui, ipso fatente Nicodio, mandatum, ut suo nomine rem ageret, suscepit, quique gratuito illud exercuit. Quod gratuitum exercitium injuria controvertebatur; interessentia namque, quam eum sibi stipulatum fuisse Nicodius asserebat, respiciebat binas alias Divisiones, quae constituerant diversum prorsus negotium ab prima, in cujus tantum gestione Zolium suum mandatarium fuisse Nicodius in praesens contendit.

Modo nec rectius confugiebatur *ad lib. VI art.* 604, ubi cavetur = *I Tribunali di commercio giudicheranno delle azioni contro gli agenti, commessi de' mercanti o loro subalterni* =. Qua Nicodii fluctuantia undenam jurisdictionem commercialem deduceret, ambiguitatem saltem rei ipse quoque confitebatur, quod sufficere eidem debebat, quum in ambiguis pro exclusione ab illa jurisdictione pronunciandum sit. Plane relatus articulus extraneus omnino erat. Omisso enim num ibi compraehendantur solum actiones ab tertiis contra institorem, aut praeponentem, vel etiam actiones hunc inter et illum, quas extra Tribunalis Commercii competentiam esse tradit post decisionem Tribunalis Amiensis *Glossator ad Cod. adnot. a Syreyo in append. art.* 635, certum tamen erat, quod sub no-
15 mine *agenti* (qui in Gallici Codicis art. 634, unde nuper relatus exemplatus est, nuncupantur *Facteurs*) o *commessi* veniunt, qui certa mercede sunt conducti, *Merlin. verb. Commissionati in genere* § 2, et famulatui mercatoris sunt addicti, *Baldasseron. cit. oper. in Rubrica Fattore* § 2. Sub nomine autem = *Mer-*
16 *canti* = veniunt qui merces comparant, ut revendant, sive melius qui minutatim mercaturam faciunt, *Rogron Cod. Comm. spieg. art.* 1. Allati autem articuli vi ho-
17 solummodo commercii jurisdictioni subjectos esse jugiter interpretatum est, ceu testatur *Mongoloy et Germain Analis. ragion. del Cod. di Comm. ad art.* 634 *Gall. Cod.*, cujus articuli, ceu modo dictum est, ille 604 nostrae legis fidelis est repetitio. Nemini igitur videbitur Zolius fuisse Nicodii *fattore*, sicuti Nicodius fuisse *mercante*.

Nullo demum pacto hujusmodi judicii instaurationem penes mercatorium forum Nicodius defendere valebat sive ex qualitate litigantium, sive ex re judicata, quem in identico casu inter ipsum ac Zolium prodiisse jactabat. Utut enim Nicodius negociator sit, minime huic exercitio incumbit Zolius; quod lex exigit, ut abitualiter exerceatur, ad hoc ut persona commerciali foro subsit. Deinde haud

sufficeret, si datum esset evincere, Zolium inter negociatores accenseri; debuisset insuper demonstrari ut actus, pro quo Nicodius eum urget, commercialis quoque sit; quod per quam longe abesse superius enucleatum est; nam ex sola
18 personae qualitate jurisdictio commercialis haud derivat; secus dicendum esset, negociatores quum adversus negociatores alios pro quoque negocio litigent, ab civili jurisdictione semper esse exemptos, quod omnino praeposterum esse docent *Ansald. de Comm. et Mercat. disc. gen. n.* 59. *Locrè lib.* 4 *tit.* 2 *art.* 631 *ad* 639 *div.* 2 *suddiv.* 2, *Rogron. loc. cit. lib.* 4 *tit.* 2 *et S. Ordo in Romana Societatis* 16 *Maji* 1828 *n.* 4 *cor. R. P. D. meo Muzzarelli.*

Quod vero ad objectam rem judicatam attinet, commentitium prorsus erat adversus Zolium in identica specie ortam fuisse. Tunc enim Nuccius, cui Nicodius redempturam secundae Divisionis sublocaverat, contra sublocatorem coram Tribunali Commercii insteterat, ut utilia traderet. Nicodius vicissim Zolium, cui mandaverat, ut sublocationem perficeret, pro liberatione a molestiis coram eodem Tribunali coegit. Quum itaque pro commercii actu, qualis est subministrationum sublocatio, veluti probatum est, rite commerciali forma egisset Nuccius; rite aeque sub eadem forma pro liberatione a molestiis Zolium Nicodius persequutus est.
19 Translatitium est, molestiarum liberationem in eo foro esse expetendam, ubi actio principalis sit instituta: ceu art. 443 praxeos imperat. Igitur in praesenti judicio, ubi inter Nicodium et Zolium solummodo agitur de negocio minime prorsus commerciali, nimirum de simplici mandato, nullimode alienissimus casus poterat aptari. Quamquam si unus idemque forte cuiquam videretur, tamen si in illo placuisset Zolio fori declinatoriam non allegare, non ideo sequeretur, ut in praesenti hanc adducere prohiberetur: scriptum est enim expresse in art. 786 ejusdem
20 praxeos = *il difetto di giurisdizione concernente la materia ed il valore della la lite è assolutamente insanabile* =. Quamobrem magis magisque erat Nicodii confidentia admiranda, qui nullo jure coram commercialibus Judicibus Zolium fuerat vadatus, cui nonnis in evidentissimo tantum fuisset permissum.

Atque ita etc. utraque etc.

**R. P. D. D' AVELLA'**

BONONIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS ET REFECTIONIS DAMNORUM

*Lunae* 25 *januarii* 1841

ARGUMENTUM

Ex legibus Pontificiae Societatis Assecurationum arbitrorum judicium est appellabile, cum nulla adsit appellationi renunciatio. Sub assecuratione mercium *ad uso di Drogheria*: veniunt dumtaxat aromata, non autem res fictiles, neque pharmaca composita, quae ab Droheriis vendi minime possunt; praesertim si haec pharmaca sint ingentis aestimationis; societas enim ex instituto habet, ut res pretiosae in assecuratione compraehendantur, nisi fuerint in contractu nominatim designatae atque descriptae.

*SUMMRRIUM*

1. *Sententia tribunalis appellationis, qua controversia de inappellabilitate definitur, est prorsus inappellabilis.*
2. *Quando in contractu nuncium missum non fuerit appellationi, sententia arbitrorum est appellabilis.*
3. *Ex legibus Pontificiae Societatis Assecurationum exigitur compromissum absque ulla appellationi renunciatione.*
4. *Ex relatione generaliter habita ad contractum Tergestine Societatis pacta et conditiones inibi extantes in Pontificiam Societatem migrarunt quoad ea dumtaxat, quibus ab eadem Pontificia societate expresse cautum non fuit.*
5. *Quod quisque juris in alium statuerit, et ipse eodem jure uti debet.*
6. *Damnum assecuratis mercibus ab incendio illatum sarcire omnino debet assecurationum societas.*
7. *Quicumque aliquod interesse habet ad res servandas, jure potitur earum as-*

*securationem curandi, iisque deperditis, reintegrationem ab assecurante petendi.*

8. *Sub assecuratione mercium* ad uso di Drogheria *veniunt dumtaxat aromata, non autem res fictiles et pharmaca composita.*

9. *Haec enim cum per medicos soleant administrari ab Aromatariis et Droheriis vendi non possunt.*

10. *Ex societatis instituto res pretiose non compraehenduntur in assecuratione, nisi in syngrapha fuerint nominatim designatae atque descriptae.*

## Decisio CXXV.

Veronica et Carlotta Cremonini mulieres Bononienses, quae jampridem sub tutela Tergestinae Societatis Assecurationum posuerant tum propria mobilia, tum merces, quibus instruebatur Aromataria Taberna in Via Saragazza n. 243 ad Aloysium Mazzacurati spectantes, contractum cum Societate Pontificia, quae Tergestinae successit, renovarunt in haec verba sub die 6 septembris 1838 = *Nella qualità di conduttrici dichiarano di voler fare assicurare contro i danni degl' incendii per la somma di scudi* 2800; *e per anni cinque alle condizioni espresse nella Polizza gli oggetti qui appresso descritti. Dichiarano inoltre che questi oggetti non sono assicurati da altri, e che nei locali qui appresso descritti non si esercitano professioni, arti, o mestieri, e non esistono magazzeni, che possano aumentare il rischio d' incendio, oltre quelli indicati* =. Res autem assecuratae fuerut = *Mobili, vestiario, biancherie, bottami, brugiaglie, e tutti i capitali vivi e morti, esistenti questi ultimi in una bottega ad uso di Drogheria con annesso magazzeno con camere attigue, e cameroni posti verso il cortile, e piccolo cameruccio sulla scala ad uso di magazzeno per li sopradetti articoli di Drogheria di diverse qualità: quali capitali vivi tutti sono di proprietà del signor Luigi Mazzacurati, ed i sopradetti mobili sono di ragione delle assicurate, ed esistenti nell' appartamento da esse abitato, oltre i granai, e cantine nella casa di proprietà del signor Giuseppe Cossa posta in Bologna in via Sarogozza n. 243 pel valore di scudi* 2800.

Mense sed vero nondum elapso infausto accidit, ut ex igne in altero ex promptuariis et ignota causa excitato plurimae merces ibi congestae comburerentur. Cremoniniae, et Muzzacurati illico de sequuto incendio certiorem faciunt Agentem Societatis Assecurationum, nec praetermiserunt quoque relationem incendii exhibere cum duplici notula; quarum prima damnum rerum deperitarum evehit ad scuta 933. 63, altera rerum, quae deteriores fuerant effectae, damnum constituit in scutis 150. Quamvis autem Assecurationum Societas haud recusaret in genere incendii damnum sarcire, protuebatur alioquin in specie, se non teneri quam ad praestandum valorem mercium aromatariarum, nec oneri inde suo aestimationem pharmacorum esse, eorum praesertim, quae venenosa deprachendebantur, et quorum pars major erat. Cum res nequiverit amice componi, adeunt Cremoniniae Commerciale Tribunal Bononiae, a quo arbitrorum electio fuit demandata. Arbitri autem cum in ea essent opinione, ut praestari deberet a Societate Assecurationum non tantum aestimatio rerum aromatariarum, sed omnium quoque pharmacorum, interlocutoria sententia die 18 martii 1839 emendationem damnorum, praevio juramento aestimatorio, statuerunt in summa scut. 1035. Provocavit Societas ad Aulam Appellationis, quae, rejecta exceptione inappellabilitatis sententiae arbitramentalis, arbitrorum judicium reformavit, excepta damnorum petitione pro summa tantum scut. 365, praevio juramento suppletorio. Ad judicium S. Ordinis provocarunt Cremoniniae, promota etiam circumscriptionis querela sententiae latae ab Aula appellationis Bononiae. Sed perperam: da-

tum namque est responsum = *Nihil de circumscriptione, et essè locum refectioni damnorum, demptis pharmacis, et vasis fictilibus, et extendatur Decisio* =.

Perspicuum in primis, circumscribi haud posse Tribunalis Appellationis sententiam ex jurisdictionis defectu, vetitum perinde esset ab Arbitrorum judicio provocare. Simul ut enim opposuerunt Cremoniniae inappellabilitatis exceptionem, et appellationi vicissim locum esse Bononiense appellationis Tribunal definivit, haud poterat contra istiusmodi pronunciationem ulla querela moveri, sed pro
1 veritate omnino erat habenda, ex censura Judiciarii Codicis in § 966, quae praescribit = *Se nasce disputa sull' inappellabilità delle sentenze, sarà decisa preliminarmente dai Tribunali di seconda istanza nella forma prescritta per le domande incidentali . . . . La sentenza da emanarsi intorno a tali controversie saranno irretrattabili, e non soggette ad appello o revisione* =.

Et si vero debuisset res scrutari intimius, nil equidem magis absonum scrutari poterat, quam ut inappellabilis foret arbitrorum sententia. Ne provocari namque queat ab arbitrorum judicio requiritur omnino, ut nuncium provocationi
2 fuerit missum = *nell' atto del compromesso* =, secus licitum = *interporre appello, quando abbia luogo secondo le regole stabilite pèr le sentenze dei giudici e dei tribunali* =, ceu statuit Judiciarius Codex in §§ 1776 et 1778; unde cum ex legibus Pontificiae societatis assecurationum exigatur quidem compromissum, sed omnino liberum et absque
3 ulla appellationi renunciatione, planum erat jus appellandi haud fuisse in themate ullo modo interceptum. Quin officeret, ex legibus Tergestinae Societatis inappellabile fuisse arbitrorum judicium. Nonnisi siquidem in iis, quibus specialiter non fuit cautum a Pontificia Societate, firma potuerunt manere pacta, et conditiones
4 Tergestinae, Societatis ex relatione generaliter habita *alla Polizza Austro-Italica*; in iis autem, quibus peculiari dispositione derogari voluit Tergestinae Societatis conditionibus, hae vim ullam exercere amplius poterant, sed unice attendendum Pontificiae Soctetatis placitum, ceu vel ipsae Cremoniniae solemniter coram arbitris protestatae fuerunt, dum contra eas Pontificia Societas pacta invocabat Tergestini contractus: *sique receptum*
5 *est, ut = quod quisque juris in alium statuerit, et ipse eodem jure utatur* = *ad tit. Digest quod quisque juris*, non sane ferendum, ut Cremoniniae modo contenderent, haud Pontificiae societatis dispositum, sed pacta Tergestini contractus esse attendenda.

Ad intrinsecum autem quod spectat causae meritum, nullum in discrimen poterat adduci, quin Cremoniniae merito in genere damnorum sarcitionem expo-
6 scerent, quae ab incendio ipsis obvenerunt. Facti namque erat probatissimi, ex igne fortuito excitato merces plurimas fuisse combustas, quarum assecurationem eaedem Cremoniniae procuraverant ex contractu cum Societate Pontificia inito ad diem 6 septembris anni 1838. Si pacta itaque servanda sunt, nil certum magis, atque ineluctabile, quam ut damnum mercibus assecuratis ab incendio illatum sarciri omnino a societate deberet, nec multum reapse societas insistebat, ut in genere onus declinaret refectionis damnorum.

Haud enim institutae actioni officere illud poterat, quod res igne vel combustae, vel deteriores redditae non pertinerent ad Cremoninias, sed ad Aloysium Mazzacurati, ex defectu perinde sive pertinentiae, sive interesse earumdem Cremonini declinari a societate posset damnorum refectio. Ad factum namque pertinentiae quod attinet, de ea fuit societas apprime edocta, cum in syngrapha contractus conceptis verbis habentur = *quali capitali vivi sono di proprietà del signor Luigi Mazzacurati* =; unde si probe societas novit rerum pertinentiam, easque ab incendio servare fuit pollicita,

praesidium sane nullum a pertinentiae praetextu quaerere valebat pro declinanda damnorum refectione. Negari autem Cremoniniis non poterat jus petendae refectionis damnorum, eo quod merces ad Mazzacuratum pertinerent. Quicumque enim aliquod interesse habet ad res ser-
7 vandas, jure potitur earum assecurationem procurandi, et petendi consequenter reintegrationem, ubi res fuerint deperditae. Itaque quum Cremoniniae, quae commodum consequebantur sive ex conductione tabernae, sive ex institoria actione non leve interesse haberent pro rerum tutela, non solum res ipsas potuerunt utiliter cum assecuratoribus tueri; sed jure meritoque rebus ex incendio consumptis reintegrationem petere valebant. Quod denique ad elidendam actionem opponebatur, nitra utile tempus trium dierum non denunciasse Cremoninias casum incendii, haud erat veritati congruum, quandoquidem contigit incendium die secunda octobris, et constat alioquin die sexta mensis ejusdem in sequelam actae denunciationis testes fuisse interrogatos.

Quamvis autem ex deductis probanda omnino esset actio a Cremoniniis instituta, pro refectione damnorum, quae ab incendio illata sunt, protendi tamen actio non poterat ad consequendam reintegrationem pharmacorum *Strichnina cristallizzata*, *muriato di Strichnina*, *Morfina*, *acetato di Morfina*, *Cicconina*, *ed Olio di Ricino ec.*, nec non rerum fictilium, quae aeque ab igne fuerunt consumptae ac deperditae. Porro enim non aliud periculum in se suscepit societas praeter illud, quod merces aromatarias respiceret, nimirum = *tutti li capitali vivi e morti esistenti questi ultimi in una bottega ad uso di Drogheria* =. Hoc ipso autem quod nonnisi mer-
8 cium = *ad uso di Drogheria* = facta est assecuratio, sensu quisque suo conjiciebat, Aromata tantummodo in contractu venisse, neutiquam vero res fictiles, et phasmaca quoque superius memorata: quippe adeo haec ad Aromatariam non pertinent, ut plurimis imo legibus cautum sit, ne illorum venditio ab Aromatariis perficiatur.

Utcumque autem contendi vellet, Droherios non prohiberi a vendendis pharmacis etiam venenosis, quae ad artis exercitium pertinent, id nonnisi de pharmacis simplicibus potest intelligi, haud vero de pharmacis compositis, de quibus erat quaestio, quae cum per Medicos so-
9 leant ministrari, vendi ab Aromatariis, et Droheriis minime queunt; unde planum quod dum societas obligationem suam devinxit ad tutandas merces = *ad uso di Drogheria* =, animum nunquam habere potuerit controversorum pharmacorum periculum in se suscipere. Eo vel magis quod de rebus ageretur in gentis adeo aestimationis, ut nonnullae ex iis vel ipsum auri valorem excedant, cum *Strichina Cristallizzata bianca*, *et Muriato di Strichnina* nil minus aestimetur, quam argentea biscentum quadraginta pro qua-
10 libet libra; et societas alioquin ex instituto habet, ut res adeo pretiosae haud quaquam in assecuratione compraehendatur, nisi in syngrapha fuerint nominatim desiguatae ac descriptae; meritoque propterea Patres judicarunt, ut a refectione damnorum demenda essent pharmaca, et res fictiles, cum harum omnium nulla a societate facta fuisset assecuratio.

Et ita ec. utraque etc. definitum est.

**R. P. D. MARINI**

ANCONITANA REGRESSUS

*Mercurii* 31 *martii* 1841

ARGUMENTUM

Negligentia in litera cambiali ad diem solutionis exigenda vel in emittendo intra legittimum terminum *protextu* amissionem regressus secumfert tum adversus cedentes, tum quoque adversus trahentem, dummodo constet fundi provisionem fuisse ab isto suppeditatam. Provisio autem, quam integram validamque usque ad diem solutionis trahens praestare debet, destruetur quidem

ob decoctionem tractarii, non tamen ab initio retrotractae, sed a tempore declaratae decoctionis.

*SUMMARIUM*

1. *Sicuti trahens consulere debet fundorum provisioni, ita cambialis literae possessor diligentissimus esse debet in ea statim exigenda, atque, negata solutione, in emittendo* protextu *legitimo ritu, et tempore*, et num. 2.
3. *Si in alterutro negligens fuerit, amittit regressum tum adversus cedentes, tum quoque adversus trahentem, dummodo fundorum provisio ab isto suppeditata demonstretur.*
4. *Ex quibus fundorum provisio demonstretur.*
5. *Protextus necessitas a lege praecipitur non obstante tractarii decoctione* et n. 11.
6. *Et vide rationem*, et num. 7.
8. *Decoctus administratione bonorum suorum privatur a tempore non retrotractae sed declaratae decoctionis, itaut fundorum provisio ab isto non ab illo tempore destruatur* et n. 12.
9. *Quoad tempus quod intercedit inter declaratam decoctionem ejusque retrotractum principium, solutiones factae antequam dies cesserit retractantur, eae autem quarum dies venerat, restutioni obnoxiae non sunt, si absit dolus et fraus.*
10. *Atque haec est communior apud Gallos sententia.*
11. *Pariterque apud Italos.*

## Decisio CXXVI.

Comes Franciscus Paccaroni Anconitanus Negociator quum quandam sacchari quantitatem vendidisset fratribus Bemporad Urbini mercaturam facientibus, die 17 Aprilis 1839 traxit eisdem collybisticam literam sc. 212 et ob. 78 (quae nempe sacchari pretium constituebant) post quinque menses Anconae in domicilio cujusdam Leonis Ascoli persolvendam, adhibita formula = *valuta in me medesimo, e ponete in conto merci vendute* =, quam, ut par erat, debitores illico acceptarunt. Hinc cambialis per emporia transmissa, post plures translationes, atque ut vocant, *gyratas* tandem pervenit ad Danielem Berretta Anconitanum mercatorem. Erat praestituta solutioni dies *decima septima* septembris: sed neque ea die Daniel illam exigendam curavit, neque postridie (ut lex imperabat) protextum confecit, quem die demum *vigesima tertia* illius mensis ob recusatam sibi solutionem absolvit. Exinde se convertere authumavit in Paccaronium trahentem, qui ob praejudicium cambiali ex serotino *protextu* illatum se soluturum negavit. Quamobrem regressus actionem in eum instituit Daniel coram Anconitano tribunali mercatorio, et quamvis interea ut propriae negligentiae mederetur, declarari obtinuisset a judicibus Urbinatibus decoctionem fratrum Bemporad, eamque retrotrahi ad diem usque *secundam* septembris, qua protextus alius locum habuerat ob insolutam quamdam literam tenuis valoris, quae caeteroquin postea solidata extitit, nihilominus Anconitani judices actionem regressus a Daniele in Paccaronium intentatam rejecerunt. Propitiorem vero fortunam expertus est actor apud judices de appellationibus in eadem civitate cognoscentes, qui, revocata priori sententia, Paccaronium ad repraehesentandam cambialem literam una cum usuris secuncibus condemnarunt. Ob definitionum discrepantiam ad S. Ordinem causa conscendit, quam in hodiernis comitiis quum disceptandam proposuissem, Patres rescripserunt = *Non esse locum solutioni, et extendatur Decisio* =.

Et quidem rectissime: namque in contractu literae collybistae quemadmodum inter contrahentes, trahentem nempe, acceptantem, gyratarios, atque ultimum literae possessorem mutua intercedunt jura, ita mutuae quoque obligationes religiosissime observandae. Fundorum provisioni consulere debet trahens, ne sua culpa litera insoluta maneat: ac vicissim diligentissimum se praebere debet cambialis possessor in litera statim exigenda, vel denegatae solutionis legitimo tempore ac ritu probatione comparanda se-

cus enim jus et aequitas non sinit, ut adversus trahentem, et gyratarios regredi possit, quorum conditionem ipse socordia sua reddidit deteriorem. Quod quum vel ipsa suggerat naturalis ratio, omnium plane gentium tum antiquis, tum recentibus mercatoriis legibus comprobatur. *Heinecc. Elem. jur. camb. cap.* 4 § 22. *Frank lib.* 1 *sect.* 4 § 22. *Scacc. de comm.* § 2. *Gloss.* 5 *n.* 320. *Casareg. de Comm. disc.* 54 *num.* 9. *Baldass. leg. e cost. del cambio part.* 2 *art.* 8 *et seqq. S. Rota in Romana Pecuniaria* 16 *martii* 1821 § 4 *cor. Martinez del Campo*, *et in Romana Pecuniaria* 21 *junii* 1830 § 3 *cor. Ruspoli.*

Ac quod attinet ad leges apud nos vi-
gentes, quibus praesens quaestio est dijudicanda, luculentissima est dispositio art. 155. = *Il presentatore di una lettera di cambio deve esigerne il pagamento il giorno della scadenza della medesima* = *art.* 158 = *Il rifiuto del pagamento debbe essere comprovato nel giorno seguente alla scadenza con atto, che si chiama protesto per mencanza di pagamento* = : et post diligentissime praestitutas protextus formas ita cautum est in art. 169 = *Nessun atto per parte del presentatore della lettera di cambio può supplire all' atto di protesto, eccettuato il caso previsto dalle disposizioni superiormente fatte in ordine alla perdita delle lettere di cambio* =. Negligentia vero in cambiali exigenda, vel protextu
3 exarando secumfert amissionem regressus tum adversus gyratarios, tum quoque adversus trahentem, dummodo fundorum provisio ab isto suppeditata demonstretur, ceu dissertissime cautum est in art. 154 ac 164, ubi haec leguntur = *Decadono da ogni azione di garanzia il possessore e i giranti anche riguardo al traente, se quest' ultimo giustifica, che alla scadenza della lettera di cambio vi era provista di fondi* =.

Quibus in jure animadversis, palam erat, Danieli regressum esse denegandum. Quandoquidem contra patulum legis praescriptum omisit die 17 Septembris, quae solutioni cambialis literae erat praefinita, acceptantes Bemporad de solutione requirere; omisit posteriori die protextum conficere. Eratque praeterea in comperto, Paccaronium trahentem con-
4 gruo tempore fundorum provisionem subministrasse. Namque id praterquamquod argui poterat ex ipsa collybistica litera ita concepta = *valuta in me medesimo, e ponete in conto merci vendute, come vi si avvisa* =, atque a tractariis accepto habita, confirmabatur testimonio publici proxenetae de sequuta sacchari venditione, ac de signata adamussim collybistica litera scut. 212. 78 pro ejusdem pretio deponentis: eruebatur insuper ex codicibus rationis mercatoriae, eruebatur ex tessera vectigalis pro saccharo ad fratres Bemporad transmisso persoluti, ac ne ab ipso quidem Daniele in discrimen revocabatur.

Plausum vero mereri nullo modo poterant Danielis defensores, dum insinuare satagebant provisionem hanc periisse ob sequutam fratrum Bemporad decoctionem, proindeque frustra eidem objici negligentiam vel in solutione postulanda, vel in protextu conficiendo. Ad hanc siquidem exceptionem convellendam occurrebat apertissima dispositio art. 157 ejusdem mercatorii codicis, quo protextus severissime praecipitur, haud obstante tractarii decoctione = *Il presentatore non è dispensato dal fare il protesto per difetto di pagamento, nè pel protesto per mancanza di accettazione, nè per morte o fallimento di colui, su cui è tratta la lettera di cambio* =. Quod quidem sapientissime constitutum apparet. Namque in casu decoctionis ad rationes supra expositas de necessitate protextus potissima accedit altera, quod scilicit irreparabili jactura trahens afficeretur, si praejudicatam literam solvere possessori deberet, dum vicissim ea uti nequiret in concursu creditorum super patrimonio decocti tractarii, quum literae hujusmodi ob collusionis suspicionem mi-

nime admittantur. Quamobrem augeri potius quam minui in casu decoctionis protextus necessitatem tradunt concordissime Doctores, ac caeteris missis *Pothier del contr. di Camb. n.* 147 *Marrè Diritto Comm. part.* 1 *n.* 334.

Neque ullo modo excluditur, imo potius comprobatur omnimoda protextus necessitas ex subsequenti parte praefati ar-
7 ticuli, quae ita se habet = *Nel caso di fallimento dell' accettante avanti la scadenza, il possessore della lettera di cambio può far protestare ed esescitare il suo regresso* =. Etenim post declaratam decoctionem quum cambialis literae solutio locum habere non possit, eo quod nullum amplius est decocto patrimonium, lex statuit possessorem cambialis literae regressum exercere posse; sed obligationem conficiendi protextum non modo non adimit (quod contradictorium fuisset), sed imo verbis minime ambiguis eamdem confirmat.

Caeterum probari posse neutiquam videbatur, quod Danielis defensores ajebant possessori collybisticae literae post tractarii decoctionem negligentiam in ea exigenda minime esse imputandam, quum decoctus neque *facto* solvere, neque *jure* possit; ita ut, si forte pecunia accepta fuisset, restitui deberet. Quandoquidem huic pecuniarum restitutioni locus qui-
8 dem fieret, si ageretur de solutione literae expleta post *declaratam* tractarii decoctionem. Ex eo siquidem tempore rerum suarum administratione decoctus privatur juxta sanctionem art. 436 = *Il fallito a contare dal giorno del fallimento è spogliato del diritto dell' amministrazione di tutti i suoi beni* =. Quod intelligi nullo modo posse videtur de retrotracto ejusdem decoctionis principio, quando adhuc debitor in administratione patrimonii sui versabatur; quum per rerum naturam fieri non possit, ut factum infectum reddatur; ac reapse quoad privationem patrimonii, gestionisque rerum suarum *declaratam* decoctionem esse unice attendendam, tradunt rerum commercialium scriptores, ac praesertim *Dalloz in Tratt. de' fallimenti cap.* 1 *sez.* 2 *art.* 1 *n.* 5. At quod spectat ad illud temporis spatium, quod intercedit inter
9 *declaratam* decoctionem, ac retrotractum ejus initium, distinguendum est inter solutiones bona fide vel fraudolenter peractas, inter debita jam effluxa, vel illa, quorum nondum dies venerat. Quod attinet ad haec postrema profecto solutiones in antecessum factae retractantur, quum maximam praeseferant fraudis suspicionem; at e contrario solutio aeris alieni, cujus jam venerat ac cesserat dies, et a qua omnis absit doli fraudisque suspicio, non videtur restitutioni obnoxia esse debere. Quae sane distinctio desumitur ex art. 240 supra laudati Codicis mercatorii = *Qualsivoglia somma pagata nei dieci giorni che precedono l'apertura del fallimento per debiti commerciali non iscaduti, è restituita* = Unde inferendum est a restitutione leges voluisse immunes bona fide expletas solutiones nominum, quorum jam venerat dies juxta notissimum discretive argumentum.

Porro hanc esse communiorem Doctorum, ac Tribunalium non solum nostro-
10 rum, sed exterorum quoque sententiam in dubium revocari haud posse videtur. De frequentiori hac opinione apud Gallos (quorum leges cum nostris in hac materia apprime cohaerebant) post relatas nonnullas quoque contrarias Tribunalium resolutiones, testatur ac firmat supralaudatus Jurisconsultus Dalloz *Trattato de' fallimenti cap.* 1 *sez.* 2 *art.* 2 *n.* 17.

Neque aliter sese habet Italicorum Tribunalium jurisprudentia, ut, caeteris
11 missis, apparet ex Decisione *Pisanae* Rotae die 15 Julii 1815 referente auditore Baldasseroni, confirmata a supremo Justitiae Consilio die 15 decembris 1818, aliisque rebus judicatis a reo convento adductis, quibus rejectum fuit principium de provisione per decoctionem deleta, regressusque adversus trahentem denegatus.

Quae cum ita sint, contendi nullo mo-

do poterat, inutiles futuras fuisse diligentias pro exigenda congruo tempore litera collybistica; praesertim quum *ex facto* constaret, literam aliam, pro qua protextus antea fuerat confectus, solidatam deinde fuisse.

Caeterum, hac investigatione seposita, ad praesentem controversiam dirimendam satis erat animadvertere, legem (ut supra perpensum est) in praefato art. 157 cam-
12 bialis literae possessori necessitatem imponere protextus legitimo tempore, ac rite conficiendi, haud obstante tractarii decoctione; atque huic obligationi Danielem, ut par fuisset nequaquam satis fecisse. Quumque eadem lex art. 111. trahenti, qui fundorum provisionem suppeditaverat, jus tribuat = *di fare opposizione al rimborso di una cambiale pregiudicata* =, exinde sua sponte consequebatur, ut actio regressus a Daniele obmota esset omnino rejicienda.

Et ita ec. utraque ec.

**R. P. D. BONINI**

BONONIEN. PECUNIARIA

*Mercurii* 31 *martii* 1841

ARGUMENTUM

Depositarius ob restitutionem factam, non bene servata forma depositi, ad indemnitatem rei depositae domino praestandam damnatur.

*SUMMARIUM*

1. *Depositarius depositi legem ad unquem servare tenetur, atque si spreverit, indemnem rei depositae, dominum praestare.*
2. *Hinc si contra legem et formam rem depositam restituit, erga ejus dominum damnatur.*
3. *Farina deposito frumento subrogata eodem vinculo, quo frumentum, devincitur.*
4. *Sicuti vinum et oleum ex pignoratis uvis et oleis.*
5. *Arrha, ut plurimum datur non in probationem, sed potius in contractus securitatem et pignus.*
6. *Hinc venditor ea privari non debet, quamdiu singula pacta conventa non fuerint ad unguem impleta.*

DECISIO CXXVII.

Jacobus Bassi, uxoris suae Praxedis Zamboni nomine agens ineunte anno 1838 vendidit pistori Francisco Dozzi octingentas frumenti corbes, convento in singulis corbibus pretio scut. 2 et ob. 65, acceptaque in arrham contractus tessera scut. 269 ab eodem Dozzio signata, quam tamen ei Bassius redditurum spopondit = *dietro la consegna delle ultime corbe cento, da effettuarsi sopra contante* =. In exequutionem hujusce contractus frumenti corbes 260 libere tradiderunt Dozzio conjuges Bassi, respondente pretio ab eodem una simul suscepto. Reliqua vero pars ad vim usque corbium quadraginta supra quingentum penes Josephum Lellium in ejusdem moletrinis ea sub lege deposita fuit, ne scilicet tradi aliter emptori posset, nisi soluto contextim pretio, ac descripto mandato venditoris. Conditioni depositi apprime adherens Lellius non secus corbium centum quantitatem a Dozzio extrahi, eidemque libere consignari primum permisit, quam intercedente scripto, quo opus erat, mandato. Imminente postmodum siccitate pistori id curae fuit, ut alia frumenti depositi pars moliretur, antequam fluviales aquae decrescerent. Quibusdam itaque frumenti cribratoribus Dal Buono, et Pultrinio commisit, ut frumenti centum circiter alias corbes cribrarent post requisitum consensum a Bassio, quem cum ipsi pro re interpellassent, ita respondisse perhibuerunt = *Andate pur là, che per cribrarlo non importa già di verun ordine, anzi dite pure al Dozzi, che lo metta anche tutto in farina, che così sta meglio* =. Hisce autem hinc recitatis, a Lellio, seu ejus moletrini institore Budresio, facile impetraverunt, ut corbes alias nonaginta supra centum cernere ac purgare possent. Eamdemque ipsam frumenti

quantitatem postquam Lellius partim in suis, partim in Allegri moletrinis moluerit, sivit quoque Dozzio libere consignari, cujus fortuna inclinare coeperat.

Termino interim emenso, intra quem Dozzius frumentum omne depositum recipere soluto pretio debuisset, Praxedes vadimonium ei indixit, ut reliquas frumenti corbes educeret, earumque pretium solveret; vocatoque ad causam depositario Lellio, princeps exarsit contentio super corbibus illis 190, quarum traditionem contra Bassii consensum perperam factam a Lellio fuisse, Praxedes contendebat. Quumque ex solemni testium examine comperтum reapse fuerit, Bassium cribrationi utique, ac molitioni frumenti, non item liberae ejus traditioni consensisse, mercatorii Bononienses Judices, edita ad diem 28 maji 1839 sententia, non modo Dozzium ad reliquum frumentum recipiendum solutio pretio, sed depositarium quoque ad pretii solutionem corbium 190 in subsidium condemnavere, facta tamen arrhae scut. 265 imputatione in partem pretii earumdem corbium, quod idcirco cohibitum fuit ad argentea 238. 50. Lellio dein ad tribunal appellationis Bononiae provocante, Praxedes ipsa sententiae reformationem urgere maluit quoad arrhae imputationem, in quo quamvis evaserit voti compos, infauste pugnavit cum depositario, qui absolutus penitus fuit. Sed ubi in conflictu sententiarum ad N. Ordinem detulit caussam, Patres illius indemnitati satius censuerunt esse consulendum, edito hoc mane Rescripto = *Esse locum solutioni scut.* 503. 50, *et quoad Josephum relaxationi mandati realis in subsidium tantum, quo vero ad Franciscum relaxationi mandati tam realis quam personalis, emendationi damnorum, et extendatur Decisio* =. Nullus jam erat nec esse poterat disputationi locus cum Francisco Dozzio profugo, ac contumace, qui cum emptum frumentum stato tempore non extraxisset, necessario ad implementum contractus, atque ad emendationem damnorum adigi debuit, veluti, orta jam ex utraque sententia res judicata constituit, cui rescriptum nostrum adhaesit. Hinc contentio omnis supererat cum ipso Lellio depositario, quem pariter subsidiario loco ad solvendum pretium traditi perperam frumenti adigi oportere, rectissime Patres arbitrati sunt. Nec enim ambigebatur in facto, Lellium quantitatem corbium 190 procul ab ullo scripto Bassii mandato Dozzio tradidisse contra fidem contractus, et contra legem depositi. Ut enim ostendit venditionis apocha, Praxedes seu Bassius ita vim omnem frumenti vendiderant, ut ulla unquam habitura esset cum Dozzio fides de pretio, quod in actu consignationis persolvendum omnino erat. Ex ipso autem Lellii epistolio liquebat, non aliter corbes illas 540 apud sese depositi loco recepisse, nisi speciali sub lege, quod nimirum = *non verranno da me consegnate al Signor Francesco Dozzi, che dietro un vostro* (Bassii scilicet) *ordine in iscritto* – Quare si nihilo tamen minus sivit, quod frumenti partem emptor absque ullo scripto mandato, proindeque contra depositi pactum extraheret, justitiae consonum erat, ut deponens in depositarium sese convertere, atque ab eo indemnitatem, quatenus inanis actio erga Dozzium futura esset, assequi posset. Juris enim translatitii est, depositi legem servare ad unguem depositarium quemlibet
1 oportere, reique depositae dominum indemnem praestare, si spreverit, juxta *text. in leg.* 16 *eleganter ff Depositi, et leg. qui hominem* § *si nullo ff de*
2 *solut.*, atque in terminis restitutionis factae, non bene servata forma depositi, tenuit *Rota in dec.* 1100 *n.* 1 *cor. Seraphino et dec.* 604 *n.* 1 *cor. Bichio.*

Nequidquam vero depositarius culpam suam obtendere satagebat inquiens scripti mandati defectui supplevisse consensum, quem Bassius testibus *Dal Buono*, et *Paltrinio* voce tenus praestiterat. Ipsa namque testium dicta, quorum operam ad certam frumenti quantitatem cribrandam Dozzius conduxerat, satis superque

luculenter ostendebant, haud equidem liberae frumenti traditioni, sed illius dumtaxat cribrationi consensum suum Bassius accommodasse. Siquidem quum Dozzii nomine praefati cribratores frumenti *Dal Buono*, ac *Paltrinius* a Bassio facultatem implorassent corbes circiter centum purgandi, non aliud ipsorum rogationi responsum a Bassio datum fuisse constabat, nisi quod ea in re nullatenus opus foret consensu suo, cum salva depositi lege cribrari frumentum posset, et tutius in farinam quoque redactum fieret depositum. In quo, iisdem pene adhibitis verbis, tum extra judicii formam, tum in ipso examine judiciali consenserunt testes. Ex his enim *Dal Buono* testatur, ita respondisse = *Dite pure al Dozzi, che può fare tutto il frumento e porlo in farina, che così sta meglio, dandogli l' ordine fin da ora, e che non vi era bisogno di altro per mondarlo e porlo in farina* = Nec secus narrat Paltrinius = *Che non vi era bisogno di dare ordini in iscritto per mondare e ridurre in farina anche tutto il frumento, e che lo mettesse anche tutto in farina che così era del maggior interesse del Dozzi* =. Cum quibus tertius etiam testis de auditu concordat. Quamobrem si Bassii verba unam frumenti cribrationem respiciebant, nullo jam pacto ad liberam quoque ejusdem traditionem extendi valuerunt.

Obstabat nimirum apertissima deponentis voluntas, ratioque ab eo expressim pandita testibus consensum suum requirentibus, quominus pro data venia libere consignandi frumentum sumi ac intelligi posset ejus responsio. Misso enim, quod nihil in rogatione testium, nihil et in responso de hac libera consignatione excedisset, urgebat praesertim, quod cum Bassius rogationi testium annuerat, expresse declaravit = *che non vi era bisogno di dare ordine in iscritto per mondare e ridurre in farina anche tutto il frumento* =, adjecta insuper peculiari ratione = *che così sta meglio* = Quae cuncta cum libera tritici traditione pugnabant aperte. Erat namque incontroversum, quod absque scripto mandato fieri traditio nequiret; atque ipsa responsionis ratio significabat, frumentum manere adhuc loco depositi debere, postquam esset cribratum, et molitum, absonum vero, atque omnino incredibile, ut, dum testium petitio ad centum dumtaxat corbes frumenti cohibebatur, generatim deponens quoad integram frumenti quantitatem praebuisset consensum, si de libera ejusdem traditione sensisset. Neque enim sine contradictione, et animi levitate, fieri potuisset, ut centum dumtaxat corbes roganti Dozzio tanto majorem frumenti quantitatem ultro libenterque concedere is vellet, qui, nullam interim habens Dozzio fidem, frumenti depositum voluerat, diserteque caverat, ne modium vel unum ei traderetur pretio non numerato.

Nec erat objiciendum, sive ex consuetudine loquendi, sive ex immutata specie depositi, sive ex legibus annonariis credi oportere, tacite traditioni assensisse Bassium, statim ac veniam concesserit purgandi et molendi frumentum. Primo namque generalis usus loquendi silere debet, ubi consensus perspicuis verbis cohibitus ad frumenti cribrationem, et molituram fuerit, atque agatur de frumento vendito cum expressa lege, ne aliter quam soluto pretio extrahi ab emptore valeret: quo quidem in casu innumeri pene testes perhibebant, quod venia a venditore requisita, atque obtenta = *di fare il grano*, ad liberam ejus traditionem nunquam porrigi soleat. Et levius erat argumentum ex immutata specie depositi erutum ad ejusdem solutionem propugnan-
3 dam; siquidem farina frumento subrogata eodem nexu, quo frumentum devinciebatur, affecta manere debuit; quemadmodum in dies vinum, oleamque ex pignoratis uvis, atque oleis exprimitur, quin
4 depositi vinculum in minimum immutetur. Quin ipsae tandem leges annonae in contrarium facesserent, quum hae non prohibeant, quin farinae saltem ad vi-

ginti vel triginta dies in moletrinir asservari valeant. Caeterum, quidquid de his esset, redibat semper, Lellium qua depositarium nunquam potuisse libere frumentum Dozzio tradere, salva lege depositi, nisi scriptum Bassii mandatum vidisset. Praesertim postquam priores centum corbes non sine praescripto mandato tradere voluerat. Quemadmodum enim, facto ipse suo, scripti mandati necessitatem semel agnoverat, ita videri nequiverat dolo, culpave caruisse, si deinde legem a deponente sibi dictam contempsit, et frumentum citra scriptum ejus mandatum libere consignavit.

Quantum autem justitiae congruebat ad pretium frumenti contra depositi legem et formam, et contra apertissimam Bassii voluntatem Dozzi redditi Lellium damnare, tantum ab ea omnino abhorrebat, quod Bononiense primarum instantiarum decreverat tribunal, in illius nimirum pretii imminutionem imputari argentea 265 arrhae nomine conjugibus Bassiis jam persoluta. Cum enim in contractus tabulis eos inter ac Dozzium signatis cautum nominatim foret, non aliter arrham reddendam Dozzio esse nisi = *dietro la consegna delle ultime corbe cento* =, palam compertumque erat, ex pacti conventi lege integram eam apud Bassios manere oportere usque ad omnimodam ac finalem contractus exequutionem; quod caeterum arrhae etiam naturae, et indoli erat apprime consonum. Solet enim ea
5 ut plurimum dari non in probationem quidem, sed in totius potius contractus securitatem, ac pignus, quo certe non debet venditor privari, quamdiu haec cau-
6 sa subest, sive quamdiu singula pacta conventa non fuerint ad unguem impleta, veluti post *Text in leg.* 35 *ff de contrah. Empt.* tradunt *Cujac. tom.* 7. *pag.* 691 *Edit. Neap. Donell. in Comm. ad lib.* 18 *digest. t.* 1 § 23, *Pothier eod. loc. n.* 49, *et Rota in Anconitana Reduplicationis Arrhae* 3 *februarii* 1775 § 6 *cor. Litta.*

Et ita etc. Utraque etc.

R. P. D. ZACCHIA

FOROLIVIEN. INCOMPETENTIAE

*Lunae* 19 *aprilis* 1841.

ARGUMENTUM

Habes in Decisione *CXXIV.* quae infirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Redempturae, actum commercialem constituunt, et mercatorio foro idcirco subjiciuntur.*
2. *Commercialia enim tribunalia judicant de controversiis ad commerciales actus pertinentibus inter cujuscumque generis personas.*
3. *Hinc etiam inter mandatarium qui redempturam exercuit et suum mandantem.*
4. *Ad commercialem enim jurisdictionem pertinent omnia dependentia, incidentia ac relativa commercialis negocii.*
5. *Mandatum etsi per se actus sit civilis, fit actus commercialis statim ac versatur in negotio commerciali.* et n. 10.
6. *Sicuti emptio, venditio, locatio, societas, depositum.*
7. *Ideo lex inter commerciales actus describit de genere mandatorum sola* commissio, *quia haec tantum* exclusive *commercialis est.*
8. *Commercium omne versatur in mandati contractu.*
9. *Quando principale negotium per se sit commerciale, mandans in jus rite vocat coram commercialibus judicibus mandatarium qui illud expediverit.*

## Decisio CXXVIII.

Apud commerciale Tribunal Forolivii Franciscus Nicod negociator alterum negociatorem Peregrinum Zoli compulit = *a rendere conto della gestione relativa all' appalto della prima Divisione* (Pontificiae Militiae) *durante il triennio* 1829. 1830 *et* 1831, *ed esercitata dal Zoli qual mandatario dell' istante Nicod allora fornitore generale* = Incompetentiae exceptionem, re pro non commerciali habita, judices probavere, quod Bononien-

sis appellationum aula revocavit. In judiciorum discrepantia, jurgio ad S. Ordinem deducto, licet in comitiis diei 8 Januarii hujus anni fuit pronunciatum = *Constare de incompetentia* =, decisionis extendendae mihi munere dato, hodie tamen quaestione intra suos limites verius exposita, facile responsum est = *Recedendum a decisis, et extendatur nova Decisio* =.

Minime prorsus, ceu insinuatum est in praecedenti discussione, Nicodius Zolium urgebat, ut de mandato responderet ad oblationem pro annonaria militari redemptura exhibendam suscepto. De hoc num in commerciali foro esset agendum graviter admodum dubitari valuisset. Attamen rationes exposcebat Nicodius *de gestione annonaria* primae militaris divisionis, contendens, Zolium uti suum mandatarium eam exercuisse. Porro annona militaris, quam privati a Fisco
1 redimunt, ad commercialem materiam pertinere manifestum erat. Expressus *lib. 4 tit. unic. del Regolamento Commerciale* suppetebat articulus 602. = *La legge reputa atti di commercio ogni impresa di somministrazioni* =. Et sic redempturas hujusmodi actum commercialem constituere uno ore tradunt *DD. Pardessus corso di dirit. comm. tom.* 1 *n.* 21 perinde *n.* 300 *et tom.* 3 *pag.* 11 *n.* 1352 *Romagnosi principii fondamentali di diritto amministrativo in append.* § 14, atque ita definitum *in Decreto governativo francese* 9 *Nevoso anno X Decis. della Corte di Cassazione* 13 *Messidoro anno XII e* 14 *Brumale anno XIII.* Idcirco sequebatur nullum aliud, quam mercatorium Nicodio adeundum esse tribunal, ut rationes de annona militibus primae divisionis submistrata exposceret. Nemini enim ignotum est, tribunal ob materiei qualitatem competens fieri: ceu adamussim de re commerciali sancitum est Codicis Commercii
2 art. 601 = *I Tribunali di Commercio giudicheranno . . . . fra ogni sorta di persone delle controversie relative agli atti di commercio* =.

Deferri ad mercatorium tribunal Zolii Oratores protuebantur quaestiones inter fiscum, conductores, subconductores, et debitores annonae: minime vero inter mandatarium, qui redempturam exercuisset ac suum mandantem. Hoc tamen rectae rationi, congruentiae, ac apertae legi refragabatur. Maximam quippe iniquitatem, absurditatemque srperet, si mandans expeditae
3 commerciali actioni subjiceretur, quin ipse non aliter, quam per ordinarias moras contra mandatarium posset agere. Id commercio gravis esset praejudicii: magis enim interest rem promissam statuto tempore nancisci: hoc non obtineretur, nisi data in mandatarium actione mercatoria: secus gravatoriae et personalis exequutio in maadantem exercita haud certe facerent, ut ipse praestaret rem alioquin a mandatario administratam. Recte hinc semper habitum est, ad commerciale tri-
4 bunal spectare dependentias, incidentes, ac relativa commercialis negocii, ceu enucleat *Ansald. de comm. disc. gen. n.* 61 *Azun. verb. Tribunale* supra relata denique lex ambiguitatem omnem adimebat = *I tribunali di commercio giudicheranno . . . . delle controversie relative agli atti di commercio* =. Quo nil melius exprimi potuit, ut vix ac actus esset commercialis, prout annonariam redempturam esse non disceptabatur, omnis controversia, quae ejus exercitium respiceret, ad illud tribunal esset deferenda.

Et perperam oggerebatur, mandatum esse actum *civilem*. Nam illud actus commercialis illico efficitur, si versetur in
5 commerciali negocio. Emptio venditio, societas, locatio, depositum sunt contra-
6 ctus civiles perinde, ac evadunt commerciales, quoties pro commercio exercendo committantur. Quin facesseret inter actus commerciales recensitos *in* § 602 *et seq.* disciplinae commercialis de mandatorum genere *solam commissionem*; hanc autem Zolium non fuisse perfunctum;

proindeque mandata alia nunquam qualitatem commercialem posse induere. Quandoquidem explicita mentio *di commissio-*
7 *ne* ibidem fieri debeat, quia enumerabantur actus, qui exclusive commerciales sunt, et de mandatis *sola commissio* profecto talis est: quae exercetur per *commissionarios*, qui negocium proprio nomine expediendum suscipiunt.

Attamen primo id evincit mandati actionem posse esse commercialem; nam inter *committentem* et *commissionarium* adamussim actio illa oritur. Si trahentes, tractarios, proxenetas omnes inter sese commercialis mandati actione colligari indubium est atque affabre Baldasseronius de mandati contractu disserens ait = *tut-*
8 *to il commercio si raggira su questo cardine* = in opere *Dizion. ragion. sub verbo mandante* § 1 si vero illic nominata tantum fuit *commissio* id non excludit, ut quando principale negocium per
9 se sit commerciale, mandatarium, qui illud expediverit, coram mercatorio judice non possit mandans appellare. Huic enim consuluit jam generalis regula, quod commerciales judices cognoscant de controversiis omnibus = *relative ad atti di commercio* =. Igitur pro generali regula tenendum est, ut mandatum actus civilis habeatur, quando in civili negocio
10 intercesserit; commercialis quando in commerciali, prout scite distinxit sententia Marsiliensis, quae legitur = *nella raccolta di decisioni e giurisprudenza Commerciale di Francia e d' Italia tom. 2 semestre 2 Firenze*. Pariter in mandatarium pro commerciali negocio jurisdictionem suam retinuit S. Ordo *in Romana Pecuniaria in Re Commerciali* 19 *februarii* 1838 *cor. R. P. D. meo Bofondi*, atque demum in causa *cor. R. P. D. meo De Retz die* 8 *maji* 1837 expedita praevia *Decisione* 9 *januarii illius anni* inter hos ipsos litigantes in hoc ipso negocio, quando Nicodius mandati rationem quaesivit de annona secundae divisionis; itaut hac de re dici valeat absolutissimam rem judicatam intercessisse.

Optima quidem alia ratio accedebat, quare Nicodius rite egisse apud commercii forum existimaretur. Quandoquidem tum ipse tum Zolius negociationi vacant: et controversias in foro illo agi, quae inter negociatores oboriantur, apertissima aderat sanctio commercialis legis § 601.

Hisce positis inutilius prorsus extollebatur severe esse in praxeos censura praescriptum, ne commercialia Tribunalia judicent praeter causas = *che sono ad essi attribuite dal titolo unico del Regolamento commerciale* =. Nam adamussim ex §§ 601 et seq. in titulo unico Libri IV ejusmodi Regiminis compraehensis praesentem contentionem jure meritoque commercialem esse usque adhuc expensa probarunt.

Atque ita etc. utraque etc.

**R. P. D. QUAGLIA**

ROMANA CONCORDIAE

*Veneris* 23 *julii* 1841.

ARGUMENTUM

Nulla est concordia inter debitorem decoctum et creditores si praesumptio adest decoctionis sive fraudolentae, sive culposae. Unde eruatur haec praesumptio. Quando petitur executio concordiae post institutum criminale judicium de fraudolenta vel culposa decoctione, hujus exitus est attendendus. Ast quando petitur ante hoc institutum judicium, tunc Tribunal commercii cum nulla absit alterius tribunalis praeventio ex una tantum culpae vel doli praesumptione concordiae exequutionem denegare potest.

*SUMMARIUM*

1. *Si adsit praesumptio* - di bancarotta - *nulla esse potest inter decoctum et creditores concordia.*
2. *Praesumptio doli est si debitor decoctus per collusionem simulatos creditores quovis modo sibi constituit.*

3. *Dolus non ab eventu tantum deducitur, sed a proposito ad factum perducto.*
4. *Debitor decoctus eo ipso plectitur, quod debitum simulaverit.*
5. *Collusionis autem particeps tunc solum, cum simulato titulo usus est in creditorum perniciem.*
6. *Doli pariter praesumptio est, si decoctus aliquam pecuniae summam subtraxit, vel creditorum nomina vel res mobiles vel merces.*
7. *Culpa praesumitur, si decoctus vel non omnes libros exhibet vel irregulares, aut si societatem habens vel eam denegavit, vel cessationem a solvendo non declaravit.*
8. *Non solum praesumptio doli, sed etiam culpae obest concordiae.*
9. *Si concordiae executio petatur post institutum criminale judicium de decoctione fraudolenta vel culposa, hujus exitus attendendus est ad sententiam usque.*
10. *Si autem petatur ante institutum criminale judicium, tunc Tribunal commercii ex una fraudis vel culpae praesumptione concordiae exequutionem denegare potest.*
11. *Irrita est concordia inter decoctum et debitores quae inita sit antequam firmaretur status actius, et passivus debitoris.*

## Decisio CXXIX.

Societatem inierat Marcellus Fabiani cum Petro Giovannetti super apotheca posita ad forum Antonianae Columnae, in qua negociatio exercebatur venditionis pannorum, aliarumque textilium rerum. Verum cum Petrus aliam apothecam eidem negociationi destinatam postea instructam retineret in platea juxta Ecclesiam S. Magdalenae displicuit id Marcello, quasi ex hoc socialis tabernae utilia imminui possent. Res compositae sunt inter socios per Apocham diei 1 decembris 1828, atque communes declaratae fuerunt tam Apotheca, ut vulgo dicitur, *in via Colonna*, quam illa *alla Maddalena* socialia officia ita sunt divisa, ut Marcellus pecuniam custodiret; Petrus vendendas res compararet, syngraphas, seu *le cambiali* subscriberet, ac praeesset tabernae *in via della Colonna*; Aloysius vero Petri filius praeesset tabernae *alla Maddalena*. Apocha haec nunquam publicata fuit juxta censuram legis commercialis, *art.* 41. 42. Interea Aloysius Giovannetti plura nomina contraxerat vel per cambiales literas, vel per confessionem de receptis mercibus, quumque aes alienum ita contractum ad grandem summam assurgeret, illico ipse die 19 maji 1839 fugam arripuit. Maxima tunc concitatio creditorum, qui pro solutione institerunt adversus Petrum atque Marcellum. Hic denegavit quodcumque sociale interesse habuisse in taberna *alla Maddalena*, seque professus est impleturum solutionem nominum tabernae *in via della Colonna*. Commercii Tribunal provisionale edidit decretum, ut utriusque tabernae libri describerentur, atque hoc decretum illico exequutioni cum foret commissum, descripti, atque signo adnotati sunt tres libri in prima, quinque vero in secunda taberna.

Judicialis disquisitio inter creditores, atque socios Fabiani-Giovannetti producta diu est, atque tunc cum Marcellus socialem qualitatem a se abstergere non posse cognovit, exhibuit apocham diei 1 decembris 1828. Sed hoc nihil ei profuit, quia Tribunal Commercii decoctionem utriusque tabernae declaravit, atque Petrum et Marcellum damnavit in solidum ad solvenda debita contracta ab Aloysio, quem eorum institorem esse retinuit. Provocante Marcello ab his sententiis, causae conscenderunt ad S. Nostrum Ordinem, easque die 13 maji 1840, proponente Rmo P. D. De Cursiis Decano comperendinatum est judicium circa tabernarum decoctionem, quo vero ad praejudicialem causam super qualitate institoria, rescriptum fuit = *non esse locum actioni institoriae pro debitis ab Aloysio contractis* =, veluti monstrat tunc edita Decisio, quam subsequuta fuit Rotalis sententia. Vicissim provocarunt tum Syndaci decoctionis, tum Petrus Jullien

nomine suae mercatoriae societatis creditricis, atque ad me causam detulerunt. Sed cum in eo res esset, ut iterum judicii periculum causa subiret, Marcello interim defuncto, ejus filii et heredes concordiam creditoribus obtulerunt. Hujus concordiae summae erat, ut creditores sibi haberent tum pretium mercium utriusque tabernae, tum redditus patrimonii Marcelli eo usque perceptos a die sequestrationis in vim sententiae decoctionis, ut tandem Marcelli heredes solverent scuta decemmilia. Hoc modo creditoribus, qui agniti fuerant in scutis quadraginta millia circiter, per contributum vix ac ne vix quidem obtigisset tertia pars crediti. Verum quum prius officiis singillatim aggressi fuerint multi ex creditoribus, coacto postea eorum coetu, etsi activi status firmatio deesset, tamen major pars creditorum adfuit coetui, et in eam ivit sententiam, ut concordia esset amplectenda. Ex creditoribus tunc praesentibus unus restitit Petrus Jullien nomine etiam socii Augusti Gauttier ac societatis negociatoriae quam exercent, quique creditores sunt scut. 4300 circiter ob merces immissas in taberna paullo ante fugam Aloysii. Ne concordia haec sanctione haberet a Tribunali Commercii intercesserunt iidem Petrus Jullien, et Augustus Gauttier, atque tam creditores, quam heredes Fabiani vadati fuerunt coram eodem Tribunali postulantes = *che venga dichiarato nullo ed irrito e come non avvenuto il suddetto concordato.* = Contrariam ipsi passi sententiam provocationem interposuerunt, atque cum hodie de ejusdem concordiae viribus cognitio assumpta sit, rescriptum fuit = *non esse locum observantiae concordiae, et extendatur Decisio* =.

Ratio decidendi praecipue stetit in sanctione commercialis legis art. 515, quae
1 agens = *del concordato* = ita jubet = *se l' esame degli atti, libri e carte del fallito presenta qualche presunzione di bancarotta, non potrà esser fatto alcun trattato fra il fallito e i creditori, sotto pena di nullità* =. At qui in casu multae, et vehementissimae concurrere visae sunt praesumptiones tam culpae, tam doli in decoctione. Etenim quoad = *banca rotta fraudolenta* = eadem lex art. 579 casus recensens, in quibus hoc titulo agi pos-
2 sit, enumerat = *se il commerciante fallito ha supposto dei debiti colludendo fra lui, e fra creditori fittizii, facendo scritture simulate, e costituendosi debitore senza causa nè valore per mezzo di atti pubblici, o di obbligazioni sotto firma privata* =. Jam vero perspectum indubiumque erat, Marcellum postridie quam fugam arripuit Aloysius, sese per collusionem debitorem constituis se scut. 20000, erga Franciscum Amici, atque pro hac summa hypothecam super propriis bonis inscribi curasse. Neque ab hoc facto abstergi poterat creditores fraudandi propositum, quia simulata debiti confessio emissa fuit post fugam Aloysii, et eo die, quo postea Commercii Tribunal decoctionem declaravit, quasi id aberrationi mentis potius esset tribuendum, quum receptum sit nullas hypothecas efficaces esse adversus creditores, si contractae sint infra decem dies a decoctione. Etenim occurrebat responsio, eo tempore, quo simulatum est debitum, nosci non potuisse, num valida esset extitura hypotheca, quum nosci non posset ad quodnam tempus decoctionis declarationem Tribunal esset constituturum: Etsi vero hypothecam collapsuram fore praevideretur, semper perstitisset immane hoc creditum uti chirographarium in summum creditorum detrimentum. Nihil officiente replicatione, hoc nomen insinuatum non fuisse inter acta decoctionis, itaut nullum damnum allatum sit creditoribus. Dolum
3 enim deducimus non ab eventu tantum, sed a proposito ad factum perducto. Caeterum per Marcellum non stetit, quominus delatum non sit hoc creditum ad acta decoctionis. Id enim unice pertinebat ad creditorem Amici, eique tantum id prodest ad evitandam in dolo societatem, et poenam, quod a collusione

recesserit, neque in simulatione perseveraverit usque ad agnitionem creditorum lex enim in cit. art. 579. n. 4 debitorem
4 decoctum plectit eo ipso quod debitum simulaverit; collusionis participem tunc
5 solum in art. 583, quum simulato titulo usus est in perniciem creditorum.

Succedebat praesumptio altera dolosae decoctionis enumerata in dicto art. 579 *n. 2 = se ha sottratto qualche somma di danaro, qualche credito, mercanzie,*
6 *derrate, o effetti mobili* =. At vero quum apparitor ad sequestrationis exequutionem venit post declaratam decoctionem, pusillam mercium quantitatem in utraque taberna invenit, dum ex creditorum rationibus apparet multas merces paullo ante immissas fuisse. Pariter non est inventa pecunia ex quotidianis venditionibus percepta, sed vix obulos quatuor, unumque teruncium in una ex tabernis apparitor invenit. Neque dissimilis fuit exequutio in domo Marcelli, qui etsi satis liberaliter, urbaneque vitam gerat, tamen in ea domo cuncta vacua inventa, in qua tantum pauca obtrita mobilia relicta fuerant. Quae omnia excusari non possunt facto Aloysii Giovannetti, quasi ille ea omnia disperderit. Agimus enim de iis, quae evenerunt post Aloysii fugam. Cum enim certum sit, socialem extitisse utramque tabernam, atque Marcello socialis pecuniae custodiam fuisse concreditam, sequitur ei in qualibet hypothesi adscribendum esse quidquid evenit post fugam Aloysii, inter quam et decoctionis declarationem, signorumque appositionem fere menses quinque sunt praeterlapsi.

His quae graviorem inducunt praesumptionem, accedunt ea, quae habentur tanquam praesumptiones juris de culposa decoctione, seu = *di semplice bancarotta* = Id enim tunc obtinere statuit
7 commercii lex art. 573, quum debitor = *presenterà i libri tenuti irregolarmente, senza però che le irregolarità indichino frode, o non li presenterà tutti* =, vel quum = *avendo una società non si sarà conformato all' art.* 434 =. Utrumque ex his in casu concurrere apparuit. Etenim quoad primum ex relatione administratoris deputati patrimonio decocti elicitur, libros vel irregulares esse, vel aliqua ex parte deesse. Quoad vero ad secundum non solum cessationis a solvendo declarationem Marcellus non emisit uti socius juxta censuram art. 434, verum etiam societatis existentiam viriliter denegavit, quousque per sequestrum librorum convinci non posse confidit, Nihil proficiente responsione ad huc sub judice esse, utrum Marcellus ad omnia debita teneatur. Sepositis enim debitis ab Aloysio contractis, semper Marcellus cessavit a solutione reliquorum debitorum. Etsi enim ipse talium debitorum solutionem verbis obtulisset, tamen re ipsa denegasse videbatur, quum tanquam solutionis conditionem apposuit, ut ipse a debitis reliquis immunis declararetur. At vero non solum praesumptio = *di banca rotta fraudolenta* =, verum etiam presumptio = *di semplice bancarotta* =, concordiae obesse suadet generica legis dispositio, ac expresse tradiderunt *Marrè Diritt. commerc. part.* 3 *n.* 21 *Boulany-Pates dei Fallimenti tit.* 1 *sez.* 2 *Delaport. Comment. al Cod. di Comm. lib.* 3 *tit.* 1 *art.* 521 *Pardessus corso di diritt. Commerc. part.* 6 *n.* 1305 *Locrè spirito del Cod. di Comm. tit.* 1 *cap.* 8 *n.* 2 *Dalloz dei Fallimenti cap.* 1 *sez.* 6 *n.* 20.

Et perperam qui pro Fabianis causam orabant juris traditionem obtrudere conabantur nunquam praedictas praesumptiones concordiae obesse, nisi criminaliter eo tempore inquiratur. Utique enim si talis quaestio sit instituta apud criminales judices, quando civiliter de concordiae viribus agitur, tunc criminalis inquisitio praejudicialis est civili actioni. Utique pariter ad concordiae sanctionem intercipiendam satis non est accusatum fuisse debitorem, nisi simul probetur a criminali judice susceptam fuisse accusationem, atque quaestionem insti-

tutam, in quibus terminis procedere po terant auctoritates allatae. At nemo unio quam dixit non licere commercialibus Judicibus sanctionem concordiae recusare, nisi interea postuletur debitor de crimine, quum id foret contra dispositionem legis in art. 520, in quo constituitur decoctoris nomen esse ad judicem criminalem deferendum post recusatam concordiae sanctionem a Tribunali commercii.

Nec recte qui concordiam fulcire conabantur excipiebant, Petrum et Augustum allegare non posse qualitatem = *di bancarotta semplice o fraudolenta* =, quasi per binas res judicatas exclusa sit ea qualitas. Prima autem res judicata erat decretum Tribunalis Commercii, quo Marcello syngrapha libertatis seu *salvo conductum* fuit concessum, quod quum postea idem Tribunal revocasset, Noster Ordo concessit, ac Syndaci acquieverunt. Secunda vero deducebatur ex decreto ejusdem mercatorii Tribunalis, qui ex patrimonio decocti praestari jussit menstrua scuta novem Joanni Baptistae filio Marcelli. Ex quibus validitatis concordiae defensores argumentabantur, quod quum ex mercatorio codice neque syngrapha libertatis, neque alimenta praestari possint nisi ei, qui bona fide decoxit, hanc bonam fidem comprobaverint decreta praedicta in rem judicatam prolapsa, praesertim quum in iis judiciis agendis non defuerint Syndaci in excipiendo dolo debitoris, itaut haec exceptio per rem judicatam reprobata iterum proponi non possit per viam actionis juxta censuram *text. in leg.* 8 § 2 *ff de negoc. gest.* Verum id nihil obesse patuit, si perpendatur, primarum actionum judices syngraphaṁ libertatis dedisse quidem, quando adhuc decoctionis status non patebat, sed re melius cognita, praecedens decretum retractasse. Noster vero Ordo priorum judicum sententiam non infirmavit, sed cum Marcellus confugisset ad religiosam domum, cumque comprobatum esset, infirma valetudine graviter afflicati, humanum duxit provisoriam libertatem concedi intra Urbis maenia spatiendi. Quae quidem provisionales interlocutiones nullum jus constituere possunt, quinimo contrariam inducunt praesumptionem. Si enim tunc de bona fide dubitatum non fuisset, non provisoria data fuisset libertas, ac solum tanta, quantam infelix hominis valetudo requirebat. Minusque in altera apposita rejudicata agnita fuit bona fides, cum jussa tantum sit solutio alimentorum, quae ante decoctionem in bonis paternis competens judex filio concesserat.

Huic concordiae vitio alterum accedebat, quod inita sit antequam firmaretur status activi et passivi debitoris. Etsi enim disquisitio de creditis in concursu admittendis haberi velit, uti firmatio status
11 passivi; semper deerat firmatio status activi. Neque enim ex Syndacorum relatione adhuc apparuit, quidnam in Marcelli patrimonio sit. At cum concordia ineunda est, illud per necesse cognoscendum venit, quid quantumque a debitoris patrimonio sit sperandum, ut deliberari possit, num oblata concordia sit amplectenda. Praesertim vero id locum habebat in casu, in quo creditoribus tabernae = *in via della Colonna* = nihil metuendum erat ex lite super institoria qualitate Aloysii, itaut si satis esset in patrimonio, universi crediti solutionem certe obtinere potuissent. Itaque peccatum fuit contra sanctionem legis in art. 513, quam exornant *Merlin. Diction. verb. Concordato* § 2 *Pardessus Arit. commerc. part.* 6 *n.* 1233 *Dalloz dei Fallimenti cap.* 1 *sez.* 6 *n.* 9.

Demum nullo in pretio habita fuit exceptio peremptum fuisse jus opponendi adversus concordiam, quum Philippo uni ex Marcelli filiis dica Petri et Augusti nunciata sit decimo die ab inita concordia, dum lex id peragi jubet intra octavum diem. Verum perspectum fuit, nullam negligentiam adscribi posse opponentibus, cum ipsi opportuno tempore judicium instituere curaverint, atque intra

fatales dies citatos fuisse tum Syndacum creditorum, tum duos ex filiis defuncti Marcelli. Ideo vero eadem citatio exequi non potuit Philippo, quia uti referebat cursor, cum ipse ad hujus conductitiam domum accessisset, invenit paucis ante diebus alio sese habitatum contulisse. Habenda itaque erat citatio tanquam legitimo tempore exequuta, tum quia id actum fuerat quo ad reliquos citandos, itaut individuas actus in parte substineri, in parte autem destrui non posset; tum quia non per actores, sed potius per Philippum stetit, quominus intra octavum diem ad ipsum citatio non perveniret.

Recte itaque Petrus et Augustus concordiae obstiterunt: cum enim hujusmodi conventiones speciem exhibeant condonationis, seu remissiones non voluntariae sed necessariae, arcte lex servanda est. Sublata vero concordia liberum erit Petro, et Augusto nunc consopitas controversias excitare, iterumque agere. Quibus controversiis per initam concordiam nullum damnum fuisse irrogatum, ac per solutionem praesentis causae nihil praejudicatum fuisse est tenendum, itaut utriusque partis jura in eodem statu habeantur, in quo erant ante concordiam.

Et ita ex una parte Petro Jullien ejusque socio Augusto Gauttier, ex altera vero tam heredibus Fabiani quam Sydaco creditorum acriter dimicantibus, resolutum est.

**R. P. D. DE SILVESTRIS**

ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 23 *julii* 1841.

ARGUMENTUM

Institor praeter aut contra leges praepositionis contrahens praeponentem non obligat: Ex quibus conjiciatur aliquem privato potius quam institorio nomine contraxisse.

*SUMMARIUM*

1. *Institoria actione praeponentem compelli nequit, nisi evidenter demonstretur, institorem secundum praepositionis leges contraxisse, atque institorio nomine egisse.*
2. *Ex data institori potestate emendi et negociandi cambiales literas* per conto proprio, *hoc ipso negata intelligitur eas emendi et negociandi* per conto altrui et num. 5.
3. *Aliud est ac longe diversum onus suscipere exigendi nominis ex litera cambiali scatentis, aliud cambiales literas negociari* per conto altrui.
4. *Et vide rationem* et num. 6.
7. *Haud praesumi potest institorem contractum ex praepositionis lege ei vetitum inire voluisse institorio potius quam privato nomine.*
8. *Voluntas a potestate recte metitur.*
9. *Institorum proprio nomine contraxisse videtur si in negocio non expressit qualitatem institoriam.*
10. *Itemque si negocium ipsum non adnotavit in codicem societatis vel negociationis, cui praepositus fuit.*
11. *Testis propriam dumtaxat producens opinionem nihil probat.*

## Decisio CXXX.

Quae sociali pacto ac Pontificis permissu ad commercii utilitatem promovendam constituta in Urbe fuit mensa argentaria, cui nomen est = *Banca Romana* =, subsidiariam alteram, quam dicunt = *Succursale* = Bononiae habebat, quae uti mensa princeps iisdem normis moderabatur regulisque, atque in eodem negociorum genere versabatur. Bononiensi autem succursali mensae sub Directoris nomine institor praepositus erat vir quidam natione Gallus Leo Deserin, qui licet initio sociorum fidem meritus esset, adeo male tamen deinde in mensae ejusdem rebus gerendis se habuit, ut, detecta fraude, fuga pudori suo prospicere tantum posse duxit. Re per ephemerides omnibus denunciata, qui cum, eo uti institore contraxerant ad hoc ut jura exhiberent, Viterbiensis Negociator quidam Aloysius Carletti inter caeteros erupit, qui quum paullo ante fugam duas collybisticas literas a Robichonio quodam

subscriptas pro summa Francorum 13000. Parisiis exsolvendorum exigendas Deserenio tradidisset familiarissimo suo, negocium a Deserenio uti institore procuratum fuisse objurgans, mensam ad restitutionem literarum collybi, vel ad pecuniam solvendam teneri contendit. Nec spes initio cecidit. Quando quidem in judicium re adducta coram Tribunali Commercii, Judices terminum praefinire non dubitarunt = *alla Banca Romana, e per essa al signor Marchese Ludovico Potenziani governatore, o a rendere a Carletti le cambiali di cui si tratta, o a dar conto del netto ricavo delle medesime* = quo perperam elapso = *la condanna al pagamento di fr.* 13000 *pari a scudi* 2400, pro quibus ordinem exequutorium concessit. Provocatione sed vero interposita ad Ordinem Nostrum judicium haud firmum stetit. Etsi namque Patres, qui Aloysii intentionem haud necessariis documentis innixam noverant, judicium initio differre maluissent ad hoc ut *probationes coadjuvarentur*, quum tamen re denuo proposita, haud satis oneri huic satisfactum viderent, actoris petitionem excipere nequiverunt, responsumque hoc mane dedere = *Non esse locum praefixioni termini neque solutioni scut.* 2400 *et extendatur Decisio* =.

Qui revera argentariam principem mensam ex praepositi Directoris Deserin facto *institoria actione* ad collybi literas institori traditas edendas, vel ad nomen dissolvendum obstrictam propugnabat, haud alio modo intentionem suam protueri posse patebat, nisi perspicuis quidem is evinceret documentis, argumentisque, institorem secundum praepositionis mandative leges, atque ejus rei gratia, cui praepositus erat contraxisse; secus enim, quoties scilicet id quod praepositionis legi repugnat, vel haud institorio nomine egisse institorem comperiatur, institoria actione praeponentem compelli non pos se notissimi juris est, traditque *Ulpianus leg.* 5 *ff de Inst. act.* 2 *non tamen*, atque elegantius *in leg.* 11 *eod. tit. Voet Comment. ad Pandect. eod. tit.* § 3 *Vinn. partit. jur. lib.* 2 *cap.* 61 *in fin.*, nec non *Rota in Romana Consignationis in Re Commerciali diei* 3 *martii* 1834 § 8 *cor. R. P. D. meo Zacchia*, ac novissime *in Romana Societatis in Re Commerciali diei* 4 *aprilis* 1838 § 4 *cor. Rmo P. D. meo De Cursiis Decano.* Ut quoties Patres negocium considerarent, quod gestum est, praepositionis conditionem haud ita in primis servatam revera fuisse observabant, ut institoria actio contra mensam praeponentem exoriri potuisset.

Ex praepositionis namque conditionibus legibusque, quas Pontificis auctoritate sibi dederat anonyma Societas, quasque omnibus publice significaverat apertissime constabat, mensam vel ipsam sibi inter caetera scopum quidem proposuisse cambiales literas alienasque litera obligationes plus minus emendi ac negociandi = *per conto proprio* = ut dicunt, easve exigendi = *per conto altrui* =, sed nunquam mercium ac cambialium praesertim literarum negociationem sibi aeque proposuisse = *per conto altrui* =. Quum igitur de literis cambialibus modo agi incontroversum esset, quas Aloysius Leoni Deserin mensae institori tradidisse asserebat, ad hoc ut eas negociaretur = *per conto dell' istante* =, neeessario sequeretur oportebat, ex hujusmodi negociationis genere, quam societatis leges vetabant, institorem, etsi voluisset, societatem obligare prorsus nequivisse.

Atque inutili studio statuti partem invocabat Aloysius, quae agit = *delle operazioni della Banca* =, quaeque in capite 13 inter caetera constituit, quod = *può incaricarsi per conto dei stabilimenti pubblici e per quello dei particolari della riscossione degli effetti che le saranno rimessi* = cum perceptione = *di un diritto di commissione* =, literarum collybi, de quibus res est, negociandarum susceptum munus hoc modo institori quoque fuisset ex praepositionis lege permissum. Aliud enim est, ac longe diversum onus suscipere nominis exi-

gendi ex litera quoque cambiali scatentis, aliud vero literas cambiales negociari = *per conto altrui* =. Periculum in uno nullum vel levissimum, quandoquidem mensa, quae simplicis exactoris mu-
4 nus exercet, cum spe alicujus praemii in casu solutionis, insoluto nomine, primaevo creditori nomen nulla contracta interim obligatione restituere valet. Periculum vero in altero facilius ac grave, quippe mensa, quae dum literam collybi negociatur, eam signat, sponsoremque emptori se praebet, nomine insoluto, propriis pecuniis debitum ac damna exsolvere tenetur, indemnitatem fortasse tantum absque praemio consequutura ab eo, qui literas tradidit. Ex eo igitur quod mensa in statutis literae cambialis exigendae mandatum suscipere institoribus non prohibuit, haud quidem consequi oppido poterat, institoribus facultatem quoque fuisse concessam literas collybi alieno nomine negociandi, ac pro aliis sponsorem mensam interponendi, unde periculum majus exoriebatur. Negocii imo
5 expresse permissi mentionem alterius exclusionem inducere manifestissimum erat ex discretivo argumento, cujus quanta sit vis ac ratio nemo est qui nesciat, traditque perpetuo *Rota*, ac praesertim *in Romana Solutionis seu Evacuationis die 17 junii* 1835 § 15 *cor. R. P. D. meo Zacchia, et in Albanen. Juris restringendi diei* 15 *junii superioris anni* § 4 *cor. R. P. D. meo Bofondi.*

Nec rem mutat cambiales literas mensam suo nomine emere ac negociari solvisse, ideoque haud ab institutis abhorruisse, quod praemii excipiendi ratione
6 periculis ac dampis se subjiceret simili modo fortasse exinde obveniendis. In hujusmodi namque proprio nomine gestis negociis mensa dum majus periculum obire fortasse potest, commodum quoque obtinere ingentius valet ex majori non modo praemio, quod sibi desuper in statutis constituit, verum ex commerciali lucro, quod in diem, ac secundum gestoris solertiam mutatur, quodque quoties pro aliis mensa negociaretur, in aliorum commodum verti debuisset. Mirum igitur non est quod mensa, quae literas cambiales proprio nomine negociari permiserit, eas alieno nomine in commercium adducere respuisset omnino. Quin officiat, haud permissa negocia hujusmodi institores ad exitum perduxisse non raro. Quod eam contra praepositionis conditiones fortasse gessisse institores dicebant, inconveniens cum sit ac abusus in officii exercitio vel in mandati exequutione, nec regulam constituere, nec mensam quidem obligare valebat. Nec relevabat principem mensam illicitum factum quandoque cognovisse, ac ita deinde probasse, ut in accepti ac impensi rationibus de negocii istiusmodi ad finem perductis mentionem minime neglexisset. Mensam enim unum vel alterum illicitum institoris factum tunc tantum adprobasse constabat; quum negocio jam ad finem absque mensae jactura, ac sine controversia adducto inutile quidem fuisset nisi damnosum ac commercii fidei contrarium praepositionis conditionem invocare. Cum igitur mensae acquiescentia in singulari hujusmodi casu ob peculiarem causam accessisse videretur, nil quidem conferre poterat, ut quod ex statuto illicitum institoribus erat, licitum generali modo, ac pro lege adeo receptum judicaretur, ut mensae obligatio in omni casu induceretur exinde.

Quod si autem propter gesti negocii naturam a praepositionis conditione haud permissi institoria actione Aloysium mensam insectare non posse Patres judicabant, eo tutius ac facilius in hanc ipsi concedebant sententiam, quippe alteram ac praecipuam quoque haud Aloysius evinceret institoriae actionis exercendae causa requisitam conditionem: negocium scilicet a Leone Deserenio uti mensae institore fuisse gestum, reive ejus gratia eumdem contraxisse, cui praepositus erat. Et revera id quidem in primis excludebat vehementissima praesumptio, quae ex acti vetiti indole ac qualitate suapte quasi natura erumpebat. Haud enim ordinario ad-

7 mitti potest, institorem in muneris exercitio id gerere voluisse; quod ei ex praepositionis lege vetitum erat, nec aliquid in foro vulgatius habetur, quam quod cum quaestio est de voluntate, ipsa a potestate penitus ita metiatur, ut nisi con-
8 trarium probetur, haud quidem volitum praesumatur, quod quis facere honeste non potuisset ex notissima regula, quam tradit saepissime *Rota*, ac rencentius *in Ripana Donationis diei* 1 *februarii* 1836 § 4 *cor. R. P. D. meo De Retz*, *et in Interamnen. Inhibitionis diei* 31 *januarii* 1834 § 3 *cor. R. P. D. meo Bofondi.*

Porro etiamsi ea, quae ex vetiti negocii natura deducebatur contraria praesumptio momento temporis reponeretur, nec tamen melior quidem fuisset ejusdem Aloysii conditio. Ipse enim, qui neque per collybi literarum saltem exempla (quae fa-
9 cile ab iis, qui literas solverunt, sibi procurare potuisset,) neque alio quidem concludenti modo evincere profecto valebat, literis iisdem cessionem, seu quam dicunt = *gyrata* = ab eo favore mensae, Leonisve *qua institoris*, vel ab Leone saltem *qua institore* fuisse adjectam eorum favore, quibus literas Parisiis exigendas commisit, intentionis fundamentum praecipuum in Epistola constituebat mense Julio anni 1838 a Leone remissa, qua inter caetera adnotata ima cera reperiebantur literarum receptionis confessio hisce verbis concepta =: *Più tardi vi darò il ricavo del Parigi fr.* 13000, *che non posso sfogare* =. At epistolam hujusmodi summa cum familiaritate compositam, quamque *privato nomine* absque ulla *institoriae* qualitatis mentione subscriptam fuisse constabat, nullo quidem modo evincere posse manifestissimum erat, rem de qua in eadem epistola sermo est, *institorio* potius quam *privato* nomine susceptam fuisse gestamque. Nec Patrum animum movebat, quod in epistola de quibusdam negociis sermo quoque excidisset mensae nomine absque dubio a Leone exceptis gestisque. Etsi enim de negociis caeteris fortasse mensae nomine gestis in epistola Leo Deserin fuisset loquutus, ea tamen de causa de hisce tantum sermonem debuisse videbatur, ut qua privatus amicum ac familiarissimum admoneret de modo quo res comparandae fuissent ad hoc ut ipse deinde regulariter uti institor schedas, quas dicunt = *mandati* = vel = *boni* = negociari potuisset sine regulari cessione ab Aloysio prius remissas. Negocii igitur unius vel alterius mensae nomine fortasse gerendi mentionem peculiari privata causa in literis factam, quas Leo non *praeponentium*, quos infensos experiri ac timere dicebat, sed *privato* nomine mittebat, nullum equidem argumentum praebere Patribus videbatur, quod literarum collybi negociatio, de quibus est res, mensae nomine fuisset suscepta, atque ad exitum perducta.

Quod profecto eo tutius retinendum Patres observabant, quia facto probatum erat, Leonem vel ipsum licet jam a mense junio 1838 literas collybi ab Aloysio
10 in commercium adducendas recepisset, ac semel iterumque in epistolis de iisdem fuisset loquutus, adnotationem tamen nullam in accepti codicibus, adversariisque socialibus procurasse, nilque Aloysii nomine adjecisse, cui mensa creditum quotidie praestabat, pecuniamque dabat, recipiebatque vicissim, ut dicunt = *a conto corrente* =. Praesumi namque prorsus nequibat, institorem quoties literas mensae nomine ac sub praemii spe revera negociandi causa ab initio recepisset ex una parte, ut deinde mensae nomine pecuniam ex negociatione obvenientem Aloysio vel mandatario suo ex altera ad libitum repraehesentaret, cessionem haud in codicibus adjecisse literarum collybi, nilque prorsus adnotasse, ad hoc ut (ceu moris est) negocium idem quomodo ac quando et quo praemio pro mensa exceptum, gestumque fuisse appareret. Quae quidem praesumptio Aloysii intentioni penitus adversa vim maximam obtinere videbatur, quoties ad epistolam Patres mentem converterent duodecimo

kalendas augusti anno 1838 a Bernardino Notari Aloysio remissam, atque ab Aloysio vel ipso ad coadjuvandas probationes invitato productam, qua Bernardinus ab Leone Deserin responsum obtinuisse narrabat = *di non aver potuto negoziare li* 13000 *franchi delle due tratte sopra Parigi, e di avervene già avvertito, aggiungendo che quando li avrà negoziati li porrà nel vostro conto corrente colla succursale* =. Haud namque apertius loqui quidem posse Patres observabant, ut cuicumque appareret, negociationem literarum collybi ex praepositionis lege institori vetitam Leonem privato potius nomine suscipere non abnuisse, ut rem amico suo gratam faceret, mensae nomine contracturum dumtaxat deinde, postquam scilicet pecuniam ex negociatione redactam in accepti codices Aloysii credito etiam *uti institor* legum praepositionis ad instar adnotare valuisset.

Neque hilum rem mutabant ea, quae deinde Bernardinus vel ipse testari posse duxit, qui se a Leone fidem habuisse narrabat = *che dalla Banca avrei avuto a tempo debito le occorrenti somme per l' estinzione delle medesime* (literarum scilicet collybi favore Mieli ab Aloysio traditarum), = *mentre il signor Carletti gli aveva fornito i fondi mediante rimessa sopra Parigi* =. Praeter enim quam quod testis hujusmodi utpote unicus, ac Aloysio familiarissimus nullam contra ea, praesertim quae jam in epistolis dixerat, constituere potuisset probationem ex notissima fori doctrina: rem profecto dirimebat, quod quae Bernardinus generatim testabatur de Leonis promissione pecuniam omnino mensae nomine suppeditandi pro Aloysio sub spe indemnitatem pro mensa consequendi cum pecunia ex literarum Parisiis exsolvendarum negociatione obvenienda, dum suapte natura haud eo ipso evincebant, Leonem literarum quoque negociationem, unde indemnitas sperabatur, jam ab initio institorio nomine suscepisse, optime imo id confirmabant, quod ex Bernardini epistola scatebat, quod scilicet Leo Deserin negociationem literarum, ut rem tantum gratam amico faceret, suscepisset, contracturus pro mensa deinde post negociationem, nempe, ceu apertissime verbis significaverat = *e che quando li avrà negoziati li porrà nel vostro conto corrente colla Succursale* =.

Quod si vero nullo modo probatum sed imo fere ex monumentis hujusmodi exclusum videbatur, literarum negociationem institorio nomine commissam susceptamque fuisse, perperam profecto testimonium Aloysius invocabat Robichionii, qui literas Parisiis solvendas Aloysio oneroso titulo cesserat, quique dum nominis cessi originem derivabat a venditione juris, quo ille, uti ex mensae sociis alter potiebatur, cessionisque consequentias, literarumque solutionem scire narrabat, eorumdem literarum negociationem mensae nomine expletam fuisse opinari dicebat. Cum enim hujusmodi testis, qui
11 literas collybi a se datas a mandatario facillime, vel jam obtinuit, vel obtinere potuisset, licet omnium gnarus, contortis tamen verbis loqui maluisset, opinionemque dumtaxat suam producens nil proposuisset, unde concludenter judicii sui justitia, equitasve emergeret, haud quidem sufficiens constituere posse argumentum Patres sunt arbitrati, ut negocium institorio reapse nomine susceptum retinerent, quod aliunde privato potius nomine institorem suscepisse constabat, ceu in similibus saepissime tradit *Rota*, ac praesertim *in Romana nullitatis transactionis diei* 28 *januarii* 1839 § 10 *coram me*. Nec meliori sane studio ad epistolas Actoris defensores confugerent in re trepida vel post Leonis Deserin fugam ab Aloysio Leoni, vel Bernardino Notari scriptas, quibus de mensae obligatione negociationis hujusmodi causa loquebatur, seque mensam judicio insectare desuper velle minitabatur. Epistolas enim hujusmodi verborum studio tunc compositas, quum Aloysius pessimam Leonis

fidem expertus quod ab eo retrahere amplius nequibat, a mensa saltem recuperare studebat, uti ad commodum scriptas nullo aeque in calculo haberi posse manifestissimum erat ad hoc ut quod ex insuspecto tempore gestis privato nomine susceptum negocium apparebat, institorio potius nomine expletum decerneretur, mensaque ex Leonis illegittimo facto ad petitam condemnaretur vel literarum traditionem, vel nominis solutionem.

Et ita jus redditum est utraque etc.

**R. P. D. QUAGLIA**

ROMANA CONCORDIAE

*Veneris* 20 *Augusti* 1841.

ARGUMENTUM

Habes in superiori Decisione CXXIX, quae confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Lex vetat concordiam iniri cum debitore decocto dum praesumptio adsit decoctionis fraudolentae vel culposae.*
2. *Si de hac institutum sit criminale judicium, tunc ejus exitus attendendus est ad sententiam usque.*
3. *Si vero nullum adhuc sit criminale judicium institutum, tum Tribunal commercii ab nullo alio praeventum ex una fraudis vel culpae praesumptione concordiae exequutionem denegare potest.*
4. *Lex commercialis quae statuit minorem creditorum partem sequi debere, quae majori placuit, tunc tantum obtinet, cum agitur de debitore decocto.*
5. *Sequuta enim decoctione, bona debitoris pertinent ad creditores, qui ita caetum seu corpus morale constituunt.*
6. *Et in quolibet conlegio voluntas majoris partis habetur ac si ab omnibus esset probata.*
7. *Lege commerciali seposita, ex jure communi renuentes creditores obstringi non possunt facto eorum qui conventioni consensum accommodarunt.*
8. *Alter alterius facto praegravari non debet.*
9. *Lex* 7 § 17 ff de pactis, *qua minor pars creditorum agitur majoris partis voluntatem sequi, loquitur de pacto super remissione debiti erga hereditatem quae par non erat ad dimittendos omnes creditores.*
10. *Etsi autem ex interpretatione prolata fuerit ad aliquot alios casus, semper tamen tunc tantum obtinet, quando debitor non sit solvendo.*
11. *Nunquam autem obtinere potest, quando par non sit omnium creditorum conditio.*

DECISIO CXXXI.

Controversias exortas inter Marcellum Fabiani, atque caetum illius creditorum penitus tollere adnisi sunt ejusdem filii, concordia oblata creditoribus, quae a majori horum parte accepto habita fuit. Verum obstiterunt Petrus Jullien, et Augustus Gauttier, qui cum a Tribunali Commercii Urbis nullitatem concordiae postulassent, rejectique fuissent, ad Nostrum Ordinem appellarunt, atque die 23 superioris mensis julii, me causam proponente, rescriptum assequuti sunt = *non esse locum observantiae concordiae, et extendatur Decisio* =. Edita vero decisione, in qua latius rerum gestarum series exponitur, pugna iterum instaurata fuit, iterumque Marcelli filii, atque caetus creditorum omnimodam efficaciam conventionis adstruere sunt adnisi, sed PP. DD. praecedens judicium confirmarunt per responsum = *in decisis, et extendatur nova Decisio* =.

Praecedentis judicii fundamentum praecipue stetit in ea legis commercialis san-
1 ctione, quae vetat concordiam iniri posse cum debitore decocto, dum ex decoctionis actis culpae dolive suspiciones erumpunt. Qui nunc pro Fabianis causam orabant, vires intendebant, ut adstruerent, necessitatem processus, et judicii criminales usque ad sententiam, ex qua culposa vel dolosa decoctio comprobata foret. At placuit distinctioni antecedenti decisione constituta, hoc quidem tum procedere, cum incoepto jam criminali pro-
2 cessu a Tribunali Commercii postulatur

confirmatio conventionis interea initae inter decoctum ejusque creditores. Tunc enim disquisitio criminalis praejudicialis est civili actioni, atque ex publici judicii exitu pendet resolutio super concordiae approbatione, verum si adhuc institutum non sit criminale judicium, hoc casu ex una tantum praesumptione culposae vel fraudolentae decoctionis fas est
3 Tribunali Commercii denegare exequutionem concordiae. Tunc enim cum Tribunali Commercii nulla obsit alterius Tribunalis preventio, nullaque praejudicialis causa agatur, etiam ex officio quoad civiles effectus potest de culpae, et doli praesumptionibus inquirere, ac exequutionem concordiae denegare. Ita post art. 520. Cod. Comm. expresse tradunt *Dalloz dei Fallimenti cap.* 1 *sez.* 6 *art.* 3 *n.* 13 *et seq. Locrè Spirito del Codice di Commercio tit.* 1 § 11.

Inutiliter vero qui pro Fabianis causam orabant, opponebant lites, quae erant institutae, aliaeque lites, quae exoriri, poterant inter caetum creditorum ex una parte, ex altera vero Marcellum ejusque filios: atque praesertim lites ad Nostrum Ordinem adductae in gradu appellationis tam a sententia, quae decoctionem declaraverat, quàm a sententia, quae Marcellum damnaverat pro debitis tabernae *alla Maddalena*. Verum visum fuit, quod, si lites praedictae inspiciantur, et si ratio habeatur incertitudinis, quae ex provocatione nasci poterat, ne tunc quidem exequutionem concordie Petro et Augusto imponi posse. Tunc enim eum non
4 constaret de decoctione Marcelli, frustra opponentibus creditoribus objicitur quidquid in commerciali lege sancitum est de conventione inita inter decoctum, illiusque creditores, scilicet ea legis pars, quae agit de concordato, quaeque praeexistentiam decoctionis supponit. Hinc lex commercialis, quae statuit minorem creditorum partem cogendam esse stare iis conditionibus, quae majori parti placuerunt, tunc solummodo obtinere debet, quum agitur de decocto debitore. Consultissime enim constitutum est, ut cum bona debitoris communis satis nequaquam sint ad omne aes alienum dimittendum, stet in potestate majoris partis legem dicere minori parti creditorum, ne forte nimium protrahatur symbolae distributio, ac magisque debitoris patrimonium decrescat. Quod juris rationi congruit: se-
5 quuta enim decoctione, bona pertinent ad creditores, qui ita constituunt caetum, seu morale corpus. Exploratum ve-
6 ro est in quolibet Conlegio voluntatem majoris partis haberi, ac si ab omnibus esset prolata. At vero in hoc casu si ex una parte Marcellus provocavit a sententia decoctionis, ex altera vero extra controversiam est illius bona satis esse ad integros creditores dimittendos, sequitur locum non esse praedictae commercialis legis sanctioni.

Deficiente vero commerciali lege, frustra in jure communi praesidium concordiae quaerebatur. Et reapse conventio, de qua disceptatur, ad civiles actus referendo potius videbatur, ad actus scilicet, qui communi jure reguntur. Fuit enim non conventio de communis debitoris bonis diribendis, sed super judicialibus controversiis vera atque abso-
7 luta transactio. Si vero controversia reducatur ad jus commune, patet renuentes creditores obstringi non posse facto eorum, qui conventioni consensum accommodarunt, idque ex juris regula,
8 ut alter alterius facto praegravari non possit. Neque his obstat *lex* 7 § 17 *ff de pactis*, quae statuit, minorem partem creditorum cogendam esse sequi ma-
9 joris partis voluntatem. Etenim visum fuit hanc legem huic casui non applicari, cum in ea agatur de pacto super remissione debiti erga hereditatem, quae par non erat ad dimittendos creditores. Quae lex etsi Prudentum interpretatione ex identitate rationis ad aliquot alios casus
10 prolata sit, semper tamen tunc tantum obtinuit, quando debitor non erat solvendo. Verum in hoc casu certum erat Marcelli patrimonium excedere cumulum

debitorum, ita ut conventio inita non sit super remissione debiti, sed potius transactio fuerit composita. Accedebat denique parem non fuisse conditionem omnium
11 creditorum. Quod enim pertinet ad creditores apothecae = *alla Maddalena* =, controversum dici poterat eorum jus ob litem super institoria qualitate Aloysii Giovannetti. At quod creditores apothecae = *alla Colonna* = certum erat eorum jus in Marcellum, certaque solutio ex bonis ejusdem. Hinc Petrus, et Augustus, qui in aliqua parte hujus secundae tabernae sunt creditores, recte respuunt concordiam, in qua per modum conlegii partem habuerunt diversae conditionis creditores, ad tradita *per Salgad. Labyrint. Credit. part.* 2 *cap.* 2 *n.* 8 *et seq. Card. De Luca de Credit. discur.* 152 *n.* 17 *Constant. vot.* 520 *n.* 17 *et* 45, *Rota in Romana seu Mediolanen. Pecuniaria* 10 *decembris* 1759 § 11 *cor. Ubaldo*, *in Romana Concursus* 23 *junii* 1777 § 7 *cor. Litta*, *et in Romana Exequutionis Congregationis* 20 *februarii* 1835 § 2 *cor. R. P. D. Bofondi.*

Et ita Partibus informantibus etc.

**R. P. D. MARINI**

ANCONITANA REGRESSUS

*Veneris* 3 *septembris* 1841

ARGUMENTUM

Habes in superiori Decisione CXXVI quae confirmatur.

*SUMMARIUM*

1. *Trahens tenetur congruo tempore fundos suppeditare, vicissim literae cambialis possessor statim ac dies venerit ejus exactionem curare debet, atque, solutione negata,* protextum *emittere legitimo ritu et tempore.*
2. *Quod sancitur tum communi omnium gentium jurisprudentia tum expressim pontificia lege commercii.*
3. Protextus *per aequipollens suppleri non potest.*
4. *Negligens in exactione literae cambialis, vel in denunciando protextu amittit regressum tum adversus cedentes tum quoque adversus trahentem, dummodo constet fundi provisionem fuisse ab isto suppeditatam.*
5. *Trahens praestare tenetur integram validamque provisionem usque ad diem solutionis literae cambialis.*
6. *Axioma quod decoctio tractarii provisionem destruit accipiendum est a tempore declaratae, non autem ab initia retrotractae decoctionis.*
7. *Quamvis a solutionibus cessatum fuerit, ante oculos legis decoctio non existit, nisi ab competenti tribunali declaretur.*
8. *Ex magis recepta sententia debitor privatus intelligitur administratione suorum bonorum non ab initio retrotracta decoctionis, quae est legis fictio, sed a tempore ejus declarationis, ad quod usque revera debitor ipse in administratione versatus est.*
9. *Intra decendium quod procedit aperitionem decoctionis contractus civiles a debitore initi, si sint gratuito titulo, ipso jure irriti habentur, si oneroso, rescindi possunt ad creditorum petitionem quatenus appareant fraudolenti.*
10. *Quoad commerciales contractus autem, aes alienum contractum fraudolentum praesumitur, solutum autem non valet, si solutionis dies non cesserit, valet autem si cesserit, et nulla appareat fraus.*
11. *Ex jure communi a debitore, qui sit in latenti statu decoctionis, creditor sui nominis solutionem accipere non prohibetur, dummodo constet ipsum hujusce decoctionis scientiam non habuisse.*
12. *Qua requisita ignorantia, creditores absentes in aequali conditione qua presentes versantur.*
13. *In controversiis de regressu inspiciendum semper et maxime est cujus culpa litera cambialis insoluta remanserit.*
14. *Ex receptiori sententia, quae invaluit ab anno* 1812 *satis est, ut congrua fundorum provisio reperiatur penes tractarium ad diem solutionis, licet cambialis litera alibi sit solvenda.*

## Deciso CXXXII.

Pro sacchari pretio, quod vendide-

rat patricius vir comes Franciscus Paccaroni Negociator Anconitanus fratribus Bomporad Mercatoribus Urbinatibus die 17 aprilis 1839 cambialem literam traxit scut. 212. 77 repraehesentandam Anconae in domicilio cujusdam Leonis Ascoli, adhita formula = *valuta avuta in me medesimo e ponète a conto merci vendute* =, quae a debitoribus accepto habita fuit. Post plures transmissiones per emporia pervenit tandem collybistica litera in dominium Danielis Berretta Anconitani mercatoris, qui adventa solutionis die 17 septembris nec debitores requisivit, nec postridie protextum confecit, quievitque usque ad diem 23, qua tandem de denegata sibi solutione *pro textum* exaravit. Interea declarata fuit decoctio fratrum Bomporad, retrotracta decoctionis aperitione ad diem 2 ejusdem mensis septembris, qua protextus alius locum habuerat ob insolutam quamdam literam tenus valoris, quae postea solidata extitit. Actionem *regressus* exinde Daniel in Paccaronium trahentem instituit. Rejectus ab Anconitanis Judicibus primarum actionum meliorem sortem expertus apud Judices de appellationibus in eadem civitate cognoscentes, qui ad solvendam collybisticam literam una cum usuris Paccaronium damnarunt. Ob sententiarum discrimen delata causa ad S. Auditorium die 31 martii hujus anni Rescriptum prodiit = *non esse locum solutioni, et extendatur Decisio* =. Quod hodierna die confirmarunt Patres rescribentes = *in Decisis* = imperata mihi alterius Decisionis extensione.

Denegandum iterum actori censuerunt regressum adversus Comitem Franciscum Paccaronium trahentem, quia minime adimplevisse comperiebatur obligationes, quas lex imponit cambialium literarum Possessoribus: dum e converso trahens muneri suo satisfecerat. In contractu enim cambiario uti mutua jura, ita mutuae, et reciprocae obligationes inter trahentem, acceptantem, gyratarios, ac postremum literae possessorem intercedunt, quae ad unguem debent a contrahentibus adimpleri. Tenetur trahens congruo tempore
1 *fundos* suppeditare, ne literae solutio deficiat: tenetur vicissim cambialis literae Possessor, statim ac solutionis dies venit, exactionem curare, vel denegatae solutionis ad legis normam tempestive probationem conficere. Quae si ex una parte diligenter exequutus est, tunc merito adversus trahentem et gyratarios se convertit ut regressum assequatur. Secus justitiae, ac aequitati repugnaret, ut regressus adversus istos ei concederetur, quorum conditionem ipse negligentia sua deteriorem effecit, ceu ex juribus ibi adductis perpendit prior *mea Decisio* § 2.

Haec, quae generatim ex ipsa naturali ratione promanant, ac communi omnium
2 gentium jurisprudentia comprobantur, diserte expliciteque sancita sunt in Pontificia lege de re commerciali. Statuit quippe art. 155 = *il presentatore di una lettera di cambio deve esigerne il pagamento il giorno della scadenza medesima* = art. 156 = *Il rifiuto di pagamento deve essere comprovato nel giorno seguente alla scadenza con atto, che si chiama protesto per mancanza di pa-*
3 *gamento* =. Quem sane *protextum* per aequipollens suppleri non posse firmat subsequens art. 169 = *Nessun atto per parte del Presentatore della lettera di cambio può supplire all' atto di protesto, eccettuato previsto dalle disposizioni superiormente fatte in ordine al la perdita della lettera di cambio* =. Atqui in themate exploratum est, Danielem nec solutionem procurasse = *il giorno della scadenza* =, nempe die 17 septembris, nec postera die *protextum* confecisse; ac caeteroquin ambigi non potest, provisionem fundorum trahentem suppeditasse ex pretio nempe mercium divenditarum. Qua propter Actori regressus erat
4 denegandus juxta patulam dispositionem art. 164 ita concepti = *Decadono da ogni azione di garanzia il Possessore, ed i Giranti anche riguardo al Traente, se quest' ultimo giustifica, che alla*

*scadenza della lettera di cambio vi era provista di fondi* =.

At objiciebant Danielis defensores, haud quidem satis esse, ut initio trahens provisionem suppeditaverit, sed oportere, ut eam sarctam tectam conservet usque = *alla scadenza* = collybisticae literae ; quum litera hujusmodi non *pro soluto*, sed *pro solvendo* accepta sit : in praesenti autem specie destructam provisionem fuisse ob sequutam Fratrum Bomporad decoctionem : nec proinde diligentias pro cambiali litera exigenda fuisse profuturas : hinc recte se convertere posse adversus trahentem ad tramites praefati art. 164; quin sibi exprobari valeat, *protextum* minime fuisse exaratum die 18 septembris, sed die 23 ejusdem mensis ; nam protextus etiam serotinus sufficit, ut possessor adversus trahentem, qui congruam fundorum provisionem haud praestat, jus suum experiri. Haec multo ingenii acumine ac doctrinarum apparatu a Danielis oratoribus exornabatur : quae etsi suo pondere non destituerentur, haud tamen valuerunt, ut Patres a superiori resolutione recederent.

Verum quidem est, teneri trahentem praestare integram, validamque provisionem usque ad diem solutionis literarum cambialium, nec eas *pro soluto*, sed pro *solvendo* accipi solere ; verum in themate non provisionis deficientiam, sed Danielis oscitantiam in causa fuisse censuerunt, quominus collybistica litera exigeretur. Namque axioma illud, quod *provisio* a decoctione destruatur, non ita generaliter amplectendum esse perpendebant, sed distinctione adhibita, quatenus nempe decoctio a competenti Tribunali jam declarata sit. Antea siquidem ante oculos legis decoctionem non existere, quamvis a solutionibus cessatum sit, recte perpendit Jurisconsultus *Pardessus de Faillites et Banquerrutes n.* 33. Atque ex eo tempore locum sibi vindicat bonorum cessio, ac revera decoctus privatur patrimonii administratione. Retrotractio decoctionis juris fictio est ; sed possessio et administratio bonorum, in qua ante declarationem versatus fuit debitor, res est facti : nec sententia utut retrotrahat decoctionis initium, hoc factum destruere potest. Ac reapse commerciales leges dum de privatione administrationis loquuntur, de aperitione decoctionis mentionem non faciunt, nec aliquid innuunt, ex quo per juris fictionem retrotracta administrationis privatio censeri possit, sed positivo loquendi modo ita disponitur art. 436 = *Il fallito a contare dal giorno del fallimento è spogliato del diritto dell' amministrazione de' suoi beni* =. Quae sane dispositio congruit censurae Gallicani Codicis Mercatorii anno 1808 in vulgus editi art. 432, ceu ferme congruent dispositiones reliquae tum de literis collybisticis, tum de Decoctionibus. Quapropter ad materiam hanc illustrandam non abs re Gallicorum Jurisconsultorum opiniones, ac Tribunalium resjudicatae utrinque allegabantur. Quamvis vero nec Tribunalia, neque Auctores defuerint, qui attendendum esse censuerint retrotractae decoctionis initium, atque exinde decotum administratione orbatum, et quidquid ab eo gestum est, irritum declaraverint, diversa tamen sententia placuit quoque scriptoribus clari nominis, inter quos recensendi sunt *Dalloz de Faillit. chap.* 1 *sect.* 2 *art.* 1 *n.* 5 *Pardessus loc. cit. Boulay Paty in opere des Faillit. et Banquer. n.* 97. Atque ita hoc juris articulo graviter discusso resolutum fuit a Regia Aula Cassationis Parisiensi die 29 maji 1823, cui concinunt resjudicata Tribunalium Italicorum, ut observat Decisio, quae confirmatur §§ 8 et 9. Atque haec sententia magis videtur aequitati consentanea, ne ante declaratam debitoris decoctionem quae a tertiis bona fide gesta sunt, sine ulla distinctione, ac cum maxima eorumdem pernicie convellantur.

Sane quae a debitore acta sunt in statu imminentis, vel latentis decoctionis, gravissimae subesse solent fraudis dolique suspicioni : sed quod attinet ad tertios

multa peragi optima fide potuerunt: hinc Pontificia lex de rebus mercatoriis art. 437 et seq. (respondent art. 443 et seq. supramemorati Codicis Gallicani) accuratissime praescribit, quae ipso jure nulla sunt, quae rescindenda ad instantiam creditorum, quae valida dijudicanda intra decendium, quod praecedit decoctionis aperitionem. Distinguit enim contractus civiles a commercialibus, atque inter primos discriminat eos, qui *oneroso* titulo ab iis, qui *gratuito* titulo fuerint per-
9 acti. Hi nullius momenti ipso jure declarantur: alteri ad petitionem creditorum rescindendi, quatenus fraudolenti appareant. Quae distinctio luculenter excludit, hac temporis intercapedine privatum reperiri decoctum administratione bonorum. Nam si actus quilibet oneroso titulo proprietatis translationis juxta art. 438 § 1 = *Può essere annullato sulla domanda dei creditori, quando sembri ai giudici, che esso presenti dei caratteri di frode* =, palam, est, actus hujusmodi suis consistere viribus, rescissionem creditoribus minime urgentibus, vel doli suspicione exulante. Ostendit itaque alienationis validitas, debitorem, qui ad eam processit, spoliatum tunc non fuisse patrimonii sui administratione. Quod vero attinet ad contractus commerciales, distinguit pariter lex art. 450 aes alienum
10 interea contractum ab aere alieno soluto. Actus primi generis fraudolenti praesumuntur, nulliusque momenti sunt, = *quando è provato, che vi è frode per parte degli altri contraenti* =. Validitas vero actuum alterius generis ex eo pendet, utrum dies solutionis venerit nec ne = *qualsivoglia somma pagata nei dieci giorni, che precedono l'apertura del fallimento per debiti commerciali non iscaduti è ristituita* =. Habet enim fraudis praesumptionem solutio eo temporis spatio a debitore peracta. Omnes autem tum actus, tum solutiones in fraudem creditorum factae irritae declarantur in sequenti art. 441. At vero nulla adest legis dispositio, quae constituat, nullas esse solutiones aeris alieni, cujus cesserat ac venerat dies. Porro prohibitivae leges extensivam respuunt interpretationem praesertim cum pateat, hujusce legis rationem in eo dumtaxat consistere, ut fraudes avertantur, quae fieri possunt in praejudicium creditorum.

Quod si dicendum esset supra relatos legis articulos decendium respicere, quod praecedit retrotractum initium decoctionis, haud melior Danielis causa evaderet, quum nulla in commerciali Pontificia lege praesto sit dispositio, quae solutiones factas posteriori tempore, nempe ante decoctionem declaratam expresse irritas declaret, subjectusque reportationi. Nec secus se res habet inspecto jure communi: etenim non prohibetur
11 creditor satisfactionem certi, liquidique crediti accipere a debitore, qui reperitur in latenti statu decoctionis, dummodo in ipso creditore minime probetur scientia hujusce decoctionis *Franck. dec.* 55 *n.* 44, *Gratian. Discept.* 391 *n.* 15 *Rot. dec.* 169 *n.* 15 *cor. Othobon. et in Romana Concursus Creditorum* 19 *januarii* 1671 *cor. Albergato* =. Utitur enim jure suo, et nemini injuriam facit *Surd. cons.* 528 *n.* 35, *Gratian. Discept.* 391 *n.* 26 *et* 27, *Rot. dec.* 652 *part.* 18 *tom.* 2 *Recent.* Hinc inutiliter Danielis defensores ajebant, ideo decoctionis initium
12 retrotrahi, ne absentes creditores deterioris conditionis sint, quam praesentes, qui vix cognita debitorum fortuna in pessum ruente, facile possunt sibi prospicere cum eorumdem absentium detrimento. Nam si solutiones praesentibus creditoribus factae substinentur dumtaxat, quatenus in eis scientia decoctionis non probetur, palam est eos in aequali conditione quam absentes versari.

In themate vero quae a Defensoribus Danielis documenta afferebantur ad ostendendam per id temporis decoctionis notorietatem, parvi erant facienda; quum potius ostenderent fraudes, quae a Fratribus Bomporad tunc in praejudicium creditorum struebantur, quam dissemi-

natum obaerationis rumorem. Porro ambigendum in facto non videbatur, fratres Bomporad cambialem, de qua disceptatur persolvere valuisse. Id enim tum ex eo deducebatur, quod per eos dies praecedentem solidaverant collybisticam literam; tum ex ipso criminali judicio de fraudolenta decoctione, quod modo adversus ipsos agitur, quodque arguit bene nummatos foro cesisse. Ex qnibus omnibus quum appareat, neque affirmari posse profuturas non fuisse diligentias pro cambiali litera exigenda, neque fundorum provisionem tunc destructam revera dici potuisse, sua sponte consequitur literae collybisticae possessorem, qui ad legis praescriptum nec cambialem literam exigendam tempestive curavit, nec protextum absolvit, immerito adversus trahentem regressus actionem intentasse.

Praeterea etiamsi generatim in jure admitteretur principium de destructione fundorum sequuta usque ab initio retrotractae decoctionis, ob vetitam in hoc temporis intervallo cambialium literarum solution em, necessitatemque reportandae pecuniae, si forte fuisset percepta; non ideo tamen in praesenti specie actio regressus favore Danielis probari posse videretur. Animadvertendum siquidem est, decoctionis initium ad diem 2 septembris ideo fuisse retrotractum, quia Mercatorii Judices putarunt ex eo tempore fratres Bomporad cessasse a solutionibus: idque deduxerunt tum ex protextu cambialis solvendae praefata die 2 septembris, tum potissimum ex protextu cambialis Paccaronii repraehesentandae die 17 ejusdem mensis, tum denique ex alio protextu, qui locum habuit die 1 octobris. Atqui prima ex hisce literis solidata interea fuisse a Paccaroniis ostendebatur: secunda vero (ut supra animadversum est) nec congruo tempore praesentata fuit, nec protextata: ex quo praesumptio est, eam quoque solutionem fuisse habituram. Haec indago nec suscepta fuit, nec suscipi debebat a judicibus, qui decoctionem fratrum Bomporad pronunciarunt, facto tantummodo inspecto omissae solutio-
13 nis. Verum prae oculis habenda est in controversia, quae modo agitur inter trahentem, et literae possessorem, ut inspiciatur, cujus culpa acciderit, ut cambialis insoluta remanserit. Atqui, ut supra perpensum est, quum Daniel cambialis possessor minime satisfecerit obligationibus, quas mercatoria lex eidem imponit, proindeque praesumptio adversus eum militet; sequens est ut, retrotracto decoctionis principio juvari minime possit in praesenti quaestione regressus, ut hoc praetextu propriae socordiae effectus in eumdem trahentem retorqueat: quod nec jus, nec aequitas sinit.

Tandem nihili erat faciendum quod ajebant, seposita quoque decoctione fratrum Bomporad, probari defectum provisionis, quia Paccaronius demonstrare teneretur, statuta die provisionem fundorum praesto fuisse Anconae penes Leonem Ascoli, cujus in domicilio cambialis litera persolvenda erat, adducta opinione Jurisconsulti *Emilii Vincens.* Quandoquidem ex receptiori jurisprudentia, quae ab anno 1812 invaluit, satis est, ut con-
14 grua fundorum provisio reperiatur penes tractarium ad diem solutionis, licet cambialis litera alibi sit repraehesentanda, ceu definitum fuit supramemorato anno 1812 a Parisiensi Aula Cassationis, teste eodem Auctore *Emilio Vincens*, traduntque *Franc. in notis ad Cod. Comm. Sirey de Art. de la Provis. Azuni in suo Diction. verbo Provista* § 15.

Et ita etc. utraque etc.

**R. P. D. DE CURSIIS**

BONONIEN. PECUNIARIA

*Veneris 5 septembris* 1811

ARGUMENTUM

Habes ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Emptio venditio consistit simul ac de re et pretio conventum fuerit.*

2. *Ex quo in venditore descendit obligatio tradendi rem venditam, et in emptore solvendi pretium.*
3. *Ex contractus individuitate nefas est conventionem pro parte acceptam habere, pro parte rejicere.*
4. *Verus modus probandi rerum valorem, est pretium, quo eae eodem tempore vendi solent.*
5. *Si merces venditae et emptae fuerunt juxta traditum specimen* - il campione -, *nisi hoc exhibeatur, statui nequit eas esse ab iis, quae in contractum venerunt, diversas.*

## Decisio CXXXIII.

Mercatoria Ratio De Malliande, et Callien Labrone degens nonnulla serica, ac gossipii texta transmisit Bononiensi Negociatori Blasio Gasperini juxta traditum specimen, vulgo = *Campione* =, quo super earum emptio venditio inita fuerat. Contextim pro pretii conventi exactione collybisticam traxit literam ex pacto solvendam die 15 futuri mensis octobris praeteriti anni 1840. Pervenit sarcina ad Bononiense telonium, a quo in privatum promptuarium translata, nullo servato ordine, aperta fuit a Blasio, qui ab ea extraxit serica texta, relictis textis gossipiis, quae scripsit nolle se recipere, non tantum quia erant minoris altitudinis, quam ei descripserat vendentis Rationis viator, cum quo Blasius contraxerat, quantum etiam quia viliori pretio Bononiae vendebantur. Rescripsit Ratio mercatoria in commercio haud esse ea texta majoris altitudinis, nec facile sibi persuasum, quod Bononiae invenirentur = *a più bassi prezzi: nulladimeno a scanzo d' inutili spese lasciamo alla vostra delicatezza il fare il ribasso che credete giusto* =. Hac abutens longanimitate, Blasius tertiae partis imminutionem postulavit, ex quo forte indignata fuit mercatoria Ratio, quae cito scripsit = *Con sorpresa sentiamo dalla vostra corrente una nuova maniera di trattare gli affari per essere di un nuovo genere ancora sleale. Voi avete contrattato sopra campioni, e sopra li medesimi avete fissato il prezzo delle giaconette col nostro viaggiatore per fr.* 1. 50 *come su vostra fattura è stato segnato. Ora non si sa perchè dobbiate scioglievi dal fissato, e dimandare di lasciarle a franco uno* =, proindeque conclusit, quod retrodaret mercium sarcinam, vel transmissam collybisticam obsignaret literam, adjecta tamen conditione, quod = *in caso avesse snaturato il collo* -, et literae acceptationem denegaret, tunc = *ordiniamo che venga protestata* =. Oblatam a Blasio sarcinam, quia mercium integritatem, ac identitatem haud praeseferebat, recipere noluit mandantis rationis procurator, qui, in negata transmissae literae acceptatione coactus fuit Bononiense adire tribunal, ut Blasio dies praefiniretur pro ipsius literae acceptatione, alias pro solutione scut. 171 et ob. 35. Rei conventi exceptionibus nimis indulgentes Judices ipsius tribunalis, interlocutoria sententia perito commiserunt inspectionem, an gossipiorum textorum altitudo = *sia o nò l' ordinaria*; 2.° *se il prezzo di fr.* 1. 50 *posto nella fattura della ditta attrice sia giusto o alterato, avuto riguardo al tempo della seguita commissione* =. A gravanti hoc judicato provocavit Ratio mercatoria, quae ab appellationum Judicibus illius revocationem facile obtinuit. Placuit Blasio in utriusque sententiae discrimine S. R. Auditorii judicium experiri, sed malo cum omine; nam Patres, per me hoc mane interrogati, responderunt = *Esse locum subscriptioni, acceptationi, et solutioni litterae cambialis* =.

Cum de praestitutis mercibus pro certo pretio tradendis actum inter partes fuerit, inutiliter circa contractus perfectionem quaestio excitabatur: certa enim erat merces in contractum deducta. Siquidem actum fuit de emptione venditione textorum, super quorum qualitate dubium excitari non potest, donec cum traditi specimnis exhibitione diversa haud probetur a Blasio earum qualitas. Certum quo-

que est pretium. De communi enim placito hoc statutum fuit in Gallica una libra cum dimidio. Elementare est in jure, quod consistit emptio venditio, simulac sit pretium conventum *Instit. tit. de Empt. vendit. leg.* 2 § 1 *Cod. eod.*, 1 ex quo descendit obligatio in venditore tradendi res venditas, et in emptore solvendi pretium praestitutum. Cum suae 2 obligationi plene satisfecerit Ratio mercatoria, nulla subest ratio, cur suam obligationem et Blasius adimplere non debeat. Perperam excipiebatur, contractum perfectum dici non posse, statim ac mercatoria Ratio facultatem Blasio tribuit = *di dare il ribasso che credete giusto* =. Id enim minime excludit, quod certum haud fuerit pretium antea constitutum inter contrahentes, a quo, si resilire parum per actum fuit, id evenit ex perpensa circumstantia, quod illa erat = *la prima volta che abbiamo il bene di contrattare affari con voi* =, et, ex supposito quod merces integre adservarentur in telonio, prout in suo epistolio Blasius asseruerat. Ea autem agentis Rationis facilitas haud certe excludit, quod certum sit pretium in contractu praestitutum, et quod ad ipsius solutionem Blasius haud teneatur, eo potius quia in facto exploratum est, quod Blasius de sericis textis disposuerit, quod facere nequivisset, si perfectus haud esset intus emptionis venditionis contractus.

Quod recte intelligere Blasius demonstrabat, dum ad probandam postea obventam contractus rescissionem suam contulit defensionem. Negari utique non potest, quod venditrix = *Ditta de Mailland* = ultimo suo epistolio optionem Blasio dederit vel sibi restituendi mercium sarcinam, vel acceptandi literam collybisticam; sed negari nequit, quod data optio pendere debebat a praestituta conditione, quod haud esset = *snaturato il collo* =. At Blasius cum sarcinam aperuerit, ac serica texta deduxerit, et de iis proprio marte disposuerit, haud amplius potest integram retrodare transmissam sarcinam, ac deficit exinde conditio, a qua unice tributa optio pendebat. Nec dici potest, quod operativa quoad existentia gossipii texta haberi debeat indulta facultas. Attenta enim contractus individuitate, prohi- 3 bitum Blasio esse debet, conventionem pro parte acceptare, pro parte rejicere, prout post *leg. petens ff de pact.* docuit *S. R. Ordo in dec.* 2 *n.* 20 *cor. Olivatio, dec.* 454 *n.* 17 *cor. Ludovisi, et alibi passim.*

Nec vero congrua concurrebat ratio rejiciendi gossipia texta, ex quo essent = *molto più bassi di quelli che mi descrisse il vostro viaggiatore* =. Id enim in gratuita assertione excipientis Blasii unice fundabatur. Merito idcirco Ratio mercatoria rescribebat = *Non sappiamo se abbiate gran pratica delle manifatture francesi; se questo è, sarete ben persuaso, che queste sono le altezze, e che la promessa, che dite fatta dal nostro viaggiatore è erronea* =. Sed, quidquid esset de majori, vel minori altitudine, controversia facile resolvi poterat ex earum comparatione cum specimine, seu = *campione* = Blasio tradito, a quo facile erui poterat, quid in conventione deductum fuerit. Quod satis manifeste reddebat periti inutilitatem. Quoad enim pretium, hoc a contrahentium placito constitutum minime a periti judicio pendere debet; praecipue cum in probatis sit, quod similes merces eodem pretio tunc temporis venditae fuerint aliis, qui est verus modus pro- 4 bandi rerum valorem, prout post *text. in leg.* 63 *ff ad leg. Falcid.* tenuit *S. Rota in dec.* 246 *n.* 16. Ipsius inutilitas quoque apparebat quoad merces, quarum non solum non probabatur existentia, sed quam maxime dubia reddebatur identitas ob factum ipsius Blasii, qui de publico telonio sarcinam extraxit, ac in aliud asportavit privatum promptuarium, ubi ipsius sarcinae curavit aperitionem, despectis omnibus cauthelis praescriptis a peculiari lege diei 27 septembris 1827. In harum defectu impossibilitas eruebatur

statuendae identitatis mercium, super quibus suam inspectionem conferre peritus debuisset. Sed, admissa quoque identitate, non ex eo ferenda utique videbatur Bononiensis Sententia. Ob enim hucusque omissam traditi speciminis exhibitionem, nunquam Peritus statuere potuisset, existentes merces diversas fuisse ab iis, quae in contractu venere. In hac impossibilitate inutile erat Periti officium, et merito PP., admissa contractus perfectione, decernere statuerunt, teneri Blasium subscriptioni, ac acceptationi traditae literae cambialis, ac ipsius solutioni, quum juris ratio non sinat, quod venditor re et pretio privetur.

Et ita etc. Utraque etc.

**R. P. D. BOFONDI**

FERRARIEN. PECUNIARIA

*Ven.* 18 *februarii* 1842

ARGUMDNTUM

Etsi post elapsum quinquennium quaevis actio contra collybistici nominis debitores praescribatur, tamen praescriptio ista redit ad meram praesumptionem solutionis si a creditore juramentum deferatur debitori, qui idcirco jurare debet se non amplius debitorem esse, et quidem non ex una numeratione, sed ex alia qualibet legitima causa praeterquam ex praescriptione. Atque intelligenda sic est, et accipienda censura commercialis codicis in art. 183.

*SUMMARIUM*

1. *Ex art.* 183 *commercialis codicis conscientiae debitoris relictum est collocandi juramentum liberationis in alia quavis causa praeter illam numerationis tantum.*
2. *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*
3. *Praescriptio, quae obligationem tollit tam in civilibus quam in commercialibus constituit legitimam liberationis causam.*
4. *Fallit tamen ex nuperrimis commercii legibus, quoties post quinquennalem praescriptionem in actionibus commercialibus ab ipsis indictam creditor deferat juramentum debitori.*
5. *Tunc enim per delatum juramentum praescriptio redit in meram solutionis praesumptionem.*
6. *Debitor autem jurare debet, se non amplius debitorem esse ex qualibet legitima causa praeterquam ex praescriptione.*

## Decisio CXXXIV.

Cambialis litterae solutionem in scutis 730 coram Ferrariensibus commercii Judicibus petenti Annae Dragoni adversus Joannem Baptistam Marescotti, commercialis praescriptionis exceptio opposita est ob quinquennale silentium a die, quo ipsa cambialis nominis solutio cesserat et venerat. Praetermissa tunc incidenti quaestione de interventu caeterorum litterae subscribentium, satius duxit Anna in exceptione praescriptionis aliquantulum consistere, eamque ob rem juramentum debitori ad tramites Art. 83 Commercii Codicis offerre non dubitavit. Judices illi, suspensa interim quoad solutionem causa, jusjurandum Joanni Baptistae detulerunt, reformataque juramenti formula ab Anna proposita, liberationem Cambialis nominis ad unam numerationis causam cohibuerunt, adjectis juramento verbis = *avendo realmente tal somma pagato alla creditrice* =. Ab interlocutorio hujusmodi decreto provocatum est ad alterum commercii tribunal quod Bononiae de Appellationibus cognoscit, ibique judicii sors mutata est. Judices enim Bononienses, confirmata quoad coetera priori sententia, deleri mandarunt adjecta formulae verba = *avendo realmente tal somma pagata alla creditrice* = quippe quae legis sanctioni juramentum de generica liberatione requirenti adversari videbantur. Hinc ex sententiarum discrimine causa conscendit ad Sacrum Nostrum Ordinem, qui de sententia hodie sciscitatus rescripsit - *Esse locum praestationi juramenti, et*

*Joannes Baptista juret se non amplius esse debitorem litterae cambialis ex quacumque legitima causa, praeter quam ex praescriptione et extendatur decisio* =.

Ac rectissime quidem. Statim ac enim, urgente creditrice Anna tum Ferrariensis, tum Bononiensis sententia diverso licet modo juramentum praestandum esse definivit, profecto resjudicata obstaculo erat, quominus aliter responderi posset quoad juramenti praestationem in genere. Universa igitur contentio in modo posita erat, quo sacramentum concipi deberet. Verum spectata locutione legis ambigi non posse videbatur quin juramentum liberationis ad quamlibet obligationes legitimo modo perimentem causam proferri valeret: sancitum quippe in articolo 183 Codicis Commercii = *Ogni azione relativa alle lettere di Cambio, ed ai biglietti, o pagherò all' ordine sottoscritti da Negozianti, Mercanti, o Banchieri, o per fatto di commercio è prescritta dopo cinque anni; nulladimeno i pretesi debitori saranno in obbligo, se ne sono richiesti, di affermare con giuramento, che non sono più debitori* =. Jam vero si hoc unum cambialis nominis debitoribus post lapsum quinquennii praestandum lex jubeat, ut scilicet jurent, se amplius debitores non
1 esse, nil clarius consequitur, quam eorum conscientiae relictum censeri liberationis Sacramentum collocandi in alia quavis causa praeter illam numerationis tantum. Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debere fert pertri-
2 tum in foro principium. Quin officiat, legitimae liberationis causam in themate non desiderari, ex indicata post quin-
3 quennium praescriptione, quae obligationem, prout in civilibus, ita et in commercialibus tollit, ac perimit, ceu tradunt = *Voet comment. ad Pand. tit. de divers. temp. praescript. et Dunod. in tract. Delle prescrizioni* = fortius vero in praesens, ubi nuperrima commercii lex a quinquennali silentio praescriptionem actionis explicite statuit, dum anterior solutionis tantummodo praescriptionem arguebat.

Quidquid enim sit, an rigidius novae leges silentium interpretandae sint, vel omnimodam actionis peremptionem post quinquennium induxerint, ubi litterae possessor juramentum haud optaverit a debitore, certum tamen esse Patres animadvertebant, communem praescriptionis effectum cessare, et nonnisi quam solutionis praesumptionem exurgere, quando litterae possessor juramentum debitori suo deferendi facultate, ex lege ipsa concessa, uti velit, prout in casu. Atque id primum suadent verba legis. Postquam enim initio Articuli 183 praescriptionem generatim lex constituit, quinquennio vix elapso, continuo subdit = *nulladimeno i pretesi debitori saranno in obbligo, se ne sono richiesti, di affermare con giuramento, che non sono più debitori* =. Hanc vero dictionem *nulladimeno* unico contextui praescriptionis adjectam limitationem generalis dispositionis per se inducere, nemo est qui non videat. Accedit recta interpretationis ratio, quae nihil tum in contractibus, tum vel maxime in legibus inutile, vel otiosum inesse sinit. Jam vero inutilis prorsus, et supervacua fieret de juramento legis sanctio, si praescriptio, seu actionis peremptio semper et omnimodo ex uno quinquennii lapsu oriretur, nec certe debitorum conscientias de liberatione interrogare permisisset lex, ubi ipsa jam ex lapsu quinquennii liberationem induxisset. Ne igitur evanida renuncietur legis dispositio (quae coeteroquin cum actionis existentiam ostenderet,
5 effectum certissime suum sortiretur) si forte contingeret, ut quis a jurejurando abstineret; concludi sane poterat, praescriptionem actionis generatim indictam, post quinquennale silentium a die quo cambialis litterae solutio conditur, in meram solutionis praesumptionem converti in casu tantum quo dela-

tum esset juramentum. Quod fortassis a nova lege introductum videtur probationes coarctandi causa in commercii utilitatem.

Licet vero haec perspicua ex lege ipsa apparerent, ne tamen Joannes Baptista conscientiae suae blandiri adeo valeret, ut quinquennalem praescriptionem inter causas adnumerare praesumeret, ex quibus legittimae obligatio tollitur, proindeque integrum sibi foret sacramento affirmare, se amplius debitorem non esse quemadmodum totis viribus defendebat, prudens Patribus visum est decernere, ut ex qualibet legitima causa, praeter quam ex praescriptione, se debitorem non esse juraret.

Spernendum post haec videbatur quidquid oggerebant Annae defensores de quinquennii computandi modo, seu de praescriptione nondum obventa. Postquam scilicet rejudicata constitutum est, juramentum esse praestandum in causam, et sequelam praescriptionis ipsius, ociosum oppido ac supervacaneum prorsus erat de vi ejusmodi exceptionis cognoscere, judiciumque proferre.

Atque ita etc. utraque etc.

**R. P. D. ALBERGHINI**

ROMANA LIBERATIONIS A MOLESTIIS

*Veneris* 25 *februarii* 1842

ARGUMENTUM

Habes ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Tutores et curatores, finito officio, non sunt conveniendi ex administratione pupillorum vel adolescentium, atque ex obligationibus, tutorio nomine susceptis, et pro negociis ad pupillos spectantibus.*
2. *Etsi in genere quis videatur proprio non alieno nomine contraxisse, in specie tamen si constet tutorem egisse in causam et rem pupillarem, tunc obligatio tutorio nomine initii censetur.*
3. *Nulla fides testibus extra judicialibus, et ad opportunitatem conquisitis.*
4. *Itemque illis, qui negocia gerunt eorum, pro quibus testimonium dicunt.*
5. *Quae post tractatam conclusamque rem a contrahentibus expressa non sunt in scriptura, consulto omissa censentur, non enim ipsi neglexissent illud exprimere, de quo convenissent.*
6. *Scripto standum est, non iis, quae ex testium depositionibus deducuntur.*
7. *Actio correo debendi, qui totum debitum solvit, non competit adversus alterum correum pro ejus parte soluta, nisi a creditore cessa solvendi jura fuerint.*

DECISIO CXXXV.

Administrationem patrimonii ad pupillos Stella defuncti Dominici filios pertinentis dum retineret Vincentius Gentili, quippe qui eorum esset tutor testamentarius, pecuniam quaerere oportuit, qua opus erat ad messem peragendam in fundo = *Le Solfarate* =, cujus in parte sementem fecerant anno 1840 Dominicus ipse, tum vivens, et frater ejus Andreas Stella. Itaque inter Gentilium, et Joannem Berenghi (utrique scilicet erant creditores pupillaris patrimonii) convenit de contrahendo debito scutor. 1000 erga mensam nummulariam, quam nuncupant = *Banca Romana* = tali modo: Berenghius per syngraphan conceptam verbis, quae in exarandis collybisticis litteris adhiberi solent, promisit se soluturum certa die scuta 1000 = *all'ordine S. P. del Signor Vincenzo Gentili* =, Gentilius autem eam statim mensae cessit, summa ipsa accepta. Eodem tempore declaratum a Berenghio, et Gentilio bona fide fuit, pecuniam hanc accipi debuisse pro sustinendis sumptibus ad frumenti collectionem necessariis; atque ea, cum peracta sit, rubra circiter septingenta collecta fuerunt.

Super frumenti ejusdem parte, jam recondita in horreo, judiciale mandatum executioni commisit vidua, jam conjux, Joannis Berenghi interim defuncti, uti mater, tutrix, et curatrix communium

liberorum, pro summa scut. 1200, et quoniam venditum jam fuerat frumentum, ideo, ne pupillare patrimonium molestiis subjiceretur, quas emptor intulisset, satius esse censuit Gentilius eam pecuniae quantitatem viduae persolvere. Deinde, ut suis rebus ipse prospiceret, negociaque expediret, quae cum patrimonio habebat, nuncium tutelae rite misit, rationesque reddidit, unde creditum ejus apparuit in scut. 1002, easque rationes probarunt Mater, et Patruus pupillorum Stella in tutelae officio subrogati, dato etiam in solutum Gentilio pro satisfactione crediti tritico, foeno, atque armento. Haec porro omnia intervenerunt per solemnem stipulationem, quae, cognita antea a judice causa, latoque decreto locum habuit. Nihil sibi amplius futurum esse existimabat Gentilius sive cum patrimonio Stella, sive cum vidua Berenghia Vincentia Michelangeli; sed in jus raptus ab ea est apud A. C. = *anche come tutore, e curatore degli Stella* = ut cautionem praestaret pro solutione scut. 1000. Mensae Nummulariae faciendae tum quando ejus explendae dies venisset. Quum manifestum esset, tutorio nomine conveniri Gentilium non posse post dimissam tutelam, neque proprio, cum nihil ab eo deberetur, ab observatione judicii absolutus est. Non multo post venit dies, qua solvenda erat summa scutor. 1000, de qua, cum frustra rogata fuerit Vidua Berenghia, tum in eam, tum in Gentilium judicio egit mensa nummularia apud Commercii Tribunal, quod in solidum unum, et alteram condemnavit. Verum apud tribunal ipsum postulavit vidua se a molestiis per Gentilium liberari, quae a petita solutione originem habuerunt. Decretum autem prodiit hujusmodi = *si soprassieda per ora in causa* =, quod confirmatum postea est, nequidquam reclamante Gentilio, pro obtinenda absolutoria pronunciatione. Provocavit vidua ad Sac. Auditorium, liberationemque a molestiis poscere instituit; at, proposita hodie quaestione, responsum est = *non esse locum liberationi a molestiis, et extendatur Decisio* =.

Nulla subnixa fundamento visa est actio ab vidua Berenghi instituta, ut liberationem a molestiis praestare Gentilius cogeretur. Contendebat vidua promissam a Gentilio esse restitutionem scutor. 1000, eamque fieri debuisse mensae nummulariae, a qua ipse eam summam accepit, ex pretio frumenti, quod pro patrimonio Stella colligendum fuisset, quodque collectum reapse fuit peracta messe in latifundio = *Le Solfarate* =, atque etiam pro quantitate fere omni distractum. Verum neque ab syngrapha, collybisticae litterae formam praeseferente, quae tradita est nummulariae mensae, et ex qua numerata ab ea fuere scut. 1000, neque ab declaratione, quae inter Gentilium, et Berenghium intercessit, promissio ejusmodi deduci poterat. Per syngrapham enim Berenghius obligationem contraxit solvendi praefinita die = *all'ordine S. P. del Sig. Vincenzo Gentili la somma di seudi mille moneta di argento effettiva valuta avuta in contanti etc.* = Tantum ergo aberat, quemadmodum nemo non videt, ut quidquam promissum ita a Gentilio fuerit, ut etiam creditor is, Berenghius autem debitor appareat pro scut. 1000; quae, si una attenderetur syngrapha, a Gentilio submistrata Berenghio dicenda essent. Caeterum non perinde, ut fuit reapse, in syngrapha perspici poterat: utrinque enim convenit a Gentilio non esse numeratam pecuniam, sed a Mensa tantum Nummularia, atque ideo placuisse syngraphan conscribi erga Gentilium, non secus ac si ab eo facta numeratio videretur, ut translata deinceps ab Gentilio in Mensam syngrapha, acceptisque simul scut. 1000 nempe = *valuta ricevuta in contanti* = cautior esset Mensae restitutio pecuniae, quum duo, nempe Berenghius et Gentilius, in solidum eo modo erga eam obligarentur. Quod sane nullam potuit inducere promissionem, aut obligationem, qua Gentilius pro scut. 1000 ab

Mensa traditis erga Berenghium teneretur.

Ad declarationem, quod attinet, palam ab utroque factum est per syngraphum subscriptam = *a favore della Banca Romana* = accepta esse scut. 1000 = *per servire alla raaccolta del grano delle Solfarate del patrimonio Stella* =, idque scriptis mandari = *a comune intelligenza e garanzia*. Itaque eo spectarit declaratio, ut appareret, sumptam esse pecuniam in rem, atque commodum unius patrimonii Stella, eamque per Gentilium tutoris officium tunc exercentem esse erogandam in patrimonii ipsius utilitatem, nempe in sumptus, quos sustinere oportebat ad faciendam collectionem frumenti *delle Solfarate* =. Erogatam autem revera fuisse summam in causam, quae designatur in declaratione, ideoque Gentilium illud implevisse, quod ad tutoris officium pertineret, evidentissime constabat ex rationibus, quas de gesta ab se administratione legitime reddidit, quaeque probatae fuerunt. Si igitur sciente, et consentiente vel ipso Berenghio contractum est debitum scut. 1000 pro patrimonio Stella, si haec summa in Patrimonii ipsius rem versa est, poterit quidem Berenghii Vidua, uti filiorum et heredum tutrix atque curatrix agere in patrimonium Stella, ut indemnitatem assequatur, propterea quod Nummulariae Mensae coacta sit pecuniam restituere, non vero actionem in Gentilium intentare ei licebat ad liberationem a molestiis obtinendam. Plane quum nullam obligationem nomine proprio Gentilius susceperit nihil profecto erat, quamobrem conveniri posset, posteaquam tutela se rite abdicaverit, pro negocio, quod egit ex causa ad pupillos spectante, et cujus commodum ad eos pervenit; tutores enim curatoresque finito officio non sunt conveniendi ex administratione pu-
1 pillorum, vel adolescentium, uti scriptum est in *leg.* 1 *ff quando ex facto tutor. et leg.* 15 *cod. de adminis rat. tutor. Voet ad pandect. lib.* 26 *tit.* 9 *num.* 6 *Perez. in Cod. tit. quando ex facto tutor num.* 1.

Nec oberat ea Gentilium gessisse, haud adhibito tutorio nomine. Utut enim in genere censendum sit quemque proprio,
2 non alieno nomine contraxisse, ubi tamen evidenter appareat, prout in specie, in causam, et rem dumtaxat pupillaris patrimonii egisse tutorem, tunc obligatio tutorio nomine inita dicenda est. Et quoniam non Gentilius modo, sed et Berenghius ea erat voluntate, ut pro patrimonio Stella acciperentur scut. 1000 atque impenderentur in messem faciendam = *delle Solfarate* =, facere idcirco non potuit Berenghius ipse, quin agnosceret, adprobaretque unum tantum patrimonium sibi obligari. Inane illud erat quod Viduae defensores ajebant, a Gentilio scilicet restitui debere ea scut. 1000, propterea quod in redditione rationum proprio credito adscripserit expensas omnes, quae ad colligendum frumentum fieri debuerunt. Etenim in iisdem rationibus simul apposuit Gentilius sibi debito summam scut. 1000 = *provenienti dalla Banca Romana* = unde palam erat nihil in rem propriam eum vertisse, sed dati, acceptique rationes recte exposuisse, nempe ex una parte id quod acceperat, atque ex altera quod insumpserat pro frumenti collectione; insumpta autem fuit major summa scut. 1410, 70.

Afferebantur duorum testium dicta, atque
3 his probari dicebatur promissio a Gentilio facta restituendi scut. 1000 ex pretio tritici, quod ipse collegit pro patrimonio, atque distraxit. Verum praeter quam quod de testimoniis agebatur extra judicium redditis, et ad opportunitatem
4 conquisitis, animadvertendum maxime erat ex testibus unum fidem omnem sibi conciliare non posse, quoniam operam suam praestare consuevit pro ineundis contractibus, expediendisque negociis tum Berenghio, dum viveret, tum Viduae, posteaquam ipse obierit. Caeterum dum confirmarent testes id, quod satis probatum aliunde erat, scilicet Gentilium sollici-

tum fuisse in quaerenda summa scut. 1000. = *per fare le spese di mietitura ed altro della sementa* =, sermones etiam referebant, quos inter se habuerant Berenghius, atque Gentilius antequam declaratio die 21 Junii 1841 conscriberetur, atque subnotaretur. Quum autem haec negocii conclusionem exhibeat, neque obligationem contineat erogandi pretium tritici in extinctionem litterae collybisticae, nullius sane momenti erat, quod antea verbis prolatum fuerit; ea enim, quae post tractatam, conclusamque rem a contrahentibus expressa non sunt in scriptura, consulto omissa censentur: quoniam secus illud omittere ipsi non neglexissent, de quo convenisset. *Leg. majores Cod. de transact. Mans. Consil.* 259 *num.* 13, *Rota cor. Lancetta Decis.* 1071 *num.* 19. Atque insuper habere testimonia oportet ubi scriptum extet, cui standum potius est, quam iis, quae in testium depositionibus deducuntur. *Rot. in recent. Dec.* 38 *num.* 6 *part.* 1 *Dec.* 338 *num.* 13 *part.* 6 *et Dec.* 16 *num.* 10 *et* 11 *cor. Tanara.*

Incassum opponebatur Gentilium post redditas rationes acceptis, praeter alia, insolutum quinquaginta rubris frumenti, impedimento fuisse, quominus ex pretio illius satisfieri saltem pro parte Mensa Argentaria potuisset. Etenim Gentilius, quum mutuam dedisset pecuniam Dominico Stella eo pacto, ut ad obtinendam restitutionem haberet ipse = *prima di ogni altro il diritto d' ipoteca, e privilegio nel prodotto come sopra* =, nempe super tritico, quod colligendum erat (nummos autem subministraverat) = *per fare la sementa a grano nella prossima stagione* =; profecto jure suo usus est Gentilius, neque in ea re quidquam erat, quod improbandum esset. Atque eo minus ei invidere poterat vidua dationem illam in solutum, quoniam satis cautum fuerit indemnitati filiorum ipsius per hypotecariam inscriptionem super omnibus patrimonii Stella bonis ex sententia jam peractam. Caeterum ab hodierno judicio liberationis a molestiis alienum prorsus erat in discrimen revocare id, quod intercessit inter Gentilium, et tutores pupillorum Stella, quodque nihil commune habet cum argentariae Mensae nomine collybisticae litterae innixo, atque cum petita ejus solutione, unde praesens actio ab vidua intentata originem trahit. Accedit eo, quod, alio instituto judicio apud A. C. vidua oppugnare aggressa est dationem in solutum, illudque adhuc pendet, itaut de una eademque re disputare hodie nequeat.

Objiciebatur denique Gentilium alterum fuisse correum debendi ex littera collybistica erga mensam argentariam obsignata; et quamquam creditori liberum sit quem velit eligere, qui tamen solidum solvit regressum ad reintegrationem pro rata portione obtinendam contra caeteros correos habere. Verum haec in specie probari non poterant. Nullam enim jurium cessionem vidua reportavit ab argentaria mensa, nec reportare potuit, quum solutionem collybisticae litterae nondum peregisset, tum quando praesens liberationis a molestiis instituit judicium. Actio autem correo debendi, qui totum debitum solvit, non competit adversus alterum correum pro parte debiti soluta ultra eam, qua ipse tenetur, nisi a creditore cessa ei jura fuerint. *Faber conject. lib.* 11 *cap.* 6 *num.* 1. *Rota diversor. part.* 1 *decis.* 112 *num.* 7 *Recent. decis.* 55 *num.* 6.

Et ita etc. Utraque etc.

**R. P. D. DE RETZ**

ROMANA SOCIETATIS

*Lunae* 28 *februarii* 1842.

ARGUMENTUM

Si quid conventum in societate fuit, quod pendere debeat omnino ab expressa aliqua conditione, committi exequutioni nequit, nisi conditione existente.

SUMMARIUM

1. *Quod in aliquem casum et incertum eventum differtur, facit stipulationem conditionalem.*
2. *Quae idcirco dici nequit commissa, nisi conditione existente*, et n. 3.
4. *Caducitatis actio semper odiosissima.*
5. *Damnum non intelligitur, nisi omni lucro deducto.*
6. *Definitur enim proprii patrimonii imminutio.*
7. *Pactio de certo annuo fructu super sociali capite praecipiendo, illicita est et usuraria.*
8. *Iniquum est duplex lucrum ex uno eademque capite percipere.*
9. *In societate ob majus immissum caput veniri potest major utilium quota, veluti duae ex tribus, vel etiam tres ex quatuor partibus.*
10. *At conveniri nequit certa et determinata quantitas fructuum, veluti quinque aut sex in singula centum capitis.*
11. *Tunc enim res redit ad mutuum, et usura est quidquid convenitur fructuum nomine, praeter quotam utilium.*
12. *In contractibus ultro utroque obligatoriis qui promissa non praestitit, agere nequit contra alterum ad implementum contractus.*

## Decisio CXXXVI.

Dominicus De Gregoris, qui ab remotissima aetate aromatum tabernam exercet in frequentissimo Urbis loco = *in via del Corso all'arco de' Carbognani* =, die 1 octobris 1835 societatem inivit cum Petro Alessandrini aromatopolii similiter possessore = *a S. Maria in Via* = cujus haec potissima pacta, = *che si vollero fra loro correlativi, correspettivi ed indivisibili* = Nimirum societas manere debebat integro spatio novem annorum; verumtamen si = *nel secondo o terzo bilancio, ancorchè non consecutivo, si trovasse perdita in vece di utile, si conviene fin da ora, che debba immediatamente, ad arbitrio di uno dei socj, procedersi ad un' affitto per tutto il tempo che sarà ancora progressiva la società per il novennio cominciato, con patto espresso che debba premettersi l' affissione degli avvisi all' oggetto di darsi l' affitto al miglior offerente, colle necessarie garanzie da indicarsi etc.; e da preferirsi a condizioni eguali il socio che vorrà accudire a tale affitto* =; atque ad hanc praecavendam jacturam, negociique actionem solerter explorandam, conventum, quod = *nel corso dell' anno volendo uno dei socj fare qualunque scandaglio ad uso di bilancio, gli sarà permesso, ma in fine di ciascun anno, come si è detto di sopra, si farà il bilancio esattissimo etc., per quindi conoscere gli utili che saranno risultati, e quelli che ne potrebbero risultare in seguito* =.

Deinde cautum fuit ut societas veniret sub mercatorio nomine = *De Gregoris e Alessandrini* =, eoque rationaria, literae cambiales, et reliquae sociales obligationes inscriberentur; sed = *la responsabilità del negozio, e dei capitali in esso immessi, e da consegnarsi al signor De Gregoris, sarà tutta del signor De Gregoris; la firma, e la responsabilità di essa, sarà del signor Pietro Alessandrini, che firmerà a nome proprio* =. Quo vero ad caput in societatem conferendum scriptum est = *il capitale sociale non potrà essere minore di scudi sei mila, compresi li stigli etc.* =: quorum sane scutata mille immissa fuerunt a Dominico, licet ei mutuata a socio usuris sexuncibus, et reliqua quinque millia danda erant ab ipso Alessandrinio, qui tamen certum praemium sibi stipulari non destitit argenteorum sex in singulis centum, et anno; additumque propterea = *quali scudi seimila* (iis compraehensis socio mutuatis) *considerati all' interesse mercantile del sei per cento, dovrà portarsi come peso fisso della società nelli bilanci annui* sc. 360, *da prelevarsi detti interessi dai socj in proporzione del capitale, che hanno immesso a forma della nota, e respettiva consegna, di cui nell' articolo* 13, *onde potersi dividere l' uti-*

*le, detratti li detti scudi* 360 *ed altri pesi fissi ed inerenti al negozio, senza gelosia, metà per ciaschedun socio* =.

Tandem et his alia pacta accesserunt de menstrua mercede scutorum duodecim socio De Gregoris, qua negocii administro, praestanda, de computatore eligendo, qui = *sotto l' immediata direzione del socio Alessandrini dovrà fare il regolare e legale impianto della scrittura etc.* = de indice rerum promercalium, quas Alessandrinius tradidisset, subscribendo a sociis, ita ut post traditionem posset Dominicus de eis rationem reddere, deque aliis oneribus per societatem subeundis. Sic rebus compositis, initium habuit tabernae exercitium; atque Alessandrinius, seorsim et particulatim merces subministrare coepit, partim eductas ex propria apotheca = *a Santa Maria in Via* =, partim emptas praesenti pecunia, ut caput conficeret scutorum 6000. At eo nondum integre soluto, voluit primum expendere rationes post septimum mensem ab inita societate, ex eisque damnum emergere censuit. Rursus, anno sociali vix elapso, rationes posuit; et jacturam graviorem fuisse effectam autumavit. Quare confugit protinus ad mercatorium tribunal, per quod judices arbitros eligi obtinuit, qui reapse, post confectum = *l' inventario dei generi in essere al* 31 *Marzo* 1839 *nella drogheria etc.* =, in ejus vota plenissime concesserunt: decernentes, quod constabat de immissione integri capitis socialis per Alessandrinium facta, quod ipsi pro eodem capite debebantur semisses usurae, quod revera aderat damnum in societate, quodque proinde licitum esset = *al Signor Alessandrini di affigere le notificazioni per l' affitto del suddetto negozio* =.

Appellatione per succumbentem subito interjecta, quaestio delata est ad S. Auditorium, cumque arbitri mercatores rem suapte natura incertam, inutilibus calculis magis implicatam reddiderint, in comitiis diei 22. Julii 1839. Ponente R. P. D. Zacchia dudum ad Praefecturam Urbis translato, prodiit = *Dilata et ad D. Ponentem pro deputatione periti ratiocinatoris, qui inspectis libris socialibus quibuscumque et cartis, et documentis hinc inde exhibendis, referat juxta instructiones dandas, et cum omnibus facultatibus necessariis, opportunis* =. Electus hinc fuit Aloisius Collalti, qui juxta instructiones referret = 1. De sequuta immissione capitis socialis ad formam Apocae 2. De computorum legitimitate: 3. demum de statu societatis ad diem inchoati judicii =. Opus Computator absolvit: sed parum adeo Patribus arrisit, ut in in conventu diei 15 maii 1840 responsum datum fuerit = *Dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Peritioris cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis* =. Munus commissum est Michaeli Belloni, qui *relationem* edidit triplici munitam hypothesi, quarum unaquaeque Dominicum De Gregoris debitorem ostendebat. Verumtamen Patres, per me collegae emerito suffectum, denuo interrogati, rescribere in hodierna audientia non dubitarunt = *Non esse locum locationi apothecae et extendatur decisio* =.

Potissimum caussae momentum, ad quod omnes referuntur agitatae controversiae, in eo consistere visum est, utrum scilicet constaret de damno societati obvento, itaut locari taberna debeat juxta pactum in sociali stipulatione conventum. Atqui, hisce limitibus circumscripta quaestione, nihil equidem tutius, quam quod tabernae locatio pendeat omnino a *casuali conditione*, ut non ab una tantum, sed ab altera rationum summa, seu = *bilancio* =, utcumque non progressiva, damnum societati pateat obvenisset. Sic enim placuit contrahentibus dum perspicuum pactum conscriberent, quod si = *avvenisse il caso, che nel secondo o terzo bilancio, ancorchè non consecutivo, si trovasse perdita in ve-*

*ce di utile, si conviene fin da ora, che debba immediatamente, ad arbitrio di uno dei soci, procedersi ad un affitto etc.* = Nisi ergo actor ostendat, ex duabus saltem rationibus damnum revera
1 societati obvenisse, adigendus certe non est reus conventus ad tabernae locationem. Quidquid enim in aliquem casum, vel incertum eventum differtur, stipulationem facit conditionalem, quae committi, et exequi nequit, nisi ea demum conditione existente *Text. in leg. Centesimis* 46 § 2 *leg. Quidquid* 99 § 1, *a Titio* 108, *et leg. Ita stipulatus* 115 *ff de verbor. obligat.*, *et leg.* 7 *ff de condit. et demonstr.*; *et Vinn. in Comment. ad Instit. lib* 3 *tit.* 16 § 4 *n.* 1.

Qua die vero coepta lis est, nedum binae non aderant computationes, sed ne una quidem, ex qua certa et plena damni demonstratio haberi posset. Prima namque ab initio societatis, a die 1 Octobris 1835, usque ad totum Aprilem 1836, nihili fieri debebat, simul ac septem tantum menses complectitur, et
2 conscripta proprio lubitu ab Alessandrinio ex facultate, quam sibi reservaverat in Apocha = *di fare qualunque scandaglio nel corso dell' anno* =, ac, nondum expleta integra immissione capitis socialis. Altera autem ratio, seu = *Il ristretto de' conti di un anno a tutto settembre* 1836 =, quae causam dedit praesenti liti, et quam Alessandrinius exhibuit, contextim profitens, adeo gravia esse socialia onera, ut vel ipse agnoverit = *è impossibile, che la drogheria dia tanto di rendita per fare un paro patta coi mensuali scudi* 85. 77 $^1/_2$ =, quamvis jacturam praeferat argenteorum 537. 23 $^1/_2$, multis tamen subest exceptionibus, tum quia mercesab Alessandrinio tra-
3 ditae, aestimatae dicuntur = *al di sopra di quello, che vendevano gli altri negozianti in piazza* =, tum quia incerta est quantitas earumdem mercium = *mandate al negozio, mentre non vi è alcun recapito* =, indeque immissio totius capitis socialis incertissima redditur, tum demum quia ratio ipsa composita fuit = *sopra note informi, senza approvazione alcuna, e senza veruno appoggio, o giustificazione* =.

Itaque ex his patet, nullo in pretio haberi posse ejusmodi computationes ad ostendendum damnum, ex quo jus oriretur Alessandrinio urgendi tabernae locationem: ac propterea ejus actio deficit omnino, quia conditio desideratur, a qua voluerunt Contrahentes, ut ipsa locatio penderet. Si enim, ut praedictum, id semper ex jure, ut nunquam exequi, nec committi debeat stipulatio, nisi demum
4 existat et impleatur conditio, quae illam suspendit; multo sane magis locum sibi vindicare debet praesenti in specie, ubi Alessandrinius absque certa detrimenti probatione, et ambiguis calculis, nil minus requirit in vim gravissimi pacti, quam socium a propria taberna depellere. Siquidem plena odii et acerbitatis est, cunctisque legibus invisa actio caducitatis, quae ideo excitata, ut contractus rescinderetur ad novem annos duraturus, utque decerneretur, socium ab jure suo decidisse *Rota in Recent. part.* 4 *dec.* 542 *n.* 3., *Ferrarien. Affictus* 13 *Januarii* 1786 § 5 *coram Strasoldo*, *in Faventina Caducitatis* 10 *Maii* 1792 § 5 *cor. Acciajuoli*, *in Romana Affictus super exfractatione* 3 *Junii* 1803 §. 3 *cor. Serlupi*, *et in Romana Hereditatis* 14 *Maii* 1824 § 2 *coram clar. memor. Card. Isoard.*

Verum etiamsi pro deprehendenda jactura in negocio sociali expendi lubeat quae constituerunt judices arbitri in sententia, a qua provocatum, vel Periti judicia in suis *relationibus*; non inde tamen firmius et justius apparebit Alessandrini propositum. Arbitri nimirum jusserunt fieri = *l' inventario dei generi in essere al* 31 *Marzo* 1839 *nella drogheria a piazza di Sciarra etc.* =; ex eoque cum hauserint, quod = *ne risulta un deficit in anni tre e mezzo di*

*scudi* 2405 51 =, et damnum satis probatum agnoscere, et locationem tabernae decernere non haeserunt. Peritior vero Bellonius (de Collaltio inutilis poneretur disquisitio, statim ac ejus opus jam improbatum a S. Ordine) tres confinxit hypotheses, quarum prima et altera pro fundamento habent easdem *notulas* ab Alessandrinio exhibitas tum quoad mercium quantitatem, tum quoad tempus traditionis, tum denique quoad pretium; proindeque sunt penitus seponendae, quia contra pactum merces Alessandrinius suo nomine comparavit, eisque gravius pretium addixit; tertia demum magis veritati congruere videtur, cum fuerit ab cognitore = *costituita sulle basi di calcolare la provvista dei generi a prezzi correnti in piazza, e riconoscere l'immissione dei med. all'epoca della consegna fatta al negozio sociale* =.

Quidquid sed enim dixerint Arbitri, quidquid peritior Computator autumaverit; certum est, quodlibet damnum evanescere, si plura perpendantur, si detrahatur quod a jure impermissum. Nam affirmavit quidem judiciarius Cognitor juxta suos calculos = *l'andamento del negozio in questa terza ipotesi avrebbe prodotto un deficit di scudi* 817. 33 *conforme rilevasi dal Bilancio* =; sed hoc ipse constituit, quia credito Alessandrinii adscripsit quantitatem scutorum 818. 94 pro fructibus sexuncibus super capite mercium in societatem immisso ad normam pacti. Atqui fructus isti nullatenus supputari debebant, tum quia damnum non intelligitur, nisi omni lucro deducto, veluti sancitum est in *leg. Mutius* 30 *ff pro socio*, cum revera damnum nil aliud sit, quam proprii patrimonii imminutio *leg. Damnum* 3 *ff de damno*, *ibique Glossa*, *Brunemann. ad Pandect. lib.* 59 *tit.* 2 *ad leg.* 4, *Mantica de tacit. lib.* 6 *tit.* 8 *n.* 4, *Zanch. de societ. part.* 1 *cap.* 6 *n.* 39, *et Rota in Recent. part.* 10 *dec.* 66 *n.* 17, *et dec.* 338 *n.* 6 *cor. Riminaldo*, tum etiam quia pactio de certo annuo fructu super sociali capite praecipiendo, illicita semper et usurariam pravitatem redolens visa est ex censura Constitutionis = *Detestabilis avaritiae* = Pontificis Xisti V.; atque capitis fructum, et inde utilia percipere societatis, sive duplex lucrum pro uno eodemque capite, est omnino iniquissimum *Card. Mantica de tacit. lib.* 6 *tit* 7 *num.* 3, *Lup. de commerc. illicit comment* 3 § 2 *n.* 36, *Leotard. de usur. quaest.* 31 *n.* 17, *de soc. part.* 1 *cap.* 6 *n.* 68, *et Rot. in Recentior. part.* 18 *decis* 676 *n.* 5, *et cor. Emerix dec.* 576 *n.* 6 *et seq.*

Ac inaniter obtruderetur, deberi fructus ejusmodi, quia plus Alessandrinius, quam Dominicus De Gregoriis contulit in societatem. Quandoquidem nemini ignota distinctio inter *quotam*, *et quantitatem* conventum. Ex majori quippe capite in societatem immisso, conveniri utique potest *major* utilium *quota*, veluti duae ex tribus, aut etiam tres ex quatuor partibus eorumdem utilium. At certa et determinata *quantitas fructuum* praeter utilium quotam, veluti quatuor, quinque, aut sex in singula capitis centena, omnino paciscinequit, quia convertitur in mutuum, et usura est quidquid, praeter utilium partem, fructum nomine convenitur, ad monitum *Ruin. cons.* 102 *n.* 1 *per tot. lib.* 1, *Riminald. jun. cons.* 463 *per tot. et signanter n.* 11 *lib.* 4, *Mantica loc. cit.*, *Staiban. jun. resol. for. centur.* 1 *resol.* 94 *n.* 34, *Hartman Pistor. lib* 3. *quaest.* 2. *n.* 30 *et seq. Zanch. de societ. part.* 1 *cap.* 6. *n.* 157, *et Rota in Nuper. t.* 5 *dec.* 115 *n.* 6, *et in dec.* 576 *n.* 3 *et seq. cor. Emerix.*

Subductis igitur fructibus, immerito computatis a Cognitore inter onera societatis, jam evanescit omne detrimentum, imo etiam lucrum apparet. Sed his insuper accedit, quod Alessandrinius nunquam plene sua pollicita exsolvit sive numquam contulit in societatem integra scuta 5000, prout promiserat. Nam emit quidem multas merces, easque transtu-

lit in societate negocium; at non cun-
11 ctas tradidit initio societatis, sicuti debuissent, sed particulatim et de mense in mensem traditiones absolvit, nec unquam ad solidum usque argenteorum 5000; dum interim utilia ex quotidiana mercium venditione percipiebat. Id probat vel ipsa *notula* earumdem mercium ab Alessandrinio producta, in qua fatetur aperte, ad diem 22 Aprilis 1836 non integrum caput in societatem immisisse, sibique retinuisse = *a disposizione della Società sc.* 764. 93 =; Idque agnovit Peritior dum retulit = *Con la formazione del conto generale di cassa ho verificato, che il capitale immesso dal Sig. Alessandrini, sebbene dichiarato in sc.* 5000, *pure non risultava, che in soli scudi* 4235. 07, *mentre avendo calcolato le provviste dei generi fatte a tutto il giorno 22 Aprile* 1836, *faceva rimanere in sue mani un fondo di cassa di sc.* 764. 93 *all' effetto di giungere alla somma di detti sc.* 5000 =. Et quamvis idem Peritior censuerit, alias quatuor mercium emptiones ipso mense April. 1836 peractas, comprehendendas esse in capite sociali (quod tamen erroneum, quia merces illae insequentibus mensibus traditae sunt socialis tabernae), nihilominus integrum caput usque ad diem 30 ejus mensis non excessit summam scutor. 4940. 07.

Tandem praeter defectum capitis, quod conferri oportebat in scutis 5000, illud quoque gravius accedit, quod ea quantitas nunquam fuit constans et permanens in taberna: quamquam perceptio fructuum, quae erat = *peso fisso della società* =, jugiter, ex sententia Arbitrorum et Cognitorum, perstitisset = *in annui sc.* 360) = Etenim vel ipsemet Peritior tradit in sua relatione = *Dal suddetto conto generale di cassa si desume, che il dichiarato capitale dell' Alessandrini all' epoca del* 30 *aprile* 1836 *ascendeva a scudi* 4940. 07, *e che tal capitale non fu realmente permanente, mentre fino al mese di luglio dell' anno* 1837 *il credito dell' Alessandrini, tanto per li generi immessi, che per quelli provveduti posteriormente ascendeva a sc.* 5379. 01, *e di poi insensibilmente è venuto a diminuirsi, finchè al* 30 *marzo* 1839 *erasi ridotto a sc.* 3819. 92, *onde non solo si era reintegrato delle susseguenti provviste, ma ben' anche aveva decurtato il capitale d' immissione nella somma di sc.* 1189. 08, *come meglio si osserva nell' accennato conto generale etc* =.

Quod si nec caput integre ab Alessandrinio fuit immissum, nec assidue in apotheca permansit, quia venditis mercibus, exactoque pretio, alias substituere non curavit ad eamdem capitis quantitatem peraequandam, ipse sibi propriaeque culpae tribuat oportet, si reapse aliquid detrimenti forsan extiterit in aromatopolio, sive potius si non tantum lucri ex eo percepit, quantum sibi proposuerat. Si enim vix coita societate cum Dominico De Gregoris argentea quinque millia Alessandrinius immisisset, tabernamque mercibus ad eam usque aestimationem instruxisset, non equidem damnum, sed lucrum non exiguum fuisset negocium allaturum. Injuria proinde ipse egit pro sanctione obtinenda imaginariae jacturae, et pro locatione tabernae socialis (quod idem fuisset ac socium ab societate repellere), cum integre propriam fidem non liberaverit. Vulgatum namque est, in contractibus ultro citroque obligatoriis non posse quem-
12 piam, qui promissa non praestiterit, contra alterum agere ad implementum contractus. *Text. in leg. Julianus* 13 § *Offerri* 8 *et leg. Qui pendentem* 25 *ff de act. empt. et vend., et leg. Fistulas* 78 § *penult. ff de contrahen. empt., Brunemann. ad d. leg. Julianus* 13 *n.* 10, *Voet. in Pand. lib.* 19 *tit.* 1 *n.* 23; *et Rota in Rec. part.* 10 *dec.* 81 *n.* 76, *decis.* 11 *n.* 3 *cor. Marco, et in Romana Affictus super exfractatione* 8 *Junii* 1801 § 6 *cor. Cesarei.*

Et ita etc., Utraque etc.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA CONCORDIAE

*Mercurii* 16 *martii* 1842

ARGUMENTUM

Infirmatis superioribus decisionibus CXXIX, et CXXXI definitur, leges 7 *ff de Pact.*, et 8 *Cod. Qui bonis ced. poss.*, quae loquuntur de casibus vel defuncti vel fugitivi vel decocti debitoris communis, et jubent concordiam a majori creditorum parte interpositam a minori esse servandam, obtinere in caeteris similibus casibus, ita ut earum dispositio aptari et traduci debeat ad omnes et quascumque creditorum concordias de communi negocio et in communi discrimine pro communi utilitate interpositas.

*SUMMARIUM*

1. *Regula generalis quod res inter alios acta tertiis nec prosit nec obsit, limitatur in casu, quo comune negocium agatur.*
2. Ex leg. 7 ff de Pact., et 8 Cod. Qui bon. ced. poss. *in casibus communis debitoris vel defuncti vel fugitivi vel decoti majoris partis creditorum deliberationem pars minor sequi debet.*
3. *Quarum legum dispositio obtinet in caeteris similibus casibus et traducitur ad omnes et quascumque creditorum concordias de communi negocio in communi discrimine pro communi utilitate interpositas: et vide rationem* n. 7 et 8.
4. *Leges prospicere nequeunt omnibus et singulis possibilibus casibus.*
5. *Prudentum responsa et rescripta Principum quae in Pandectis et Codice vim legis obtinuerunt, peculiares casus respiciunt.*
6. *Eadem legis dispositio, ubi eadem occurrit ratio, obtinet in caeteris quoque similibus casibus.*
7. *Ex quibus constet concordiam a majori creditorum parte interpositam fraudis et simulationis suspicione expertam esse, adeoque a minori quoque parte servandam.*
8. *Si concordia a creditoribus dissentientibus servari debet, quoties ipsi in pari conditione consentientium creditorum versantur, eo magis servanda est, quoties consentientes creditores potiora habeant jura ac nomina.*
9. *Concordiam commune creditorum negocium, communemque utilitatem respexisse ex eo patet, quod per ipsam sublatae fuerint controversiae omnes, quas contra communem debitorem creditores omnes communi periculo agebant.*
10. *Nec obstat, quod unusquisque creditor pro lubitu judiciorum aleam obire valeat, adeoque exulet deliberandi et transigendi necessitas; ratio enim* leg. 7 ff de Pact. et 8 Cod. qui bon. ced. poss. *non in absoluta deliberandi necessitate, sed in communi deliberationis utilitate posita est.*
11. *Qui a sententia decoctionis provocavit, adhuc vere et proprie decoctus censeri potest, eoque minus fraudolentus decoctor.*
12. *Adeoque ei aptari nequeunt commerciales leges, quae vetant inter decoctum debitorem et creditores concordiam interponi, si suspicio adsit fraudolentae decoctionis.*
13. *Pactum conventum, ut concordia ad legis commercialis normam a commercialibus juridicis adprobari debeat, per se ipsum haud probat commercialem potius, quam civilem transactionem initam fuisse.*

## Decisio CXXXVII.

Promercalium pannorum, aliorumque textilium societatem in duabus officinis ad forum Antoninae Columnae, et ad plateam Divae Magdalenae exercendam, Marcellus Fabiani honestus Romanae Curiae patronus cum Petro Giovannetti, syngrapha die prima decembris anni 1828 scripta, contraxit. Diu socialis negociatio probe, et prospere cessit. Extemplo die sextadecima mensis maii anni 1839. Aloysius Giovannetti, Petri filius, qui mercium venditioni in officina ad plateam Divae Magdalenae praepositus fuerat, fugam arripuit. Maxima tunc creditorum utriusque tabernae concitatio, quorum nomina ad ingentem quadraginta et amplius millium argenteorum summam assurgebant, Socialis rationis li-

bros statim describi et obsignari Commercii Tribunal mandavit ; subinde utriusque tabernae decoctionem definitive decrevit. Pro nominibus tabernae ad forum Antonianae Columnae dumtaxat non item pro alterius tabernae nominibus ab Aloysio contractis , qui aeris alieni contrahendi facultate destitutus penitus erat , sese teneri Marcellus palam et publice declaravit. Sed Commercii Tribunal Petrum et Marcellum pro cunctis nominibus ab Aloysio contractis in solidum institoria actione teneri , per alteram definitivam sententiam constituit : proptereaque merces utriusque tabernae , ac redditus universi patrimonii ad Marcellum pertinentis , positi sub sequestro fuerunt.

Adversus Sententias de utriusque tabernae decoctione, ac de institoria Aloysii qualitate a commercialibibus Juridicis latas ad Sacrum Ordinem Nostrum Marcellus provocavit. Decoctionis judicium post exitum causae super actione institoria comperendinatum fuit. Institoriam autem Aloysii qualitatem Rotalis Sententia ab Eminentissimo De Cursiis subscripta omnino reprobavit. Interea vero temporis Philippus alter ex Marcelli filiis, ejusque uxor Carolina Gallieni , quibus ille per publicas tabulas nuptiales anno 1837 scriptas congrua pollicitus fuerat alimenta , et argenteorum triginta millia matrimonii contemplatione donaverat , sua jura in hypothecarios codices referre , et in judicio experiri sategerant. Sed, quum Marcellus vita postmodum functus fuisset , tum Philippus , tum caeteri ejus filii et haeredes controversias omnes cum parentis creditoribus per transactionem componere sibi proposuerunt. Reque vera die quinta Maii superioris anni , indicto creditorum conventu , concordiam obtulerunt , per quam utriusque tabernae merces ac nomina , nec non reditus ex universo Marcelli patrimonio a die sequestrationis perceptos creditoribus dimissuros , pretereaque scuta decem mille numeraturos se fore promiserunt. Quadraginta quatuor creditores , quorum nomina summam scutorum 33646, et obol. 37 constituebant praedicto conventui interfuerunt , et propositam concordiam unanimi consensu probaverunt , eique statim subscripserunt , pacto explicite adjecto , ut a Commercialibus Juridicis confirmari deberet ; eamque coeteri creditores qui non interfuerant tacite probaverunt. Unus autem negociator Petrus Julien , qui ob merces Aloysio creditas scutorum circiter quatuor mille tum proprio, tum socii Augusti Gauttier nomine creditor erat , supradictae concordiae subscribere renuit , ejusque adprobationi apud Commercii Tribunal acriter , totisque viribus obstitit. Sed illam probandam et confirmandam esse Commerciales Juridici definitive declararunt. Quamobrem ad Sacrum Ordinem Nostrum Petrus provocavit , sententiamque , binis praeeuntibus Decisionibus ab R. P. D. meo Quaglia vulgatis , suis votis omnino consonam obtinuit : siquidem per illam observantiae concordiae locum non esse , constitutum fuit. At vero quum ob appellationem a Marcelli heredibus creditoribusque interpositam de Rotalis illiusce Sententiae viribus et justitia disquisitio suscepta hodie mane fuerit , Patres responderunt *Sententiam esse infirmandam, et extendatur decisio.*

Generalem namque regulam comuni jure prudentissime constitutam , quod nempe res inter alios actae tertiis prodesse , vel obesse nequeant , limitationem; si commune negocium agatur pati debere , comuni item jure constitutum est. 2 Quandoquidem *in legibus 7 Dig. de pactis , et 8 Codicis qui bonis cedere possunt* , cautum apertissime est , ut si , debitore elato , nolit haeres , nisi remissa debiti parte , haereditatem adire ; vel fugitivus debitor adesse neget nisi creditores aliquid remittant ; vel si propter egestatem bonis cedere se paratum praebeat , quoties quinquennales inducias creditores non concedant , id quod pluribus placuit , servari , et majoris partis deliberationem pars minor sequi omnino de-

beret. Idemque juris in caeteris similibus casibus obtinuisse, et ad omnes et quascumque creditorum concordias, de communi negocio, et in communi discrimine, pro communi utilitate interpositas, aptari consuevisse ac traduci debere, ex receptissima doctrina liquet, quam tradunt *Dallotius tract. dei fallimenti* § 10, *Azunius verbo accordo* § 6, *de Casareggis de commercio et mercatura discept.* 172 *numer.* 14, *Ansaldus de Commercio discept.* 11 *num.* 4 *et seq. Stracca de decoctoribus part.* 6 *num.* 21, *Gratianus discept. forens. Cap.* 222 *num.* 9 *et seq. Salgadus in labyrinth. creditor. part.* 2 *num.* 73 *et seq. Rocca responsion. legal.* 11 *num.* 7, *Rodriquez de privileg. creditorum part.* 1 *num.* 18, et firmat Sacra Rota *in Decis.* 12 *num.* 7 *in Mantis. ad Card. De Luca*, *Romana* 4 *Julii* 1819 § 7 *coram Serlupi. Romana Societatis* 15 *Junii* 1819 *coram Eminentissimo Spada*, *Romana* 28 *Aprilis* 1823 § 6 7 *cor. Martinez*, *et in confirmatoria* 18 *Aprilis* 1828 *coram Eminentissimo Patrizi.*

Et re sane vera, quum omnibus et singulis possibilibus casibus prospicere leges nequeant, et coeteroquin Prudentum
4 responsa ac Principum rescripta, quae in Digestis, et Codice relata auctoritatem legis obtinuerunt, peculiares casus
5 respexerint; eamdem legis dispositionem in coeteris quoque similibus casibus, ubi eadem legis ratio recurrat, obtinere de-
6 bere, legibus 12 *et* 13 *Dig. de legibus, et leg.* 32 *Dig. ad Leg. Aquiliam* constitutum prudentissime est. Quum itaque in expressis supradictarum legum casibus vel defuncti, vel fugitivi, vel decocti debitoris communis, ex majoris partis deliberatione minorem dissentientium creditorum partem obligari, constitutum fuerit; hujusce autem dispositionis rationem, eo ipso quod de communi negocio ageretur, quod a singulis seorsum expedi-
7 ri nequiret, in communis deliberationis necessitate metipsa positam esse, liqueat; et coeteroquin dum majoris, vel minoris partis voluntas sequi pernecesse debet, plurium deliberatio, si omnes creditores in pari conditione, et discrimine versentur, et sanior, et prudentior praesumi, et paucorum voluntati et arbitrio praevalere suapte natura debet: Idcirco in coeteris quoque casibus, in quibus par omnium creditorum conditio sit, et commune discrimen, et commune negocium, nonnisi communiter agi, et expediri valeat, quum eadem necessitatis, et congruitatis ratio recurrat, quod pluribus placuit sequi minorem partem debere; aequissimum et prudentissimum est.

Jam vero praedictam congruitatis et necessitatis rationem in themate omnino recurrere Patres in compertis habuerunt; proptereaque concordiam, quae optima
8 fide a Marcelli creditoribus interposita fuit, aequissimasque conditiones praeseferit; ab altero creditore dissentiente servari debere censuerunt. Et sane Marcelli creditores, eo ipso quod omnes chirographaria nomina habebant, et aleae periculoque judiciorum, quae de socialium tabernarum decoctione, de institoria Aloysii qualitate, de nuptiali donatione triginta millium argenteorum Philippo facta, instituta fuerant, indiscri-
9 minatim suberant, in pari conditione, et communi discrimine versari, palam est. Praeterea concordiam, de qua agitur, sive cumulus debiti, sive numerus creditorum spectetur, a majori et ampliori creditorum parte interpositam probatamque fuisse, liquet. Siquidem ex quinquaginta septem creditoribus, quorum nomina ad summam scutorum quadraginta circiter millium assurgebant, quadraginta quatuor creditores creditum scutorum 33646, habentes explicite, coeteri tacite illam adprobaverunt; et socialis dumtaxat Jullienii, et Gauttierii ratio scutorum circiter quatuor mille creditrix reprobavit.

Eo autem ipso quod de singulis creditorum nominibus, ac de viribus patrimonii debitoris investigationem decoctionis syndaci susceperant, itemque activum,

et passivum Marcelli statum firmaverant, quaevis vel levissima fraudis et simulationis suspicio penitus removebatur. Aequissimas denique conditiones supradictam concordiam praeseferre, manifestissimum est. Licet enim Marcelli creditores suorum nominum medietatem dumtaxat consequi ex praedicta transactione valerent, quum tamen ipsorum credita fere omnia, utpote quia cum Aloysio, qua tabernae, ad plateam Divae Magdalenae institore contracta fuerant, a Marcello, nisi institoria illiusmodi actione teneri judicatum fuisset, exigi nequivissent; et coeteroquin Marcellum pro debitis ab Aloysio contractis non teneri, Rotalis Sententia jampridem constituerat. Quum praeterea institoriae actionis judicio, alterum de utriusque tabernae socialis decoctione judicium superaccederet, quod ex comperendinatorio Sac. Ordinis Nostri rescripto ad normam institoriae actionis definiri debuisset; proptereaque creditores gravissimae damnorum refectioni subesse potuissent: quum denique creditores, licet ut supradictis judiciis victores omnino futuri fuissent, solidam tamen suorum nominum solutionem a Marcello consequi nequivissent, nisi praeterea donatio triginta millium scutorum Philippo, intuitu matrimonii, a parente insuspecto tempore facta nulla et irrita renunciata fuisset. Idcirco supradictam concordiam a Marcelli haeredibus aequissime propositam, et a creditoribus prudentissime accepto habitam fuisse, palam est.

Ex quo autem ex creditorum nominibus nonnulla cum Aloysio qua tabernae ad plateam Divae Magdalenae istitore contracta fuerant; nonnulla vero ad tabernam apud Antonianae Columnae forum positam pertinebant; ex quo praeterea de singulorum creditorum solutione, et peculiari ipsorum utilitate res in concordia fuerat; ex quo denique debitoris patrimonium omnibus creditoribus dimittendis par fortasse fuisset; neque in pari conditione, et discrimine versatos esse, neque rem de communi negocio, et communi utilitate fuisse, neque urgentem deliberandi necessitatem suppetiisse; ea proinde extrema, quae ad legis normam requirebantur, ex plurium consensu dissentientes obligari valerent, in themate desiderata fuisse, perperam contendebatur. Si enim concordia a dissentientibus creditoribus, tunc servari debuisset, quum ipsi in pari consentientium creditorum conditione versarentur, a fortiori servari deberet, si consentientes creditores potioribus dissentientium creditorum juribus ac nominibus pollerent. Quum itaque Petrus suas merces tabernae ad plateam Divae Magdalenae credidisset, proptereaque in longe deteriori conditione, quam coeteri alterius tabernae creditores versaretur, ipsorum concordie obsistere, perditissime adnitebatur.

Commune praeterea, non item peculiare singulornm creditorum negocium per supradictam concordiam expeditum fuisse compertissimum erat. Quandoquidem omnes Marcelli creditores eadem jura experiri valuissent, eidemque institutorum judiciorum periculo penitus suberant; omnesque controversias adversus communem debitorem conjunctis viribus egerant. Quum itaque concordiam communis debitor omnibus creditoribus ad controversias omnes dirimendas proposuisset, eaque proinde ut praecipuus ejusdem transactionis scopus obtineri valeret, vel omnino probari, vel omnino reprobari deberet; eo ipso commune negocium, et communem utilitatem illam respexisse, manifestum est. Et si denique communis debitoris patrimonium omnibus creditoribus dimittendis par fuisset, communis tamen illiusce deliberationis utilitas aeque manifesta foret. Nec enim propter patrimonii tenuitatem, et absolutam insufficientiam, sed propter gravissimas controversias, quae de tabernarum decoctione, de institoria actione, de nuptiali Philippi donatione conflagraverant, et ex quibus vel Marcelli obligatio penitus excludi, vel obligati patrimonii vires maxime decurtari potuissent; creditores transe-

gerunt, nominumque medietatem remiserunt. Quin officeret quod quum unusquisque creditor supradictorum judiciorum aleam pro lubitu obire valuisset, urgens et absoluta deliberandi, et transigendi necessitas penitus aberat. Si enim in absoluta instiusmodi deliberandi et transigendi necsesitate ratio legis stetisse censeretur, quae minorem partem ex majoris partis voluntate obligari constituit; profecto, neque in heredis defuncti debitoribus hereditatem adire nolentis, neque in fugitivi, vel decocti debitoris casu, concordia a majori creditorum parte interposita, servari a minori creditorum parte debuisset. Quandoquidem in illis quoque casibus eadem locum habuisset animadversio, quod nempe dissentientes creditores periculum jacentis hereditatis, latentis debitoris et cessionis bonorum obire satius fortasse ducere potuissent, quam suorum nominum partem remittere, et quinquennales inducias concedere. Quapropter praedictae legis rationem haud in absoluta deliberandi necessitate, quae juxta Jullienii interpretationem numquam verificari posset, sed in communi deliberationis utilitate positam esse liquet.

Nec item obstabat, quod concordia inter decoctum debitorem, ejusque creditores interposita, si aliqua fraudolentae decoctionis suspicio subesset, adprobari ad commercialium legum normam nequiret. Comerciales namque leges eo ipso quod decoctos debitores respiciunt, absonas a themate penitus esse, Patres cen.
11 suerunt. Siquidem Marcellus, licet decoctus a commercialibus Juridicis renunciatus fuisset, quum tamen a decoctionis sententia provocavisset, vere proprieque decoctus, eoque minus fraudolentus decoctor, nondum censeri poterat. Quapropter commerciales leges, quae ad debitorum vere proprieque decoctorum au-
12 daciam, fraudesque compescendas conditae fuerunt, Marcello aptari non poterant, qui non modo fraudolenter, sed etiam absque fraude sese decoxisse mordicus inficiatus fuit, et super ipsa prae-
13 tensae dococtionis controversia transegit. Pactum autem in eadem concordia conventum, ut nempe ipsa ab legis commercialis nomen a commercialibus juridicis adprobari deberet, Jullienio obesse, potiusquam suffragari visum est. Quandoquidem, si res de Commerciali concordia revera fuisset, pactum illud supervacaneum omnino fuisset. Eo igitur ipso, quod transigentium placito adjectum fuit, civilem transactionem, et concordiam interpositam fuisse patebat. Ex quo denique commercialis, potius quam civilis Tribunalis adprobationem exquirendam fore convenisset, de civilis transactionis validitate et efficacia ex commercialibus legibus ferri judicium debere, Patres argui non posse, duxerunt.

Et ita etc. Utraque etc.

**R. P. D. DE SILVESTRIS**

ROMANA PECUNIARIA

*Mercurii* 6 *aprilis* 1842

ARGUMENTUM

Habes in superiori Decisione CXXX quae revocatur.

*SUMMARIUM*

1. *Praeponens institoria actione ad praestandum institoris factum tenetur.*
2. *Mensa nummularia* Banca Romana *ex suis legibus munus habet non solum exigendi, sed etiam negociandi in exteris regionibus cambiales literas, vademque se praebendi.*
3. *Et vide rationem* et num. 4.
5. *Praeponens licet ex praepositiones lege haud obligatur, tamen ex institoris facto cognito et probato conveniri potest.*
6. *Publicae fidei nimis contrarium est, ut qui in casu rei bene cessae institoris factum minus recte gestum probavit, in casu tantum rei male cessae respuere velit.*
7. *Incommoda cujuscumque rei eum sequi debent, quem commoda sequuntur.*

8. *Ex quibus probetur, quem egisse negocium institoris potius quam proprio nomine*: et num. 9 10 et 11.

12 *Testis etiam unicus, quoties integritate praestet, ad rem dubiam explanandam fidem omnem meretur.*

13. *Fortius si adminiculis juvetur.*

## Decisio CXXXVIII.

Quae Angelum inter Carletti, ac Argentariam mensam in Urbe constitutam, cui nomen est *Banca Romana*, nuper exarsit controversia super vel restitutione literarum collybi quas succursalis Bononiensis mensae institori Leoni De Serenio Parisiis exigendas Angelus tradiderat pro summa scutorum fere bismillium quatuorcentum, vel solutione pecuniae, quam Leonem exinde retraxisse ferebatur, ac pessima fide in proprios convertisse usus, diei 23 Julii 1841 pro mensa argentaria ab S. Ordine nostro fuit dirempta, qui nec locum esse *prefixioni termini* pro restitutione literarum collybi, *neque solutioni scut.* 2400 definivit, ceu tradit Decisio quam Patrum consilio publici juris feceram. Judicium sed vero haud firmum stetit. Cum namque, proposita denuo quaestione, Angeli defensores rem illustriorem in locum ponere sategissent, Patres in contrariam potius inclinati sententiam pro Angelo rem dirimerunt rescripto *Recedendum a Decisis*; munere tamen mihi denuo commisso decisionis rationum exponendarum.

Quae duo namque plurimum in primo periculo valuerunt ad hoc ut Patres argentariam principem mensam ex institoris succursali mensae facto haud teneri declararent: negocii scilicet gesti, sed praepositionis legibus haud permissi natura, nec non gerentis voluntas proprio nomine potius agendi, ex nuper allatis argumentis, intimioribusque causae meritis minus vera ac firma comperta sunt.

1 Quare, cum e contra negocium a praepositionis lege minime exclusum institorio potius nomine gestum fuisse sit visum, se abstinere Patres non poterant, quominus praeponentem mensam institoria actione, ad istitoris factum praestandum compellerent ex iisdem juris regulis, quas tradidit superior decisio § 2.

Et revera, quod ad primum attinet, edictali non modo pontificis lege inspecta, sed dispositionibus quoque consideratis quas publici juris fecerat anonima Societas apertissime constabat, inter caetera, generalibus verbis mensam onus, proposuisse gestorum ope exigendi *per conto de' particolari, e per conto altresì dei publici stabilimenti, l' ammontare degli effetti che le saranno rimessi.* Munus ideo quod institor Deserin suscepit modo commerciali nomen Parisiis exigendi ex literis scatens, quas Angelus eidem Leoni remiserat, ex praepositionis lege permissum fuisse manifestissimum erat. Atque inutili studio ad hanc suae legis dispositionem citandam objicere iterum Mensae principis defensores pertentabant, Leonem haud revera *exigendi*, sed *negociandi* potius pro Angelo literas cambiales munus suscepisse, quod praepositionis lege vetitum contendebant. Objectio enim, vel si facto consisteret, jure tamen in themate rueret penitus necesse esset. Quidquid enim sit, utrum in genere mensa statuti ad instar munus suscipere valeat nec ne vadem sese praebendi pro aliis in literarum collybi quacumque negociatione, incontroversum nihilominus perpetuo erat, mensam dum inter caetera

2 in statutis sibi munus permiserat pecuniam exigendi etiam ex literis cambialibus quae *in exteris dissitisque* regionibus esset solvenda; nisi directe, suapte tamen natura, facultatem sibi ac institoribus concessisse hujusmodi literas mandantis commodo ac periculo negociandi; id est aliis (ceu est in more) secundum commercii circumstantias aliorsum transmittendi, vel in loco plus minus illis vendendi,

3 quorum interest illuc pecuniam exigere. Si secus namque se res haberet, haud quidem concipi poterat modus, quo mensa, quae absque dubio literas cambiales exigendi etiam in exteris regionibus munus

suscipere permisit, muneri suscepto satisfacere potuissent: nisi absurdum omnium admitteretur absurdissimum, mensam mandatarios suo nomine vel interdum mittere debuisse, vel constanter in qualibet regione habuisse literarum pecuniae vel exigendae causa. Cum igitur id, ne per hypothesim quidem, admitti posset; idcirco nisi directo, indirecte saltem literarum negociationem, quae alterius commodo essent exigendae, in statutis vetitum non fuisse perspectissimum erat. Cui enim principale ac praecipuum licet comparare negocium, etiam et consectaria atque omnia ad scopum obtinendum necessaria quoque licere tralatitii juris est, ex notissima regula.

Neque rem facessebat, quod in casu negociationis Mensa, cum literam cedat
4 vademque se praebeat, imminens adsumat periculum quoties litera soluta non sit: perinde ac si periculi possibilitas *implicitam* a statuto datam, quacumque negociandi facultatem excludat. Cum namque, ut citius ac melius exactio vel ipsa contingat, in usu perpetuo esse constet (ceu negociatores omnes testantur) quod qui exigendi onus suscipit, literas aeque signet atque alicui cedat, vel sui periculo trasmittat, palam erat, periculum idem, quod in casu negociationis imminet; in casu quoque exactionis in extera regione ex negocii ipsius natura contingere posse; ideoque nec periculi possibilitatem causam justam potuisse praebere, quare in casu exactationis ad exteras regiones negociandi facultas *implicite* saltem non retineretur permissa.

Quae quidem eo tutius Patres ultro amplecti posse duxerunt, quia succursalem mensam id generis negocia ab Angelo vel ipso sui commodo ac periculo non raro, ac praesertim literarum ope Januae exigendarum, sciente ac deinde probante quoque principe Mensa excepisse constaret. Etenim nisi hujusmodi factum ad dubiam praepositionis legem
5 explicandam sufficeret, satis tamen esset ut ex tacita mandati ampliatione ab contextuali scientia vel acquiescentia desumpta, mensa, licet fortasse ex praepositionis lege haud obligata, ex institoris tamen cognito ac probato facto conveniri potuisset ad textum *in lege Titianus ff quod cum eo*, *ac notat Cujac. in lib.* 9 *quaest. tom.* 4 *p.* 238 *lit. B. edit. Neap. Constantin. vota decis.* 291 *num.* 13, *et Rota in Romana Pecuniaria diei* 26 *januar.* 1761 § 4 *coram Colleredo.*

Neque regerere juvabat, negocium id generis juxta leges haud permissum ex ignorantia prius, deinde ob rem bene cessam dumtaxat a mensa principe fuisse semel admissum; ideoque institoris factum speciali ratione semel probatum, nec praepositionis legem explicare valuisse, neque regulam constituere generalem ad hoc ut mensa princeps obligaretur. Praeter enim quam quod fidei quidem publicae contrarium sit visum, ut qui in casu quo res bene cesserat negocium ab in-
6 stitore minus recte fortasse gestum probavit, in casu tantum quo male cesserat penitus respueret; rem prorsus dirimere compertum est ipsius mensae principis factum quae anno 1837 ac paulo ante quam Parisienses literae ad Leonem Angelus remitteret, collybi literas Londini, ac Januae exigendas pro Angelo negociari ipsa non dubitavit, ac deinde sui credito ex negociatione redactam pecuniam in suis libris hisce verbis signavit *produit de L.* 11100 *Genes etc. Nat. produit de L.* 205 *Londres.* Incivile enim erat ut, qui sine ullo discrimine negocium haud a statuto directe exclusum quietissime ad finem non raro perduxerat, is distinctionem ad commodum in praepositionis lege haud comprehensam modo induceret, ut damnum ab institoris culpa illatum in insontis Angeli perniciem penitus conjiceret, contra com-
7 munem regulam ut incommoda cujuscumque rei, eum sequi secundum natura debent, quem commoda sequuntur, ceu tradidit *Rota in Decis.* 143 § 20 *cor. Emo Pianetti*, *ac in Spoletana liberationis a molestiis diei* 5 *Julii* 1816 *cor. Serlupi etc.*

Quod si jam ambigi profecto nequiret, quin negocium ab Leone susceptum praepositionis lege haud prohibitum in statutis fuisset, nec minus compertum Patribus alterum modo visum est, quod scilicet negocium vel ipsum ab Leone *qua mensae institore* fuisset revera susceptum. Quemadmodum namque, quae ex acti vetiti indole ab initio erupit contraria praesumptio plurimum apud Patres in priori potuit periculo, ut quod vetitum institori erat, nec ei ab Angelo commissum, nec ab eodem gestum fuisse putarent; postquam ita negocium ab Leone susceptum haud praepositionis legi adversum agnoverunt, praesumptionem e contra illico vehementem urgere observabant, Leoni revera haud qua privato, sed *qua institori* negocium fuisse commissum, idemque Leonem qua institorem revera excepisse, adeo ut, nisi contrarium concludenter probetur, negocium ea dumtaxat qualitate gestum retinendum esset, qua ipse, qui alienigena erat, parvique census, publicam sibi poterat fidem conciliare; ceu tradunt Doctores ac praesertim *Menoch. in lib.* 3 *de Praesumpt. cap.* 46 *num.* 9. 10 *et seq.*, *et Rota in Romana Pecuniaria diei* 2 *martii* 1817 § 4 *coram Cesarei*, *et in Romana Pecuniaria diei* 24 *aprilis* 1818 *cor. Tiberi*, *et in Romana in re commerciali diei* 3 *martii* 1834 § 8 *coram R. P. D. Zacchia.*

8 Jam vero longe quidem aberat, quod mensa hujusmodi munus, scilicet contrarium probandi impleret. Constabat namque e contra Angelum, dum Leoni scribebat ac de literis collybi loquebatur, eidem haud qua privato epistolas perpetuo misisse, sed qua *Direttore della succursale*, atque commerciali methodo omnia vel literis, vel ope procuratoris Bononiae ita composuisse, ut Leo qua mensae perpetuo institor negocium facillime ad finem perducere posset, ac pecuniam ei deinde traderet, notario scilicet, cui tamquam privato solutionem literarum collybi
9 a quodam Mielio trasmissarum commisit. Quod si vero qui negocium mandabat, apertissime cum institore agere voluisse ostendit, nil quidem aderat in themate unde emergeret, Leonem haud aeque *qua institore* negocium suscipere volûisse. Et revera haud quidem in themate referebat, quod epistolam in qua de literis Parisiis exigendis loquebatur, ipse, nulla adjecta institoris qualitate, suo nomine tantum subscripsisset. Praeter enim quam quod ipsum hoc modo literis subscribere consuevisse constaret, obiectio suapte natura ruebat, modo perpenderetur, Leonem in
10 eadem litera, qua de negociatione literarum Parisiensium agebat, de negociis quamplurimis eo ipso egisse, quae, qua institor absque dubio susceperat, *mandataque* ac *folia* remisisse, ut ea Angelus in eam formam redigeret, qua ipse inde negocium *pro mensa* tutius ac melius comparare valuisset. Subscriptionem igitur
11 sine institoris qualitatis mentione, literis hujusmodi appositam, nullam quidem praebere causam posse manifestissimum erat, unde negocium, de quo est controversia, ac de quo in eadem litera est mentio, eodem modo ac mente minime fuisse susceptum, quo et caetera fuerant ad finem perducta.

Neque rem rursus mutare posse patribus videbatur quod Leo in mensae codicibus adnotationem nullam procurasset. Qui enim adnotationis defectus forte valuisset quoties de institore ageretur, cujus diligentia ac honestas esset in compertis, nil quidem operari poterat in themate quo agitur de institore, quem pessimo consilio omnia pro lubitu accommodasse, irregularique modo ad fraudem faciendam composuisse liquebat. Hoc enim casu negocii de quo agitur in libris omissionem, vel negligentia vel fraude obventam, praeponentis obligationem excludere non posse apertissimum erat.

Quod si vero nil occurrebat unde negocium haud institoris, sed privato nomine susceptum a Leone fuisse retineretur, id eo magis magisque ex iis excludi posse videbatur quae vel Notarius, aliive testes modo sincerissimo referebant. Alter nam-

que, Notarius scilicet, quem sibi in hoc negocio procuratorem Angelus elegit, dum omnia mensae nomine gesta se putasse retulit, a Leone fidem se recepisse narravit = *che poteva accettare tali tratte, potendo star certo che dalla banca avrei avuto in tempo debito le occorrenti somme* = quia = *il signor Carletti gli aveva fornito a tale effetto gli occorrenti fondi, mediante rimessa sopra Parigi* =. Quod si perspicue haec quidem ostendebant, *negocium*, unde modus comparabatur paecuniae suppeditandae Notario, eodem nomine Leonem suscepisse quo vicissim pecuniam ipse suppeditabat; rem mutare non poterat litera, qua Notarius Angelo scripserat, Leonem de non facta adhuc negociatione literarum Parisiensium cum eo loqutum adjecisse = *che quando li avrà negoziati, li porrà nel vostro conto corrente colla succursale* = perinde, si hoc modo institor se haud prius pro mensa contrahere velle ostendisset, quam negociatio literarum privato nomine ad exitum perduxisset. Hujusmodi enim verborum sensum, quem dum negocium susceptum statuto vetitum patres judicabant, in priori judicio pronius exceperunt, modo potius respuere ipsi sunt rati; quia negocii non modo indoles aliter suadebat, verum ex eo etiam quod, si momento temporis Notarii epistolae cum testimonio conferrent, ab ipso jam in judicio exordio emisso ac de quo superius dictum est, id potius eruere observabant, Leonem, qua perpetuo institorem literarum quoque munus suscepisse, neque alia quidem ratione verba edixisse *quando li avrà negoziati, li porrà al vostro conto corrente*, nisi ad hoc ostenderet, se facta vix literarum venditione, pecuniam ex venditione plus minus redactam Angeli credito in codices adducere voluisse, ut tutius inde Notario modum concederet obligationibus erga Mielium contractis satisfaciendi. Quod sane eo pronius Patres excipiebant, quia Notarius, recentiori testimonio, rem eo magis magisque confirmare non dubitavit, affirmavitque Leonem = *Intese di trattare per la succursale stessa lo sconto delli* 13000 *franchi ec. e su questa base fu stabilita l' operazione fin dal principio, e su questa medesima dovea portarsi al termine* = adjecitque = *che così l' intesi io pure, nè potevo intenderla altrimenti per le espressioni usate dal Deserin, quanto perchè egli non aveva fatto veruna operazione simile per conto proprio ec.* =

12 Quin fides testimonio huic detrahenda essset quia unicus et Angelo familiaris. Cum enim vir ipse sit ac negociator, quem omnes propter fidem, integritatemque commendant, ac in negocio omni sequester adhibitus; *eum* etiamsi unicum, ad rem tamen dubiam explanandam fidem omnem moereri posse tralatitii juris est, ceu in similibus casibus tradunt Doctores ac Rota praesertim *in decis.* 209 § 5 *coram Emo Pianetti, et in Fulginaten. Pecuniaria diei* 27 *Junii* 1817 § 3 *coram Zinanni, et in Romana seu Fulginaten. Pecuniaria diei* 8 *Junii* § 10 *coram Piccolomini, et in Æsina Reddit. ration. diei* 4 *Feb.* 1835 § 5 *coram Rmo P. D. meo Bofondi.*

13 Fortius vero quia nec deerat unus vel alter, qui licet omnia quae ad Angeli commercium respiciebat optime novissent, quod Notarius dixerat confirmare penitus non dubitarunt, ac Angelum inter ac institorem gesta omnia se putasse narrarunt, succursalis mensae ratione quae Angelo pecuniam quotidie dabat respiciebatque vicissim. Ac tutius oppido in themate quo Angeli quaerimoniae ac minae post vix Leonis fugam vel scripto vel verbis accessisse constaret. Et si enim haec quidem per se haud plurimum in re definienda conferrent, haud tamen in re dubia aspernenda videbantur, ut contrahentium mens faciliorem reciperet explicationem: praesertim quia literae hujusmodi vel cum illis quoque optime congruerent, quae Angelus antea (reque penitus integra) omiserat, vel ab negociatore scriptae sint, quem honestum ac probum omnes testantur, et cujus fidem

nec mensa recentiori etiam tempore in discrimen adducere visa est, quando nonnulla cum eodem gerere negocia fidentissime non dubitaverat. Haud enim, salva justitia praesumi, quidem posse videbatur, negociatorem probum epistolas, tot verba, minasque haud veri conscientia, sed tantum damni vitandi gratia protulisse ut scilicet negocium cum amico nimia negligentia susceptum, cum mensa compositum iniquissime potius confingeret, contra notissimam regulam unde nemo bonus repente pessimus fieri praesumitur, ex communissimo adagio.

Et ita jus reditum est utraque etc.

**R. P. D. BOFONDI**

ROMANA EXEQUUTIONIS CONTRACTUS

*Veneris* 10 *junii* 1842

ARGUMENTUM

Perfectus dici nequit emptionis venditionis contractus si alter ex contrahentibus sive in pretio sive in alio quovis modo dissentiat.

*SUMMARIUM*

1. *Perfecta haberi nequit emptio venditio, nisi actor probet singula intercessisse, quae ad hujusmodi contractum constituendum requiruntur.*
2. *Testes exceptionibus obnoxii non probant.*
3. *Nec qui ob patratas fraudes in vincula conjecti fuerunt.*
4. *Nulla fides testi, qui sua depositione vel damnum avertere, vel lucrum consequi speret.*
5. *Praesertim si agatur de proxenetis, qui non de explicandis initi contractus conventionibus, sed de ipsa contractus perfectione probanda testimonium perhibeant.*
6. *Testis ei affinis pro quo testimonium dicit, suspectissimus habetur.*
7. *Spernendus testis, qui minus vera refert.*
8. *Ex depacta arrha non soluta, argumentum exsurgit non perfecti contractus.*
9. *Venditor sive in ipsa emptione dissentiat, sive in pretio, sive in alio quovis modo, semper imperfecta est emptio.*

DECISIO CXXXIX.

Ad foenum servandum quod in conducto latifundio = *della Magliana* = anno 1840 Franciscus Massa collegerat, quatuor ipse extruxerat foenilia que nostri in re agraria negociatores vulgo audiunt = *fienilesse* = Ex his duo ineunte Septembri mense vendiderat Antonio Vannio pretio convento obulorum quinquaginta septem cum dimidio pro qualibet sarcina, et in eodem statu, quo foenilia reperiabantur. Haud multo post, die scilicet vigesima prima, et secunda Septembris proxeneta Franciscus Zarettus, una cum altero proxeneta Michaele Gratiosi, caeterum duorum venditionem a Massa pro Carolo Mandolesi requisivit. Hujusce emptionis venditionis conditiones, quas scripsit Gratiosus, et quibus deinde nomen suum apposuit emptor, summatim erant, ut pretium consisteret in obolis quinquaginta quinque pro qualibet sarcina; *ut harrae* loco solverentur venditori argentea biscentum, et reliquum pretium mense Januario, vel Februario insequentis anni: ut denique deteriorationes foeno obventurae ante perfectionem contractus, damno cederent venditoris, posteriores vero ab emptore perferrentur.

Quin tamen constaret singulis hisce pactis assensum suum venditorem praestitisse, negotium uti perfectum apud Commercii Cameram a proxenetis relatum fuit. Ex quo factum est, ut Carolus apud juridicos Commercii triumviros urgeret contractus executionem, nec non deputationem peritorum, qui, metito foeno, hujus inde traditionem perficerent. Verum resistente reo convento, jussoque formali testium examine, demum rejecta est Caroli petitio. Nec ei juvit ad Sacrum Nostrum Ordinem provocasse. Cum enim hodie quaesitum sit de viribus lati judicii, prodiit rescriptum = *non constare de perfectione contractus, et extendatur Decisio.*

Et recte quidem. Nisi enim Actor con-
1 cludenter ostenderit, singula in thema-

intercessisse, quae ad emptionis venditionis contractum constituendum requiruntur, nequibat oppido contractus ipse uti perfectus haberi; *Ad text. in l. 2 et 21 ff de probationibus.* Quod sane in jure exploratissimum ut Carolus praestaret, in medium afferebat proxenetarum testimonium verum missa indagine num ex proxenetarum dicto argui jure valeret con-
2 tractus, de quo res est, existentia, negocium plane conficiebat quod testes hujusmodi nullam sibi conciliare poterant fidem, non modo quia pluribus exceptionibus erant obnoxii, sed quia in manifestas eos incidisse contradictiones compertum est Ex proxenetis enim alterum Zarettum, qui de absoluta foeni venditione deponebat,
3 constabat ob patratas in commercio fraudes bis in capitolina vincula fuisse detrusum, et perditi omnino nominis publica opinione renunciari. Accedebat tam huic, quam alteri proxenetae Gratiosio de perfecto contractu testimonium sua maxime interesse. Nam praeter quod utrique ex hoc poenam effugerent, cui ex Commercii legibus subjci quandoque possent, nisi extitisset venditio, quam ipsi,
4 uti conclusam, ad acta detulerant statim ac eorum opera, et cura foenum divenditum fuisse asserebant, spe etiam adducebantur assequendi proemium proxenetis constituto ob absoluta ab iisdem negocia. Porro testibus qui eorum depositione vel damnum avertere, vel lucrum consequi sperant, nullam fidem adhibendam esse docet textus in *L. 9 Cod. de testibus, ibique Glossa verb. in re propria, et altera ad L. 2 ff quand. appellan. in re propria* = Praesertim
5 vero testibus proxenetis qui non de explicandis initi contractus conventionibus, sed de ipsa contractus perfectione probanda testimonium perhiberent, ceu tradunt *Zanch. de societate part. 1 cap. 10 n. 72 Stracca de proxenetis part. 4 Quaest. Illa etiam n. 1, Mascard. de probat. concl. 1232 n. 13, Constant. Vot. 418 n. 1.* Quibus consonat Sacer noster Ordo *Decis. 662 n. 1 part. 4 tom. 1 Recent. Decis. 903 n. 13 cor. Molines Decis. 1245. n. 9 cor. Lancetta, et Decis. 415 n. 2 cor. Coccino.*

Nec majorem fidem promereri poterant reliqui duo testes Raphael Gratiosi, et
6 Bernardinus Capotondi, qui pro Mandolesio testabantur. Quoad enim Capotondium, praeterquam vel ipse in formali examine declarabat se levirum esse Man-
7 dolesi, ideoque suspectissimum, minus quoque vera referebat. Siquidem perhibebat, se labente septembri mense audivisse a Massa, quod jam venditum fuerat foenum opera proxenatarum Graziosi, et Zaretti, dum e converso vel iidem proxenetae consentiebant die vigesima secunda restitutum fuisse a Massa contractus folium, quia ibi scriptas conditiones accepto ferre recusabat, et certum undique esset, usque ab eo tempore infectam constanter habitam esse a Massa foeni venditionem. Quod vero Gratiosum spectat, animadvertebatur, in manifestam eum incidisse contradictionem. Dum enim asserebat, conditiones contractus verbis tantum Massae fuisse propositas, nec scripturam unquam fuisse exhibitam, eo ipso a Mandolesi Procuratore interrogatus propria dicta revocavit, responditque *che il zio Michele scrisse le condizioni, che aveva proposte verbalmente al Massa, le lesse a voce alta al med. Massa, il quale le rilesse da se, soggiungendo, che il contratto era bello che fatto* =. Nec caetera deerant ad excludendum istiusmodi testimonium. Prout enim contra veritatem esse patebat quod Massa litterarum omnino expers conditiones contractus perlegisset, sic veritati aeque resistebat, ipsum die, de qua loquitur testis, assentiri potuisse conditionibus contractus, cum ab ipsis proxenetis palam eruerentur, nonnisi in sequenti die de absolvenda venditione fuisse actum.

Verum neque probata dici posse videbatur perfectio contractus emptionis venditionis foeni, licet testium dicta attendi valuissent. Missis namque Raphaele

Gratioso, et Capotondio utpote fidei nimis suspectae, et de mendacio, vel errore convinctis, integrum institutae actionis fundamentum depositioni utriusque proxenetae videbatur inniti. Quidquid autem hi de absoluto negotio assererent, ex eorum etiam testimonio quae esset Massae voluntas, clarissime apparebat, ut scilicet foenum acquireretur, prout erat absque ullo onere venditoris, et uti dicunt = *per un sacco d'ossa* = quin ulli subjiceretur peritorum examini. Atque id summum in modum collimabat cum alia foeni venditione paulo ante erga Vannium inita, in qua licet gravius pretium persolveretur, constabat tamen venditum, et emptum fuisse foenum in eo statu, in quo illud reperiebatur. Neque caeterae in re probationes dubitari sinebant, quod in hac etiam venditione tractanda hoc semper voluerit Massa tamquam praecipuam contractus conditionem, ut nempe foenum venderetur absque ullo suo onere. Hinc si undique constabat tum tempore quod tractatum venditionis praecessit, tum altero, quod immediate subsequutum est, venditorem continuo, constanterque hac mente fuisse, ut peritorum examen super qualitate foeni removeretur, haud credibile erat, Massam ab hujusmodi voluntate recedere potuisse, ut diversis sub conditionibus venditioni consensum suum accomodaret, ex quo contractus perfectio oriretur.

Revera autem propositae foeni venditioni numquam consensisse Massam, non leves aderant in casu probationes. Siquidem testatur Angelus Berretti, qui praesens erat in taberna, cum de contrahenda emptione Massam inter, et proxenetas actum est, neque ab initio tractatus, neque deinde eosdem convenisse vel in tempore solutionis pretii, vel in modo venditionis. Deponit immo idem testis prout antea, sic eadem die, qua conclusus foeni contractus refertur, continuo Massam propositi tenacem fuisse ut foenum venumdaret prout erat. Ita quidem in formali examine de colloquiis in re habitis die vigesima secunda septembris perhibet Berrettus = *Sentivo dei contrasti specialmente sull' articolo, da cui non voleva il Massa dipartirsi, di vendere le fienilesse nello stato in cui si trovavano per un sacco d' ossa* =. Nec aliter testabantur negociatores honestissimi Augustus Delaroziere, et Numa Paraige utrique formiter examinati. Ambo enim confirmabant se audivisse Massam querentem cum Proxenetis eo quod conditiones contractus continuo immutabant, nec amplius cum eis agere velle, nisi in scriptis redacto contractu, ac constanter eum profitentem = *di vendere le fienilesse nello stato in cui erano, che intendeva venderle come un sacco d' ossa* = idque ob eam rationem = *che una volta concluso il contratto, non vi fossero più questioni* =. Et quamvis Proxenetae proponerent ad rem componendam, quod post absolutum contractum periti viri secernere quivissent damnum foeni antecedens, ab altero quod deinde obvenisset, patebat tamen ex Paraige testimonio numquam hujusmodi conditioni Massam assentiri voluisse. = *Ma il Massa si oppose sempre a questa proposizione attenendosi alla sua, vale a dire per la verifica prima della sottoscrizione del contratto, che sarebbe rimasto in loro libertà di eseguirlo prima di firmare il contratto, senza la quale condizione non intendeva di aderire al contratto* =.

8 Neque hic sistebant argumenta ad contractus perfectionem excludendam. Etenim accedebat quoque, depactam arrham haud unquam fuisse persolutam, et pluries deinde tum proxenetam Gratiosum, tum Zarettum de eadem foeni venditione rem cum Massa habuisse. Porro si absolutus reapse contractus fuisset, intercessisset profecto arrhae repraesentatio, neque ratio ulla aderat, cur proxenetae ad Massam redirent, et cum eo de foeno rursus agerent, statim ac res erat de jam perfecto, expeditoque negocio. Cum itaque ex testibus utrinque adductis extra controversiam positum esset, sermones

proxenetas inter, et Massam habitos fuisse longe post diem, ad quam contractus perfectio ferebatur, cumque et alterum gravius conflueret, scripturam scilicet a Mandolesio signatam super venditionis conditionibus minime apud Massam repertam fuisse penes quem necessario extare debuisset pro obtinenda pactorum observantia si perfectus fuisset contractus, haud probari posse Patribus videbatur, quod Massa assensum suum praebuerit singulis conditionibus, quibus absolutum negotium proxenetae referebant, proindeque de illius perfectione non constare merito responderunt. Sive enim venditor in ipsa emptione dissentiat, sive in pretio, sive in aliquo modo, semper imperfecta dicitur emptio ad textum expressum in *L. 9 ff de contrahenda emptione.*

Et ita etc. Utraque etc.

**R. P. D. MUZZARELLI**

ROMANA REPORTATIONIS

*22 julii* 1842

ARGUMENTUM

Habes ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Debitor, qui in decoctionis statum incedit, quavis contrahendi facultate caret, et universa ejus bona in communem creditorum utilitatem cedunt.*
2. *Hinc jure vindicatur penes quemcumque detentorem.*
3. *Vilis et affectatus testis, prorsus sperni debet.*
4. *Itemque ille, qui in propriam exonerationem ut utilitatem deponat.*
5. *Juramento aestimatorio numquam fit locus, si probatio quantitatis et valoris non deficiat ex dolo vel culpa alterius partis.*
6. *Iis tantummodo deferri potest juramentum aestimatorium, qui positivam habeant certamque scientiam rei litigiosae in defectu legitimae probationis.*
7. *Non enim praestari illud potest ex mera credulitate.*
8. *Retardata mercium reportatione in decocti debitoris patrimonium, praestari debet maximum earum pretium, quo ab die traditionis ad diem contestatae litis vendi ipsae potuissent, ne creditores ex alterius culpa damnum sentiant.*

## Decisio CXL.

Reginaldi Nascimbene ingenui Curiae Innocentianae patroni animum ac benevolentiam Petrus Rosselli sericorum laneorumque textilium in Urbe negociator adeo sibi conciliare valuerat, ut huic plenam ille fidem adhibere, et opem in omnibus necessitatibus ferre jugiter consueverit. Reque vera non modo judiciales ejus controversias aere proprio sustinere suamque pecuniam plus semel ipsi suppeditare non dubitavit; sed et vim scutorum sex mille a Josepho Borgnana, et Paulo Luzi clientibus suis mutuo illi dari sategit. Ambignae subinde voces de inclinata Petri fortuna in vulgus serpere coeperunt. Is tandem die decimaquarta mensis Junii anni 1840 Roma improviso discessit. Quamobrem Reginaldus in discriminis suspicionem adductus, postera die sollicitus ad Petri tabernam accessit, ac de prodita ab eo fide cum Angelo fratre, ejusdemque tabernae institore graviter conquestus, quicquam saltem tum proprii nominis ad vim scutorum viginti quatuor assurgentis, tum nominum Borgnana et Luzi, quae ad summam scutorum circiter quatuorcentum supra termille reliqua tunc temporis erant, recuperare curavit; nonnullas propterea merces tribus sarcinulis congestas, quibus Joseph Farsarelli tabernae administer pretium proprio charactere attribuit, pignore sibi tradi obtinuit.

Conciliationis tractatus Angelum inter ac Petri creditores instituti deinde fuerunt, eisque mercatoriae tabernae administratio ad ipsorum cautelam communi placito concredita interim fuit. Sed conciliationis tractatus in irritum cesse-

runt; et Petri decoctionem ex praedicta die decimaquinta mensis Junii, Commerciales Juridici per sententiam die septima posteri mensis Augusti latam, declaraverunt. Non ideo tamen Petrus absolvendae conciliationis propositum dimiserat; quin imo Romam quamprimum rediturum, cunctasque controversias compositurum se fore, epistolis datis, jactabat. Quum autem spes quoque ista sublata penitus fuisset, Reginaldus die 24 mensis Maii anni 1841 occultam praedictarum mercium traditionem patefecit, illarumque notulam exhibuit; nonnullas praeterea, quae deteriores fieri quam facillime potuissent, pretio scutorum 104 et obul. 94 vendidisse; hanc denique summam, et superextantes merces pro commercialis tribunalis arbitrio numeraturum, et respective restituturum se fore, ingenuus declaravit. Et hujusmodi declarationem Beniamino Gabriach, et Augusto Delarosiere decoctionis syndicis postera die notificavit, eisdemque praedictum pretium, ac superextantes merces tradendi facultatem a commercialibus Juridicis imploravit. Quum autem decretum prodiisset *nello stato degli atti non è luogo a procedere*, solemne damnorum protestationem Reginaldus emisit.

Verum decoctionis Syndaci, licet praedictum decretum ideo provocavissent, quia Reginaldum illegittimum contradictorem esse contendebant, immutato consilio die tertia superioris mensis Martii brevem illi terminum ad merces reportandas praefigi, quo inutiliter elapso ad solutionem pretii per juramentum aestimatorium constituendi ipsum condemnari postularunt. Tum superextantium mercium, tum pretii ex divenditis mercibus retracti realem oblationem sequenti die quinta ejusdem mensis Reginaldus fecit. Sed illam Syndici recusarunt, qui merces Reginaldo traditas ad vim circiter scutorum quatuor millium, potiusquam ad summam scutorum quingentum, quemadmodum ille juxta exhibitam notulam contendebat, assurrexisse declararunt, et per aestimatorium juramentum confirmare paratos esse, protestati fuerunt. Verum hujusmodi jactationes Commerciales Juridici posthabendas omnino esse duxerunt; ac die 29 praeteriti mensis Aprilis instantiam a decoctionis Syndicis propositam per definitivam sententiam rejecerunt. Ob interpositam appellationem, Causa ad S. Ordinem Nostrum conscendit. Et hodie mane Patres responderunt *Esse locum reportationi juxta modum in Decisione exprimendum*; et modus est, quod pro mercibus a Reginaldo venditis maximum pretium, quo ab traditionis die ad diem contestatae litis super reportatione vendi potuissent, praestetur; superextantes autem merces ad declarationis normam reportentur, ita tamen ut valoris decrementum, vel propter illarum deteriorationem, vel propter commercii vicissitudines interea temporis fortassis obventum, in pecunia numerata compensari debeat.

Quum enim Petri decoctionem ad diem decimamquintam Junii anno 1840 retroferendam esse Commerciales Juridici constituerint, sericas laneasque merces praedicta, ac postera die Reginaldo traditas in decocti patrimonium reportari debere, manifestum est. Quandoquidem debitorem, qui in decoctionis statum inciderit, qualibet contrahendi facultate destitutum esse, et universa ejus bona in communem creditorum utilitatem cedere debere; proindeque a decoctionis Syndicis penes quemcumque detentorem vindicari posse, ex commercialis juris censura exploratissimum sit. Et sane suam reportandarum mercium obligationem ne Reginaldus quidem inficiari ausus unquam fuit. Quin imo die 24 Maii anni 1841 mercium ipsi traditarum notulam exhibuit, earumque reportationi paratum se omnino esse explicite declaravit, congruamque instantiam apud Commerciales Juridicos proposuit, realem subinde earumdem mercium oblationem fecit; alteram denique declarationem nuper emisit, ad cujus tramites rescriptum pro re-

portatione mercium a S. Ordine Nostro hodiernis in comitiis postulavit. Quamobrem de reportationis jure nulla penitus erat controversia.

Sed praedictas merces in ea specie et quantitate, quam notula ab eodem Reginaldo exhibita praesefert, reportandas esse, Patres prudentissime censuerunt. Etenim quodvis aliud documentum desiderabatur, ex quo traditarum mercium qualitas, et quantitas in compertis esse
2 valeret. Indicia autem et argumenta, quae ad majorem traditarum mercium quantitatem probandam a decoctionis Syndicis afferebantur, tanti fieri nequibant, ut ingenua Reginaldi declaratio posthaberi deberet. Et re sane vera ex quo tres sericarum aliarumque pretiosarum mercium sarcinas haud modici ponderis ac voluminis Reginaldo traditas fuisse, tum Joseph de Laudi mediastinus Neapolitanus, qui merces illas Reginaldi domum asportaverat, tum Angelus Rosselli, tum Joseph Farsarelli declaraverint, inferri profecto nequibat, quod tot tantaeque merces traditae Reginaldo fuissent, ut valorem scutorum circiter quingentum, quem Reginaldi notula praesefert, longe excederent, et ad conspicuum valorem scutorum fere quatuor millum, quemadmodum a syndicis contendebatur, assurgerent. Non modo enim ex sericis laneisque testilibus, quae valorem scutorum quingentum praesefferent, tres haud exigui ponderis ac voluminis sarcinulas probe componi valuisse, sed imo sericas laneasque merces valoris scutorum quatuormille tribus dumtaxat sarcinulis contineri nequivisse, Patres consultissime animadverterunt.

Nec item major traditarum mercium quantitas ex eo praesumi valebat, quod Reginaldum supradicta die decimaquinque Junii ejusmodi colloquium cum Angelo habuisse, mediastinus testis retulisset; *io so e sono certo, che il tuo fratello Pietro è fuggito senza speranza che ritorni in Roma: dunque Angelo è tempo ed è necessario che pensi non solo a te stesso, ma più ancora al disgraziato tuo Padre, perfettamente cieco, ed anche bisogna che tu abbi qualche riguardo alli creditori che io rappresento come legale in Roma, e specialmente per il povero Borgnana. Perciò ritorniamo ad aprire il negozio, e prendiamo tetto quello che si può, ma però le migliori mercanzie, e queste te le metterò in serbo in casa mia, e le riterrò per te, le quali ti potranno giovare ed ajutare nella tua infelice situazione, e quella del compassionevole tuo Padre. Fidati pur di me, che io ti ajuterò, anzi ti farò aprire un negozio di minutami, ed il danaro necessario te lo farò dare da Borgnana.* Unius namque et vilissimi testis depositionem spernendam omnino esse nemo non scit. Eoque fortius praedictum testimonium posthaberi debebat, quia nimis affectatum, proindeque suspectissimum. Quandoquidem
3 Reginaldum arcana sua vilissimo mediastino pandidisse, hunc autem secretum colloquium ab illo cum Angelo habitum memoria feliciter servare; et ad verbum ferme referre valuisse, ne praesumi quidem valeret.

Quin obsit quod Angelus metipse declaraverit, *che assentatosi da Roma il mio Fratello Pietro Rosselli con avermi lasciato il negozio e sue chiavi, dopo averlo nella sera del dì 15 Giugno 1840 chiuso circa l'ora di notte unitamente al facchino Giuseppe de Laudi, rincontrammo il Signor Reginaldo Nascimbene, il quale mostratosi consapevole della fuga del d. mio fratello, dopo lungo discorso m'indusse a tornare indietro*
4 *nel negozio ad oggetto di consegnargli delle mercanzie nella massime parte in seta, e tutte delle migliori, e di maggior costo onde con esse garantire ed assicurare li crediti de' suoi clienti Borgnana e Luzzi, non che avere con esse un fondo col quale potere sovvenire il mio padre perfettamente cieco, e finalmente con esse aprire a me stesso deponente un piccolo negozio.*

Nec enim ulla fides Angelo, qui praedictum testimonium in propriam exonerationem, propriamque utilitatem perhibuit, adhiberi unquam posset. Praeterea eo ipso, quod tres dumtaxat sericarum lanearumque mercium sarcinulas Reginaldo traditas revera fuisse, constabat, Angeli, et Josephi testimonia posthabenda penitus erant. Quandoquidem fieri profecto nequibat, quod tot tantaeque sericae laneaque merces tribus sarcinulis continerentur, quae ad ejusmodi valorem assurgerent, ut non modo Reginaldi, et Borgnana ac Luzi nominibus dissolvendis, sed novae tabernae instruendae et Angeli patrisque substentationi par esset. Quamobrem ex praedictis declarationibus majorem traditarum mercium quantitatem argui non posse, manifestum Patribus erat.

Haud refragante, quod praedictas merces ad cauthelam nominum Borgnana et Lutii postulavisse, Reginaldus metipse declaravit; perinde si illas ad illarum nominum summam, nempe ad valorem scutorum termille et quatuorcentum, assurgere debuisse, inferri exinde valeret. Nam utique pignus pro sui suorumque clientum nominibus postulavisse, ast non item tot tantasque merces, quae pares praedictis nominibus essent obtibuisse, Reginaldus declaravit. Sed imo merces ideo traditas sibi fuisse ingenue asseveravit *perchè avesse avuto su di esse una garanzia reale di ciò che poteva spettargli, con ritenere il di più in parziale garanzia de' crediti de' suoi clienti Borgnana, e Luzi.* Quum itaque nonnullas dumtaxat merces ad partialem cauthelam nominum Lutii et Borgnanii obtinere Reginaldus potuisset, ex illorum nominum summa, traditarum mercium valor et quantitas argui profecto nequibat.

Et perperam in probationum defectu aestimatorium juramentum ipsis deferre debere decoctionis Syndici contendebant ex eo quod in paragrapho 759 neoterici codicis judiciarii constitutum est *Il giuramento in litem o estimatorio si deferisce a quella parte che ha provato in genere la sua azione, ma che non può giustificare il valore, o la quantità dovuta a motivo di un fatto doloso e colposo dell' altra parte.* Nec enim quantitas et valoris mercium Reginaldo traditarum probationem ex ejus dolo culpave, sed potius ex Angeli negligentia vel fraude defecisse, Patres in compertis habuerunt. Siquidem ille ingenuam acceptarum mercium declarationem, quod unum praestare poterat, ultro et religiosissime fecit. E converso Angelus traditarum mercium acceptilationem a Reginaldo subscribi, vel saltem illas in tabernae codicibus tempestive adnotare neglexit. Ex quo autem praedicta declaratio a Reginaldo citius fieri fortasse potuisset, valoris et quantitatis saepedictarum mercium probationem ex ejus culpa vel fraude defecisse, inferri nequibat. Nam serius ocius facta illa fuisset, eadem ipsi fides non adhiberi nequivisset.

Et si propterea traditarum mercium probationem ex Reginaldi dolo culpave revera defecisse censeretur; attamen juramentum aestimatorium decoctionis Syndicis deferri profecto nequiret. Quum enim de rebus sibi ignotis nemo juramentum interponere valeat, aestimatorium juramentum iis dumtaxat, qui positivam certamque litigiosae rei scientiam habeant in legitimae probationis defectu, deferri exploratissimum est *ad legem Marcellus* § 1 *Dig. de action. rer. amot. et* ad ea quae tradiderunt *Plotus tract. de in litem jurando* § 13 *n.* 4, *Pacianus de probationibus lib.* 2 *cap.* 38 *num.* 16, *Ridolphinus prax. Judiciar. part.* 2 *cap.* 2 *n.* 201, *Gratian. discept. forens.* 144 *n.* 46 et firmavit S. Rota *in Decis.* 448 *part.* 4, *Diversor. Decis.* 150 *n.* 10 *part.* 14, *Recentior. Decis.* 34 *n.* 1 *cor. Coccino, Spoletana Divisionis sup. redditione ration.* 5 *Junii* 1818 § 3 *cor. Tiberi.* Quamobrem decoctionis Syndicis, qui diu post merces Reginaldo traditas decocti patrimonii admi-

nistrationem susceperunt, nullamque traditarum mercium indicationem in commercialibus tabernae codicibus invenerunt; proindeque nullam de earumdem qualitate, quantitate et valore scientiam habere potuerunt, citra manifestam absurditatem deferri nequiret. Nec ipsorum scientia cum indiciis et conjecturis, quas de traditarum mercium quantitate et valore ex testium depositionibus sarcinularum numero et pondere, ac Borgnana et Luzi nominum summa prodire jactabatur confundi poterat. Eo namque ipso quod ad traditarum mercium quantitatem et valorem praefiniendum, praedicta indicia et argumenta ineptissima Patribus visa fuerunt; inepta item ad positivam certamque Syndacorum scientiam praesumendam non censeri nequibant. Nisi 7 ergo aestimatorium juramentum ex mera dumtaxat credulitate a decoctionis Syndicis praestari posse censeatur, illud in themate deferri haud quaquam debere manifestissimum erat.

At vero quum Reginaldus merces ad Petri patrimonium pertinentes absque legitimo titulo retinuerit, nonnullasque pre- 8 tio scutorum. 104, et obol. 94 proprio arbitrio vendiderit, idcirco, ne coeteri supradicti patrimonii creditores ex illius negligentia levissimaque culpa, quidquam detrimenti patiantur, maximum venditarum mercium pretium, quod ab die traditionis ad contestatae litis diem vendi potuissent, ab ipso praestari: quid minus praeterea caeterae merces, vel propter obventas deteriorationes, vel propter commercii vicissitudines aestimari nunc possent, rependi debere Patres, modo adjecto consultissime judicaverunt. Iniquum siquidem visum est, quod creditorum coetus, ex retardata mercium reportatione, damnum vel propter illarum deteriorationem, vel commercialis valoris decrementum sentire deberet.

Et ita etc. Utraque etc.

R. P. D. MUZZARELLI

ROMANA OBLATIONIS REALIS

*22 julii* 1842

Argumentum ex Summario.

*SUMMARIUM*

1. *Oblatio realis, quae integra non sit, nec valida censeri, nec probari potest.*

## Decisio CXLI.

Praeter controversiam, quae de sericarum lanearumque mercium Reginaldo Nascimbene post Petri Rosselli fugam traditarum reportatione eum inter, decoctionis Syndicos conflagravit, de qua in contemporanea mea Decisione res est; altera quoque controversia de validitate oblationis realis pretii scutorum 104 et obol. 94 ex venditis mercibus retracti, et superextantium mercium quam die quinta superioris mensis Martii Reginaldus praedictis Syndicis fecerat, proposita apud Commerciales Juridicos fuit, qui illam nullam et irritam renunciaverunt. Nec secus hodie mane censuit S. Ordo Noster, ad quem Reginaldus provocaverat. Siquidem responsum dedit = *Non constare de validitate oblationis realis, et extendatur Decisio* =.

Licet enim declarationem qua de traditarum sibi mercium qualitate et quantitate Reginaldus emiserat, et ad cujus tramites realem oblationem fecerat, probandam servandamque esse, et ad illarum dumtaxat reportationem eum condemnari debere, in coaeva Decisione constitutum prudentissime fuerit; quum tamen modus fuerit adjectus ut nempe maximum venditarum mercium pretium, non 1 item illud argenteorum 104 et obol. 94, quod ex arbitraria illarum venditione assequutum fuisse, Reginaldus declaraverat, ab eo praestari, valoris autem decrementum, ob superextantium mercium deteriorationem, vel commercii vicissitudines fortassis obventum, compensari de-

beret; realem supradictae summae scutorum 104 et obol. 94, ac superextantium mercium oblationem nullam et irritam renunciandam esse, liquebat. Quandoquidem haud integrum vel venditarum, vel superextantium mercium valorem, qui juxta contemporaneum S. Ordinis Nostri rescriptum ad ejus obligationis implementum praestari a Reginaldo debuisset, oblatum fuisse, constabat. Quamobrem illiusmodi oblatio integra et valida censeri profecto nequibat.

Et perperam pretium scutorum 104 et obol. 94 pro venditis mercibus oblatum, tum valorem iisdem mercibus a Farsarellio tabernae administro ad traditionis diem attributo, tum et pretium ex coeterarum similium mercium venditione decoctionis Syndicis retractum excedere; proindeque plusquam congruum censeri debere, Reginaldus contendebat. Nec enim congruum, sed maximum pretium, quo merces illae ex traditionis die ad diem contestatae litis super reportatione vendi potuissent, ab illo in retardatae reportationis poenam rependi debere, Patres judicaverunt. Licet ergo verum et congruum venditarum mercium pretium oblatum a Reginaldo fuisset, eo tamen ipso, quod maximum pretium ab eo debitum esset, per illiusmodi oblationem ejus obligationi satis omnino factum non fuisse, censeri debebat.

Nec item obstabat, quod superextantes merces in reali oblatione comprehensas non modo deteriores factas non fuisse, sed hodie pluris quam ad traditionis diem valebant, publice aestimari, et alter negociator declaravisset. Etenim nonnullas dumtaxat ex mercibus a Reginaldo oblatis exhibitas ipsis fuisse iidem negociatores confessi subinde fuerunt. Praeterea nec alii negociatores desiderabantur, quis sericas illius generis merces ex traditionis die ad diem oblationis realis deteriores non fieri nequivisse, perhibuerunt. Quum itaque ex contradictoriis extrajudicialium peritorum depositionibus in compertis esse nequiret, utrum superextantium mercium valor vel propter illarum deteriorationem, vel propter commercii vicissitudines nec ne decrevisset, et coeteroquin Reginaldus non modo superextantes merces in decocti patrimonium reportare, sed etiam valoris decrementum, quod fortasse obtigerit, ob illarum reportationem ejus culpa, negligentiave retardatam, compensare deberet; eo ipso quod hujusmodi valoris decrementum concludentissime ab eo exclusum minime foret, per realem superextantium dumtaxat mercium oblationem, ejus obligationi satisfactum minime fuisse; proptereaque oblationem illam nec integram, nec validam censeri posse, manifestum erat.

Et ita etc. Utraque etc.

**R. P. D. BOFONDI**

**BONONIEN. DEPOSITI**

*Veneris* 17 *augusti* 1842

ARGUMENTUM

Contractus, cujus existentiam actor non satis probat, vel qui simulationis victio laborat, rejicitur.

*SUMMARIUM*

1. *Actore non probante reus absolvitur.*
2. *Confessio tamquam actus individuus, vel in totum accipienda est, vel in totum rejicienda.*
3. *Professio illius, qui decoctioni proximus est, nullam fidem meretur.*
4. *Itemque ea, quae praejudicium tertii, qui bona fide contraxit.*
5. *Et quae pugnet cum dicto integerrimi testis.*
6. *Testes, pendente lite expiscati, non probant.*
7. *Testes extrajudiciales tamquam deserti habentur, si formali examini subjecti non fuerint, postquam judiciali ritu eorum testimonia impugnata fuerunt.*
8. *Testis ei affinis, pro quo deponit, fidem non meretur.*
9. *Nec qui studium partis exhibet.*
10. *Nec pariter qui addictus est servitio illius pro quo testimonium dicit.*

11. *Ex sera documenti productione facile conjicitur ejus inefficacia.*
12. *Proxima decoctio tutissimam praebet simulationis causam.*
13. *Simulationis argumenta et conjecturae.*

## Decisio CXLII.

Orientalem gallam vulgo =*Vallonea*= quam a Petro Frizzati Tergestino transmissam ad vendendum acceperant fratres ejus Antonius ac Raphael Bononiae commorantes, pridie kalendas Martii anni 1839 Camillo Montanari tradiderunt ad hoc ut venditionem hic aeque curaret. Camillus transvectam prius gallam in promptuarium cujusdam Magnici, cujus ipse negocia procurabat, paullo post scilicet die 20 Martii ejusdem anni, venumdedit mercatoriae rationi *Pellegretti*, habita fide de pretio, quod constitutum est in scutis 537 07 ad rationem scutorum 24 pro singulis millenis libris; quodque intra semestrem spatium persolvendum convenit. Re ita absoluta, cum mercatoria ratio trium collybi litterarum se creditricem diceret erga fratres Frizzati, debitum gallae pretium cum liquido cambialium credito compensari coram judice postulavit. Tunc prodiit Franciscus quidam Mombelli, qui gallam eadem die 28 Februarii 1830 sibi in solutum datam contendes pro rata scut. 559 44 asserti majoris sui crediti Magnicium in judicium adduxit, ut hic, quem uti dominum promptuarii, in quo galla a Montanario ejus institore deposita fuerat, obstrictum putabat, vel ad mercis hujusmodi restitutionem vel solutionem pretii cogeretur. Bononienses Commercii Juridici, post jussum interventum ad causam Antonii Frizzati, et Camilli Montanari, sententiam protulerunt, qua absoluto Magnico ab observantia judicii, Camillum vel ad restituendam orientalem gallam, vel ad pretium repraesentandum condemnarunt. Provocante Camillo ad Bononiense appellationis collegium confirmata est, quoad Magnicum, reprobata vero quoad Montanarium primorum judicum sententia, reservatis partium juribus in primo juris dictionis gradu experiundis.

Reversus itaque Mombellius ad Commercii Judices petivit, ut, declarata nullitate venditionis favore rationis Pellegretti initae, restitutio gallae, vel preti solutio in scutis 559 44 tum contra Camillum, tum contra mercatoriam ipsam rationem praeciperetur. Mox decreta est vocatio ad causam fratrum Frizzati. Orta demum sententia, qua excepta est Actoris intentio. Interposita vero provocatione ad appellationis tribunal, revocatum est primi gradus judicium. Ob sententiarum inde discrimen conscendit quaestio ad S. Nostrum Auditorium. Quamobrem hodie requisiti de sententia Patres, incunctanter rescripserunt = *Non esse locum praefixioni termini pro reconsignatione mercis, aut solutione pretii, et extendatur decisio* =.

Et consultisime quidem. Nihil enim in jure magis expresse cautum, quam quod repellenda sit continuo actio, quoties legitimis probationibus destituta comperiatur juxta vulgatissimum adagium = *actore non probante, reus absolvitur* =. Ejusmodi autem esse videbatur proposita a Mombellio petitio. Dum revera nullam ipse dicebat ex defectu mandati, Orientalis gallae venditionem, quam erga rationem Pellegretti Camillus Montanarius expleverat, nil eximii proferebat ad excludendum hujusmodi mandatum, ac depositum evincendum, quam unam Camilli ipsius confessionem sine qua nec mercis quidem traditio probari potuisset. Porro tam longe aberat, ut ex hac confessione depromi valeret mandati ad vendendum exclusio, mirum immo in modum apparebat, mercem a Frizzatiis traditam, acceptamque a Montanario eo consilio eaque lege fuisse, ut ab hoc distraheretur in alios. Nec eam confessionis partem quae respicit traditionem, amplecti, alteram vero quae mandatum ad vendendum estendit, respuere liceret.

2 cum enim sit confessio individuus actus, qui a discussione refugit, vel in totum ac protujacet est accipienda, vel rejicienda in universum ad tradita *per Barthol. in leg. Aurelius* 28 § *Idem quaesiit ff de liberat. legat. Menoch. consil.* 703 *numer.* 3 *lib.* 8, *Angel. de confess. libr.* 3 *quaest.* 11 *numer* 1 *et* 15, *et Rota decis.* 167 *numer.* 17 *Part.* 1 *decis.* 469 *numer.* 59 *part.* 19 *Tom.* 2 *Recent. et* 404 *numer.* 1 *cor. Marco.*

Ac perperam mandatum ad vendendum excludere et probare vicissim depositum actor nitebatur sive ex ante sibi facta gallae venditione priusquam scilicet merx Montanario traderetur; sive ex testibus pendente lite adductis, sive demum ex quadam informi chartula quae descriptum gallae pendus praeseferebat. Ad primum
3 enim quae attinet, observatum est, contractum quo gallam a Frizzatiis sibi comparasse asseverabat, nulli alii probationi inniti, quam alterius tantum ex fratribus ipsi venditoribus professioni. Verum istiusmodi professio, uti suspectissima, nullam
4 sibi promereri fidem poterat, tum quia paullo post assertam hanc venditionem foro cessit obaerata mercatoria Frizzati ratio, tum etiam quia, affinitate conjunctus Frizzatius esse contabat cum Mombellio, cujus extaret gener, tum rursus quia in praejudicium veteret tertii, qui bona fide orientalem gallam coemerat:
5 tum denique recte pugnaret cum insuspectissimo Montanarii testimonio, qui cum non depositarii munere fungeretur, sed ex instituto esset = *Commissionario* = praesumendus potius erat ad venditionem procurandam mercem tantummodo eum habuisse, prout fidenti animo affirmabat. Eo vel fortius quia a concivibus suis prae sua honestate valde commendatus, nec ulla vel futurae utilitatis spe ductus distrahere rem alienam proprio marte, atque invito prorsus domino crimenque ita patrare gratuito voluisse existimari oppido nequibat.

Ad testes vero quod spectat, conside-
6 ratum est primum, eos sero nimis, fervente videlicet in secundo jurisdictionis gradu lite, expiscatos fuisse, ideoque minime attendendos ad notissima jura: praeterea vix eorum testimonia in actis pro-
7 ducta statim fuisse, judiciali ritu impugnata, nec deinde curatum, ut a judicibus probarentur, ac formali subjicerentur examini, adeo ut pro desertis habi-
8 ta jure fuerint: denique inspecta eorum qualitate non posse eos suspectissimos non censeri. Alter quippe Vincentius Rizzoli
9 non modo socer erat Antonii Frizzati (cui Mombellius nonnisi nomen suum mutuasse videtur) sed etiam quasi defensor judices pluries aditus, omne studium adhibuit, ut eos in generi vota adduceret. Alter vero Aloysius Peli servitio fratrum
10 Frizzati initio addictos, post horum decoctionem in famulitium migravit Francisci Mombelli eorumdem leviri: denique circa tempus quo contractus initus fuisset, testes haud cohaerere cum Mombellio. Quandoquidem hic in libello, quo lis inchoata est, eadem ponere diem non dubitasset, vigesimam scilicet octavam Februarii, in qua galla Montanario tradita fuit: illi vero se referunt ad tempus quod traditionis diem praecessisset.

Tandem nec Mombellium proficere quidem posse perpensum est, chartulam a Montanario scriptam, et gallae pondus praeseferentem adduxisse, unde depositum argueret. Praeter enim quam quod chartula, etsi a Montanario conscripta, haud tamen subscripta fuisset, observabatur non modo eam expressim de depesito minime loqui, sed neque ullum suppeditare probationis vestigium, ullumque argumentum, unde depositum velut a Mombellio peractum, multoque minus ejus dominium hauriri valeret. Ex sera autem illius productione non immerito conjiciebatur, datam chartulam fuisse non
11 Mombellio, sed Frizzatiis, tamquam nudam rationem vulgo = *fattura* = quae traditae Montanario merois quantitatem ostenderet. Inane itaque praesidium quaeritavit Mombellius ex generica hac ratione, quae dum nil prorsus ponebat niesse,

minus quoque apta comperiebatur ad gallae proprietatem evincendam.

Quae cum ita essent, assertum Mombellii contractum prorsus eliminabant. Caeterum, etsi contractus ipse extitisse revera fingeretur, nihilominus a simulationis labe exemptus minime abiret. Principio enim deterrima fratrum Frizzati Bononiensium conditio qui obaeratissimi erant,
12 ac decoctioni fere proximi, tutissimam simulandi causam praebebat. Succedebant deinde argumenta, et conjecturae simulationem innuentes. Obtinuisse quippe in
13 solutum datio favore Francisci Mombelli, Frizzatiorum leviri, hominis quidem aptissimi ne compositam fraudem in lucem proderet, atque ut arcanum servaret: rursus judicium ab hoc non ante introductum, quam post aliud a ratione Pellegretti contra Frizzatios promotum, ut cujusdam nominis solutionem obtineret, ac pro rata parte cum pretio adeptae gallae compensaret: venditionis denique erga rationem Pellegretti non ambigua approbatio a Petro Frizzati Tergestino (ad quem galla pertinebat) judicio emissa, a qua Petrus caeteroquin abstinuisset, si vendita galla Montanario re ipsa fuisset. Quae quidem argumenta, et conjecturae adeo dilucidae, vehementesque prudentissimo cuipiam apparebant, ut contractus de quo res est simulationem omnino suaderent. Rejiciendus itaque erat actor, sive quia intentionem suam minime probaverit, sive etiam quia contractus quem in medium proferebat, erat apertissimo simulationis vitio infectus.

Et ita triangulari partium certamine resolutum est.

FINIS

# INDEX

## CONCLUSIONUM NOTABILIUM

### A


Abortus. Ovium abortus ab incuria pastorem, et pabulorum inopia, non a morbis, a quibus ones convaluerunt, repetenda est. *dec.* 17 § 5.

Absens. Debitorem judicio absentem, et solvendo aeri alieno parem, iniquum est odiosissima decoctionis sententia mulctare. *dec.* 13 § 16.

Acceptans. Acceptans denegare non potest solutionem gyratariis, si in scheda sit clausula — *all' ordine S. P.* — *dec.* 3 § 15.

Acceptans cambialem literam — *all' ordine S. P.* — ab ejus solutione sese eximere nequit, etiamsi gyratarius eam non acquisiverit oneroso titulo. *dec.* 3 § 5.

Acceptans pure, et simpliciter cambialem — *all' ordine S. P.* — ejus solutionem gyratario remorari haud potest per quaslibet exceptiones, quae forsan ei adversus trahentem competerent. *dec.* 3 § 10.

Quando agitur de literae acceptante, ad liberationem assequendam satis est pro eo vel ipsam literam absque creditoris epistographo recipere. *dec.* 58 § 8.

Eoque magis si eadem litera expressum praeseferat soluti debiti declarationem. *dec.* 58 § 9.

Acceptans habet contra se erga gyratarium triplicem actionem, nempe — *constitutae pecuniae, depositi, et fidejussoriam* — *dec.* 3 § 13.

Acceptans, qui injuria solutionem cambialis detractavit, debitae summae fructus quoque rependere, et expensas reficere debet. *dec.* 3 § 17.

Accessorium. Accessorium principalis negocii naturam sequitur. *dec.* 121 § 6.

Accipere. Qui rem alienam sibi adscivit invito domino, vel ab eo accepit, qui nec dominus erat, nec domini procurator, eam restituere omnino debet. *dec.* 104 § 1.

Acquiescentia. Per acquiescentiam solam creditoris non probatur solutio. *dec.* 31 § 11.

Actio. Indoles cujuscumque judicii ab instituta actione desumitur. *dec.* 36 § 21.

Ex lege pro commerciali haberi nequit actio ex hoc dumtaxat, quod instituatur contra negociatores. *dec.* 25 § 6.

Per exceptionem de usuris actio commercialis in civilem converti nequit. *dec.* 23 § 5.

Alias enim nullum esset commerciale judicium suapte natura expeditissimum, a quo debitores declinare non possent per exceptionem usurarum, quibus inquinatum quodvis commerciale negocium facile praedicatur. *dec.* 23 § 6.

Actio constitutae pecuniae, depositi, et fidejussoria competit gyratario adversus acceptantem. *dec.* 3 § 13.

Harum actionum effectus nulla exceptione retardari potest. *dec.* 3 § 14.

Actio damni injuria illati ex lege Aquilia, diversa prorsus est ab actione *ex empto* vel ad *quanti interest*. *dec.* 18 § 1.

In actione damnorum utpote invisa, et odii plena, mitior semper et benignior ferenda est sententia. *dec.* 56 § 3.

Quae actio semper repulsatur si perspicuae deficiant, solidaeque probationes. *dec.* 56 § 4.

Actio *de in rem verso* judicium ordinarium constituens, confundi nequit cum judicio exequutivo pro solutione cambialis literae. *dec.* 116 § 6.

Nullus deceptor actionem doli evadere potest. *dec.* 30 § 21.

Actio hypotecaria datur mercatori ripali super rebus quae sunt penes debitores in locum mercium venditarum subrogatae. *dec.* 14 § 7.

Actio ad implementum, et quanti interest in omnibus contrahentibus suppetit, et numquam ob violata pacta fit locus rescissioni. *dec.* 50 § 6.

Probatio versionis rei vel pecuniae in utilitatem domini, exulat in actione institoria, pro qua sufficit contractam fuisse cum institore de iis rebus, quae ad negociationem, cui ipse praepositus fuit, pertineant. *dec.* 74 § 44 *et* 15.

Sive servus, sive ancilla, fac filiusfamilias vel pupillus praepositi sint, actio institoria competit. *dec.* 74 § 6.

Atque etiam si decoctor praepositus fuerit. *dec.* 74 § 7.

Institoria actione praeponens in solidum convenitur, et contractum agitur ac si ipse per se non per institorem contraxisset. *dec.* 74 § 4.

Ut exerceri valeat institoria actio requiritur, ut fines praepositionis ad instar mandati sedulo perpendantur. *dec.* 97 § 9.

Creditori societatis actio solidalis competit in quemlibet ex sociis, dummodo nomen cesserit in causam societatis. *dec.* 17 § 6.

Actio spolii pertinet ad res immobiles *decis.* 52 § 1.

Omnium actionum principium ab ea parte edicti proficiscitur, quae praetor edicit de in jus vocando *dec.* 13 § 2.

Neque ipsae commerciales leges secus jubent *dec.* 13 § 3 *dopo il* 2.

Actor. Probandi necessitas incumbit actori *decis.* 80 § 1.

Actori onus incumbit intentionem suam luculenter ostendere *dec.* 93 § 1.

Et rigorosior quoque exigitur probatio si de actione agatur cui aperta resistit legis dispositio *dec.* 93 § 2 *dopo il* 1.

Reo satis est incertam ac turbidam actoris intentionem facere *dec.* 80 § 2 *dopo il* 1.

Actore non probante reus absolvitur *decis.* 142 § 1.

Actor scenicus. Quando conventum fuit unicum honorarium, et per modum unius, actori, vel cantori solvendum non antea pro rata actionum, tunc dividi nequit, si actor, vel cantor, fortuito morbo correptus, absque sua culpa, nonnullis scenicis actionibus interesse nequivit *decis.* 28 § 1 *dec.* 33 § 1.

Ex usu, et consuetudine theatrorum jam ubique recepta, honorarium non imminuitur actoribus et musicis in morbos casu delapsis, sive is brevis fuerit, sive diuturnus *decis.* 33 § 6.

Ex regulis legibusque theatralibus, Mediolani editis inter casus fortuitus, quibus eventuali fit locus respondenti honorariarum imminutioni, nullibi actorum fortuitus morbus adnumeratur *dec.* 28 § 5.

Verba - *altri casi fortuiti* - posita post casus expressos incendii, et interdicti principis, quibus suspenduntur scenicae actiones, includunt dumtaxat casus similes expressis, non autem casum non expressum infirmitatis actoris *dec.* 28 § 5.

Tunc sancitur, ut, eis fortuito aegrotantibus, integrum solvatur depactum honorarium perinde ac si valerent, et locatam operam praestarent *dec.* 28 § 6.

Honorarium ex jure non dispertitur si unicum dicitur, pro certo facto, certo tempore praestandum *dec.* 28 § 2 *dopo l'* 1. *dec.* 33 § 2.

Nec honorarium actoribus promissum desinit esse unicum, nec pro rata actionum dispertiendum, ex quo solvi debeat pro quavis tempestate, si contractus plures tempestates complectatur *dec.* 33 § 3.

Nec ex qua solutio facienda sit - *a quartali* - quae solventis commodum dumtaxat respicit *dec.* 33 § 4.

Actus. Sicuti ex loci, et temporis unitate actuum identitas arguitur, ita ex diversitate temporum, locorum et personarum actuum discrimen infertur *dec.* 101 § 9.

Quando agitur de intrinseca cujuslibet actus justitia, in medium proferri nequit duplicitas personae *dec.* 93 § 9.

Ex pragmaticarum legum sanctione nullus et irritus est quilibet actus gestus contra formas ab eis praestitutas *dec.* 62 § 5.

Actus commercialis. Dum lex, quae commercialis jurisdictionis fines, quo fieri potuisset coegit, ei tribuit, *le controversie relative ad atti di commercio fra ogni sorte di persone*, non lato sensu, sed strictim accipienda est de iis tantum controversiis, quae directe, et ex ipso commerciali actu dimanent *dec.* 124 § 9.

Lex pro actu commerciali habet quamcumque fructuum, vel mercium emptionem, ad hoc ut postea, quocumque modo vendantur, sive etiam dentur usufruendi titulo *decis.* 67 § 2.

Lex habet pro commercii actu quamvis - *impresa di amministrazione* - *dec.* 124 § 6.

Id autem intelligendum dumtaxat de iis, qui fuerint - *intraprendenti* - itaut commercialis obligatio inter creditores subministrationum, eorumque debitores committatur *dec.* 124 § 7.

Minime vero inter redemptorem, ejusque mandatarium *dec.* 124 § 8.

Commercialis est actus merces emere ad eas vel in natura, vel fabrefactas postea vendendas *dec.* 95 § 8.

Societas de re emenda, quae postea vendatur, habetur uti mercatorius actus *decis.* 27 § 1.

Mandatum etsi per se actus sit civilis, fit actus commercialis statim ac versatur in negocio commerciali *dec.* 128 § 5 *et* 10.

Sicuti emptio, venditio, locatio, societas, depositum *dec.* 128 § 6.

Ideo lex inter commerciales actus describit de genere mandatorum solam commissionem, quia haec tantum exclusive commercialis est *decis.* 128 § 7.

Cambium obliquum recenseri nequit inter actus commerciales *dec.* 22 § 10.

Actus judiciales. Nullitate laborant actus gesti coram eo judice a quo jam antea causa avulsa fuerat, et ad superiorem judicem delata *decis.* 50 § 1.

Eoque magis si coram hoc superiori judice coeptum est agere de causae meritis *decis.* 50 § 2.

Acta judicialia circumscribuntur, non autem extrajudicialia *dec.* 86 § 8.

Quod fit a magistratu oeconomico, judiciale dici nequit *dec.* 86 § 7.

Actus publici. Instrumentum a tabellione scriptum, et penes ejus pacta adservatum altera est actorum publicorum species *dec.* 36 § 12.

Ejusdem autem generis species sunt scripturae, quae fiant vel a praeside provinciae, vel a decurionibus civitatum, vel a judice *dec.* 36 § 13.

Administrator. Aliud est administratoris, aliud institoris officium *dec.* 113 § 10.

Ex contractibus per administratorem initis patrimonium administratum obligatur *decis.* 74 § 8.

Societatis administratores ex eorum administratione, quoad ejusdem societatis obligationes, nec personaliter, nec solidaliter tenentur *dec.* 36 § 22.

Adnotatio. Nemo potest propria adnotatione debitorem sibi constituere *dec.* 80 § 3.

Tesseris a publico pensitatore traditis, veritas plenissime probatur adnotationum, quas ipse in dies describit in suo codice datis schedis respondentes *dec.* 55 § 6.

Adsessor. Lex 5 octobris 1824 Adsessori riparum subrogavit tribunal commercii *dec.* 14 § 1.

Advocatus. Pactum quotae litis vetitum est advocatis *dec.* 75 § 11.

Aemulatio Victoribus proemia proponuntur ad excitandam aemulationem *dec.* 44 § 1.

Proemio autem semper victores, nunquam victi donatur *dec.* 44 § 2.

Affinitas. Affinitas affinitates non parit *dec.* 18 § 16.

Suspectus testis ei pro quo deponit affinitate conjunctus *dec.* 45 § 2.

Testis pro affini suo nullam fidem facit *dec.* 65 § 9.

Agentes. Sub nomine - *agenti* - aut - *commessi* - veniunt qui certa mercede sunt conducti, et mercatoris famulatui addicti *dec.* 124 § 15.

Agricultores. Agricultòres - *Mercanti di Campagna* - secundum S. Ordinis sententiam ab jurisdictione tribunalis commercii sunt exempti *decis.* 17 § 2.

Alienatarius. Quaestio est an ex forma gyratae *alienatarius* potius mandatarius quam proprietarius fit cum *alienatario* ipso; nunquam autem cum debitore, qui cuicumque solverit, liberatur *dec.* 58 § 10.

Fortius quia quaestio illa non contra debitorem, ut bis solvat, sed ab hoc uno potest proponi, ut iisdem exceptionibus, quae creditori nocuissent, neque adversus exhibitorem, uti ejus mandatarium, uti valeat *dec.* 58 § 11.

Anatocismus. Anatocismi vitium adest quando initio usurae usurarum conventae fuerunt *decis.* 99 § 9.

Ast exulat quando usurae jam decursae, et non solutae, fiant liquidae et reducantur in caput: tunc enim licet ex his fructus percipere *dec.* 99 § 10.

Anatocismi vitium est, quando usurae usurarum conventae ab initio fuerunt, minime vero quando usurae insolutae ad liquidum perductae in caput redigantur *dec.* 120 § 21 *dec.* 114 § 11.

Ancilla. Famulis, et Ancillis, quae brevi tempore morbo impeditae, promissas operas non praestaverint, numquam fit illico reductio ex mercede *dec.* 28 § 15 *dec.* 38 § 9.

Antidata. Censura legis quae vetat antidatam in litteris cambialibus sub poena falsitatis, locum obtinet dumtaxat in iis litteris quae antidatae fuerunt in alicujus tertii detrimentum ab earum possessore decoctioni proximo *decis.* 65 § 7.

Nec extenditur ad eos casus, in quibus sine fraude, et alicujus tertii damno cambialis littera antidatam praeseferat *dec.* 65 § 8.

Apoca oneraria. Oneraria apoca ab navarcho subscripta authenticum praesefert documentum, qualitatis et quantitatis mercium in ea descriptarum *dec.* 40 § 1.

Id tamen cessat, si navarchus adhibuerit formulam - *dice essere* - *dec.* 40 § 2.

Quae formula simplicem exhibet confessionem tradentis merces, et a quavis obligatione recipientem, seu navarchum eximit *decis.* 40 § 3.

Apotheca Cum quis vendidit stylia, et avviamentum apothecae, nihilque sibi in ea reservatum voluit, hoc ipso constat venditum quoque

fuisse ejusdem apothecae exercitium *decis.* 100 § 2.

Stylia, et avviamentum apothecae sine ejus exercitio manent prorsus ociosa, et sterilia *dec.* 100 § 3.

Voltura apothecae in publicis annonae codicibus, sicuti per se dominium inducere non potest ita ejus defectus dominium auferre nequit, quod quis legitimo contractu ex oneroso titulo sibi quaesivit *dec.* 100 § 8.

Qui autem hunc contractum novit, legitime cum acquirente, sive cum ejus institore contrahit, quia sollicitus esse debeat de facta, vel cum facta inscriptione in publicis annonae codicibus *dec.* 100 § 9.

Appellatio Appellatio, ut ajunt, currum et boves ad se trahit *dec.* 62 § 6.

Per appellationem in incidenti tum nullitatis, tum cujuslibet alius generis quaestione, interpositam, ad judices secundarum actionum defertur universum negocium, adeoque princeps quoque causa, etiamsi adhuc integra sit *dec.* 62 § 7.

Quod obtinet non solum cum provocatum fuerit ab decreto interlocutorio, de quo simplicis demonstrationis gratia loquitur art. 523 leonini codicis, sed ab qualibet alia decreti specie *dec.* 62 § 8.

Si partes pacto convento appellationi nuncium miserunt, arbitramentales sententiae sunt inappellabiles *dec.* 109 § 6 *dec.* 111 § 1.

Adeoque etiam in re mercatoria adversus eas provocare non licet ad ordinarios judices, sed dumtaxat apud supremam Signaturam, vel peti potest restitutio in integrum, vel nullitatis querela proponi *dec.* 109 § 7, *dec.* 112 § 2.

Ex lege commerciali succumbentes non recursu ad Signaturam sed directe provocare possunt intra quinque dies ab denunciata sententia *dec.* 2 § 3.

Ex commerciali lege competit semper appellatio ab arbitrorum judicatis, nisi ei nuncium missum fuerit *dec.* 35 § 1.

Post interpositam absque ulla reservatione appellationem, non est amplius locus in integrum circumscriptionis querelam proponere *decis.* 42 § 7.

Pendente appellatione nihil innovari potest *dec.* 2 § 1.

Arbiter. Non potest sua sententia confirmare contractum foeneratitium *dec.* 10 § 4.

Arbitris nulla jurisdictio per compromissum adtribuitur: eorum enim sententia nonnisi auctoritate competentis tribunalis executioni committi valet *dec.* 71 § 12.

Ex commerciali lege competit semper appellatio ab arbitrorum judicatis, nisi ei nuncium missum fuerit *dec.* 35 § 1.

Argentarius. In Urbe procul a statutis, ab universitate, et ab extrinseca forma, quotquot mercantur trajectitias literas cambii, pro argentariis habentur *dec.* 23 § 1 *dec.* 39 § 10.

Tolerabilis est in argentariis dodrantis fructuum ratio, quia ex investimento pecuniae fructus percipere possunt dodranti majores *dec.* 39 § 9.

Levissima quoque culpa praestanda ab argentario *dec.* 96 § 6.

Argentarius, qui rem agit *bancariam*, ut commissarius habetur *dec.* 96 § 4.

Arrha. Arrha ut plurimum datur non in probationem, sed potius in contractus securitatem, et pignus *dec.* 127 § 5.

Hinc venditor ea privari non debet, quando singula pacta conventa, non fuerint ad unguem impletae *dec.* 127 § 6.

Ex depacta arrha non soluta argumentum exurgit non perfecti contractus *dec.* 139 § 8.

Artes. liberales Inter artes liberales adnumeratur musica scientia *dec.* 28 § 11.

Artifex. Qui ad certum tempus pure, et simpliciter artificis operam conduxit, frustra quaeritur de ejus imperitia, et conductionem rescindere praesumit: suae culpae enim adscribere debet, si absque aliena fraude, ac dolo dum libera ei undique erat electio imperitum potius, quam peritum hominem elegit *decis.* 41 § 1.

Etiam in locationibus conductionibus juris principium valet, quod semel placuit amplius displicere non posse *dec.* 41 § 2.

Qui navus, et solers conduxit conduxit operam artificis praesertim alienigenae et longingua e regione accersiti, praesumitur perspectam probatamque jam antea habuisse ejus in arte peritiam *dec.* 41 § 3.

Fortius si post incoeptum contractum conductor siluit *dec.* 41 § 4.

Frustra quis quaeritur, nulla adducta concludenti probatione, de alicujus artificis imperitia, qui periti famam jam antea sibi est adeptus *dec.* 108 § 8.

Fortius si qui quaeritur experimentum, ab ipso artifice oblatum, recuset *dec.* 108 § 9.

Artifices licet merces nonnullas ad ipsarum artificia idoneas identidem emere consueve-

rint, inter negociatores minime recensentur *dec.* 107 § 5.

Artificium. Qui artificii arcana possidet ac invitus alii communicare, eorumque usum edocere nunquam cogi debet *dec.* 108 § 3.

Ut omnium artium, ita machinarum arcana studiose semper custodiuntur, et proprietas existimantur eorum ea qui didicerunt *decis.* 108 § 4.

Assecuratio. Assecurationem fortunarum et personae lex praescribit in decoctione, quae nuuquam a mala fide sejungitur *dec.* 15 § 14.

Assecuratio mercium. Sub assecuratione mercium *ad uso di drogheria* veninnt dumtaxat aromata, non autem res fictiles, et pharmaca composita *dec.* 125 § 8.

Haec enim cum per medicos soleant administrari, ab aromatariis, et droheriis vendi non possunt *dec.* 125 § 9.

Ex societatis instituto res pretiosae non compraehenduntur in assecuratione, nisi in syngrapha fuerint nominatim designatae, atque descriptae *dec.* 125 § 10.

Associatio. Contractus - *di associazione libraria* - potius quam sit innominatus, veram praesefert emptionem venditionem *dec.* 20 § 14.

In contractibus vulgo - *associazioni* - mox est exiguam morem in edendis voluminibus tollerare, nec statim post moram ab contractu recedere *dec.* 20 § 8.

In contractu pro operibus typis imprimendis, qui associationis dicitur, distinguendi sunt socii, quorum nihil intersit citius, vel serius volumina habere, ab sociis, qui nti negociatores cum aliis sese obligaverint, et debent, idcirco statis temporibus volumina accipere *dec.* 19 § 11.

Attentata. Quando constat de legitima inhibitione deque ejus spretu attentata commissa dicuntur, fitque locus eorum purgationi *dec.* 2 § 2.

Avarea. Avarea particularis ab rei domino perfertur *dec.* 101 § 3.

## B

Biglietti all' ordine. Ex lege - *i biglietti* - ab negociatore subscripti, nisi alia subsit expressa causa, ad ejus commercium pertinere existimantur *dec.* 27 § 3.

Idque intelligendum non dumtaxat de syngraphis, quas vocant - *biglietti all' ordine* - sed de qualibet solutionis sponsione a negociatore scripta *dec.* 27 § 4.

Bona fides. Bona fides patitur non, ut bis idem exigatur *dec.* 58 § 1.

Bona fides aequitatem summam desiderat *dec.* 61 § 4.

In judiciis mercatoriis bona fides dumtaxat et actae rei veritas prae oculis habenda est remotis subtilitatibus, et apicibus juris *decis.* 21 § 12.

## C

Calculus. Error calculi semel ac innotuit, emendandus *dec.* 1 § 1.

Agnitio calculorum non impedit quominus error postea emendetur, si quis in his irrepsisse depraehendatur *dec.* 122 § 3.

Calliditas. Aliena credulitas, aut calliditas praejudicium nemini afferre potest *dec.* 97 § 11.

Cambium. Cambii nomen generale est, et recte accipitur vel pro literis cambialibus, vel pro ipso cambio *dec.* 121 § 4.

Cambii obliqui validitas controversa fuit inspecto jure canonico; probata tandem ex doctrina summi pontificis Benedicti XIV. *dec.* 22 §§ 12 et 13.

Re enim debitor pro suo commodo pecunia utitur, et usuras solvit titulo lucri cessantis, et damni emergentis *dec.* 28 § 15.

Hinc cambium obliquum bene appellatur improprium, et suppositium *dec.* 22 § 16.

Adeoque commerciali jurisdictioni subesse nequit *dec.* 22 § 17.

In cambiis obliquis qui pecuniam dat, pro mandante, qui accipit pro mandatario habetur *dec.* 39 § 1.

Mandatarius autem, ne, finito mandato, rationes de datis accipientisque lucris ex capite pecuniario reddere debeat, promittit mandanti certam determinatamque fructuum summam titulo cambii et recambii *dec.* 39 § 2.

Quod neque a jure reprobatur, neque a consuetudine *dec.* 39 § 3.

Hujusmodi fructuum promissio, est pretium remissae obligationis reddendarum rationum de suscepto mandato, tum quoad lucrorum quantitatem ex negociatione retractorum, tum quoad illud praestandum, quod mandantis interesset; ob non factum investimentum *dec.* 39 § 4.

Cambium obliquum recenseri nequit inter actus commerciales *dec.* 22 § 10.

Verbis tantum in hoc contractu commerciale negocium continetur *dec.* 22 § 14.

Cantores scenici. Honorabiles sunt etiam apud principes *dec.* 28 § 12.

Multiplici doctrinarum genere erudiri debent *dec.* 28 § 13.

Quando conventum fuit unicum honorarium, et per modum unius, actori vel cantori solvendum, non autem pro rata actionum, tunc dividi nequit, si actor vel cantor fortuito morbo correptus absque sua culpa, nonnullis scenicis actionibus interesse nequivit *dec.* 28 § 1.

Honorarium ex jure non dispartitur si unicum dicitur pro certo facto, certo tempore praestandum *dec.* 28 § 2 *dec.* 33 § 2.

Multoque minus id peragendum cum actore vel cantore principe, qui certe inter ancillas et famulas recenseri nequit *decis.* 28 § 17 *dec.* 33 § 9.

Famulis, aut ancillis quae brevi tempore morbo impeditae promissas operas non praestaverint, numquam fit illico reductio mercedis *decis.* 28 § 15 *decis.* 33 § 8. vide *Actor scenicus.*

Caput. Capitis appellatione vita, libertas, civitas, familia, et aestimatio continentur *dec.* 111 § 2.

Carbo. Carbo ex lignis confectus, quae vocant - *forteto* - melior est, aliisque omnibus praefertur etiam apud exteras nationes *dec.* 54 § 6.

Cardinales. Cardinales in ditione pontificia ubi ex Urbe missi ad regendas provincias accedunt ordinariis facultatibus pollent, cunctos per se probandi communitatum contractus *decis.* 36 § 16.

Casus fortuitus. Damnum ex casu fortuito marisque tempestate asportandae rei obventum ab ejus domino perferri debet *decis.* 101 § 1.

Verba - *altri casi fortuiti* - posita post casus expressos incendii, et interdicti principis, quibus suspenduntur scenicae actiones includunt dumtaxat casus similes expressis, non autem casum non expressum infirmitatis actoris *decis.* 28 § 3.

Quod postea evenit inopinato casu rescindere non potest quod antea ex pacto conventum fuerat *decis.* 45 § 8.

Causa commercialis. In causis non commercialibus judices commerciales sese incompetentes declarare debent etiam ex officio *decis.* 25 § 8 *decis* 26 § 8.

In causis commercialibus nulla peti, ac concedi potest suspensio *dec.* 109 § 2 *dec.* 112 § 4.

Causae quoad connexionem. Ex juris dispositione causae affines inter se, atque connexae ab uno eodemque judice sive tribunali sunt definiendae *decis.* 46 § 1.

Alias oriri posset contra sententiam *decis.* 42 § 2.

Hinc supremis magistratibus data jurisdictio, et auctoritas committendi causas uni vel judici, vel tribunali definiendas pro earum connexione *decis.* 46 § 3.

Lex quae pro diversis provinciis commercialia tribunalia appellationum constituit, nil cavit de causis, quae amandari debeant ad illud tribunal, in quo connexae aliae reperiuntur *decis.* 46 § 4.

Hinc res mansit sub juris regula, qua causarum continentia scindi nequit, totumque negotium ab uno judice definiri debet *decis.* 46 § 5.

Causarum unitas, atque connexio haud excluditur ab exceptionibus quae inter se dissitae sint atque etiam pugnantes *dec.* 46 § 6.

Causae mixti fori. Exceptio de usuris pertinet ad eas causas quae vocantur - *mixti fori* - *decis.* 23 § 3.

Causidicus. Pactum quotae litis vetitum est causidicis *decis.* 75 § 11.

Cedens. Commerciales leges cambialem literam cedentibus nullam aliam tribuit actionem, praeter illam quam vocant - *di garanzia* - *decis.* 118 § 11.

Cessio bonorum. Cessio vice fungitur solutionis *decis.* 111 § 4.

Si cessum debitoris patrimonium nec par est, nec futurum erit dimittendis creditorum nominibus, tunc debitor vere et proprie non est solvendo, adeoque ejus decoctio ex ipsa cessione eruitur, et comprobatur *dec.* 111 § 5.

Secus autem si ex cessis bonis nomina creditorum aut ex integro, aut fere ex integro dimittuntur *decis.* 111 § 6.

Cessio nominum. In cessione nominum conditio de suscipienda obligatione quoad eorum quantitatem, et existentiam ad ejusdem ineundae cessionis substantiam pertinet *decis.* 92 § 2.

Hinc, deficiente consensu quoad hanc substantialem conditionem, quae suapte natura incertum reddit tum consensum ipsum tum cessionis pretium, contractus numquam perfectus esse potest *decis.* 92 § 3.

Monumentorum traditio ab socio facta alteri socio post finitam societatem nil per se valet ad probandam cessionem nominum socialium *decis.* 92 § 6.

Imo eam excludit, si constet non omnia horum nominum monumenta tradita fuisse *decis.* 92 § 7.

Itemque si adsertus cedens socialibus nominibus exigendis post cessionis tractatum vo-

caverit vidente, et probante altero socio *decis.* 92 § 8.

Cessio concludentes exigit probationes, et in quavis dubietate contra eam pronunciandum est *decis.* 99 § 10.

Circumscriptio. Acta judicialia circumscribuntur, non autem extrajudicialia *decis.* 86 § 8.

Nullus locus circumscriptioni nisi adsit vel citationis, vel jurisdictionis, vel mandati defectus *decis.* 76 § 1 *dec.* 81 § 1 *dec.* 103 § 1.

Manifestus est citationis defectus, si vadimonium indictum fuit non rei conventae personae, sed ejus procuratori ad lites *dec.* 109 § 1 *dec.* 112 § 14.

Et pariter si vadimonium constitutum fuit non ad tertiam diem, ut lex praecipit, sed ad breviorem terminum *decis.* 109 § 3 *decis.* 112 § 16.

Hinc sententia est circumscribenda *decis.* 109 § 2 *et decis.* 112 § 15.

Circumscribenda sententia ex defectu citationis, cum in jus non vocatus, damnari nequeat *decis.* 13 § 1.

Judex qui jurisdictionis suae limites egressus non sit, si injustam dixit sententiam, gravamen parti intulit, non autem nulliter pronunciavit, adeoque non est locus circumscriptioni *decis.* 72 § 2.

Tribunalis commercii sententia, quae ordinem executorium arbitramentalium sententiarum nullum irritum atque effectu carentem declaravit, jurisdictionis defectu circumscribitur *decis.* 109 § 12.

Si tribunal commercii de arbitramentali sententia inappellabili adeoque vim habenti rei judicatae cognovit absque jurisdictione egit, et est locus circumscriptioni *decis.* 112 § 3.

Ob defectum formae a praxeos legibus statutae locus non est circumscriptioni, sed dumtaxat inhibitoriae ab appellationis tribunali obtinendae *decis.* 72 § 3.

Res judicata per circumscriptionem deleta ita habetur, ac si numquam orta fuisset *decis.* 71 § 15.

Si orta jam fuerit res judicata, locus est ob eumdem defectum non pariter circumscriptioni, sed restitutioni in integrum *dec.* 72 § 4.

Cessat extraordinarium remedium circumscriptionis, ordinario appellationis semel adhibito *decis.* 62 § 13 *decis.* 67 § 14.

Post interpositam absque ulla reservatione appellationem non est amplius integrum circumscriptionis querelam proponere *dec.* 42 § 7.

Nec valet simplex adjecta clausula - *sine praejudicio nullitatum* - quae ad nihilum redit, si circumscriptio petita non fuerit antequam quaevis alia adhibeatur defensio *decis.* 61 §§ 14 *et* 15.

In quovis dubio aspera et odii plena circumscriptionis querela est reijcienda *decis.* 42 § 5.

Quaestio circumscriptionis, quando juncta est cum negocio principali, ab hoc pendet omnino secundum S. Ordinis praxim *decis.* 12 § 2.

Ad expensas, et damna, quae ante institutum circumscriptionis judicium locum habuerunt, victus non damnatur, si in eo aliqua bona fides depraehendi valeat *dec.* 71 § 16.

Citatio. Citatio, quae nullam praeseferat propositae actionis titulum, nullitatis vitio laborat *decis.* 11 § 1.

Citatio introductiva judicii sub nullitatis poena ad reum conventum transmitti debet, ibique, explicatis per summa capita rationum momentis, quibus actor innititur, terminus eidem reo convento ad vadimonium obeundum praestitui debet *decis.* 50 § 3.

Quamvis in genere judicium a citatione exordiri debeat, sunt tamen casus in quibus ne jura actoris periclitentur, citatio omitti potest *decis.* 15 § 2.

Id accidit in mandato suspicionis fugae *decis.* 15 § 3.

Non opus citatione ad declarandam ex officio decoctionem debitoris *decis.* 15 § 6.

Etiam declaratio decoctionis facta *ex officio* a tribunali commercii citationem requirit *decis.* 13 § 4.

In judicio decoctionis tunc citatio inutilis est cum sponte se ipsum debitor decoctum judicibus professus fuerit *decis.* 13 § 7.

Secus si ex creditorum instantia, vel vulgi rumore *decis.* 13 § 8.

Cum querela nullitatis adversus rem judicatam proponitur, nova est causa, adeoque citanda est persona rei conventi, non procuratoris *decis.* 112 § 17.

Ad ineundam inquisitionem criminalem, citatio praemitti nequit *decis.* 15 § 16.

Citatio introductiva judicii non legi debet in audientia, sed produci apud cancellariam intra terminum ad comparendum *dec.* 3 § 1.

Item statuitur quoad citationes introductivas judicii appellationis *decis.* 3 § 1.

Absurdum est partem citantem curare debere, ut citatio producatur a parte citata *decis.* 3 § 3.

Deficiente citatione circumscribenda senten-

tia: cum in jus non vocatus damnari nequeat *decis.* 13 § 1.

Manifestus est citationis defectus, si vadimonium indictum fuit non rei conventi personae, sed ejus procuratori ad lites *dec.* 109 § 1 *et decis.* 112 § 24.

Citationis defectus sumatur quando reus conventus ad tribunal venit, suamque contumaciam ex legum indulgentia purgari petiit, obtinuitque *decis.* 81 § 3.

Debitor rite citatur eo loci ubi cambiales literae solvendae ex pacto fuissent, et ipse suum domicilium eligit *dec.* 81 § 2 *et* 4.

Clausula. Sub clausula - *per altrettanta valuta avuta* - expresse continetur - *valuta in contanti* - verbum enim - *altrettanta* - demonstrat identitatem cum re cui se refert, scilicet cum pecunia scripta in cambiali littera *decis.* 65 § 6.

Litera cambialis - *per valuta in me medesimo* - si munita sit clausula - *all' ordine S. P.* - habetur, quoad tertios acquirentes, tamquam scripta - *per valuta avuta* - *decis.* 3 § 11.

In quavis scheda, quae munita sit clausula - *all' ordine S. P.* - id obtinet, ut acceptans illius solutionem denegare gyratariis nequeat *decis.* 3 § 15.

Generica mentio - *valuta avuta* - etiam non expressa ejusdem valoris specie, sufficit ad constituendam veram cambialem literam, cujus cognitio ad mercatorios judices pertineat *decis.* 89 § 2.

Clausula quod mandatario liceat quidquid mandans ipse agere posset, absolutam tribuit eidem mandatario potestatem *decis.* 121 § 2.

Ex clausola *cum libera administrandi facultate* mandatarius, loco domini, pene habetur *decis.* 121 § 3.

Clausula - *salvo venduto* - arbitrium defert mandatario minorem justae mercis quantitatem mittendi *decis.* 4 § 5.

Ea tamen si nominatim conventa non sit, haud intelligi potest tacite inhaerens hujusmodi mandatis *decis.* 4 § 6.

Collusio. Collusio, et fraus praesumi nequit sine maximis gravissimisque probationibus, et argumentis *decis.* 43 § 4.

Commendatio. Aliud in jure est commendatio, aliud mandatum *decis.* 16 § 2.

Non omnino cohaereri dici velit *dec.* 58 § 16.

Commissionarius. Commissionarius definitur, qui proprio nomine commissionem expedit *decis.* 124 § 11.

Et qui habitualiter debet fungi munere recipiendi commissiones sua certa mercede *decis.* 124 § 12.

Commissionarius respondere tenetur de commissionibus implemento usque ad illius exitum *decis.* 96 § 5.

Atque commerciales libros servare uti coeteri negociatores *decis.* 124 § 14.

Commissio. In commercii loquela aliud est mandatum et mandatarius, aliud commissio et commissarius, itaut mandatum sit genus, commissio vero mandati species *decis.* 124 § 10.

Atque haec habetur uti commercialis actus, et foro mercatorio subest *decis.* 124 § 21.

Commissionarius. Distinguendum est officium *commissionarii* erga tertios cum quibus contraxit ab sua obligatione erga *committentem decis.* 114 § 2.

Commissionarius is est qui nomine proprio aut sociali rem *committentis* gerit *dec.* 114 § 3

Adeoque obligatur erga tertios, cum quibus contraxit perinde ac si de re propria contraheret *decis.* 114 § 4.

Quod speciale mandati genus in hoc differt ab ordinario mandato, ut committens neque obligetur erga eos, neque eos obstrictor habeat, cum quibus commissionarius proprio nomine contraxit *decis.* 114 § 5.

Commissionarius ob pecunias ab se praerogatas privilegium habet super mercibus ab *committente* transmissis ut satisfactionem consequatur *decis.* 120 § 12.

Pro iisque devenire potest ad earumdem mercium venditionem absque ulla citationis, et judicii solemnitate *decis.* 120 § 13.

Quod privilegium licet auctorum peculiare videatur, ex communi doctrina ad *commissionarios* extenditur *decis.* 120 § 14.

Cum non amplius constet de identitate mercium frustra *commissionarius* negat improbam earum qualitate, de qua periti judiciales retulerunt *decis.* 64 § 11.

Committens. Committens qui non respondet commissionario de rebus a se gestis eum admonenti, censendus est omnia adprobasse *decis.* 120 § 6.

Compensatio. Liquidum inter et illiquidum privilegiatum inter et civile nomen ex lege nulla fit compensatio *decis.* 81 § 9.

Limita si constet eam ex spontanea partium voluntate praeordinatam, et volutam fuisse *decis.* 81 § 10.

Etsi cambiales literae exequutionem paratissimam habeant, tamen creditor pro earum solutionem mandatum exequi non potest, si

ex validis praesumptionibus constet ipsum cambiale nomen cum suis debitis compensare voluisse *decis.* 81 § 5.

Ad hoc autem validissima est praesumptio juge plurium annorum silentium post obtentum mandatum *decis.* 81 § 6.

Compromissum. Ex legibus Pontificiae societatis assecurationum exigitur compromissum absque ulla appellationi renunciatione *decis.* 125 § 3.

Computum. Informes chartulae seu notulae computorum nullo munitae chirographo, foliisque volantibus traditae pro adversariis haberi nequeunt, nihiloque probant ad constituendum creditum *decis.* 80 § 4.

Praesertim si quaedam ex his computis diversa reperiantur ab aliis notulis, quas ipse apertus creditor, dum vivebat, debitori tradiderat solutioni accepta *decis.* 80 § 6.

Concordia inter creditores et debitores. Ex commercialibus legibus creditores sub nullitatis poena non aliter cum debitore concordiam inire possunt, quam si coram patrimonii syndacis sint in unum coacti *decis.* 51 § 2.

Et omnia adhibeantur solemnia ab ipsis legibus requisita *decis.* 51 § 2.

Inter quae illud est ut inter certum tempus confirmari debeat quidquid cum debitore conventum fuit *decis.* 51 § 1.

Ex conventionis nullitate sequitur, ut dissentientes creditores cogi nequeant ad illud servandum quod coeteris et plerisque eorum placuit *decis.* 51 § 3.

Semper autem ad hoc opus est, ut omnes creditores certo loco sint congregati, et moraliter corpus efficiant *decis.* 51 § 7.

Est autem extra omnem dubitationem non aliter majoris partis factum nocere minori, quam si creditores, certis loco die, et hora in unum coacti, et morale corpus constituentes de re communi deliberaverint *dec.* 54 § 15.

Ex veteri romano jure quoad concordiam creditorum cum debitore plures sunt doctorum opiniones, et diversa traditur interpretatio - *Leg. et suum heredem 7 ff de pact.* - *decis.* 51 § 5.

At ex magis recepta sententia tribus dumtaxat in casibus minor pars creditorum a majore trahitur, et obligatur *decis.* 51 § 6.

Primus est quando haeres adire haereditatem recusat, nisi pars debiti remittatur *decis.* 51 § 6.

Secundus, quando debitor sit fugitivus, et ejus persona vel bona capi nequeunt *dec.* 51 § 6

Tertius, quando debitor propter egestatem paratus sit cedere bona, si induciae ad solutionem non concedantur *decis.* 51 § 6.

Ad hanc concordiam ineundam concurrere debet dodrans creditorum numerus *decis.* 54 § 8.

Qui numerus pro modo debiti, non pro quantitate personarum constituitur *dec.* 54 § 9.

Dodrans creditorum a lege requisitus ad probandam concordiam deduci debet ex numero eorum, qui coactis hac de re comitiis, interfuerint, et concordiae subscripsere, itaut nullo in calculo habeantur qui postea jam initae sese accomodarunt *decis.* 54 § 11.

Plures doctores tenuere triplici dumtaxat in casu minorem creditorum partem ex facto et conventionis obligari *decis.* 54 § 13.

Si haeres nolit defuncti haereditatem adire nisi e parte aliqua aeris alicui liberetur *decis.* 54 § 13.

Si debitor sit fugitivus, et nihil habeat in bonis *decis.* 54 § 13.

Si debitor ad incitas redactus paratus sit bonis cedere, nisi inducias ad solvendum obtineat *decis.* 54 § 13.

Quam sententiam ut magis receptam tenuit S. Rota *decis.* 54 § 14.

Ex *Leg. 7 ff de pact. et 8 Cod. qui bon. céd. poss.* in casibus communis debitoris vel defuncti, vel fugitivi, vel decocti majoris partis creditorum deliberationem pars minor sequi debet *decis.* 137 § 1.

Quarum legum dispositio obtinet in coeteris similibus casibus, et traducitur ad omnes et quascumque creditorum concordias de communi negocio in communi discrimine pro communi utilitate interpositas *decis.* 137 § 3.

Lex commercialis, quae statuit minorem creditorum partem sequi debere; quae majori placuit, tunc tantum obtinet cum agitur de debitore decocto *decis.* 131 § 4.

Et si quis non adhuc sit decoctus, semelac aequitatem creditorum imploravit, et ab plerisque ex his obtinuit, non aliter majoris partis factum afficere potest creditores renuentes, nisi omnia peracta sint, quae leges in hujusmodi concordiis praescribunt *dec.* 51 § 9.

Ex jure mercatorio concordia creditorum etiam quoad dissentientes confirmandam est quoties tum ratione nominum, tum ratione personarum concurrant extrema a lege praescripta *decis.* 117 § 2.

Fortius si ea fuerit justa, et utilis *decis.* 117 § 3.

Pactum conventum, ut concordia ad legis

commercialis norma a commercialibus juridicis adprobari debeat, per se ipsum haud probat commercialem potius quam civilem transactionem initam fuisse *decis.* 137 § 13.

Si concordia a creditoribus dispensationibus servari debet, quoties ipsi in pari conditione consentientium creditorum versantur, eo magis servanda est, quoties consentientes creditores potiora habeant jura, ac nomina *decis.* 137 § 8.

Praesertim si jamdiu ad exequutionem perducta ea fuerit, ne unius alteriusque dipensa post juge ejusdem silentium ea omnia evertantur, quae jam absoluta fuerunt *decis.* 117 § 16.

Concordiam commune creditorum negocium communemque utilitatem respexisse ex eo patet, quod per ipsam sublatae fuerunt controversiae omnes, quas contra communem debitorem creditores omnes communi periculo agebant *decis.* 137 § 9.

Nec obstat, quod unusquisque creditor pro lubitu judiciorum aleam obire valeat, adeoque exulet deliberandi, et transigendi necessitas ratio, cum *leg.* 7 *ff de pact. et* 8 *Cod. qui bon. ced. poss.* non in absoluta deliberandi necessitate, sed in communi deliberationis utilitate posita est *decis.* 137 § 10.

Si concordiae executio petatur post institutum criminale judicium de decoctione fraudolenta vel culposa, hujus exitus attendendus est ad sententiam usque *decis.* 129 § 9.

Si autem petatur ante institutum criminalem judicium, tunc tribunal commercii ex una fraudis vel culpae praesumptione concordiae exequutionem denegare potest *decis.* 129 § 10.

Lex vetat concordiam iniri cum debitore decocto, dum praesumptio adsit decoctionis fraudolentae vel culposae *decis.* 131 § 1.

Si de hac institutum sit criminale judicium, tunc ejus exitus attendendus est ad sententiam usque *decis.* 131 § 2.

Si vero nullum adhuc sit criminale judicium tum tribunal commercii ab nullo alio praeventum ex una fraudis vel culpae praesumptione concordiae exequutionem denegare potest *decis.* 131 § 3.

Non solum praesumptio doli, sed etiam culpae obest concordiae *decis.* 129 § 8.

Si adsit praesumptio *di banca rotta* nulla esse potest inter decoctum, et creditores concordia *decis.* 129 § 1.

Ex mercatorio codice irrita est quaevis inita decoctorum inter et creditores concordia, si dolosae decoctionis adsit praesumptio *decis.* 54 § 1.

Quae praesumptio optime eruitur ex librorum commercialium omissione, ex criminali inquisitione in detentore instituta, atque ex imperata illius in carcere publico custodia. *dec.* 54 § 2.

Nulla iniri potest concordia inter creditores, et decoctum debitorem nisi solemniis impletis, quae ab mercatorio codice praescribuntur sub nullitatis poena. *dec.* 54 § 7.

Irrita est concordia inter decoctum et debitores, quae inita sit antequam formaretur status activus, et passivus debitoris. *dec.* 129 § 11.

Si concordia est radicitus irrita, nihil interest si creditores dissentientes omiserunt intra octo dies eorum repugnantiam et contumaciam denunciare. *dec.* 14 § 10.

Oppositio autem ad impediendum confirmationem concordiae fieri omnino debet intra terminum octo dierum. *dec.* 117 § 13.

Quod obtinet tam in casu concordiae jam probatae a creditoribus, quam dilatae super ea deliberationis. *dec.* 117 § 14.

In dubio respondendum est pro observantia concordiae. *dec.* 117 § 15.

Jus concordiae proponendi ex mercatoriis legibus personale est, ac decocto dumtaxat debitori pertinet non autem extraneo. *decis.* 117 § 4.

Id tamen non ita accipiendum, ut quam debitor concordiam praeponere potest, ab alio ejus nomine proponi nequeat. *dec.* 117 § 5.

Uxor a proponenda concordia arcetur ab subtractionem pecuniarum, quae intercessisse dicitur ex praesumptione *L. Quintus Mutius.* *dec.* 117 § 8.

Quae tamen praesumptio cessat si mulier doceat undenam pecuniam honeste sibi quaesierit. *dec.* 117 § 9.

In concursu nullo jure imponitur jurandi necessitas creditoribus qui debent dumtaxat veritatem nominum confirmare. *dec.* 117 § 10.

Concursus creditorum. Pauci creditores absentes aut nullo in pretio haberi debent, aut consentientibus adjungi. *dec.* 117 § 11.

Contrariae auctoritates pertinent ad casum primae convocationis, postquam, si adhuc absint, et cognitae conventioni sese intra praefinitum terminum non opponant, inter consentientes sunt adnumerandi. *dec.* 117 § 12.

Conditio. Per conditionem non impletam resolvitur conventio. *dec.* 19 § 2.

Conductio. In conductione sociali vectigalium pacisci potest, ut socii heredes in societate succedant. *dec.* 61 § 19.

Qui ad certum tempus pure, et simpliciter artificis operam conduxit, frustra quaeritur de ejus imperitia, et conductionem rescindere praesumit: suae culpae enim adscribere debet si absque aliena fraude, ac dolo, dum libera ei undique erat electio, imperitum potius, quam peritum hominem elegit. *dec.* 41 § 1.

Etiam in locationibus conductionibus juris principium valet, quod semel placuit amplius displicere non posse. *dec.* 41 § 2.

Qui navus, et solus conduxit operam artificis praesertim alienigenae et longinqua a regione accersiti, praesumitur perspectam probatamque jam antea habuisse ejus in arte peritiam. *dec.* 41 § 3.

Fortius si post incoeptum contractum conductor siluit. *dec.* 41 § 4.

Finito conductionis tempore, conductio renovata intelligitur, si in ea conductor permanserit. *dec.* 91 § 2.

Quoties non uniformis sit fructuum perceptio, conductio tacite ad id tempus protrahitur, quo liceat conductori cujuscumque generis fructus e re conducta colligere. *decis.* 91 § 4.

Quando conductor impedimento est locatori quominus praestet operas, premium vel in minimo reduci leges non patiuntur. *dec.* 28 § 14.

Latifundiorum conductores - *mercanti di campagna* - minime uti negociatores habentur. *dec.* 71 § 3.

Locata taberna cum styliis, et mercibus aliisque rebus ibi existentibus per modum unius, iisdemque legibus, et pactis, finito contractu, conductor, sicuti tabernam, ita res coeteras omnes ei traditas, restituere locatori debet. *dec.* 98 § 1.

Ex juris praesumptione, si merces a locatore traditae fuerint aestimatae earum dominium, et periculum in conductorem translatum videtur. *dec.* 98 § 5.

At cessat praesumptio, quando facto constat merces conductori traditas fuisse cum expresso locationis titulo, qui precariam possessionem, non autem dominii translationem importat. *dec.* 98 § 6.

Confessio. Nulla datur major probatio quam proprii oris confessio, cui nemini licet adversari. *dec.* 24 § 1.

Confessio tamquam actus individuus vel in totum accipienda est, vel in totum rejicienda. *dec.* 142 § 2.

Professio illius, qui decoctioni proximus est, nullam fidem meretur. *dec.* 142 § 3.

Itemque ea, quae praejudicium tertio, qui bona fide contraxit, affert. *dec.* 142 § 4.

Et quae pugnat cum dicto integerrimi testis. *dec.* 142 § 5.

Conjecturae. Solutionem, quae quid facti est, evincere nequeunt conjecturae, nisi adeo graves sint, ut monumento solutionis aequipolleant. *dec.* 21 § 9.

Consensus. Consensus semel praestitus valet etiam in posterum; nisi contrarius actus accedat. *dec.* 87 § 5.

Ex consensu partium prorogatur judicis alioquin incompetentis jurisdictio. *dec.* 42 § 6.

Consuetudo. Vim legis habet, et imo legi derogat. *dec.* 28 § 8.

In contractibus id sequimur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. *decis.* 12 § 11.

Consuetudo contra legem nullam vim habet. *dec.* 22 § 18.

Generalis consuetudo probatur ex testibus, et ex rebus judicatis. *dec.* 28 § 9 *et* 10.

Dum res emptae ceduntur, notissima est inter negociatores consuetudo praestandi praemium quod vocant - *buona uscita* - *dec.* 1 § 6.

Ex ubique recepta consuetudine honoraria solvuntur musicis fortuito aegrotantibus. *decis.* 28 § 7.

Contestatio litis. Si res dari poterat ante litis contestationem, id amplius non licet postquam, instituta actione, petita fuit pecunia. *decis.* 45 § 7.

Contractus. Quae accidentalia sunt, non substantialia, si unquam mutentur, contractum mutare, turbare, aut infirmare nequeunt. *dec.* 61 § 16.

Contractus publicis tabulis consignatus, sollemnibus clausulis, et hypotheca munitus, atque initus inter homines non negociatores, commerciali jurisdictioni subesse nequit. *decis.* 22 § 6.

Contractu ab altero ex contrahentibus in parte saltem impleto, alter damnandus est non solum ad implendum, sed etiam ad quanti interfuit implementum ab eo contractum ipsum non fuisse. *dec.* 57 § 17.

Perfectus censeri nequit contractus antequam simul constet consensum intercessisse, quoad modum, et conditiones, quae ad ejusdem contractus substantiam pertinent. *dec.* 92 § 1.

Ex contractus individuitate nefas est conventionem pro parte acceptam habere, pro parte rejicere. *dec.* 133 § 3.

Post perfectum contractum non est locus poenitentiae. *dec.* 108 § 7.

Post perfectum contractum nefas est novam obligationem alteri ex contrahentibus imponere, ejusque conditionem deteriorem facere. *dec.* 108 § 1.

Ex jure mercatorio sicuti contractus omnes, qui dictim perficiuntur, ita magis magisque inscribi debet in libro *giornale* contractus commissionis, quem interest omni probationum genere evinci. *dec.* 64 § 3.

Contractus foeneratitius neque sententia arbitri, neque transactione confirmari potest. *dec.* 10 § 4.

Contractus est quid individuum, cujus partes, altero ex contrahentibus invito, scindi nequeant. *dec.* 20 § 11.

Ita tamen ut ab integro contractu, non ab una tantum parte recedendum sit. *dec.* 20 § 10.

In contractibus innominatis, re etiam rem amplius integra, est locus poenitentia. *decis.* 20 § 9.

Et qui recedere velit, omnia in pristinam reddat oportet. *dec.* 20 § 12.

Hinc rescissionem petere nequit qui ea in conditione sit, ut in pristinum reducere omnia non possit. *dec.* 20 § 13.

Contractus - *di associazioni* - non est innominatus, sed veram praesefert emptionem venditionem. *dec.* 20 § 14.

In contractibus innominatis in quibus re etiam non amplius integra, caussa non sequuti contractus ipse resolvitur. *dec.* 19 § 8.

Cum enim ad impossibile, tempus essendi res perducitur, nullum amplius contractae morae parari potest remedium *dec.* 19 § 10.

Idque obtinet quandocumque ita causa deficit, ut inadimplementum purgari nequeat. *dec.* 19 § 9.

Quo in casu contrahens in jus vocatus adigitur ad contractum ex sua parte adimplendum, secus ad id damnatur quanti alterius contrahentis intersit contractum ipsum impletum non fuisse *dec.* 20 § 16.

In contractibus nominatis nullus poenitentiae locus, atque dumtaxat ad implementum agi potest. *dec.* 20 § 14.

In contractibus vulgo - *associazioni* - mos est exiguam moram in edendis voluminibus tollerare, nec statim post moram ab contractu recedere. *dec.* 20 § 8.

In contractu pro typis imprimendis, qui associationis dicitur, distinguendi sunt socii, quorum nihil intersit citius, vel serius volumina habere, ab sociis, qui uti negociatores, cum aliis sese obligaverint, et debent idcirco statis temporibus volumina accipere. *dec.* 14 § 12.

In hujusmodi contractibus prudentius plerique expectant, antequam nomen suum in sociorum albo adscribant, videre quomodo pactis satisfiat. *dec.* 14 § 12.

Contractus socialis leges indefinitae referri, et cohiberi nequeant ad unum potius, quam ad alterum tempus, et casum. *dec.* 61 § 14.

In sociali contractu ea semper subintelligitur constitutio, ut consistere ipse debeat rebus dumtaxat in eodem statu manentibus. *dec.* 61 § 15.

Posteriora contrahentium facta, et observantia quid inter eos actum sit plene demonstrant. *dec.* 64 § 6.

In contractibus id sequimur quod in regione, in qua actum est, frequentatur. *decis.* 12 § 11.

Secus, dum alter impune pro arbitrio agere posset, ad servanda pacta cogeretur, quod iniquum, et absurdum. *dec.* 19 § 6.

Alter ex contrahentibus ad implementum agere nequit, nisi prius doceat pactis ex parte sua satisfactum omnino fuisse. *dec.* 19 § 5.

In contractibus in quibus datio vel factum constituit contractus causam, nisi res detur, vel fiat, contractus ipse per se corruit. *dec.* 19 § 7.

Contractus legitime constitutus haud resolvitur facto perturbatorum publicae pacis. *dec.* 91 § 6.

Eo genere quidque dissolvitur quo colligatum est. *dec.* 19 § 1.

Fas est semper contrahentibus communi consensu a priori contractu resilire. *dec.* 24 § 5.

Numquam fit locus rescissioni ob violata pacta; verum datur actio ad implementum, vel ad quanti interest. *dec.* 50 § 7.

Re non amplius integra alterius ex contrahentibus culpa, alter ad contractus executionem cogi nequit. *dec.* 18 § 8.

Contradictio. Contradictio maximum est falsitatis indicium *dec.* 5 § 13.

Contrahens. Unusquisque facultates ejus scrutari tenetur cum quo est contracturus. *dec.* 112 § 4.

Nil refert, si quis contractui non adstitit,

nec subscripsit, quando evidenter constet, quod ipse apprime illum noverit, et omnino probaverit. *dec.* 90 § 4.

Re non amplius integra alterius ex contrahentibus culpa, alter ad contractus executionem cogi nequit. *dec.* 18 § 8.

Secus dum alter impune pro arbitrio agere posset, alter ad servanda pacta cogeretur, quod iniquum, et absurdum. *dec.* 19 § 6.

Alter ex contrahentibus ad implementum agere nequit, nisi prius doceat pactis ex parte sua satisfactum omnino fuisse. *dec.* 19 § 5.

Ad imparia non sunt judicandi contrahentes. *dec.* 20 § 6.

Quando contrahentes nihil ad propriam indemnitatem caverunt, tunc locus potest esse aequo judicis arbitrio in id interponendo. *dec.* 108 § 5.

Contrahere. Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret si obbligavit. *dec.* 12 § 10.

Conventio. Verbalis conventio inter trahentem, et tractarium objici nequit gyratario, qui collybisticam literam dum titulo oneroso acquisivit, fidem scribentis sequutus est. *dec.* 84 § 7.

Quando poena adiecta est contraventioni, ut eam incurrat qui contraxerit, nulla opus est interpellatione. *dec.* 18 § 7.

Correus. Actio correo debendi, qui totum debitum solvit, non competit adversus alterum correum pro ejus parte soluta, nisi a creditore cessa solventi jura fuerint. *dec.* 135 § 7.

Culpa. Re non amplius integra alterius ex contrahentibus culpa, alter ad contractus executionem cogi nequit. *dec.* 18 § 8.

Culpa ex quo non probatur, hoc ipso abfuisse praesumitur. *dec.* 76 § 7.

## D

Damnum. Ad odiosissimam damnorum actionem declinandam levioris quoque causae sufficiunt. *dec.* 79 § 9.

Numquam praesumitur, quod quis velit in proprium damnum quidquam vel agere, vel omittere. *dec.* 99 § 1.

Data. Immutatio datae facta sine fuco, sine abrasione, substantialia cambialis non laedit coetcris integre manentibus. *dec.* 5 § 4.

Nec unquam obest tertio possessori oneroso titulo. *dec.* 5 § 5.

Debitor. Iniquum est alterum quam debitorem ad solutionem urgere, et damnare. *dec.* 9 § 1.

Debitor est citandus eo loci ubi cambiales literae solvendae ex pacto fuissent, et ipse suum domicilium elegit. *dec.* 81 §§ 2 *et* 4.

Debitorem judicio absentem, et solvendo aeri alieno parem, iniquum est odiosissime decoctionis sententia mulctare. *dec.* 13 § 16.

Qui premitur aere alieno, quod caput excedat negociationis, et patrimonii sui, etsi a solutionibus non adhuc destiterit, necessario in posterum eas intercipere cogitur. *decis.* 51 § 8.

Decisio. Cum expeditissima commercialis praxis esse debeat nonnisi in dubiis decisionis extensio decernitur. *dec.* 15 § 1.

In decisionibus quaestiones principales sub dubii formula comprahensae, attendendae sunt, non autem quae perfunctorie, atque extra controversiae fines irrepserunt. *dec.* 79 § 10.

Decoctio. Si debitoris patrimonium nec par est, nec futurum erit dimittendis creditorum nominibus, tunc debitor vere, et proprie non est solvendo, adeoque ejus decoctio ex ipsa cessione eruitur, et comprobatur. *decis.* 111 § 5.

Secus autem si ex cessis bonis nomina creditorum aut ex integro, aut fere ex integro dimittuntur. *dec.* 111 § 7.

In judicio decoctionis tunc citatio inutilis est, cum sponte se ipse debitor decoctum judicibus professus fuerit. *dec.* 13 § 7.

Possunt quidem sine citatione, provisionis causa signa apponi, non autem decoctio declarari. *dec.* 13 § 9.

Absurda enim orirentur ex contraria doctrina. *dec.* 13 § 10.

Decoctio ex legis verbis declarari potest, vel ex debitoris petitione, vel alicujus ex creditoribus, vel ex publica fama. *dec.* 15 § 7.

Quum a solutionibus cessatum fuerit, ante oculos legis decoctio non existit, nisi ab competenti tribunali declaretur. *dec.* 132 § 7.

Axioma, quod decoctio tractarii provisionem destruit, accipiendum est a tempore declaratae ab initio retrotractae decoctionis. *decis.* 131 § 6.

Ex magis recepta sententia debitor privatus intelligitur administratione suorum bonorum non ab initio retrotractae decoctionis quae est legis fictio, sed a tempore ejus declarationis. *dec.* 132 § 8.

Si post initam bonorum cessionem, qua solutiones antea peragendae evanuerunt, nulla supervenit nova perficienda solutio, cui debitor defecisset, ejus decoctio proclamari omnino non potest. *dec.* 111 § 3.

Professio illius, qui decoctioni proximus est, nullam fidem meretur. *dec.* 142 § 3.

Adeoque ei aptari nequeunt commerciales leges, quae vetant inter decoctum debitorem et creditores concordiam interponi, si suspicio adsit fraudolentae decoctionis. *dec.* 137 § 12.

Decoctus. Lex decoctum debitorem appellat, qui a solutionibus commercialibus cessaverit. *decis.* 15 § 24.

Sub qua appellatione is etiam comprehenditur qui solutiones distulerit, et in suspenso reliquerit. *ibid.* § 25.

Qui a sententia decoctionis provocavit, non adhuc vere, et proprie decoctus censeri potest, eoque minus fraudolentus decoctor. *decis.* 137 § 11.

Debitor decoctus eo ipse plectitur, quod debitum simulaverit. *dec.* 129 § 4.

Collusionis autem particeps tunc solum est cum simulato titulo usus est in creditorum perniciem. *dec.* 129 § 5.

Culpa praesumitur si decoctus vel non omnes libros exhibet, vel irregulares, aut si societatem habens vel denegavit, vel cessationem a solvendo non declaravit. *dec.* 129 § 7.

Decoctori doloso, sicuti per se non licet, ita nec per interpositam personam cum suis creditoribus pacisci. *dec.* 54 § 3.

Eoque minus si haec interposita persona sit ejus uxor. *dec.* 54 § 3.

Jure civili vetitum est decoctori doloso ne cum creditoribus suis pacisci valeat. *dec.* 54 § 12.

Decoctor ex intercepta commercii ratione usuras percipere non potest. *dec.* 99 § 11.

Retardata mercium reportatione in decocti debitoris patrimonium, praestari debet maximum earum pretium, quo ab die traditionis ad diem contestatae litis vendi ipse potuissent, ne creditores ex alterius culpa damnum sentiant. *dec.* 140 § 8.

Judex commissarius tenetur ex officio urgere assecurationem mercium ad decoctorem pertinentium. *dec.* 86 § 5.

Atque ex simplici ejus petitione commerciale tribunal haud prohibetur quamcumque vel opportunam, vel necessariam provisionem capere controversiis ad hoc summarissime diremptis. *dec.* 86 § 6.

Creditores decocti patrimonii contra tertium agentem ex aliquo exteriori vitio respuere nequeunt illos ipsos codices, quibus usi sunt ad propria nomina constituenda. *decis.* 43 § 3.

Dolus. Dolus non eventu tantum deducitur, sed a proposito ad factum perducto. *dec.* 129 § 3.

Nulla conventione dolus in futurum remitti potest. *dec.* 23 § 16.

Praesumptio doli est si debitor decoctus per collusionem simulatos creditores quovis modo sibi constituat. *dec.* 129 § 2.

Doli pariter praesumptio est, si decoctus aliquum pecuniae summam subtraxit, vel creditorum nomina vel res mobiles vel merces. *dec.* 129 § 6.

Dominium. Penes duos in solidum ejusdem rei dominium stare non potest. *dec.* 100 § 4.

## E

Emptio. Etsi degustatio, et mensura passim in ipsis legibus cumulentur, tamen quoad contractus perfectionem illud inter utramque discrimen interest, ut ante degustationem contractum improbare liceat, non autem ante mensuram, quae est dumtaxat argumentum venditionis contractae, a quo recedi non potest. *decis.* 57 § 14.

Non res, sed pecunia in contractui ad fuisse censetur, quando pro modo tantum solutionis de aestimata specie in locum pretii recipienda venditor convenit. 57 § 11.

In emptione venditione quoad pretium fas est contrahentibus sese ad consuetudinem, vel virorum peritorum amicorumve judicium referre *dec.* 18 § 19.

Ex jure quantitas rei loco pretii tradendae, a pretii rei venditae quantitate recte conjicitur. *dec.* 57 § 4.

Incertum a legibus dicitur, quod nulla ratione definiri potest. *dec.* 57 § 5.

Adeoque si norma in contractu statuta sit, qua certitudo contingi valeat, numquam dici potest incertum pretium. *decis.* 57 § 6.

Praesertim si agatur de mercatoribus, inter quos despectis juris apicibus, omnia de plano, et aequo sunt deficienda. *dec.* 57 § 7.

Emptione venditione nondum rescissa pretium recte petitur a venditore. *dec.* 121 § 9.

Perfecta haberi nequit emptio venditio donec actor probet singula intercessisse, quae ad hujusmodi contractum constituendum requiruntur. *dec.* 139 § 1.

Tessera, quam, post expensum mercem, eamque emptori traditam, dare solet utrique contrahenti publicus pensitator, gravissimum est perfectae emptionis venditionis monumentum *dec.* 55 § 3.

Ex jure commercii litterae mercatoriae plene probant initam, perfectamque inter absentes mercatores emptionem venditionem. *decis.* 57 § 1.

Si merces venditae et emptae fuerunt juxta traditum specimen - *il campione* - nisi hoc exhibeatur, statui nequit eas esse ab iis, quae in contractum venerunt, diversas. *decis.* 133 § 5.

Post initam emptionem venditionem licet emptori ex redibitoria contractum rescindere si merces sint vitiosae, nec qualitati respondentes in contractum deductae. *dec.* 64 § 8.

Idemque obtinet in mercatorio commissionis contractu *dec.* 64 § 9.

Mercium emptio tunc commercialis subest jurisdictioni, cum negociationis causa facta sit. *dec.* 22 § 19.

Non ergo emptio, quamvis a negociatore, facta tamen proprii usus causa. *dec.* 22 § 20.

Contractus - *di associazioni* - potiusquam sit innominatus, veram praesefert emptionem venditionem. *dec.* 20 § 14.

Exceptio. Judiciales agnitiones incompetentiae exceptiones submovent. *dec.* 67 § 12

Contra gyratarios exceptiones proponi nequeunt, quae forsan proponi possent contra primum literae possessorem. *dec.* 65 § 3.

Contra tertios literae cambiales possessores proponi nequunt exceptiones, quae forte contra originarium creditorem valerent. *dec.* 121 § 11.

Contra gyratarium nulla a debitore proponi potest exceptio. *dec.* 3 § 8.

Exceptiones turbidae, vel ambiguae, vel altioris indaginis contra actionem claram, et expeditam non admittuntur. *dec.* 59. § 4.

Adeoque nec exceptio illiciti foenoris, quae altiorem requirit indaginem, discretamque judicii sedem. *dec.* 19 § 5.

Formula - *per valuta avuta in contanti* - ciambialibus literis adiecta exceptionem non numeratae pecuniae excludit omnino. *dec.* 59 § 6.

Per exceptionem de usuris actio commercialis in civilem converti nequit. *dec.* 23 § 5.

Regulae quod ex transactione exceptio oritur litis finitae, de jure cessat quando agitur de usuris. *dec.* 53 § 1.

Expensae. Tenetur ad reficiendas expensas acceptas qui injuria solutionem cambialis detrectat. *dec.* 3 § 17.

Qui petit summam longe majorem debita, ad judicii expensas reficiendas damnatur. *dec.* 7 § 6.

Quivis socius sociales expensas pro sua rata sustinere debet. *dec.* 1 § 2.

Expensa custodis mercium - *sopracarico* - quo utuntur mercatores, ut suae indemnitati prospiciant, etsi de eo nihil cautum fuerit in contractu sociali, communiter a sociis est substinenda. *dec.* 40 § 5.

Quidquid utiliter in re aliena quis impendit, jure a domino vindicat, ne iste locupletetur cum aliena jactura. *dec.* 88 § 3.

Non ideo negari potest ductori navis expensarum refectio, quia ipsae in adversariis adnotatae non reperiantur, si constet aliunde ipsum eas tulisse. *dec.* 88 § 4.

## F

Ferrum. Sub vocabulo - *semigrezzo* - continetur, quasi species, ferrum illud quod vocant - *tondino* - *dec.* 55 § 9.

Forma. Quod requiritur pro forma, non potest suppeleri per equipollens. *dec.* 106 § 5 *decis.* 114 § 8.

A servanda forma non excusat legislatoris silentium, circa ea quae ad rei substantiam pertinent. *dec.* 13 § 5.

Ob defectum formae a praxeos legibus statutae locus est non circumscriptioni, sed dumtaxat appellationi. *dec.* 72 § 3.

Fructus. Inter mercatores fas non est fructus exigere ubi caput debiti sit incertum, et illiquidum. *dec.* 16 § 11.

Requisitorum castrensium interpellatio ad condicendos fructus requiritur in mutuata pecunia, non autem in ea quae in quaestu collocata fuit, vel erat collocanda. *dec.* 34 § 4.

Fructuum obligatio oritur ex sola collocandae pecuniae necessitate. *dec.* 34 § 5.

Vel alteri ex contrahentibus pecuniae collocandae ad lucrum faciendum munere imposito. *dec.* 34 § 6.

In hoc enim alea committitur, quia qui negotium suscepit uti plus, ita ex collocata pecunia percipere potest quod minus sit promissa fructuum quantitate. *dec.* 34 § 7.

Dodrans fructuum ratio uti non enormis probatur. *dec.* 39. § 7.

Majorem quoque toleravit S. Rota etiam inter non mercatores. *dec.* 39 § 8.

Fruges. Nulla est tribunali commercii jurisdictio in actionibus institutis contra praedii dominum, vel agricolam ob peractas venditiones frugum ex praedio provenientium. *dec.* 71 § 1.

## G

Gyrata. Gyrans - *in bianco* - approbasse censetur quidquid ibidem scribi poterat ex consuetudine, atque implicite assentitur obligationi, quae exinde prodiit. *dec.* 58 § 17.

Qui cambialem literam gyrat fidejussoris personam induit erga ejusdem possessorem. *dec.* 118 § 3.

Hinc, non probatis molestiis, nulla ei praesto est actio ad assequendam liberationem. *decis.* 118 § 4.

Gyrata - *in bianco* - nulla lege prohibetur. *dec.* 5 § 10.

Gyratae veritas in cambiali litera supponitur. *dec.* 3 § 4.

Gyrata tunc habetur uti mandatum ad exigendum, cum abest data, vel expressio subministrati valoris, vel nomen cessionarii. *dec.* 5 § 16.

Et quamvis haec omnia superimposita sint non garantis manu, sed aliena, non purum mandatum ad exigendum, sed proprie gyrata habetur quoad tertium possessorem cambialis titulo oneroso. *dec.* 5 § 17.

Gyratarius. Gyratarius qui intra legitimum tempus cambialem literam non protestavit, jura sua contra gyrantes amittit. *dec.* 12 § 2.

Limita si fuerit vi majori impeditus. *decis.* 12 § 3.

Saepissime accidit in re cambiaria, ut in unum eumdemque hominem duplex - *gyratarii*, *et tractarii* - persona conjungatur. *decis.* 12 § 7.

Contra gyratarios exceptiones proponi nequeunt quae forsan proponi possent contra primum literae possessorem. *dec.* 65 § 3.

Gyratario adversus acceptantem triplex competit actio nempe - *constitutae pecuniae*, *depositi* - et *fidejussoria*. *dec.* 3 § 13.

Harum actionum effectus nulla exceptione retardari potest. *dec.* 3 § 14.

## H

Honorarium. Quando conventum fuit unicum honorarium, cum actore vel cantore theatrali et non solvendum pro rata actionum, tunc dividi nequit, si actor, vel cantor fortuito morbo correptus absque sua culpa, nonnullis scenicis actionibus interesse nequivit. *decis.* 28 § 1 *dec.* 33 § 1.

Honorarium ex jure non dispertitus, sed unicum dicitur pro certo facto, et certo tempore praestandum. *dec.* 28 § 2 *dec.* 33 § 2.

Honorarii reductio conventa in uno casu, exclusa videtur et cessare debet in aliis casibus non expressis. *dec.* 28 § 4.

Ex regulis, legibusque theatralibus Mediolani editis, inter casus fortuitus, quibus evenientibus fiat locus respondenti honorariorum imminutioni, nullibi actorum infirmitas adnumeratur. *dec.* 28 § 5.

Imo praesumitur, ut, eis fortuito aegrotantibus, integrum solvatur depactum honorarium perindé ac si valerent, et locatam operam praestarent. *dec.* 28 § 6.

Ex ubique recepta consuetudine honoraria solvuntur musicis fortuito aegrotantibus. *decis.* 28 § 7.

Quando conductor impedimento est locatori quominus praestet operas, honorarium vel in minimo reduci leges non patiuntur. *decis.* 28 § 14.

## I

Infortunium. Eo minus de passo infortunio dubitari potest si constet eodem tempore in mari alias quoque naves procella laborasse. *decis.* 101 § 8.

Probato infortunio, navarchus de mercium defectu non amplius tenetur. *dec.* 101 § 9.

Institor. Ex *Leg.* 11 *ff de instit. ibique glossa*, ut quis institor habeatur, id procul ab ulla equivocatione vel ambiguitate significandum est. *dec.* 16 § 4.

Institorem dat qui ministrum negotiis suis aliquem praeponit, non qui aliena negocia aliis commendat. *dec.* 16 § 5.

Aliud est administratoris, aliud institoris officium. *dec.* 113 § 10.

Nil refert habeat necne institor contrahendi facultatem, quia, quidquid gerit jussu praeponentis, gerere videtur. *dec.* 74 § 5.

Qui emendo praepositus est non solum facultatem habet emendi praesenti pecunia, sed etiam habita fide de pretio. *dec.* 74 § 13.

Ex data institori potestate emendi, et negociandi cambiales literas - *per conto proprio* - hoc ipso negata intelligitur facultas emendi, et negociandi - *per conto altrui* - *dec.* 130 § 2.

Aliud est ac longe diversum onus suscipere exigendi nominis ex litera cambialis scatentis, aliud cambiales literas negociari - *per conto altrui* - *dec.* 130 § 3.

Haud praesumi potest institorem contractum ex praepositionis lege ei vetitum inire voluisse institorio potius, quam privato nomine. *dec.* 130 § 7.

Institorem proprio nomine contraxisse videtur si in negocio non expressit qualitatem institoriam. *dec.* 130 § 9.

Itemque si negocium ipsum non adnotavit in codice societatis, vel negociationis, cui praepositus fuit. *dec.* 130 § 10.

Tacita institoria non protenditur ultra facta, super quibus sciente, et patiente sive domino sive consocio, fuit exercita *dec.* 116 § 4.

Quamvis autem inscio etiam domino, vel socio tacita institoria admitti posset, in casu dumtaxat intelligenda esset, quo negotii necessitas urgeret. *dec.* 116 § 5.

Omnes praeponentes, et socii tenentur insolidum ex quamcumque institoris obligatione. *dec.* 8 § 1.

Ex censura legis 5 § 11 *ff de inst. art.* institor obligat praeponentem in id dumtaxat ad quod praepositus fuit. *dec.* 8 § 2.

Ex *cons.* 44 *Alexandri* ad obligandum praeponentem oportet ut pecunia ab institore sumpta titulo cambii, vel mutui fuerit necessaria tabernae vel societati. *dec.* 8 § 3.

Limita in istitore, et administratore generali, libera et amplissima facultate praedito. *dec.* 8 § 4.

Limita pariter in institore qui sit quoque socius. *dec.* 8 §§ 5 *et* 9.

Quando ceteris sociis scientibus, et probantibus institor consocius pubblice omnia societatis negocia gessit, et liberum usum habuit - *della firma* - socii omnes tenentur in solidum in quavis obligatione ab hujusmodi institore nomine societatis suscepta. *dec.* 8 § 7.

Ex Urbis consuetudine institores liberis facultatibus praediti existimantur. *dec.* 8 § 10.

Haud praesumi potest institorem contractum ex praepositionis lege ei vetitum inire voluisse institorio potius, quam privato nomine. *dec.* 130 § 7.

Excusari non debet qui cum institore contrahit ex eo quod ignoraverit sub qua forma, et lege fuerit gestioni praepositus. *decis.* 113 § 3.

Ad inducendum praeponentis consensum non sola positiva scientia, sed probari etiam debet concursus actorum, ex quibus scateat ipsum adprobasse quae sub institorio nomine acta fuerint. *dec.* 113 § 11.

Isdraelitae. Isdraelitae in negociis agendis solertissimi sunt. *dec.* 21 § 5.

## J

Judicium commerciale. Sola persona negociatorum non facit judicium commerciale. *dec.* 26 § 1.

Ad hoc ut fiat commerciale, opus est ut res adsit et materia commercialis. *decis.* 26 § 4.

In commerciali judicio quaevis nullitas etiam substantialis, excoepta incompetentia ratione materiae, sanatur quoties proposita antequam vis aliam defensionem non fuerit. *decis.* 14 § 3.

In judiciis mercatoriis bona fides dumtaxat et actae rei veritas prae oculis habenda est, remotis subtilitatibus, et apicibus juris. *decis.* 21 § 12.

Juramentum. Juramento aestimatorio numquam fit locus, si probatio quantitatis et valoris non deficiat ex dolo, vel culpa alterius partis. *decis.* 140 § 5.

Iis tantummodo deferri potest juramentum aestimatorium, qui positivam habent et certam scientiam rei litigiosae, in defectu legitime probationis. *dec.* 140 § 6.

Non enim praestari illud potest ex mera credulitate. *dec.* 140 § 7.

Suppletorium juramentum facilius homini perfectae fidei, et religionis defertur. *decis.* 77 § 8.

Jurisdictio. Partes jurisdictionem tribuere nequeunt judici, qui nulli praesit judicio. *dec.* 67 § 6 *dec.* 71 § 8.

At si de judice agatur jurisdictionem aliquam habente, haec ex partium consensu ad extraneas quoque nationes jure prorogatur. *dec.* 67 § 7.

Ex consensu partium prorogatur judicis alioquin incompetentis jurisdictio. *dec.* 42 § 6.

Aliud est declarare cuinam ex diversis judicibus competat jurisdictio, aliud est unam, eamdemque causam, quae a collitigantibus per diversas actiones coram diversis judicibus proposita fuerit, unire coram uno eodemque tribunali. *dec.* 26 § 7 *et* 6.

Post diremptam jurisdictionis quaestionem extrinsecam, tribunal appellationis liberam habet facultatem vel judicandi de intrinseco rei merito, vel ad hoc remittendi partes, quae utantur juribus suis, coram quo de jure. *decis.* 26 § 9.

Lex quae eximit ab jurisdictione commerciali cultores, vel conductores agrorum pro venditione fructuum ex iisdem agris provenientium, loquitur taxative de emptionis venditionis contractibus, non autem de mercatoria societate quae initae fuerit super iisdem fructibus. *dec.* 67 § 3 *et* 5.

Societas si est contractus mere civilis commerciali jurisdictioni non subest. *dec.* 26 § 3.

Numquam credita frugifera enumerata sunt inter res et operationes commerciales. *decis.* 25 § 4.

Nec emptio, quamvis a negociatore facta proprii usus causa. *dec.* 22 § 20.

Commercialis jurisdictio sese extendit ad omnia incidentia connexa ac dependentia ab ipso contractu, vel distractu. *dec.* 122 § 2 *dec.* 127 § 4.

Sicuti pariter ad omnes controversias, quae oriuntur ex stipulationibus inter mercatores non tantum pro earum observantia, sed etiam pro nullitate, vel rescissione, vel reductione ad aequalitatem. *dec.* 122 § 3.

Qui herbas non ad proprium usum, sed negociandi causa coemerit, ratione rei subest commerciali jurisdictioni. *dec.* 117 § 4.

## L

Lex. Lex quae moderatur facultatem, et rationem appellandi non inter decisorias, sed inter ordinatorias est habenda. *dec.* 2 § 7.

Prudentum responsa, et rescripta principum, quae in pandectis et codice vim legis obtinuerunt, peculiares casus respiciunt. *decis.* 137 § 5.

Libri. Libri, scripturae confidentiales, et memorialia nullum in tertios jus transferunt. *decis.* 93 § 7.

Recensentur - *nel libro maestro* - partitae omnes quae ad universam pertinent negociationem. *dec.* 11 § 4.

Socius administrator qui librum accepti, et impensi, seu - *di cassa* - novissima commerciali lege invectum non habuit, minime ob id arguendus, dum societati nomen dedit antequam lex illa prodiret. *dec.* 50 § 8.

Codices mercatorum, etsi minus accurati, fidem tamen mereri possunt, nisi fraude, vel fraudis suspicione arguantur. *dec.* 43 § 2.

Creditores decocti patrimonii contra tertium agentem ex aliquo exteriori vitio respuere nequeunt illos ipsos codices, quibus usi sunt ad propria nomina constituenda. *decis.* 43 § 3.

Litera Cambialis. Ex quotidiano usu mercatorum in literis satis est formula - *valuta avuta* - quin expressa adjiciantur verba - *in contanti* - quae subintelligi possunt. *dec.* 65 § 4.

Censura legis, quae vetat - *antidatam* - in litteris cambialibus sub poena falsitatis, locum obtinet dumtaxat in iis literis quae antidatae fuerant in alicujus tertii detrimentum ab earum possessore decoctioni proximo. *decis* 65 § 7.

Quando agitur de cambialibus literis, tum minorum, tum mulierum tum etiam filiorum familias privilegia cessant. *dec.* 65 § 12.

Quando agitur de literae acceptante, ad liberationem assequendam, satis est pro eo vel ipsam literam absque creditoris epistographo accipere. *dec.* 58 § 8.

Eoque magis si eadem litera expressam praeseferat soluti debiti declarationem. *decis.* 58 § 9.

Usu receptum est in Anconitano emporio ut literae cambiales etiam ad veram alienationem transferantur per gyrata - *in bianco* - ibique, dum fit solutio, in interjecto spatio adiicitur verbum - *estinta.* *dec.* 58 § 13.

Quae methodus - *della girata in bianco* - congruit mercatorum consuetudini, et commercii celeritati. *dec.* 58 § 15.

Etsi collybi literae tradi soleant quandoque in titulum mandati, id non excludit eas tradi etiam solere in causam verae alienationis. *dec.* 58 § 18.

Litera cambialis - *per valuta in me medesimo* - si munita sit clausula - *all' ordine S. P.* - habetur quoad tertios adquirentes tamquam scripta - *per valuta avuta* *dec.* 3 § 11.

Formula - *per valuta avuta in contanti* - cambialibus literis adjecta exceptionem non numeratae pecuniae excludit omnino. *dec* 59 § 6.

Exhibitor literae cambialis praesumitur proprietarius, eique solvendum est. *dec.* 58 § 23.

Nullae sunt cambiales literae subscriptae a mulieribus, vel minoribus, qui mercaturum non exerceant. *dec.* 107 § 1.

Literae requisitoriales. Ex lege Liburni obtinente terminus in literis requisitorialibus ad exteros missis, non decurrit a die intimationis, sed a die - *della consegna al direttore della regia posta.* - *dec.* 99 § 2.

# M


DATARIUS. Sub tributa mandatario facultate creandi cambia intelligitur data potestas trahendi, vel acceptandi cambiales literas. *dec.* 121 § 5.

Aliud in jure est mandatum, aliud commendatio. *dec.* 15 § 3.

In commercio aliud est mandatum et - *mandatarius* -, aliud - *commissio* - et commissionarius. *dec.* 124 § 10.

Institori socio praesumitur datum a consociis universale mandatum. *dec.* 8 §§ 5 *et* 9.

Mandatum, ut res facti, non conjecturis, sed certo aliquo facto comprobandum est. *decis.* 162 § 5.

Post adimpletum mandatum, uti commodum ita damnum quodlibet ad mandantem pertinet. *dec.* 120 § 8.

Idemque obtinet in mercatoriis commissionibus. *dec.* 120 § 8.

Qui mandati fines transgreditur erga mandantem ad quanti interest tenetur. *dec.* 114 § 6.

Contraria actione mandati, vel utili negociorum gestorum condicitur quidquid in rem alterius, vel mandato intercedente, vel ultra mandatum impensum fuit. *dec.* 82 § 4.

Exhibitio documentorum, quae nonnisi ab actore suppeditari potuerint, expresso procurae mandato equipollet. *dec.* 21 § 2.

ISA NUMMULARIA ROMANA. Mensa nummularia - *Banca Romana* - ex suis legibus munus habet non solum exigendi, sed etiam negociandi in exteris cagionibus cambiales literas, vademque se praebendi. *dec.* 138 § 2.

ICATORES. Sub nomine - *mercanti* - non veniunt qui minutatim mercaturam faciunt. *dec.* 124 § 16.

Non unus, paucive negociationis actus sufficiunt, sed opus habituali negociationis exercitatione, ut quis mercator, vel negociator habeatur. *dec.* 107 § 3.

Qui domi privatim artem exercet, nec unquam publicam habuit tabernam, nec in publicorum negociatorum albo adscriptus fuit, inter mercatores censeri nequit. *dec.* 107 § 2.

ICATORES RIPALES. Privilegium ripale, quod a Paulo V mercatoribus ripalibus concessum fuit, obtinet praesertim ubi rumor proximae decoctionis ingravescat. *dec.* 52 § 4.

Ex constitutione Paulina vetitum ullo modo posse neque inibitione, vel cujusvis generis commissione retardari pretium rerum venditorum, quod ex sententia judicis mercatoribus ripalibus debetur. *dec.* 14 § 5.

Habent ex eadem constitutione prelationem in mercibus divenditis, penes debitores existentibus, inter omnes creditores, qui anteriores expressamque super iisdem hypothecam habent. *ibidem.*

Ex constitutione ipsa concurrunt cum creditoribus hypotecariis in caeteris debitorum bonis, quoad vero creditum propter res ripales tantum. *ibid.*

Ripali mercatori jus est sibi vindicandi merces suas, cujus pretium ab emptore solutum non fuit, si adhuc ipsae extent, etiam in tertios ab eodem emptore distractae. *dec.* 14 § 6.

Si autem amplius non extent, ipsisque aliae subrogatae fuerint, super repertas penes debitorem, mercator ripalis ex privilegio actionem hypothecariam habet. *dec.* 14 § 7.

MORA. Non est locus beneficio purgationis morae etsi ex pacto praefinitus fuerat dies certus, qui tunc dicitur interpellare pro homine. *dec.* 45 § 5.

Itemque non est locus si ei renunciatum fuerit. *dec.* 45 § 6.

Necessaria ex vi majori protestationis cunctatio eo minus tollit jura gyrantis, cum constet eam nullum cuique attulisse detrimentum. *dec.* 12 § 13.

MULIER. Quidquid mulier emit de bonis viri, aut quantum dimisit ex ejus aere alieno, praesumitur emisse et dimisisse cum pecunia mariti. *dec.* 54 § 4.

Mulier nihil habere praesumitur praeter dotem. *dec.* 54 § 5.

Cum mulier publice negociatur, ut jure obligationem suscipiat, mariti consensus expressus non requiritur, sed praesumitur tacitus, et continuus. *dec.* 87 § 4.

MUSICUS. Ex ubique recepta consuetudine honorario solvuntur musicis fortuito aegrotantibus. *dec.* 28 § 7.

MUTUUM. Mutuum cum usuris conventis titulo lucri cessantis, et damni emergentis deferri nequit ad extraordinarium commercii tribunal. *dec.* 22 § 2.

Nec mutuum verum nec palliatum concipi potest in capite pecuniario communi inter socios. *dec.* 39 § 6.

Requisitorum castrensium interpellatio ad condicendas fructus requiritur in mutuata pecunia, non autem in ea quae in quaestu collocata fuit, vel erat collocanda. *dec.* 34 § 4.

Mutuum a creditore acceptum argumento

est pecunias antea debitus solutas fuisse. *decis.* 80 § 13.

## N

Navarchus. Onoraria apocha ab navarcho subscripta authenticum est documentum qualitatis, et quantitatis mercium in eo descripturam. *decis.* 40 § 1.

Id tamen cessat, si navarchus adhibuerit formulam – *dice essere.* – *dec.* 40 § 4.

Quae formula simplicem exhibet confessionem tradentis merces, et a quavis obligatione recipientem, seu navarchum eximit. *decis.* 40 § 3.

Si navarchus, altero ex sociis inscio, alias suscipit negociationes, aliaque itinera quam quae conventa fuerint, in iisque naufragio perit, id socii damno non est. *dec.* 1 § 4 *V. Infortunium.*

Navarcho denegari nequit expensarum refectio, quia in adversariis adnotatae non reperiuntur, si constet aliunde ipsum eas revera tulisse. *dec.* 88 § 4.

Reficiendum est ductori navis si quid dedit nautis pro extraordinariis curis, quibus navis indiguit tempestate laborans. *dec.* 88 § 6.

## O

Oblatio realis. Nefas est mercatoriis judicibus sententiam ferre de oblatione reali in via judicati peractae. *dec.* 119 § 2 *et* 9.

Oblatio realis, quae integra non sit, nec valida censeri potest. *dec.* 141 § 1.

Obligatio cameralis. A Piana lege 6 Julii 1816 sublatus fuit usus obligationis Cameralis. *decis.* 14 § 13.

Observantia. Posteriora contrahentium facta, et observantia quid inter eos actum sit plene demonstrat. *dec.* 64 § 6.

## P

Pactum. Ob violatum pactum numquam fit locus rescissioni contractus; suppetit vero actio ad implementum, vel quanti interest. *dec.* 50 § 6.

Pactum quotae litis vetitum est advocatis, causidicis, et procuratoribus. *dec.* 75 § 11.

Non autem aliis qui bona fide emolumentum certae partis sibi quaesiverint ex eventu victoriae. *dec.* 75 § 12.

Praesertim si inita fuerit super eodem litis eventu societas, quae lucri ac damni communicationem indicat. *dec.* 75 § 31.

Participatio utilium. Verbum – *interessato* – puram putamque utilium partecipationem significat. *dec.* 66 § 7.

Participationis vocabulum pro societate quandoque usurpatur, quin tamen suam exuat naturam, et illam induat verae societatis. *decis.* 66 § 18.

Pignus. Pactum ut, nisi intra certum tempus creditori satisfiat, liceat pignus vendere a jure permittitur. *dec.* 120 § 3.

Nec vitium praesefert pacti commissorii. *dec.* 120 § 5.

Ex jure communi, si nulla intercessit pactio de pignore non alienando unica satis est denunciatio, ut ad ejus distractionem procedi possit. *dec. ibid.* § 15.

Quando pro distrahendo pignore denunciatio requiritur, ea sufficit etiam extrajudicialis. *dec. ibid.* § 10.

Positiones. Positiones nec relevantes, nec ad rem pertinentes admitti nequeunt. *dec.* 3 § 6.

Praesertim in privilegiato judicio solutionis cambialis. *dec.* 3 § 7.

Atque cum solutionem urget gyratarius contra quem nulla a debitore proponi potest exceptio. *dec.* 3 § 8.

Protextus. Necessitas protextus inducta fuit a lege favore cedentis. *dec.* 94 § 2.

Protextus requirendus non est ubi pateat, ultro illum a cedente fuisse remissum. *dec.* 94 § 4.

Hujusce autem remissionis evidens argumentum oritur ex eo quod cedens etiamsi nullus emissus fuerit protextus, sponte solverit creditori cambialis nominis partem. *dec.* 94 § 5.

Protextus necessitas a lege praecipitur, non obstante tractarii decoctione. *dec.* 126 § 5 *et* 11.

Talis necessitatis est actus protestationis, ut nullo alio ne judiciali, ne accuratissimo quidem suppleri possit. *dec.* 12 § 9.

Lex mercatoria statuit terminum quindecim dierum a die interjectae protestationis, intra quem possessores literae cambialis contra cedentes, seu gyrantes agere debent. *decis.* 118 § 7.

Est quoad gyrantes ad obtinendum – *il regresso* – idem terminus incipit ab insequenti die, post oblatum ipsis citatorium libellum. *dec.* 118 § 8.

Ex quo praefixionis termini discrimine eruitur, commercialem legem gyrantibus actionem pro liberatione a molestiis non tribuisse nisi molestiae reapse per oblatum libellum fuerint illatae. *dec.* 118 § 9.

Protestationis denunciatio non sufficit ad petendam liberationem a molestiis. *dec.* 118 § 10.

In edendis cambialium protestationibus modus, forma, et tempus adhibetur obtinens in regione, in quo literae praehesentandae, et solvendae sunt. *dec.* 12 § 12.

Necessaria ex vi majori protestationis cunctatio eo minus tollit jura gyrantis cum constet eum nullum cuique attulisse detrimentum. *dec.* 12 § 13.

## Q

Qualitas. Quando plures qualitates in uno concurrant, illa tantum inspicienda, quae ceteris praevaleat. *dec.* 13 § 13.

Qualitas institoria. Actor plene in reo convento evincere debet institoriam qualitatem, secus non praesumendam. *dec.* 97 § 2.

Institoria qualitas conciliari nequit in eo, qui rei administratae dominium habet. *dec.* 97 § 3.

Qui cum institore contrahit, ne peculiarem ejus fidem sequi videatur, cognoscat oportet institoriam ejus qualitatem. *dec.* 97 § 6.

Nec dari potest ab eo qui dominium non habet. *dec.* 97 § 4.

Hinc inspiciendae ab eo sunt eorum conditiones. *dec.* 97 § 7.

## R

Redemptor litis. Ut quis uti litis redemptor habeatur duo concurrere debent, quod nempe litis cessionem in semetipsum transferre curasset, quodque fecisset malo proposito vexationibus litigatorem afficiendi. *dec.* 75 § 4.

Redemptura. Redempturae actum commercialem constituunt, et mercatorio foro idcirco subjiciuntur. *dec.* 128 § 1.

Diversum est mercatores et redempturas facere ac colere agros. *dec.* 67 § 4.

Regressus. In controversiis de regressu, inspiciendum est cujus culpa litera cambialis insoluta remaneat. *dec.* 132 § 13.

Requisita castrensia. Requisitorum castrensium interpellatio ad condicendos fructus requiritur in mutuata pecunia, non autem in ea quae in quaestu collocata fuit, vel erat collocanda. *dec.* 34 § 4.

## S

Sententia arbitramentalis. In sententiis arbitramentalibus ordo exequutorius a tribunalis commercii praeside infra triduum a productione sententiae pure et simpliciter relaxari debet. *dec.* 109 § 11 *dec.* 112 § 11.

Dispositio § 1782 judiciarii codicis respicit arbitramentales sententiae in civilibus, non autem in commercialibus latas. *dec.* 109 § 8. *dec.* 112 § 8.

Societas. Quando socii nihil dixerunt de societate anonyma tenendum est eos *simplicem* contraxisse societatem. *dec.* 30 § 5.

Nulla in jure datur societas, in qua, praeter sociorum consensum, non concurrant commune caput, communis opera, et industria, itemque commune lucrum, et damnum. *decis.* 73 § 6.

Constituta societate, omnes subalterni contractus ipso jure communes fiunt inter socios. *dec.* 91 § 11.

Initio societatis onus remitti socio nequit reddendae rationis. *dec.* 23 § 15.

Societas de re emenda, quae postea vendatur, habetur uti mercatorius actus. *dec.* 27 § 1.

Inaequalitas non abhorret a societatis natura. *dec.* 23 § 18.

Morte socii ita dirimitur societas, ut nec ab initio pacisci possit, ut haeres succedat societati. *dec.* 61 § 18.

Quod tamen non obtinet in sociali conductione vectigalium. *dec.* 61 § 19.

Societas sub conditione inita penitus rescinditur si conditio non existat. *dec.* 35 § 2.

Eoque magis si deficiat causa finalis. *decis.* 35 § 3.

Lex - 14 *ff pro socio* - de renunciatione non de rescissione cavet. *dec.* 62 § 22.

Societas anonyma. Quando cuncta confluunt *anonymae* societatis extrema, et potissimum praefinitio capitis socialis, societas habenda est anonyma etsi socii talem explicitis verbis declaraverint. *dec.* 36 § 7 *et* 10.

In anonyma societate - *la Banca Romana* - deliberationes rectorum a consilio, ex statuta lege manere debent secretae. *dec.* 93 § 5.

Hinc cum in publicum non edantur nullum jus omnino ex iis oriri potest favore tertii cujuscumque, nisi expressa in contractu facta sit ad illas relatio. *dec.* 93 § 6.

Societas participationis. Societas, quae circa plures gestiones versatur, in partecipationem lucrorum appellatur. *dec.* 85 § 4.

Haec autem soluta dici nequit, nisi res omnes confectae fuerint ab sociis designatae. *dec.* 85 § 5.

Societas universalis. Excluditur societas universalis ex contractu compartecipationis inito super

speciali negociatione. *dec.* 63 §§ 8 *et* 10 *decis.* 66 § 11 *et* 13.

Societas *in nome collettivo* ea est *collectiva* quae initur a duobus vel pluribus, ad hoc ut negociatio fiat - *sotto una ragione sociale. dec.* 73 § 4.

Haec autem pro forma substantiali requirit scripturam, nec probari potest per testes. *dec.* 73 § 5.

Solutio. Existentia literae collybisticae penes eum qui illum se dimisisse contendit, optime solutionem probat. *dec.* 21 § 4 *et dec.* § 4 *et* 5.

Non prohibetur tertio extraneo alterius debitum solvere, inscio etiam, et inconsulto debitore. *dec.* 162 § 2.

At id facere ipse debet aere proprio, non pecunia vel re debitoris. *dec.* 102 § 3.

## T

Taberna. In tabernis distinguenda sunt locus, instrumenta, et exercitium, quae a tribus distinctis dominis possideri non raro contigit. *dec.* 97 § 1.

Tessera *seu Taglia*. Tessera seu *taglia* quam post pensam mercem, dare solet utrique contrahenti publicus pensitator, gravissimum est perfectae emptionis venditionis monumentum. *dec.* 55 § 3,

Tractarius. Axioma quod decoctio tractarii provisionem destruit, accipiendum est a tempore declaratae, non autem ab initio retrotractae decoctionis. *dec.* 132 § 6.

Trahens. Trahens praestare tenetur integram validamque provisionem, usque ad diem solutionis litterae cambialis. *dec.* 132 § 5.

Transactio. Transactione confirmari non potest contractus foeneratitius. *dec.* 10 § 4 *et dec.* 53 § 1.

## U

Usura. Hetruscae leges, etsi ex commercii favore non requirant interpellationem requisitorum castrensium, non ideo tamen censendae sunt, usuras ultra legitimum modum permittere. *dec.* 99 § 8.

Ex prudenti autem ejus arbitrio reducitur in casu ad semissum. *dec.* 99 § 7.

Ad judicis officium pertinet usuras mercatorias ad legitimum modum reducere. *decis.* 99 § 6.

Usurae centesimae legitimum modum excedunt. *dec.* 99 § 5 *dec.* 106 § 7 *et decis.* 120 § 19.

Idque etiam in Hetruria obtinet ex gallicis legibus, quae ibi quoad hoc abrogatae numquam fuerunt. *dec.* 120 § 20.

Exceptio de usuris pertinet ad eas caussas quae vocantur - *mixti fori.* - *dec.* 23 § 3.

Per exceptionem de usuris actio commercialis in civilem converti nequit. *dec.* 23 § 5.

Decoctor ex intercepta commercii ratione usuras percipere non potest. *dec.* 99 § 11.

## V

Venditio. Ex jure commercii litterae mercatoriae plene probant initam perfectamque inter absentes mercatores emptionem venditionem. *decis.* 57 § 1s

Ex quibus eruitur non simplicem tractatum, sed verum intercessisse perfectumque contractum. *dec.* 57 § 3.

In venditione, aliisque contractibus nominatis non est locus rescissioni, sed actio dumtaxat competit ad implementum. *dec.* 5 7§ 15.

Post initam emptionem venditionem, licet emptori ex redhibitoriae contractum rescindere, si merces sint vitiosae, nec qualitati respondeant in contractum deductae. *dec.* 64

Idemque obtinet in mercatorio commissionis contractu. *dec.* 64 § 9.

Si merces venditae, et emptae fuerunt juxta traditum specimen - *il campione* - nisi hoc exhibeatur, statui nequit eas esse diversas. *dec.* 133 § 5.

Versio. Versio pecuniae in rem socialem ad substinendam obligationem ab institore susceptam si non fuit directa, et materialis, sufficit fuisse directam, et virtualem. *dec.* 8 § 11.

Probatio versionis rei, vel pecuniae in utilitatem domini obtinet quidem in actione - *negociorum gestorum* - et de - *in rem verso.* - *dec.* 74 § 14.

Ut actio utilis - *de in rem verso* - exerceri possit, non praesumptionibus, sed probationibus demonstranda est versio. *dec.* 97 § 10.

Vis major. Nemo de vi majori tenetur. *dec.* 101 § 2.

Necessaria ex vi majori protestationis cunctatio, eo minus tollit jura gyrantis, eum constet eum nullum cuique attulisse detrimentum. *dec.* 12 § 13.

FINIS.

IMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni O. P. Sac. Pal. Ap. Mag.

IMPRIMATUR

Joseph. Canali Archiep. Coloss. Vicesg.

26648